COMPENDIVM
IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,
IN QVO REIICIVNTVR OMNIA,
Quæ à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus Imperij mutatione, contrario vsu derogata sunt.

VNIVERSVM OPVS NVNC PRIMVM TYPIS COMMISSVM,
In quinquaginta libris absoluitur.

Institutionum autem methodum, vt licuit & fieri potuit, sequitur.


In septem partes diuisum & explicatum.

Agit prima pars de Iure naturali & ciuili, & de personis.
Secunda, de Rebus, & illarum acquisitione singulariter.
Tertia, de Acquisitione ex vniuersitate, ac ex testamento.
Quarta, de Successione vniuersali ab intestato, de feudis, ac de dotibus.
Quinta, de Obligationibus, & contractibus vniuersis.
Sexta, de Actionibus, exceptionibus, & interdictis.
Septima, de Iudicijs, prius de priuatis, posterius de Publicis.

AVCTORE FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS
I. C. ET CANONICO VICENTINO.

Cum rerum summis, & Indice locupletissimo.

CVM PRIVILEGIO ILLVSRISSIMI SENATVS VENETI.



VENETIIS, Apud Fœlicem Valgrisium. M D LXXXII.

AD RODVLPHVM II. ROMANORVM IMP. MAXIMVM.

FRANCISCVS GRATIANVS de Garzatoribus, I.C. Vicentinus S.

NEmini dubium est, Cæsar Opt. Max. quin Iustinianus Imperator, iurisq; antiqui Compilatores, & Codicis, & Pandectarum libros, sine glosis (cum sint prohibitæ) legendos, docendosq; esse existimauerint. Quapropter manifestè constat, tunc glossas compositas fuisse, cùm lingua Latina, ob multam hominum turbam, ex barbaris nationibus in Vrbem confluentem, illius commercio contaminata, imò & in barbaram propemodum versa esset, ita vt magno, longove labore intelligerent. Etenim quo tempore Iustinianus ius ciuile enucleauit, Gothi Italiæ dominabantur, quibus à Narsete expulsis, ob eiusdem ab Imperatore defectionem, Longobardi successere: qui cùm ibidem, ducentos, & amplius annos regnassent, à Carolo Magno deniq; Desiderio eorum Rege capto superati, expulsiq; fuere, vnde hisce causis deperdita lingua Latina, alijsque legibus introductis vsque ad Lotharium II. Imperatorem, ius ciuile Romanorum, neque obseruabatur, neque docebatur. ipse enim anno salutis

DCCCCXXXVIII. Romanas leges publicè legi, atq; adeò secundum earum dispositionem ius dici præcepit: nullasq; glossas ante MDD. adscriptas fuisse constat: tantopere enim, & tanto temporis interuallo Iustiniani edictum omnes verebantur. Quamobrem cupiens ego sua leges puritate doceri, easq; præsertim, quæ sint in vsu, omissis ijs, quæ tantum pro historia seruiant, hoc ius Septem Partibus distinctum enucleare decreui, vt adolescentes, qui ad legalem scientiam se accingunt, post terminos iuris, atq; Institutionum elementa, congruo eodem Institutionum ordine, totum ius aggrediantur, cùm nullus omnino habeatur ordo, neque in Codice, neque in Digestis Institutionibus consonus; imò Codicis, & Digestorum ordo, inter se aduersatur & glossæ huic culpæ haud prouiderunt, sed potius confusionem maximam introduxerunt. Nam Doctores glossas sequentes, sumpta ab ijs occasione, materiam vnius loci, in alium transportarunt, atque composuerunt Repetitiones. Cùm igitur ius ciuile vniuersum, quod non sine multis vigilijs enucleatum, atque ad breuem quandam methodum redactum, typis commendauerim: visum est mihi in lucem prodire non posse, absque ipsius Imperatoris auspicio, cum ille in primis legum ciuilium autor, & vindex censeatur. Quæ res facilè potuit me compellere, vt opus hoc tibi dicarem ac deuouerem. Verum illud prætereà accessit, quod singulari quodam seruitutis, ac venerationis vinculo, videatur esse familia mea Imperatoriæ obstricta Maiestati. Nam Gratius, quem nos primum familiæ nostræ autorem memoramus, cùm Henrici VII. auspicia secutus, in Italiam venisset, atq; in agro Vicentino consedisset ad arcem Beluicini, eandem à Cæsaris liberalitate dono tulit, non minimum præclaræ confisionis indicium, cùm per illam primus pateat Vicentiam, atq; adeo in vniuersam Italiam ingressus. Mox verò Magnanimus Imperator Fridericus III. qui Maiestati tuæ tritauus habetur haud pœnitendus, Baptistam Gratianum agnatum meum nonne Comitem Palatinum creauit, & continuum commensalem elegit, plurimisq; beneficijs, & ornamentis decorauit? Vt iam

exi-

eximius quidam Imperatorum in hanc familiam amor, & munificentia, huius autem hæreditaria fides, & obseruantia semper illuxerit. Haudquaquam igitur hoc grati animi officium mihi omittendum fuit, vt me tantorum beneficiorum memorem gratumq; significarem. Porrò Cæsareę Maiestatis erit, hęc ęqui boniq; facere, ac munus non donantis imbecillitate metiri, sed eiusdem ingenio, ac voluntate, atque ipsius operis dignitate, quam summis Imperatoribus refert acceptam. Quod si à Clementissimo Imperatore impetrauero, facile confido fore, vt qui labori nostro partim imperitia, partim animi morbo compulsi, detrahere contenderunt, Cęsareę autoritati acquiescant, eiusq; lumine perterriti, ac veluti diuino quodam fulmine perculsi, obstupescant, & ab obtrectatione desistant.

AD LECTORES.

NON omnia possumus omnes, candide Lector, si quos igitur errores inuenies impressoris culpa id æquo animo feras, cum facile sit cum tui iudicio, tum testibus authenticis loca videndo, eos corrigi. Author enim adesse non potuit, & typographi, & qui typis interfuerunt sibi ipsis defuerunt, & quam tale ac tantum opus exigit diligentiam non adhibuerunt. Quinetiam non est cur ignores, ipsius Authoris mentem haud esse (vt multi autumant) & glossas, & Doctorum commentaria hoc opere abrogare velle, imò iuri operam dari posse existimat, non solum veteri eorundem ordine, verum etiam hac textus simplici lectione ab adolescentibus præsertim iuris studiosis, & alijs quibuscunque personis, cùm legislatorum sit opinio, ignorantia iuris neminem excusari. Scito insuper non deesse, qui huic methodo sese opponant dicentes, seruorum, aliarumq; rerum omissam materiam, vtilem ac necessariam esse, cum multis locis serui existant, tum leges de ijs disponentes in argumenta seruiant: quibus facile responderi potest, quòd licèt hodie serui sint, non sunt eiusdem generis, de quo leges loquuntur, et vbi sunt ius, municipale obseruatur. Huc accedit etiam, quòd omnes leges de ijs disponentes, quæ accommodari potuerunt, mutato nomine serui in filium, vel animal, insertæ sunt. Quid quod considerandum est, quod ars longa est, vita breuis, & confusio, quæ viget, in causa est, vt paucarum legum scientiam iuuenes consequantur: rectius enim est maximam legum partem, quæ in foro iudicijsq; versantur probè tenere, quàm materiam haud vsitatam sectando fructum vtilitatemve maximam amittere.

Ex Tomo Primo
INDEX TITVLORVM

a, primam. b, verò secundam faciem demonstrat.

LIBER PRIMVS.

Liber Secundus.

Liber Tertius.

Liber Quartus.

Liber Quintus.

A De con-

FINIS PRIMAE PARTIS.

Secunda Pars.

FINIS SECVNDAE PARTIS.

Tertia Pars.

Non admireris hunc.4.Tit.esse eundem cum 8. vt in fine operis notatum est.

FINIS TERTIAE PARTIS.

Titulorum,
Quarta Pars.

Liber Primus.

Liber Secundus.

Liber Tertius.

Liber Feudorum qui est Quartus.

Quartæ Partis.

Prima Pars Feudorum.

Secunda Pars Feudorum.

Si quis

Tertia Pars Feudorum.

Quarta Pars Feudorum.

De

Quinta Pars feudorum.

Sexta Pars feudorum.

Liber Quintus Quartæ Partis.

Liber Sextus.

Liber Septimus.

Liber Octauus.

FINIS QVARTAE PARTIS.

Titulorum.

Quinta Pars feudorum.

Sexta Pars feudorum.

Liber Quintus [illegible]

Liber Sextus.

Liber Septimus.

Liber [illegible]

FINIS [illegible]

PRIMA PARS COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis ijs, quibus à Iure Canonico, Nouellis Iustiniani constitutionibus, Imperij mutatione, contrario usu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICETINO AVCTORE.

Liber Primus.

DE IVSTITIA ET IVRE.
Titulus I.

IVRI operam daturum prius nosse oportet, unde iuris nomen descendat. Est autem ius à iustitia appellatum, nam (ut eleganter Celsus definit) Ius est ars boni & æqui, cuius meritò quis nos sacerdotes appellet. Iustitiam nanque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes: bonos non solum metu pœnarum, uerum etiam præmiorum quoque exhortatione afficere cupientes: ueram (nisi fallor) philosophiam non simulatam adfectantes. ff. de iust. & iure. l. prima, in princ.

Ius pluribus modis dicitur. Vno modo, cum id, quod semper bonum ac æquum est, ius dicitur, ut est ius naturale. Altero modo, quod omnibus, aut pluribus in quaque ciuitate utile est, ut est ius ciuile. Nec minus ius rectè dicitur in ciuitate nostra ius honorarium. Prætor quoque ius reddere dicitur, etiam cum iniquè decernit: relatione, scilicet, facta non ad id, quod Prætor ita fecit, sed ad illud, quod prætorem facere conuenit. Alia significatione ius dicitur locus, in quo redditur: appellatione collata ab eo, quod fit, in eo ubi fit, quem locum determinare hoc modo possumus: ubicunque prætor salua maiestate imperii, saluoque more maiorum ius dicere constituit: is locus rectè ius appellatur. Nonnunquam ius etiam pro necessitudine dicimus: ueluti est mihi ius cognationis, uel adfinitatis. ff. eod. l. ius penul. cum l. sequ.

Iustitia est constans, & perpetua uoluntas, ius suum unicuique tribuens. Iurisprudentia est diuinarum atque humanarum rerum notitia iusti atque iniusti scientia. Iuris præcepta sunt hæc, honestè uiuere, alterum non lædere, ius suum

unicuique tribuere. Instit. eod. in princ. & §. iuris prudentia, & iuris præcepta & ff. eod. l. iustitiæ, decima.

Huius studii duæ sunt positiones PVBLICVM, & PRIVATVM: Publicum ius est, quod ad statum rei Romanæ spectat; Priuatum, quod ad singulorum utilitatem pertinet. Instit. eod. §. huius. & ff. eod. l. prima, §. huius studii.

Publicum ius in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit. d. l. prima, §. Publicum.

Sacrorum & sacerdotum materia, quia nunc iuris canonici est, in iure ciuili omittitur: Magistratuũ, quia ex mutatione imperii, mutatio maxima facta est, eorum etiam materia omittitur: tãtò magis quia singulæ ciuitates, leges municipales habent, ac secundum illarum dispositionẽ viuitur, & iudicatur.

Ius priuatum, est tripartite collectum: est enim ex naturalibus præceptis aut gentium aut ciuilibus. Instit. eod. in fine, &. ff. eod. d. l. prima, §. priuatum.

DE IVRE NATVRALI GENTIVM ET CIVILI. *Titulus II.*

IVs naturale est, quod natura omnia animalia docuit: Nam ius istud non solum humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in terra, mariq; nascuntur: auium quoque commune est. Hinc descendit maris atq; fœminæ coniugatio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus etenim cætera quoque animalia, feras etiam istius iuris peritia censeri. ff. de iust. & iure. l. prima. §. ius naturale. Et Inst. de iure nat. in princ.

Ius ciuile est, quod neque in totum à naturali, vel gentium recedit, neque per omnia ei seruit. Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi: ius proprium, id est, ciuile efficimus. ff. de iust. & iure. l. sexta.

Ius autem ciuile à iure gentium ita distinguitur, quod omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium iure vtuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium ciuitatis est, vocaturq; ius ciuile, quasi ius proprium ipsius ciuitatis. Quod verò naturalis ratio inter omnes gentes constituit, id apud omnes populos peræquè custoditur: vocaturq; ius gentium, quasi quo iure omnes gentes vtuntur. Inst. de iure nat. gent. & ciui. §. ius autem ciuile. & ff. de iust. & iure. l. omnes. ix.

Populus Romanus partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure vtitur. Quæ singula qualia sint suis locis proponemus, Inst. de iure natur. §. ius autem ciuile, vers. Populus itaque.

Sed ius quidem ciuile ex vnaquaque ciuitate appellatur, veluti Atheniensium: Nam si quis velit Solonis, vel Draconis leges appellare ius ciuile Atheniensium, non errauerit: sic enim & ius, quo Romanus populus vtitur, ius ciuile Romanorum appellamus, vel ius Quiritum, quo Quirites vtuntur: Romani enim à Romulo: Quirites à Quirino appellantur: sed quoties non addimus cuius sit ciuitatis: Nostrum ius significamus, sicuti cum Poetam dicimus nec addimus ei nomen, subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius. Inst. cod. §. sed ius quidem.

Ius autem gentium omni humano generi commune est: Nam vsu exigente, & humanis necessitatibus gentes humanæ iura quædam sibi constituerunt. Bella etenim orta sunt, & captiuitates secutæ, & seruitutes; quæ sunt naturali iuri contrariæ. Iure enim naturali omnes homines ab initio liberi nascebantur. Et ex hoc iure gentium omnes penè contractus introducti sunt: vt emptio, & venditio, locatio, & conductio; societas, depositum, mutuum, & alii innumerabiles. Inst. eo. §. ius autem gentium.

Ius gẽtium, à naturali recedere licet facile intelligere: quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune est. Veluti erga Deum religio: ut parentibus, & patriæ pareamus. Vt vim atque iniuriam propulsemus. Nam iure hoc euenit, ut quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur. Et cùm inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse. ff. de iust. & iure. l. prima, in fine. & duabus ll. sequen.

Constat autem Ius nostrum, quo vtimur, aut ex scripto, aut non scripto. Scriptum autem ius est, LEX, PLEBISCITVM, SENATVSCONSVLTVM, PRINCIPVM PLACITA, MAGISTRATVVM EDICTA, RESPONSA PRVDENTVM, Insti. de iure nat. §. constat, & ff. de iust. & iure. l. septima.

LEX est, quod Populus Romanus senatorio magistratu interrogante (veluti Consule) constituebat. Inst. de iure nat. §. lex.

PLEBISCITVM est, quod plebs plebeio magistratu interrogante (veluti Tribuno) constituebat. Plebs autẽ à populo eo differt, quo species à genere: Nam appellatione populi vniuersi ciues significantur connumeratis etiam patritiis & senatoribus: Plebis autem appellatione sine patritiis & senatoribus cæteri ciues significantur. Sed & plebiscita lege Hortensia lata non minus valere quàm leges cœperunt. Inst. eod. §. Plebiscitum.

SENATVSCONSVLTVM est, quod Senatus iubet, atque constituit: Nam cum auctus esset Populus Romanus in eum modum, vt difficile esset in vnum eum conuocari legis sanciẽdæ causa, æquum visum est, senatum vice populi consuli. Inst. eod. §. senatusconsultum.

SED & quod Principi placuit, legis habet vigorem, cum lege Regia, quæ de eius imperio lata est, populus ei, & in eum omne imperium suum, & potestatem concessit: Quodcunq; ergo Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decreuit, vel edicto præcepit, legem esse constat. hæ sunt, quæ constitutiones appellantur. Planè ex his quædam sunt personales, quæ nec ad exemplum trahuntur, quoniã non hoc Princeps vult. Nã quod ob meritũ indulsit alicui: vel si cui pœnam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit, personã non transgreditur: Aliæ autem cum generales sint, omnes proculdubio tenent. Insti. eod. §. sed, & quod.

PRAETORVM quoq; EDICTA non modicam obtinẽt iuris auctoritatem. Et est ius, quod Prætores introduxerunt adiuuandi, vel supplendi, vel corrigẽdi iuris ciuilis gratia propter vtilitatem publicam: Et hoc ius honorarium solemus appellare, quod qui honores gerunt, idest magistratus, auctoritatem huic iuri dederunt. Nam & ipsum ius Honorarium viua vox est iuris ciuilis. Insti. eod. §. Prætorem. & ff. de iust. & iure. l. septima. §. ius prætorum, cum l. sequ.

Proponebant & Aediles curules edictum de quibusdam causis: quod & ipsum iuris honorarii portio est. Inst. eod. §. Prætorum, vers. Proponebant.

RESPONSA PRVDENTVM sunt sententiæ, & opiniones eorum, quibus permissum erat iura condere. Nam antiquitus constitutum erat, vt essent, qui iura publicè interpretarentur: quibus à Cęsare Ius respondendi datum est, qui Iurisconsulti appellabantur: quorum omnium sententiæ, & opiniones, eam auctoritatem tenebant, vt Iudici recedere à responso eorum non liceret, vt est constitutum. Inst. eod. §. Responsa.

Ex non scripto Ius venit, quod vsus approbauit: nã diuturni mores consensu vtentium comprobati legem imitantur. Inst. eod. §. ex non scripto.

Et non ineleganter in duas species Ius ciuile distributum esse uidetur: nam

origo eius ab institutis duarum ciuitatum Athenarum scilicet, & Lacedæmoniorum fluxisse videtur: In his enim ciuitatibus ita agi solitum erat, ut Lacedæmonii magis quidem ea, quæ pro legibus obseruarent, memoriæ mandarent: Athenienses uerò ea, quæ in legibus scripta comprehendissent, custodirent. Insti. eod. §. & non ineleganter.

Sed naturalia quidem iura, quæ apud omnes peræquè obseruantur diuina quadam prouidentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent: Ea verò quę ipsa sibi quæq; ciuitas constituit, sæpe mutari solent, vel tacito consensu populi, vel alia postea lege lata. Insti. eod. §. sed naturalia.

DE LEGIBVS, SENATVSCONSVLTIS, CONSTITVTIONIBVSQVE PRINCIPVM.

Titulus III.

LEx est commune præceptum virorum prudentium consultum: delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coercitio: communis reipublicæ sponsio. ff. de legib. l. prima.

Lex est, cui omnes homines decet obedire, cũ propter multa & varia, tum maximè quia oĩs lex est inuentio quædam & donum Dei: Decretum aũt hominum sapientum: correctio autem voluntariorum & non voluntariorũ peccatorum: ciuitatis aũt compositio communis: secundum quam oẽs decet viuere, qui in ciuitate sunt. Item lex est omnium diuinarum & humanarum rerum regina. oportet autem eam etiam præsidere & bonis & malis, & principem & ducem esse: & secundum hoc regulam esse iustorum & iniustorum, & eorum quæ natura ciuilia sunt animantium: præceptrix quidem faciendorum, prohibitrix autem non faciendorum. ff. eod. l. secunda.

Princeps aũt legibus solutus est, Augusta aũt licet legibus soluta non est, principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ & ipsi habent. ff. eod. l. Princeps. xxx.

Legis virtus hæc est: imperare, vetare, permittere, punire. ff. eod. l. septima.

Cum lex in præteritum quid indulget in futurum vetat. ff. eod. l. cum lex. xxi.

Non ambigitur Senatum ius facere posse. ff. eod. l. octaua.

Quod Principi placuit legis habet vigorem, utpote cum lege regia, quæ de imperio eius lata est, populus ei & in eum omnem suum imperium & potestatem contulerit. Quodcunque igitur Imperator per epistolam & subscriptionem statuit, vel cognoscens decreuit, vel de planò interlocutus est, vel edicto præcepit: legem esse constat. Hæ sunt quas constitutiones vulgò appellamus. Planè ex his quædam sunt personales, nec ad exemplum trahuntur. Nam quæ Princeps alicui ob merita indulsit: vel si quam pœnam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit: personam non egreditur. ff. de const. princ. l. prima.

Tam conditor, quàm interpres legum solus Imperator iustè existimabitur: nihil hac lege derogante veteris iuris conditoribus quia hoc eis maiestas imperialis permisit. C. de legib. l. si imperialis, xi. in fi.

Iura constitui oportet, in iis quæ plerunque, non quæ raro accidunt. Nam ex iis, quę fortè vno aliquo casu accidere possunt iura non constituuntur. Et ad ea potius debet aptari ius, quæ & frequenter & facilè, quàm, quæ perraro eueniunt. Quoniam quæ semel tantum, aut bis accidit, contemnunt legislatores. ff. eod. l. tertia, cum tribus sequent.

Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. ff. eod. l. octaua.

Neque

Neque leges, neque senatusconsulta ita scribi possunt, vt omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur: sed sufficit ea, quæ plerunque accidunt, contineri. Et ideo de iis, quæ primò constituuntur, aut interpretatione, aut constitutione optimi principis certius statuendum est. ff. eo. l. neq; leges. ix. cũ l. seq.

Non possunt omnes articuli singulatim aut legibus, aut senatusconsultis comprehendi: sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est: is, qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita ius dicere debet. Nam (vt ait Pædius) quoties lege aliquid vnum vel alterum introductum est: bona occasio est, cætera, quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certa iurisdictione suppleri. ff. eo. l. non possunt. xi. cum l. seq.

Quòd verò contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias. Quia in iis, quæ contra rationem iuris constituta sunt, non possumus sequi regulam iuris. ff. eod. l. quod vero. xiii. cum l. seq.

Inter æquitatem & ius interpositam interpretationem nobis solis & oportet & licet inspicere. C. eod. l. prima.

Beneficium Imperatoris, quod à diuina scilicet eius indulgentia proficiscitur, quamplenissimè interpretari debemus. ff. de const. princ. l. tertia.

Si quid in legibus latum fortassis obscurius fuerit: oportet id ab imperatoria interpretatione patefieri, duriciamq; legum nostra humanitate incõgruam emendari. C. de legib. l. nona, in fi.

Legis interpretationem culmini tantum principali competere, nemini venit in dubium, cum promulgandæ quoque legis auctoritatem fortunæ sibi vindicet eminentia Nouell. const. cxliii. in princ.

Omnis Imperatorum legũ interpretatio, siue in precibus, siue in iudiciis, siue alio quocũq; mõ facta: rata & indubitata habetur. C. de leg. l. vndecima. §. cũ igitur.

Ius singulare est, quod contra tenorem rationis, propter aliquam vtilitatem, auctoritate constituentium introductum est. ff. de leg. l. ius singulare. xv.

Cùm de nouo iure, quod inueterato vsu adhuc stabilitum nõ est, dubitatio emergat: necessaria est tam suggestio iudicantis, quàm sententiæ principalis auctoritas. C. eod. l. decima.

Scire leges, non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem. ff. de legibus. l. scire. xvi.

Benignius leges interpretandæ sunt, quò voluntas earum conseruetur. ff. eodem. l. benignius. xvii.

In ambigua voce legis ea potius accipienda est significatio, quæ vitio caret: præsertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi possit. ff. eo. l. in ambigua. xviii.

Nam nulla iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ salubriter pro hominum vtilitate introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad seueritatem. ff. eod. l. nulla. xxiiii.

Et minimè sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt, ff. eo. l. minimè, xxii.

In rebus nouis constituendis euidens esse vtilitas debet, vt recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est, ff. de constit. princ. l. secunda.

Non omnium, quæ à maioribus constituta sunt, ratio reddi potest. alioquin multa ex his, quæ certa sunt, subuertuntur ff. de legib. l. non omnium. xix. cum l. sequ.

Inciuile est, nisi tota lege perspecta, vna aliqua particula eius proposita, iudicare vel respondere. ff. eod. l. inciuile, xxiii.

Non est nouum, vt priores leges ad posteriores trahantur. Ideo, quia semper quasi

hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, & ad eas res pertineant, quæ quandoque similes erunt. ff.eod.l.non est nouum.xxv. cum.seq.

Sed & posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint: idque multis argumentis probatur.ff. eod.l.sed, & posteriores. xxxvii.

Nam constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt.ff.de constitut.princ.l.fi.

Contra legem facit, qui id facit quod lex prohibet.in fraudem uerò qui saluis uerbis legis, sententiam eius circunuenit. Fraus enim legi fit ubi id fit quod fieri noluit, fieri autem non uetuit.ff.de legibus.l.contra legem. xxxviii.cum l.seq.

DE CONSVETVDINE.
Titulus IIII.

DE quibus causis, scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est. Et si qua in re hoc defecerit: tunc quod proximum & consequens ei est. Inueterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur: & hoc est ius, quod dicitur moribus constitutum. Nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm quòd iudicio populi receptæ sunt: merito & ea, quæ sine ullo scripto populus probauit, tenebunt omnes. Nam quid interest, suffragio populus uoluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis? Quare rectissimè etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem, abrogentur.ff.de legib.l.de quibus.xxxi.

Diuturna consuetudo pro iure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, obseruari, solet.ff. eod.l.diuturna.xxxii.

Cum de consuetudine ciuitatis uel prouinciæ confidere quis uidetur, primum quidem illud explorandum est, an etiam contradicto aliquando iudicio consuetudo firmata sit.ff.eod.l. cum de consuetudine. xxxiii.

Ea, quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos obseruata, uelut tacita ciuium conuentione, non minus, quàm ea, quæ scripta sunt iura, seruantur.ff. eod.l. sed & ea, xxxiiii. Imò magnæ auctoritatis hoc ius habetur, quod in tantum probatum est, ut non fuerit necesse scripto comprehendere. ff. eod.l.Imò.xxxv.

Si de interpretatione legis quæratur, in primis inspiciendum est quo iure ciuitas retrò in eiusmodi casibus usa fuit. optima enim est legum interpres consuetudo.ff.eod.l.si de interpretatione.xxxvi. Nam in ambiguitatibus quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuò similiter iudicatarum auctoritatem, vim legum obtinere debere.ff.eo.l.nam Imperator.xxxvii.

Ergo omne ius aut consensus fecit, aut necessitas constituit aut firmauit consuetudo.ff.eod.l.ergò penult.

Quod non ratione introductum est, sed errore primùm, deinde consuetudine obtentum, in aliis similibus non obtinet.ff. de legib. l. quod non ratione. xxxviii.

DE STATV HOMINVM.
Titulus V.

OMne ius, quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Et prius de personis videamus: nam parum est ius nosse, si personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur. ac post de cæteris, ordinem perpe

qui edicti ſecuti, & his proximos atque coniunctos applicantes titulos, vt res patitur, dicemus. Inſt. de iure naturali gentium & ciuili. §. fi. & ff. de ſtatu hominum. l. prima & ſecunda.

Qui in vtero eſt, perinde ac ſi in rebus humanis eſſet, cuſtoditur, quoties de commodis ipſius partus quæritur: quãquam alii, antequam naſcatur, nequaquam proſit. Nam & legitimæ hæreditates his reſtituuntur: & ſi mulier prægnans ab hoſtibus capta fuerit: id, quod natum erit poſtliminium habet. item patris vel matris conditionem ſequitur. ff. de ſtatu hominum. l. qui in vtero. vii. & l. penult. in princ.

Non læditur ſtatus liberorum ob tenorem inſtrumenti malè concepti. ff. eodem. l. imperator. viii.

Septimo menſe naſci perfectum partum iam receptum eſt propter auctoritatem doctiſsimi viri Hippocratis. & ideo credendum eſt, eum, qui ex iuſtis nuptiis ſeptimo menſe natus eſt, iuſtum filium eſſe. ff. eod. l. ſeptimo. xii.

Non ſunt liberi, qui contra formam humani generis conuerſo more procreantur: veluti ſi mulier monſtroſum aliquid, aut prodigioſum enixa ſit. Partus autem, qui membrorum humanorum officia ampliauit, alicuius videtur effectus: & ideo inter liberos connumerabitur. ff. de ſtatu hominum. l. non ſunt liberi. xiiii.

Hermaphroditus comparatur ſexui, qui in eo præualet. ff. eod. l. quæritur. x.

In multis noſtri iuris articulis deterior eſt conditio fœminarum quàm maſculorum. ff. de ſta. hom. l. in multis. ix.

Cùm legitimæ nuptiæ factæ ſunt, patrem liberi ſequuntur: vulgò quæſitus matrem ſequitur. Nam lex naturæ hæc eſt, ut qui naſcitur ſine legitimo matrimonio matrem ſequatur: niſi lex ſpecialis aliud inducat. ff. eod. l. cum legitimæ. xix. cum l. lex naturæ. xxiiii. Et vulgò concepti dicuntur qui patrem demonſtrare non poſſunt: vel qui poſſunt quidem, ſed eum habent, quem habere non licet, qui & ſpurii appellantur. ff. eo. l. vulgò. xxiii.

Qui furere cœpit & ſtatum & dignitatem, in qua fuit, & magiſtratum & poteſtatem videtur retinere, ſicut rei ſuæ dominium retinet. ff. eo. l. qui furere. xx.

DE IVRE PERSONARVM.

Titulus VI.

SVmma diuiſio de iure perſonarum hæc eſt: quòd omnes perſonæ aut ſui iuris ſunt, aut alieno iuri ſubiectæ. Videamus itaque de iis, quæ alieno iuri ſubiectæ ſunt: nam ſi cognouerimus quæ iſtæ perſonæ ſint ſimul intelligemus quæ ſint ſui iuris. Inſt. de iure perſonarum. & ff. de his qui ſui vel alieni iur. ſunt. l. prima, in princ.

Nam ciuium Romanorum quidam ſunt patresfamiliarum, quidam filiifamiliarum, quædam matresfamiliarum, quædam filiæfamiliarum. Patresfamiliarum ſunt, qui ſunt ſuæ poteſtatis; ſiue puberes, ſiue impuberes: ſimili modo matresfamiliarum, filiifamiliarum & filiæ: qui ſunt in aliena poteſtate. ff. de his qui ſui vel alieni iur. ſunt. l. quarta, in princ.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Liber Secundus.

DE PATRIA POTESTATE.

Titulus Primus.

IN potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptiis procreauimus. Nuptiæ autem siue matrimonium est viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens. Inst. de patria potesta. in princ. & ff. de his qui sui vel alieni. l. tertia.

Qui ex te, & vxore tua nascitur, in tua potestate est. Item qui ex filio tuo & vxore eius nascitur, idest nepos tuus, & neptis æquè in tua sunt potestate, & pronepos, & proneptis, & deinceps cæteri omnes. Inst. de patria pot. §. qui igitur. ff. de his qui sui vel alie. l. quarta. §. nam qui ex me.

Nepotes ex filio, mortuo auo recidere solent in filii potestatem, hoc est patris sui. simili modo & pronepotes, & deinceps, vel in filii potestate si viuit, & in familia mansit, uel in eius parentis, qui ante eos in potestate est. & hoc non tantum in naturalibus, verum quoq; in adoptiuis iuris est. ff. eo. l. quinta.

Filium eum definimus, qui ex viro & vxore eius nascitur. Sed si fingamus abfuisse maritum (verbi gratia) per decennium: reuersum, anniculum inuenisse in domo sua; placet nobis Iuliani sententia hunc non esse mariti filium. non tamen ferendum Iulianus ait eum, qui cum vxore sua assiduè moratus nolit filium adgnoscere, quasi non suum. Sed mihi videtur, (quod & Scæuola probat) si constet maritum aliquandiu cum vxore non concubuisse infirmitate interueniente, vel alia causa: vel si ea valetudine paterfamilias fuit, vt generare non posset: hunc, qui in domo natus est, licet vicinis scientibus, filium non esse. ff. eod. l. sexta.

Si iudex nutriri vel ali oportere pronuntiauerit: dicendum est de veritate quærendum, filius sit, an non: neque enim alimentorum causa veritati facit præiudicium. ff. eod. l. pen.

Si qua pœna pater fuerit affectus, vt ciuitatem amittat, sine dubio nepos filii loco succedit. ff. de his qui sui vel alie. iur. l. si qua pœna. vii.

Patre furioso liberi nihilominus in patris sui potestate sunt. Idem & in omnibus est parentibus, qui liberos habent in potestate. nam cum ius potestatis moribus sit receptum, nec possit desinere quis habere in potestate, nisi exierint liberi, quibus casibus solent; nequaquam dubitandum est remanere eos in potestate. Quare non solum eos liberos in potestate habebit, quos ante furorem

genuit

genuit: uerum & ſi qui ante furorem concepti, in furore editi ſunt. Sed & ſi in furore agente eo uxor concipiat, uidendum an in poteſtate eius naſcatur filius. Nam furioſus licet uxorem ducere non poſſit, retinere tamen matrimonium poteſt, quod cùm ita ſe habeat, in poteſtate filium habebit. Proinde & ſi furioſa ſit uxor, ex ea ante conceptus in poteſtate naſcetur, ſed & in furore eius conceptus ab eo, qui non furebat, ſinè dubio in poteſtate naſcetur: quia retinetur matrimonium. Sed & ſi ambo in furore agant, & uxor & maritus, & tunc concipiat, partus in poteſtate patris naſcetur; quaſi uoluntatis reliquiis in furioſis manentibus. nam cùm conſtat matrimonium altero furente, conſiſtet & utroque. Adeò autem retinet ius poteſtatis pater furioſus, ut & adquiratur illi commodum eius, quod filius adquiſiuit. ff. de his qui ſunt ſui iuris l. patre furioſo. viii.

Filiusfamiliàs in publicis cauſis loco patrisfamiliàs habetur: ueluti ſi uel magiſtratum gerat, uel tutor detur. ff. eod. l. filiusfamilias. ix.

Inuiti filii naturales, uel emancipati non rediguntur in patriam poteſtatem. ff. eod. l. finali.

DE NVPTIIS.

Titulus II.

NVptiæ ſiue matrimonium eſt viri & mulieris coniunctio, indiuiduã vitæ conſuetudinem continens. Inſt. de patr. poteſta. in princ. & ff. de ritu nupt. l. prima.

Nuptias, non concubitus, ſed conſenſus facit. ff. de cond. & demon. l. cum fuerit. xv. in fi.

Semper in coniunctionibus, non ſolum quid liceat, conſiderãdum eſt, ſed & quid honeſtum ſit. ff. de ritu nupt. l. ſemper. xlii.

In contrahendis nuptiis libera poteſtas eſſe debet. C. de ſponſalib. l. fi. §. fi.

Iuſtas nuptias inter ſe Chriſtiani contrahunt, qui ſecundum præcepta Canonum coeunt, & præſertim Concilii Tridentini Ratio quidem ciuilis & naturalis ſuadet. filiosſamilis habere conſenſum patris, in quorum poteſtate ſunt. *Nam dicitur in Eccleſiaſtico cap. 3. Qui honorat patrem ſuum iucundabitur in filijs, & qui honorat patrem ſuum uita uiuet longiore, & qui timet Dominum, honoret parentes, & quaſi Dominis ſeruiet ijs, qui ſe genuerunt, & in opere, & in ſermone, & omni patientia honora patrem tuum, ut ſuperueniat tibi benedictio à Deo & benedictio illius in nouiſſimo maneat.* Sed tamen ſi contrahunt matrimonium abſq; conſenſu patris valet. *Et in Concilio Tridentino Seſ. xxiij. De reform. matr. cap. 1. Illorum opinio damnatur, qui falſò affirmant matrimonia à filijsfamiliàs ſine cõſenſu parentum contracta irrita eſſe; & parentes ea rata, uel irrita facere poſſe Maſculi quidem puberes, fœminæ autem uiripotentes ſiue patresfamiliàs ſint, ſiue filijfamiliàs contrahere poſſunt matrimoniũ.* Inſt. de nuptiis in principio.

Quia in matrimoniis ſeruatur Ius Canonicum, ea tantum deſcribentur, quæ illi iuri non ſint cõtraria, ſed ad propoſitũ facientia.

Certum eſt autem eum puberem eſſe; qui ex habitu corporis pubertatem oſtendit, & generare iam poteſt: Et puerperæ ſunt, quæ in annis puerilibus pariunt, nam reprobata eſt illa opinio, quæ habet eum eſſe puberem, qui quatuordecim annos impleuit. cap. iii. de ſponſ. impub. in Decretalibus.

Non

Non cogitur filiusfamiliàs vxorem ducere. ff. de ritu nupt. l. nõ cogitur. xxi. & C. de nupt. l. nec filium. xxi.

Non tamẽ omnes nobis vxores ducere licet, nam à quarundam nuptiis abstinendum est: inter eas. n. personas, quæ parentum liberorum ve locum inter se obtinent, contrahi nuptiæ non possunt: veluti inter patrem, & filiam, vel auum & neptem, vel matrem & filium, vel auiã & nepotem. Et si tales personæ inter se coierint, nefarias, atq; incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeò vera sunt, ut quamuis per adoptionem parẽtum, liberorum ve loco sibi esse cœperint: non possunt inter se matrimonio iungi: In tantum, vt etiam dissoluta adoptione, idẽ iuris maneat: Itaq; eam, quæ tibi per adoptionem filia, vel neptis esse cœperit, non potes vxorem ducere, quamuis eam emancipaueris. Inst. de nupt. §. ergo non omnes.

Nihil interest, ex iustis nuptiis cognatio descendat: an vero non, nam & vulgò quæsitam sororem quis vetatur vxorem ducere. ff. de ritu nuptiarum. l. & nihil, liii. aliàs liiii.

Inter eas quoq; personas, quę ex transuerso gradu cognationis iungũtur, est quędam similis obseruantia, sed non tanta: sanè enim inter fratrem sororemq; nuptiæ prohibitæ sunt, siue ab eodem patre, eademq; matre nati fuerint, siue ex altero eorum. sed si qua per adoptionem soror tibi esse cœpit, quandiu quidem constat adoptio, sanè inter te & eam nuptiæ consistere non possunt: cum uero per emancipationem adoptio sit dissoluta poteris eam vxorem ducere: sed & si tu emancipatus fueris, nihil est impedimento nuptiis. Et ideo constat, si quis generum adoptare velit, debere eum antea filiam suam emancipare. Instit. eod. §. inter eas, & ff. de ritu nupt. l. per adoptionem. xvii. in princ.

Fratris vero vel sororis filiam vxorem ducere nõ licet: sed nec neptem fratris vel sororis quis ducere potest, quamuis quarto gradu sint. Cuius enim filiam vxorẽ ducere non licet, neque eius neptem permittitur. Inst. eod. §. fratris, & ff. de ritu nupt. l. sororis. xxxix.

Eius mulieris, quam pater tuus adoptauit filiam, nõ videris impediri vxorem ducere: quia neque naturali, neque ciuili iure tibi coniungitur. Inst. eod. §. eius vero mulieris.

Adoptiuæ sororis filiam possum vxorem ducere, cognata. n. mea nõ est filia eius, quia auunculus nemo fit per adoptionem. Et eæ demum cognationes contrahuntur in adoptionibus, quæ legitimæ essent, idest quæ agnatorum ius haberẽt. Pari ratione & sororem patris mei adoptiui possum vxorem ducere si non fuit eodem patre nata. ff. de ritu nupt. l. si qua, xii. §. adoptiuæ.

Patris adoptiui mei matrem aut materteram, aut neptem ex filio vxorem ducerę non possum. scilicet si in familia eius sim. alioquin si emancipatus fuerim ab eo, nihil impedit nuptias, scilicet, quia per emancipationem extraneus intelligor. ff. de ritu nupt. l. quinetiam, lv. §. Patris.

Item amitam ducere vxorem nõ licet: item nec materteram, quia parentum loco habentur: Qua ratione verum est, magnam quoque amitam, & materteram magnam prohiberi vxorem ducere. Inst. eod. §. item amitam. & ff. de rit. nupt. l. per adoptionem. xvii. §. amitam.

Affinitatis quoq; veneratione à quarundam nuptiis abstinere necesse est, vt ecce priuignam aut nurum vxorem ducere nõ licet, quia vtræq; filię loco sunt. Quod ita scilicet accipi debet, si fuerit nurus, aut priuigna tua. nam si adhuc nurus tua est: idest si adhuc nupta est filio tuo alia rationę vxorem eam ducere non poteris,

ris, quia eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc priuigna tua est; idest si mater eius tibi nupta est, ideo eam vxorem ducere non poteris, quia duas vxores eodem tempore habere non licet. Inst. de nupt. §. affinitatis.

Item si quis filium adoptauerit, vxorem eiusdem (quæ nurus loco est) ne quidem post emancipationem filii ducere potest: quoniam aliquando nurus ei fuit. d. l. adoptiuus. xiiii. §. item si quis.

Socrum quoque & nouercam prohibitum est vxorem ducere, quia matris loco sunt: quod & ipsum dissoluta demum affinitate procedit: Alioquin si adhuc nouerca est; idest, si adhuc patri tuo nupta est, communi iure impeditur tibi nubere, quia eadem duobus nupta esse non potest: Item si adhuc socrus est, idest, si adhuc filia eius tibi nupta est, ideò impediuntur tibi nuptiæ, quia duas uxores habere non potes. Inst, de nupt. §. socrum.

Socrus appellatione non tantum vxoris meæ mater, sed & auia & proauia intelligitur, vt nullam earum ducere possim. d. l. adoptiuus. xiiii. §. itaq; socrus.

Item eius matrem, quam sponsam habui, nō possum vxorem ducere, fuit enim socrus mea. d. l. adoptiuus. §. finali.

Adoptiuus filius si emancipetur, eam quæ patris adoptiui vxor fuit, ducere nō potest, quia nouercæ locum habet. ff. de ritu nupt. l. adoptiuus. xiiii. in princ.

Inter me & sponsam patris mei nuptiæ non possunt contrahi: quanquam nouerca mea propriè non dicatur. ff. eod. l. si qua mihi. xii. §. inter me.

Vxorem quondam priuigni coniungi matrimonio vitrici nō oportet: nec in matrimonium conuenire nouercam eius, qui priuignæ maritus fuit. ff. de ritu nuptia. l. uxorem. xv.

Mariti tamen filius ex alia vxore, & vxoris filia ex alio marito, vel cōtra, matrimonium rectè contrahunt, licèt habeant fratrem sororem've ex matrimonio postea contracto natos. Inst. de nuptiis. §. mariti. & ff. de ritu nuptiarū. l. generali. xxxiiii. §. inter priuignos.

Sunt & aliæ personæ, quæ propter diuersas rationes matrimonium contrahere non possunt, pro ut in sacris Canonibus continetur.

Si aduersus ea, quæ diximus aliqui coierint, nec vir, nec vxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur; Itaque ii, qui eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt, sed tales sunt, quātum ad patriam potestatem pertinet, quales sunt ii, quos mater vulgò concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur, cum ex his pater incertus sit, Vnde solent spurii appellari: sequitur ergo, vt dissoluto tali coitu, nec dotis, nec donationis exactioni locus sit: Inst. eod. §. si aduersus.

Qui autem prohibitas nuptias contrahunt, & alias pœnas patiuntur, quæ in sacris Canonibus, & legibus habentur.

DE NATVRALIBVS LIBERIS. *Titulus III.*

ALiquando euenit, ut liberi, qui statim ut nati sunt, in potestate parentum non fiant, postea autem redigantur in potestatem patris, qualis est is, qui dum naturalis fuerat, postea curiæ datus, potestati patris subiicitur. nec non is, qui à muliere libera procreatus, cuius matrimonium minimè legibus interdictum fuerat, sed ad ipsam pa-

ter

ter consuetudinem habuerat, postea dotalibus instrumentis compositis, in potestate patris efficitur. Inst. de nupt. §. fi. & C. de natural. lib. l. decima & undecima. & Nouell. Const. lxxxix. §. reliquum.

Quæ materia de subsequenti matrimonio est clarior in iure canonico.

Quia tanta est uis matrimonij, ut qui antea sunt geniti post contractũ matrimonium legitimi habeantur. cap. tanta est uis. qui filij sunt legitimi. in Decretal.

Liceat patri si legitimam non habeat sobolem, filios restituere naturæ, & suos hęredes & sub potestate habere, offerendo precem Imperatori, quia vult naturales filios suos restituere naturæ, nihil à legitimis filiis differentes. & hoc facto, exinde filios frui tali solutio. Si verò hoc non agat pater licitum tamen est ei in Testamento disponere, quod supplicatio porrigatur Imperatori supplicantibus tamen etiam sic filiis post mortem patris, & hoc dicentibus, & patris Testamentum ostendentibus, & hæredibus existentibus. Sed existentibus filiis suis, idest de legitima uxore natis, & deinde naturalibus procreatis, aut primitus natis, nequaquam legitimorum ius eis adiicitur nisi per subsequens matrimonium. Nouell. Const. lxxiiii. §. liceat igitur usque ad §. & nos non latuit.

Et procedit hæc dispositio etiã quando mater illorũ filiorum naturalium uiuat, & nolit pater filiorum eã in vxorẽ habere. Nouel. Const. lxxxix. §. sed & illud.

In vniuersum in his, qui per prædictos modos ad legitimorum ius producuntur, tunc demum ista obtinent cum etiam filii hæc amplexentur: si uerò multis existentibus filiis alii amplectantur, alii recusent eos tantum, qui id amplectuntur, legitimi fiunt, cæteri autem spurii manent Nouell. Const. lxxxix. §. in uniuersum.

Matre, uel legitimis filiis, uel nepotibus, aut pronepotibus: cuiuscunque sexus, uno, pluribus ve existentibus bonorum suorum vnam tantum vnciam pater naturalibus filiis, seu filiabus, eorumque genitrici: uel si sola sit concubina, semunciam largiendi uel relinquendi habeat potestatem. Quicquid uerò ultra modum concessum relictum sit: legitimis liberis, uel matri uel cæteris successoribus detur. C. de natural. liber. l. ii. & Nouell. Const. lxxxix. §. discretis. Quæ dispositio procedit, quia sunt naturales tantum, nam si sunt restituti natalibus in illis eadem quoque successionum ratio est, quæ in cæteris iam inde ab initio legitimis solet existere. d. Const. lxxxix. §. unde his à nobis.

At si quos ascendentes habeant hi possunt legitimã eis portionem relinquere, & quod superest totum ad naturales transmittere. Nouel. Const. lxxxix. §. cęterũ.

Minimè patribus licet per donationem uel ultimam uoluntatem amplius filio naturali curiæ dato dare uel relinquere, quàm uni filio ex legitimo matrimonio procreato dederit uel reliquerit. C. de natur. lib. l. ix. §. fin.

Si legitimos filios aut aliquem ascendentium pater non habeat: licentia est ei naturales liberos uel in omnes duodecim uncias hæredes scribere, uel per donationes uel quocunque alio legitimo modo suas in illos transferre substãtias. Nouell. Const. lxxxix. §. cæterum.

Si quis sine prole legitima (nempe filiis aut nepotibus, aut reliqua deinceps successione) & sine uxore legitima moriatur ab intestato: habuerit autem domi concubinam sibi adhærẽtem ex eaq; liberos: Datur eis, ut ab intestato morientibus parentibus paternæ substantiæ sextantem habeant unà cum matre partiendum quotcunque numero filii sint, ut scilicet unius filii portionem etiam mater capiat. si autem mater iam mortua fuerit totus sextans tribuitur filiis. Cæterum si nimium profusa libidine fuerit, & multitudinem fornicantiũ mulierum

licerum habuerit, & procreatis ex his liberis decedat, multis ſimul concubinis domi relictis: odio dignus habeatur, & longiſsimè ab hac lege prorſus expelluntur iſtiuſmodi filii & concubinæ. Non conſtituitur autem differentia quando admittuntur filii naturales, maſculi an fœminæ ſint. Nouell.conſt. lxxxix.§.enimuero.& Nouel.xviii.§. conſiderantes.

Si uero is, qui legitimos habet filios, relinquat & ſpurios: ab inteſtato hi quidem non ſuccendunt, ſed boni uiri arbitratu debent enutriri. Eodem hoc obſeruando, & ſi quis uxorem habeat, & ex præmortua concubina progenitos ſibi ſpurios filios, ut & illi exhibeantur alanturque ab eius ſucceſſoribus d. Nouel. conſt. lxxxix. §.ſi uero.

Sed in quibus caſibus ſpurii filii ad ſucceſsionem uocantur, in his ſanè & ipſi decentem erga naturales parentes gratitudinem animi cōſeruabunt: & qua menſura naturalibus liberis parentes proſpiciunt, eadem & ipſi parentes ſiue in ſucceſsionibus, ſiue præbendis alimentis remunerabunt d. Nouell. Conſt. lxxxix. §. certè in quibus.

Qui vero ex nefario, aut inceſto prohibitoq; coitu proceſſerit: is neque naturalis nominabitur, neque à parentibus educabitur, nec aliquam ex lege habebit communionem. d. Nouell. conſt. lxxxix. §. poſtremo.

DE ADOPTIONIBVS.

Titulus IIII.

NOn ſolum naturales liberi, in poteſtate noſtra ſunt, verum etiam ii, quos adoptamus. Inſti. de adoptio. in princ. Et filiosfamiliàs non ſolum natura, verum & adoptio faciunt. ff. eod. l. prima. Adoptio enim in his perſonis locum habet, in quibus etiam natura poteſt habere. ff. eo. l. adoptio. xvi.

Etiam cœcus adoptare, vel adoptari poteſt. ff. eod. l. nona.

Adoptio duobus modis fit, aut principali reſcripto, aut imperio magiſtratus. Imperatoris auctoritate adoptare quis poteſt eos eas've, qui, quę've ſui iuris ſunt: quæ ſpecies adoptionis dicit arrogatio. Imperio magiſtratus adoptamus eos, eas've, qui, quæ've in poteſtate parentum ſunt: ſiue primum gradum liberorum obtinent, qualis eſt filius filia, ſiue inferiorem, qualis eſt nepos, neptis, pronepos, proneptis. Inſti. eod. §. adoptio. & ff. eod. l. prima, & ſecunda. & C. eod. l. prima.

Sed ex conſtitutione Iuſtiniani Imperatoris cum filiusfamiliàs à patre naturali extraneæ perſonæ in adoptionem datur, iura patris naturalis minimè diſſoluuntur; nec quicquam ad patrem adoptiuum tranſit, nec in poteſtate eius eſt, licet ab inteſtato iura ſucceſsionis ei tributa ſint. Si verò pater naturalis non extraneo, ſed auo filii ſui materno, uel ſi ipſe pater naturalis fuerit emancipatus, etiam auo paterno, vel proauo ſimili modo paterno, vel materno filium ſuum dederit in adoptionem: in hoc caſu, quia concurrunt in unam perſonam, & naturalia, & adoptionis iura, manet ſtabile ius patris adoptiui, & naturali vinculo copulatum, & legitimo adoptionis modo conſtrictum, ut & in familia, & in poteſtate huiuſmodi patris adoptiui ſit. Inſti. eod. §. ſed hodie. & C. eod. l. decima.

Si Conſul vel Præſes filiusfamiliàs ſit, poſſe eum apud ſemetipſum in adoptio-

nem dari constat.ff.de adoptio.l.tertia. Et magistratum apud quem legis a-ctio est, in adoptionem dare apud se pòsse constat.ff.eod.l.quarta.

Si pater naturalis loqui quidem non posit,alio tamen modo quam sermone,manifestum facere posit,velle se filium suum in adoptionem dare: perinde confirmatur adoptio ac si iure facta esset.ff.eod.l.si pater.xxix.

Adoptio non iure facta à principe confirmari potest, adhibitis tamen etiam iis qui contradicent: idest,qui læderentur confirmatione adoptionis. ff. eod. l. adoptio.xxxviii.& l.seq.

In adoptionibus eorum duntaxat,qui suæ potestatis sunt uoluntas exploratur. Sinautem à patre dantur in adoptionem: in iis vtriusq; arbitrium spectandum est,uel consentiendo,uel non contradicendo.ff.eod.l.quinta. Quia neque absens,neque dissentiens adrogari potest.ff.eod.l.qui in adoptionem.xxiiii.

Cùm autem impubes per principale rescriptum adrogatur causa cognita id fieri permittitur, & exquiritur causa adrogationis an honesta sit,expediatq; pupillo. Inst.de adopt.§.cum autem.

In adrogationibus cognitio vertitur,num fortè minor sexaginta annis sit is qui adrogat,qui magis liberorum creationi studere debeat: nisi fortè morbus,aut valetudo in causa sit,aut alia iusta causa adrogandi: ueluti si coniunctam sibi personam velit adoptare. Item nō debet quis plures adrogare,nisi ex iusta causa.ff.de adoptio.l.si paterfam.xv.§.in adrogationibus.

Nec ei permittitur adrogare,qui tutelam vel curam alicuius administrauit,si minor vigintiquinque annis sit,qui adrogatur: ne fortè cum ideo adroget,ne rationes reddat. Item inquirendum est num fortè turpis causa adrogandi subsit. Eorum duntaxat pupillorum adrogatio permittenda est his,qui vel naturali cognatione,vel sanctißima adfectione ducti adoptarent: cæterorum autem prohibenda est: ne sit in potestate tutorum,& finire tutelam, & substitutionem à parente factam extinguere. Et primum quidem excutiendum erit, quæ facultates pupilli sint, & quæ eius, qui adoptare eum velit: vt æstimetur ex comparatione earum,an salubris adoptio posit pupillo intelligi. Deinde cuius vitæ t is, qui velit pupillum redigere in familiam suam. Tertiò cuius idem ætatis sit: ut æstimetur an melius sit, de liberis procreandis eum cogitare quàm ex familia aliena quenquam redigere in potestatem suam. Præterea videndum est, an non debeat permitti ei,qui vel vnum habebit,vel plures liberos, adoptare alium: ne aut illorum,quos ex iustis nuptiis procreauit,diminuatur spes quam vnusquisque liberorum obsequio parat sibi: aut qui adoptatus sit, minus percipiat,quàm dignum erit eum consequi. Interdum & ditiorem permittitur adoptare pauperiori,si vitæ eius sobrietas clara sit,uel adfectio honesta nec incognita.ff.de adopt.l.nec ei permittitur.xvii.

Adrogatio cum quibusdam conditionibus sit, idest: ut caueat adrogator personæ publicæ, si intra pubertatem pupillus decesserit, restituturum se bona illis, qui si adoptio facta non esset, ad succeßionem eius venturi essent. Institu. de adoptionib.§.& cum quibusdam. & ff. eodem. l.nec. xvii. in fine, & l. sequenti.

His verbis satisdationis,quæ ab adrogatore præstari debet AD QVOS EA RES PERTINET. Nemo dubitat legatariis prospectum esse, quæ satisdatio si omissa fuerit vtilis actio in adrogatorem datur. ff.eod.l.his verbis.xix.

Hæc autem satisdatio locum habet, si impubes deceßit. sed & si de pupillo loquitur: tamen hoc etiam in pupilla obseruandum est. ff.eod.l.hæc autem.xx.

Nam

Nam & fœminæ adrogari possunt.ff.eod.l.nam &.xxi.

Itē non aliter emancipare eum potest adrogator,nisi causa cognita dignus emancipatione fuerit:& tunc sua bona ei reddat.Insti. de adopt. §. item non aliter.

Sed & si decedens pater eum exhæredauerit,uel uiuus sine iusta causa emancipauerit. iubetur quartā partem bonorum suorum ei relinquere uidelicet prẹter bona,quæ ad patrem adoptiuū transtulit,& quorum commodū ei postea acquisiuit.Inst.eod.§.sed & si decedens,& C.eod.l.ii. Et hoc ne sub copulandæ adoptionis obtentu in facultates adrogati,quæ ei diligenti prouisione seruandæ sunt,irruat.C.eod.d.l.secunda.

Si adrogator decesserit impubere relicto filio adoptiuo, & mox impubes decedat: hæredes adrogatoris tenentur ei restituere bona adrogati, & præterea quartam partem. Et si substitutio facta sit,non admittitur substitutio; nisi fortè ad quartam solam,quam ex bonis eius consequitur,& hactenus, ut ei usque ad pubertatem substituat. Cæterum si fidei eius committit,ut quandoque restituat: non oportet admitti fideicommissum : quia hoc non iudicio eius ad eum peruenit, sed principali prouidentia. hæc omnia dicenda sunt: siue in locum filii,siue in locum nepotis aliquem impuberem adrogauerit.ff.de adoptio.l.si adrogator. xxii.

Minorem natu maiorem non posse adoptare placet: adoptio.n.naturam imitatur & pro monstro est,vt maior sit filius quàm pater. Debet itaque is qui sibi filium per adoptionem, uel adrogationem facit,plena pubertate,idest decem & octo annis præcedere. Inst.de adopt.§.minorem. Quod procedit tam in adoptione,quàm adrogatione.ff.eod.l.adrogato.xl.§.tantum.

Licèt autem,& in locum nepotis,uel neptis,pronepotis,uel proneptis,uel deinceps adoptare,quamuis filium quis non habeat.Inst.eod.§.licet & ff.eod.l.adoptare.xxxvii. in princ.

Qui duos filios,& ex altero eorum nepotem habet. si vult nepotem quasi ex altero natum sic adoptare potest hoc efficere,si eum emancipauerit,& sic adoptauerit quasi ex altero natum. facit enim hoc quasi quilibet, non quasi auus: & qua ratione quasi ex quolibet natum potest adoptare ita potest,& quasi ex altero filio.ff.eod.l.si paterfam.xv.§.qui duos.

Si pater filium,ex quo nepos illi est in potestate,emancipauerit,& postea eū adoptauerit: mortuo eo,nepos in patris potestatem non reuertitur, nec is nepos in patris potestatem reuertitur quem auus retinuerat filio dato in adoptionem,quem denuo readoptauit.ff.de adopt.l.si pater. xli.

Si is,qui nepotem ex filio habet, in loco nepotis aliquem adoptauerit, mortuo auo iura consanguinitatis inter nepotes non erunt. Sed si sic adoptauit, ut etiam iure legeq; nepos suus esset,quasi si ex Lucio (puta) filio suo,& ex matrefamiliàs eius natus esset,contra erit.ff.eod.l.si is,qui. xliiii.

Sed si quis nepotis loco adoptet,uel quasi ex eo filio, quem habet iam adoptatū, uel quasi ex illo,quem naturalem in sua potestate habet: eo casu & filius consentire debet,ne ei inuito suus hæres adgnascatur: sed ex contrario,si auus ex filio nepotem det in adoptionem, non est necesse filium consentire. Instit. de adopt.§.sed si quis nepotis. & ff.eod.l.cum nepos.vi.

Nam si is,qui filium haberet, in nepotis locum adoptasset perinde atque si ex eo filio natus esset: & filius auctor factus non esset: mortuo auo, nepos non erit in potestate filii.ff.de adopt.l.si is qui.xi.

Si quis nepotem quasi ex filio natum,quem in potestate habet, consentiente filio

adoptauerit: non agnaſcitur auo ut ſuus hæres: quippe cùm poſt mortem aui quaſi in patris ſui poteſtatem recidit. ff.eod.l.ſi quis.x.

Qui in adoptionem datur: his quibus adnaſcitur cognatus fit: quibus uerò non adnaſcitur, nec cognatus fit: adoptio enim non ius ſanguinis, ſed ius adgnationis adfert, & ideo ſi filium adoptauero uxor mea illi matris loco non eſt. Neque enim adgnaſcitur ei: propter quod nec cognatus eius fit. Item nec mater auiæ loco illi eſt: quoniam his, qui extra familiam meam ſunt, non adgnaſcitur, ſed filiæ meæ is, quem adoptaui frater fit: quoniam in familia mea eſt filia. ff. de adopt. l. qui in adoptionem. xxiii.

Quem filius meus emancipatus adoptauerit, is meus nepos non erit. ff. eod. l. quem filius. xxvi.

Ex adoptiuo natus adoptiui locum obtinet iure ciuili. ff. eod. l. ex adoptio. xvii.

In pluribus autem cauſis aſsimilatur is, qui adoptatus, uel adrogatus eſt ei qui, ex legitimo matrimonio natus eſt: & ideo ſi quis per Imperatorem, uel apud Prætorem, uel Præſidem prouinciæ non extraneum adoptauerit, poteſt eundẽ in adoptionem alii dare. Inſt. de adoptio. §. in pluribus.

Si tibi filius in adoptionem hac lege ſit datus; ut poſt triennium eundem mihi in adoptionem des, nulla actio erit. nec enim moribus conuenit filium temporalem habere. ff. eod. l. ſi tibi. xxiiii.

Qui liberatus eſt patria poteſtate, is poſtea in poteſtatem honeſtè reuerti non poteſt, niſi adoptione. ff. eod. l. qui liberatus. xii. Eum autem, quem quis adoptauit, emancipatum, uel in adoptionem datum iterum non poteſt adoptare. ff. eod. l. adoptare. xxxv. §. eum quem.

Sed & illud vtriuſq; adoptionis commune eſt, quod & ii, qui generare non poſſunt (quales ſunt ſpadones) adoptare poſſunt caſtrati autem non poſſunt. Inſtitu. de adopt. §. ſed & illud. & ff. eod. l. ſecunda. §. illud vtriuſque.

Et ſpado adrogãdo ſuum hæredem ſibi accreſcere poteſt, nei ei corporale uitium impedimento eſt. ff. eod. l. adrogato. xl. §. ſi.

Et qui vxorem non habent filios adoptare poſſunt. ff. eod. l. & qui. xxx.

Fœminæ quoque adoptare non poſſunt: quia nec naturales liberos in ſua poteſtate habent: ſed ex indulgentia principiis ad ſolatium liberorum amiſſorum adoptare poſſunt. Inſt. eod. §. fœminæ &. C. eod. l. quinta.

Illud proprium eſt adoptionis illius, quæ per ſacrum Oraculum fit: quod is, qui liberos in poteſtate habet, ſi ſe ad adrogandum dederit, non ſolum ipſe poteſtati adrogatori ſubiicitur, ſed etiam liberi eius in eiuſdem fiunt poteſtate, tanquam nepotes: ſic etenim Diuus Auguſtus non antea Tiberium adoptauit, quàm ipſe Germanicum adoptaſſet, ut protinus adoptione facta, inciperet Germanicus Auguſti nepos eſſe. Inſt. de adopt. §. fin. & ff. eod. l. prima. §. hoc uero proprium.

Si paterfamiliàs adoptatus ſit: omnia quæ eius fuerunt, & adquiri poſſunt, tacito iure ad eum tranſeunt, qui adoptauit hoc amplius, liberi eius, qui in poteſtate eius ſunt, eum ſequuntur: ſed & hi qui poſtliminio redeunt, uel qui in utero fuerunt, cùm adrogaretur ſimili modo in poteſtatem adrogatoris rediguntur. ff. de adopt. l. ſi paterfamiliàs. xv. in princ.

Adrogato patrefamiliàs liberi, qui in eius poteſtate erant, nepotes apud adrogatorem efficiuntur: ſimulq; cum ſuo patre in eiuſdẽ recidunt poteſtatem. quod non ſimiliter contingit in adoptione. nam nepotes ex eo in aui naturalis retinentur poteſtate. ff. eod. l. adrogato. xl. in princ.

In

In omni ferè iure finita patris adoptiui poteſtate; nullum ex priſtino retinetur ueſtigium denique & Patria dignitas quæſita per adoptionem finita ea, deponitur. ff. de adopt. l. in omni. xiii.

Sed & nepos ex filio apud adoptatum patrem conceptus, & natus, per emancipationem omnia iura perdit. ff. eod. l. ſed &. xiiii.

Per adoptionem dignitas non minuitur, ſed augetur. Vnde ſenator & ſi à plebeio adoptatus eſt, manet tamen ſenator. ſimiliter manet & ſenatoris filius. ff. de adopt. l. per adoptionem. xxxv.

Onera eius, qui in adoptionem datus eſt, ad patrem adoptiuum transferuntur. ff. eod. l. onera. xxxxv.

In adoptionem quidem alienæ ciuitatis ciui rectè dato additur, non mutatur patria: ac propterea ius originis in honorum ac munerum obſequio per adoptionem non minuitur C. eod. l. ſeptima.

QVIB. MODIS IVS PATRIAE POTESTATIS SOLVITVR.

Titulus VI.

Videamus nunc; quibus modis ii, qui alieno iuri ſunt ſubiecti, eo iure liberentur. Vnde qui in poteſtate parentis ſunt mortuo eo, ſui iuris fiunt. Sed hoc diſtinctionem recipit: Nam mortuo patre, ſanè omnimodo filii, filiæ'ue ſui iuris efficiuntur. Mortuo uerò auo, non omnimodo nepotes, neptes'ue ſui uiris fiunt: Sed ita, ſi poſt mortem aui in poteſtatem patris ſui recaſuri non ſunt. Itaque ſi moriente auo, pater eorum uiuit, & in poteſtate patris ſui eſt, tunc poſt obitum aui in poteſtatem patris ſui fiunt. Si uero is, quo tempore auus moritur, aut iam mortuus eſt, aut per emancipationem exiit de poteſtate patris, tunc ii, qui in poteſtatem eius cadere non poſſunt, ſui iuris fiunt. Inſt. quib. mod. ius patr. pot. in princ. & ff. de his qui ſunt ſui. l. quinta.

Cùm autem is, qui ob aliquod maleficium in inſulam deportatur, ciuitatem amittit, ſequitur, vt qui eo modo ex numero ciuium Romanorum tollitur, perinde eſt, ac ſi eo mortuo deſinant liberi, in poteſtate eius eſſe. Pari ratione, & ſi is, qui in poteſtate parentis ſit, in inſulam deportatus fuerit, deſinit eſſe in poteſtate parentis: ſed ſi ex indulgentia Principis reſtituti fuerint, per omnia priſtinum ſtatum recipiunt. Relegati autem patres in inſulam: in poteſtate liberos retinent: & ex contrario, liberi relegati in poteſtate parentum remanent. Inſt. quib. mod. ius patr. pot. ſol. §. cum autem.

Quamuis nomina relegatorũ non ſint ĩ vſu: effectus tamẽ frequentatur, quia bãniti noſtri temporis æquiparantur relegatis, & aliquando deportatis Vt ꝑ Bar. in l. amiſſ. §. qui defiũt. ff. de cap. dem. & Ang. Aret. ĩ tract. de teſt. in princ.

Filiusfamiliàs ſi militauerit remanet in poteſtate patris. Inſt. eod. filiusfamiliàs.

Manẽt milites in poteſtate parentum, ſed peculium caſtrenſe proprium habent: nec in eo vllum ius patris eſt. C. de caſtren. pecul. mil. lib. xii.

Generaliter quæcunque dignitas, quicunque magiſtratus, qui à curia liberandi poteſtatem habet, is, & ſuæ poteſtatis ius in præmium ipſo honoratis præbeat. Vnde ſi quis filiusfamiliàs hiſce honoribus aut magiſtratibus fruitur, conſequitur omnes hoſce poteſtatis ſuæ ius, quod illis & peculium largiatur, & plenam arbitrii libertatem tribuat. Nouell. Conſt. lxxxi. §. ſanè in genere.

Item multi principes hodiernis temporibus exercẽt deportationem.

Sed ſtatuitur, ne iſtiuſmodi poteſtatis iura conſimilia largiantur, atque alia, quæ per emancipationes proueniunt. Sed eximium quoddam munus præbeatur: quia, qui eo modo paterfamiliàs fiet, aliquid legitimi iuris non amittat: ſed

tam familiæ ad ipsos, quàm ipsis ad familiam legitima simul, & naturalia iura intacta sint: & filii eorum post auorum mortem in ipsorum potestatem recidunt haud aliter, quàm si horum patres morte suorum parentum, non autem ex præsenti fortè lege patresfamiliarum facti essent, & meritò filios suos post mortem suorum parentũ in potestate haberent. ead. Const. lxxxi. §. sed & illud.

Si ab hostibus captus fuerit parens, quamuis seruus hostium fiat, tamen pendet ius liberorum, propter ius postliminii, quia ii, qui ab hostibus capti sunt, si reuersi fuerint, omnia pristina iura recipiunt; idcirco reuersus etiam liberos habebit in potestate, quia postliminium fingit eum, qui captus est, in ciuitate semper fuisse. Si verò ibi decesserit, exinde ex quo captus est pater, filius sui iuris fuisse videtur: ipse quoque filius, nepos've si ab hostibus captus fuerit, similiter dicimus, propter ius postliminii, ius quoque potestatis parentis in suspenso esse: Dictum est autem postliminium, à limine & post: vnde eum, qui ab hostibus captus est, & in fines nostros postea peruenit, postliminio reuersum rectè dicimus: nam limina, sicut in domo finem quendam faciunt, sic & imperii finem esse limen veteres voluerũt; hinc & limen dictum est, quasi finis quidam, & terminus. Ab eo postliminium dictum est, quia ad idem limen reuertebatur, quod amiserat; sed & qui captus victis hostibus recuperaretur, postliminio rediisse existimatur. Inst. quib. mod. ius pat. pot. sol. §. si ab hostibus, & ff. de captiuis. l. retro creditur, & l. in omnibus, xvi. & xviii.

Apud hostes susceptus filius si postliminio redierit, filii iura habet. habere enim eum postliminium nulla dubitatio est. ff. de capt. & postlimin. l. apud hostes. ix.

Si quis prægnante vxore relicta, in hostium potestate peruenerit mox natus filius eius vxore ducta filium, vel filiam procreauerit: ac tunc postliminio auus reuersus fuerit: omnia iura nepotis nomine perinde capiet, ac si is, cum filius nasceretur, in ciuitati fuisset. ff. de capt. & postlim. l. si quis. xxiii.

Cùm duę species postliminii sint, ut aut nos reuertamur, aut aliquid recipiamus: cùm filius reuertatur, duplicem in eo causam esse oportet postliminii: & quòd pater eum recuperet, & ipse ius suum. ff. eod. l. cum duæ. xiiii.

Si quis capiatur ab hostibus: hi, quos in potestate habuit in incerto sunt: vtrum sui iuris facti, an adhuc pro filiifamiliàs computentur: Nam defuncto illo apud hostes: ex quo captus est patrefamiliàs: reuerso, nunquam non in potestate eius fuisse credentur. Sed ea, quę medio tempore acquirunt stipulatione, traditione, legato: (nam hæreditate non possunt) vbi non est reuersus: non fuerunt in hæreditate captiui, quæ lege Cornelia inducitur, sed propria ipsorum sunt, & meritò, quia hi sui iuris exinde, sibiq; ideo acquisiuisse intelliguntur. ff. de capt. l. in bello. xii. §. si quis capiatur, & ff. eod. l. bona eorum. xxii. §. quod filius eius.

Transfugæ nullũ postliminiũ est, nã qui malo consilio, & proditionis aĩo patriam relinquit hostiũ numero habendus est ff. eod. l. postliminiũ. xix. §. Transfugæ.

Filiusfamiliàs transfuga non potest postliminio reuerti, neque uiuo patre: quia pater sic illum amisit, quemadmodum patria, & quia disciplina castrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quàm charitas liberorum. Transfuga autem non is solus accipiendus est, qui aut ad hostes, aut in bello transfugit: sed & qui per induciarum tempus, aut ad eos cum quibus nulla amicitia est, fide suscepta transfugit. d. l. postliminium, xix. §. filius quoque.

Item postliminio carent, qui armis uicti hostibus se dediderunt. ff. eod. l. Postliminio. xvii.

Ab

Ab hoſtibus redempti, quoad exoluatur pretium in cauſam pignoris conſtituti ſunt. C. de poſtlimin.l.ſecunda. Vnde patre redempto, & ante Luitionem defuncto, ſi filius poſt mortem eius redemptionis quantitatem offeret dicendum eſt ſuum ei poſſe exiſtere. niſi fortè quis ſubtilius dicat, hunc dum moritur, quaſi iure pignoris finito nactum poſtliminium: & ſine obligatione debiti obiiſſe, ut poſsit ſuũ habere quod non ſine ratione dicetur. ff. eod. l. ſi patre. xv.

De emancipatione.

Præterea emancipatione quoq; deſinunt liberi in poteſtate eſſe parentum, quando parentes apud competentes iudices, uel magiſtratus filios ſuos, & filias, uel nepotes, uel neptes, ac deinceps à ſua manu dimittant: & ſi impubes ſit filius uel filia, uel cæteri ipſe parens ex manumiſsione tutelã nanciſcitur. Inſt. quib. mod. ius patr. pot. ſol. §. Præterea, & C. de emancipatione. l. ſi.

Emancipari poſſunt etiam abſentes, & peregrè degentes, vel in iiſdem locis, ſeu regionibus, uel ciuitatibus, commorantes. C. eod. l. pen.

In emãcipationibus liberorum, nec non in donationibus nõ tam ſcriptura, quàm veritas conſiderari ſolet. C. de emancip. l. ſecunda.

Non nudo conſenſu patria liberari poteſtate, ſed actu ſolemni, vel caſu liberantur: nec cauſæ, quibus motus pater emancipauit filium, ſed actus ſolemnitas quæritur. C. eod. l. tertia.

Si præſes ſit filiusfamiliàs poſſe eum apud ſemetipſum emancipari conſtat. ff. de adopt. & emancip. l. tertia.

Emancipari filium à patre quocunque loco poſſe conſtat, ut exeat de patria poteſtate. Apud proconſulem etiam in ea prouincia, quam ſortitus non eſt manu mitti poſſe placet. ff. eod. §. emancipari. xxxvi.

Poſt mortem filiæ ſuæ, quæ vt materfamiliàs (quaſi iure emancipata) vixerat, & teſtamento ſcriptis hæredibus deceſsit: aduerſus factum ſuum, quaſi non iure eam, nec præſentibus teſtibus emanciparit pater mouere controuerſiam prohibetur. ff. eod. l. poſt mortem. xxv.

Admonendi autem ſumus liberum arbitrium eſſe ei, qui filium, & ex eo nepotẽ, vel neptem in poteſtate habebit, filium quidem de poteſtate dimittere, nepotem verò, vel neptem retinere: & èconuerſo filium quidem in poteſtate retinere, nepotem verò, vel neptem manumittere, vel omnes ſui iuris efficere, eadem de pronepote, & pronepte, dicta eſſe intelligantur. Inſtit. quib. mod. ius patr. pot. ſol. §. admonendi, & ff. de adoptio. & emancip. l. liberum. xxviii.

Sed ſi pater filium, quem in poteſtate habet, auo vel proauo naturali in adoptionem dederit, ideſt, ſi hoc ipſum, actis interuenientibus apud competentem iudicem manifeſtauerit, præſente eo, qui adoptatur, & non contradicente, nec non præſente eo, qui, adoptat: ſoluitur quidem ius poteſtatis patris naturalis, tranſit autem in huiuſmodi parentem adoptiuum, in cuius perſona & adoptionem eſſe pleniſsimam antea diximus. Inſt. eod. §. ſed ſi pater.

Illud autem ſcire oportet, quod ſi nurus tua ex filio tuo conceperit, & filium poſtea emancipaueris, uel in adoptionem dederis, prægnante nuru tua: nihilominus, quod ex ea naſcitur, in poteſtate tua naſcitur: quod ſi poſt emancipationem, vel adoptionem conceptus fuerit, patris ſui emancipati, vel aui adoptiui poteſtati ſubiicitur. Inſt. eod. §. illud autem.

Et quidem neque naturales liberi neque adoptiui vllo penè modo poſſunt cogere

gere parentes de poteſtate ſua eos dimittere. Inſt. eod. §. fi. & ff. de adopt. l. non poteſt. xxxi. & C. de emancip. l. quarta.

Nonnunquam autem impubes, qui adoptatus eſt, audiendus erit, ſi pubes factus emancipari deſideret: idq; cauſa cognita per iudicem ſtatuendum erit. ff. de adoptio. & emancip. l. nonnunquam. xxxii. & l. ſequ.

Nullum ius libertatis cauſa impoſiturum habet pater in emancipato filio, quia nihil imponi liberis ſolet: nam pietatem liberi parentibus, non operas debent. ff. de obſequiis à lib. l. fi.

Si filium tuum in poteſtate tua eſſe dicis Præſes prouinciæ æſtimabit: an audire te debeat, cum diu paſſus ſis, ut patrisfamiliàs res eius agi per eos, qui Teſtamento matris tutores nominati fuerint. C. de patr. pot. l. prima.

DE INGRATIS LIBERIS.

Titulus VII.

Filios & filias cæterosq; liberos contumaces, qui parentes vel acerbitate conuitii, uel cuiuſcunque atrocis iniuriæ dolore pulſaſſent leges emancipatione reſciſſa damno libertatis immeritæ multari voluerunt. C. de ingratis lib. l. vnica.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Liber Tertius.

DE LIBERIS AGNOSCENDIS ET ALENDIS A PARENTIBVS.

Titulus Primus.

De Plautiano Senatuſconſulto.

SEnatuſconſultum, quod factum eſt de liberis agnoſcendis duas ſpecies complectitur: unam eorum, qui agnoſcunt: alteram eorum, qui falſum partum ſubiiciunt: Permittit igitur mulieri parenti've eius in cuius poteſtate eſt, uel ei, cui mandatum ab eis eſt; ſi putet prægnantem denuntiare intra dies triginta poſt diuortium connumerandos, ipſi marito, uel parenti, in cuius poteſtate eſt, aut domum denuntiare, ſi nullus eorum copiam habeat. Domum accipere debemus, hoſpitiũ, ſi in ciuitate maneat. Quod ſi non ſit, ſed in villa vel in municipio: illic, ubi larem matrimonio collocauerunt. Denuntiare autem hoc tantum, eſſe mulierem ex eo prægnantem. Non ergo hoc denuntiat, ut mittat cuſtodes maritus. ſufficit enim mulieri notum facere, quod ſit prægnans. Mariti eſt iam aut mittere cuſtodes, aut ei denuntiare, quod non ſit ex ſe prægnans. hoc autem uel ipſi marito, vel alii nomine eius facere permittitur. ff. de lib. agno. l. i. in prin.

De diuortio intelligi de ſeparatiõe thori ſecundũ terminos iuris Canonici nõ de diuortio uſitato tẽpore Iuriſconſultorum.

Pœna autem mariti ea eſt: ut niſi aut cuſtodes præmiſerit, aut contra denuntiauerit, non eſſe ex ſe prægnantem: cogatur maritus partum agnoſcere, & ſi non agnouerit: extra ordinem coercetur. Debebit igitur reſpondere, non eſſe ex ſe prægnantem, aut nomine eius reſponderit. Quod ſi factum fuerit: non aliàs neceſſe habebit agnoſcere, niſi uerè filius fuerit. Illud notandum eſt, quod denunciatio à marito non incipit, ſed à muliere. d. l. prima. §. pœna autem.

Sed ſi maritus vltrò cuſtodes offerat, & ea non admittat vel ſi non denuntiauerit mulieri: aut ſi denuntiauerit quidem, cuſtodes autẽ arbitratu iudicis non admiſerit liberum eſt marito parenti've eius, partum iam non agnoſcere. d. l. prima. §. ſed ſi maritus.

Si mulier ſe prægnantem intra triginta dies non denuntiauerit: & poſtea denuntians, cauſa cognita, audiri debebit. Quinimmo & ſi in totum omiſerit denunciationem: nihil hoc nocet ei, quod editur d. l. prima. §. ſi mulier.

Dies

Dies autem triginta continuos accipere debemus ex die diuortii, non utiles. At si intra triginta dies marito mulier non denuntiauerit, & intra triginta dies partum ediderit: Senatusconsultum quidem cessat, quia de eo partu non uideatur sentire, qui intra dies triginta nascatur, quippe dies triginta ad denuntiandum præstat Senatus, sed hæc res præiudicium non facit partui. d.l. prima. §. dies autem.

Si maritus vxore denuntiante custodes miserit, nullum præiudicium sibi facit. Licebit igitur ei partum editum ex se negare: nec ei nocebit, quod uentrem custodierit. Item siue quis neget uxorem, siue ex se prægnantem, siue præiudicio rectè mittit custodes: maximè, si missurus id ipsum protestetur. d. l. prima. §. quemadmodum.

Quod Senatusconsulto cõprchensum est, SI MVLIER VIRO DENVNTIAVERIT SE EX EO CONCEPISSE, ET IS, CVI DENVNTIATVM ERIT, CVSTODES AD VENTREM CVSTODIENDVM INSPICIENDVMQVE NON MISERIT: VT ET ID, QVOD EDITVM SIT, AGNOSCERE SIT NECESSE: non eo pertinet, ut quasi iudicio agnoscere se filium diceret suum hæredem habeat, quamuis ex alio cõceptus sit. Quandocunque enim cœperit causa agi, grande præiudicium adfert pro filio confessio patris. d. l. prima. §. Iulianus.

Per contrarium quoque si mulier diuortio facto, non fecerit ea, quæ senatusconsulto præcipiuntur, ut liceat patri non agnoscere: non eò pertinet, ut filius natus suum se dicere non possit: sed ad id tantum, ut ita pater eum alere cogatur, si constiterit eum filium esse. d.l. prima. §. idem per contrarium.

Item si vxore denuntiante se prægnantem, maritus non negauerit: non utiq; suus illico partus efficitur, cogitur tamen alere, cæterum si esset, satis iniuriosum est. d.l. prima. §. idem Iulianus.

Si quis longo tempore abfuerit, & reuersus uxorem pręgnantem inuenerit, & idcirco reiecerit: si quid ex his, quæ Senatusconsulto continentur, omiserit: suus hæres ei nascitur. d.l. prima. §. si quis longo.

Ex his apparet: siue vxor omiserit, quæ eam ex Senatusconsulto obseruare oportuit: nihil præiudicabit filio, si filius est, non in iure tantum sui, verùm ne in alimentis quidem, siue maritus neglexerit facere, quæ ex Senatusconsulto deberet, natum cogetur omnimodo alere. Cæterum recusare poterit filium. d.l. prima. §. ex his apparet.

Planè si denuntiante muliere, negauerit ex se esse prægnantem, tametsi custodes non miserit: non euitabit, quo minus quæratur, an ex eo mulier prægnans sit. Quæ causa si fuerit acta apud iudicem, & pronunciauerit (cùm de hoc ageretur) quod ex eo prægnans fuerit, in ea causa est: ut agnosci debeat (siue filius non fuit, siue fuit) esse suum. In omnibus causis: quare & fratribus suis consanguineus erit, d.l. prima. §. fin. & l. seq. Siue contra pronuntiauerit non fore suum quanuis suus fuerit. placet. n. eius rei iudicem ius facere, eoque iure vtimur. ff. de liber. agno. l. tertia.

De partibus editis constante matrimonio.

Quia Plautianum Senatusconsultum ad eos partus pertinet, qui post diuortium eduntur: aliud Senatusconsultum tẽporibus Diui Adriani factum est, vt etiam

si

ſi conſtante matrimonio partus ſit editus de agnoſcendo eo agatur. Quid ergo ſi quis poſt mortem patris naſcatur, auo ſuperſtite in cuius poteſtatem recaſurus eſt? & ſi ex filio eius ſuſceptus probetur: certè probandum eſt, cum auo præiudicium de partu agnoſcendo, ſimiliter agendum. Item ſi hoc ipſum in quæſtionem veniat, vtrum in matrimonio, an poſtea editus ſit, & ſuper hoc ex ſenatuſconſulto agetur. Idem ſi, an uxor fuerit diſceptetur, quia præiudicio locus erit.ff.de lib.agno.l.tertia.§.qui Plautianum.

Illud tenendum eſt hæc ſenatuſconſulta poſt mortem parentis ceſſare, ſi is ſuperſit in cuius poteſtate recaſuri non ſunt. Item hæc ſenatuſconſulta pertinent ad eos, qui ſui hæredes agnoſcuntur. Cæterum ſi fortè non ſint in poteſtate recaſuri: verius eſt ſenatuſconſulta ceſſare.d.l.tertia.§.illud tenendum, &. §. item hæc ſenatuſconſulta finem verſus.

At ſi filius petitionem hæreditatis intendit, quæritur vtrum ex eo natus ſit cuius hæreditatem petit. Et adeò hoc uerum eſt, ut ſi uiuo patre redditum ſit præiudicium, & ante quàm ſententia feratur pater deceſſerit: tranſeundum erit ad Carbonianum edictum.d.l.tertia.§.quid ergo.

De alendis liberis.

Necare videtur non tantum is, qui partum præfocat: ſed & is, qui abiicit, & alimoniam denegat, & is qui publicis locis miſericordiæ cauſa exponit, quam ipſe non habet.ff.de agnoſcend.lib.l.quarta.

Vnuſquiſque ſobolem ſuam nutriat. quòd ſi exponendam putauerit animaduerſioni, quæ conſtituta eſt ſubiacebit.C.de infantibus expoſitis.l.ſecunda.

Si quis à liberis ali deſideret, uel liberi vt à parentibus exhibeantur: iudex de ea re cognoſcet. Et etiam ſi non ſint in poteſtate liberi, ſed emancipati, uel ex alia cauſa ſui iuris conſtituti alendi ſunt à parentibus, & uoce mutua liberi parentes alere debent. Vtrum autem tantum patrem, auum ve paternum, proauum've paterni aui patrem, cæteroſq; virilis ſexus parentes: an verò etiam matrem, cæteroſq; parentes, per illum ſexum contingentes cogamur alere, uidendum eſt. & magis eſt, vt vtrobiq; ſe iudex interponat: quorundam neceſsitatibus facilius ſuccurſurus, quorundam ægritudini. Et cùm ex æquitate hæc res deſcendat, charitateq; ſanguinis: ſingulorum deſideria perpendere iudicem oportet. Idem in liberis quoq; exhibendis à parentibus dicendum eſt. Ergo & matrem cogemus, præſertim vulgò quæſitos liberos alere nec nõ ipſos eam. Item diuus Pius ſignificat, quaſi auus quoq; maternus alere cõpellatur. Idem reſcripſit, ut filiam ſuam pater exhibeat, ſi conſtiterit apud iudicem iuſtè eam procreatam.ff.de lib.agnoſcen. l.quinta, in princ.

Non quemadmodum maſculorum liberorum noſtrorum liberi ad onus noſtrũ pertinent, ita & in fœminis eſt: Nam quod filia parit, non auo, ſed patri ſuo eſt oneri: niſi pater aui nõ ſit ſuperſtes, aut egeus ſit.ff.eo.l.non quẽadmodũ.viii.

Sed & ſi filius poſsit ſe exhibere: æſtimare iudices debent, ne non debeant ei alimenta decernere. Deinde idem Pius ita reſcripſit ad Titianum. Competentes iudices ali te à patre tuo iubebũt pro modo facultatum eius: ſi modò (cùm opificẽ te eſſe dicas) in ea valetudine es, vt operi ſufficere non poſsis.d.l.quinta.§.ſed & ſi filius.

Si vel parens neget filium, idcircoq; alere ſe non debere contendat, vel filius neget

get parentem: summatim iudices oportet super ea re recognoscere,& si constiterit filium vel parentem esse: tunc ali iubebunt. cæterum si non constiterit: nec decernent alimenta. Meminisse autem oportet,& si pronuntiauerint ali oportere: attamen eam rem præiudicium non facere veritati: nec. n. hoc pronuntiatur filium esse,sed ali debere.d.l.quinta.§.si uel parens.

Si quis ex parentibus vel filiis alere detrectet: pro modo facultatum alimenta constituentur. Quòd si non præstet pignoribus captis & distractis cogetur sententiæ satisfacere. Idem iudex æstimare debet, num habeat aliquid parens: quod meritò filios suos nolit alere. Trebatio denique Marino rescriptum est: meritò patrem eum nolle alere,qui eum detulerat.d.l.quinta. §. si quis ex his.

Si patrem tuum officio debito promerueris: paternam pietatem tibi non denegabit. Quòd si sponte non fecerit: aditus competens iudex alimenta pro modo facultatum præstari tibi iubebit. Quòd si patrem se negabit: quæstionem istam in primis idem iudex examinabit. C. de alen. lib. l. ultima.

Non tantùm alimenta, verum etiam cætera quoque onera liberorum patrem à iudice cogi præbere, rescriptis continetur. ff. de lib. agn. l. quinta. §. non tantum.

Si impubes sit filius emancipatus, patrem inopem alere cogetur. iniquissimum enim quis meritò dixerit, patrem egere cum filius sit in facultatibus. d. l. quinta. §. & si impubes.

Si mater alimenta quæ fecit in filium à patre repetat, hoc est quantum alimentorum nomine, quibus necessariò filium exhibuerit, à patre eius præstari oporteat, iudices æstimabunt: nec impetrare debet ea, quæ exigente materno affectu in filium erogatura esset etiam si à patre suo educeretur. d. l. quinta. §. si mater.

Probante muliere se ex Claudio enixam esse filium. Iudex competens alimenta ei pro modo facultatum præstari iubebit. Idem an apud eum educari debeat, æstimabit. C. de alen. lib. l. tertia.

A milite quoque filio, qui in facultatibus est, exhibendos parentes esse pietatis ratio exigit. d. l. quinta. §. à milite.

Parens quamuis ali à filio ratione naturali debeat: tamen æs alienum eius non esse cogendum filium exsoluere, rescriptum est. d. l. quinta. §. Parens.

Hæredes filii inuiti non coguntur ea præstare, quæ viuus filius ex officio pietatis suæ debet: nisi in summam egestatem pater deductus sit. ff. de lib. agno. l. quinta. §. item rescriptum est.

Parentum necessitatibus liberos succurrere iustum est. C. de alen. lib. l. prima. Et competens Iudex à filio patrem ali iubebit: si in ea facultate est, ut ei alimenta præstare possit. C. eod. l. secunda.

Filia tua non solum reuerentiam, sed etiam subsidium vitæ, vt exhibeat patri, rectoris Prouinciæ auctoritate compelletur. C. de patria pot. l. quinta.

Filium vel filiam, filios vel filias, & deinceps alere patri necesse est non propter hæreditatem, cuius vsumfructū habet mediante liberis, sed propter ipsam naturam & leges, quæ & à parentibns alendos esse liberos imperauerunt, & ab ipsis liberis parentes, si inopia ex vtraque parte vertitur. C. de bonis quæ lib. l. cum non solum. viii. §. ipsum autem filium.

De diuortio, & soluto matrimonio, intellige de separatione thori, vt supra diximus.

Soluto matrimonio si pater occasionem præbuit diuortio: apud matrem alantur filii, patre suppeditante sumptus. Si verò culpa matris comprobetur solutum matrimonium: tunc apud patrem filii habitabunt & alentur. At si patrem laborare inopia, matrem opibus affluere contigerit: vt apud ipsam egentes li-

beri maneant simul & ab ea alantur, iubetur. Quod autem de filiis & matre, cũ egent, alendis definitum est: hoc sanè & in oĩbus tam ascendentibus, ꝙ descendentibus personis vtriusque sexus iubetur. Nouell. Const. cxvii. §. sed & illud.

DE INSPICIENDO VENTRE, ET DE VENTRE IN POSSESSIONEM MITTENDO.

Titulus II.

SI maritus separato matrimonio prægnantem mulierem diceret uxor negaret: eligitur domus honestisimæ fęminæ in quam veniat uxor, & ibi tres obstetrices probatæ, & artis & fidei à Prætore assumptæ, eam inspiciant: & si quidem vel omnes, vel duæ renuntiauerint prægnantem videri: tunc persuadendum mulieri erit, vt perinde custodem admittat: atque si ipsa hoc desideraret. Quod si enixa non fuerit: sciat maritus ad inuidiam existimationemque suam pertinere vt non immeritò posit uideri captasse hoc ad mulieris iniuriam: si autem uel omnes vel plures non esse grauidam renuntiauerint: nulla causa custodiendi erit. ff. de inspiciendo ven. l. prima, in princ.

Apparet Senatusconsultum de liberis agnoscendis locum non habuisse, si mulier dissimularet se prægnantem, vel etiam negaret: nec immeritò. partus enim, antè quàm edatur, mulieris portio est, vel viscerum. Post editum planè partum à muliere iam potest maritus iure suo filium per interdictum desiderare, aut exhiberi sibi, aut ducere permitti. d. l. prima. §. ex hoc rescripto.

Mulier igitur si neget se prægnantem, poterit ad Prætorem euocari, & apud eum interrogari an se putet prægnantem, cogendaque erit respondere. at si non respondent. Aut non veniat ad Prætorem, cogenda erit remediis Prætoris, & in ius venire, & si venit respondere, pignoraque eius capienda & distrahenda, si contemnet, vel multis coercenda. Nec euitabit pœnam Senatusconsulti Plautiani, scilicet vt liceat marito non agnoscere si pariat, nisi maritus eo non esset contentus, qui se patrem potius optet, quàm carere filio velit. Si interrogata ergo dixerit se prægnantem ordo Senatusconsulti expositus [*Titulo præcedenti*] sequetur. Quod si negauerit tunc Prætor debebit obstetrices adhibere. d. l. prima. §. secundum quod.

Et notandum est, quod non permittitur marito, vel mulieri obsterrices adhibere: sed omnes à Prætore adhibendæ sunt. d. l. prima. §. & notandum.

Item Prætor domum honestæ matronæ eligere debet, in quam mulier veniat, & posit inspici. At si inspici non patiatur vel ad domum non veniat; æquè Prætoris auctoritas interueniet. d. l. prima. §. item Prætor.

Si omnes, vel plures renuntiauerint, prægnantem non esse: agere mulier iniuriarum potest. sic tamen, si iniuriæ faciendæ causa id maritus desiderauerit. Cæterum si non iniuriæ faciendæ animo, sed quia iustè credidit, vel nimio voto liberorum suscipiendorum ductus est, vel ipsa eũ illexerat, vt crederet, quod constante matrimonio hoc omnino fingebat: æquisimum erit, ignosci marito. Et maritus potest audiri causa cognita, nõ solum intra tempus præstitutum triginta dierum, sed etiam post ipsos triginta dies. d. l. prima. §. si omnes.

De inspiciendo ventre, custodiendoq; partu sic Prætor ait. SI MVLIER MORTVO MARITO PRAEGNANTEM SE ESSE DICAT: HIS, AD QVOS EA RES pertinebit, procuratoribus ve eorum, bis

Hæc oĩa verba Prætoris literis maiusculis impressa esse deberent.

in menſe denuntiandum curet, vt mittant (ſi velint) quæ ventre inſpiciant. MITTANTVR mulieres dumtaxat quinque, hæque ſimul omnes inſpiciant: & ne qua earum, dum inſpicit, inuita muliere ventrem tangat. Mulier in domo honeſtiſsimæ fœminæ pariat, quam ego conſtituam. MVLIER ante dies triginta, quàm parituram ſe putat, denunciet his, ad quos ea res pertinet, procuratoribus've eorum, ut mittant (ſi velint) qui ventrem cuſtodiant. in quo conclaui mulier paritura erit, ibi ne plures aditus ſint, quàm vnus: ſi erunt: ex vtraque parte tabulis præfigantur. ante oſtium eius conclauis viri tres, & tres fœminæ cum binis Comitibus cuſtodiant. QVOTIESCVNQVE ea mulier in id conclaue aliud've quod, ſiue in balineum ibit: cuſtodes (ſi volent) id antè proſpiciant, & eos, qui introierint, excutiant. cuſtodes, qui ante conclaue poſiti erunt (ſi voluerint) omnes, qui conclaue, aut in domum introierint, excutiant. MVLIER cùm parturire incipiet, his, ad quos ea res pertinet, procuratoribus've eorum denunciet, ut mittant. Quibus præſentibus pariat. MITTANTVR mulieres dumtaxat quinque: ita vt præter obſtetrices duas, in eo conclaui, ne plures mulieres ſint, quam decem: pediſequæ, quàm ſex. ſed hæ, quæ intus futuræ erunt in eo conclaui, excutiantur omnes, ne qua prægnans ſit. TRIA lumina, nec minus, ibi ſint: ſcilicet, quia tenebræ ad ſubiiciendum aptiores ſunt. QVOD natum erit, his ad quos ea res pertinet, procuratoribus ve eorum (ſi inſpicere volent) oſtendatur. apud eum educatur, apud quem parens iuſſerit. Si autem nihil parens iuſſerit, aut is, apud quem voluerit educari, curam non recipiet: apud quem educetur, cauſa cognita conſtituam. IS, APVD quem educabitur, quod natum erit: quod trium menſium ſit, bis in menſe, ex eo tempore, quo ad ſex menſium ſit, quo ad anniculus fiat, alternis menſibus: ab anniculo, quo ad fari poſsit, ſemel in ſex menſibus (vbi volet) oſtendat. SI cui ventrem inſpici, cuſtodiri, adeſſe've partui licitum non erit: factum've quid erit, quò minus ita ea fiant, vti ſupra comprehenſum eſt: ei, quod natum erit, poſſeſſionem cauſa cognita non dabo, ſiue quod natum erit, vt ſupra cautum eſt, inſpici non licuerit: quas vtique actiones me daturum polliceor his, quibus ex edicto meo bonorum poſſeſsio data ſit: eas, ſi mihi iuſta cauſa eſſe videbitur, ei non dabo. d. l. prima. §. de inſpiciendo.

Quamuis ſit manifeſtiſsimum edictum prætoris: attamen non eſt negligenda eius interpretatio. denuntiare igitur mulierem oportet his, ſcilicet quorum intereſt, partum non edi: uel totam habituris hæreditatem, uel partem eius, ſiue ab inteſtato, ſiue ex teſtamento. publicè enim intereſt partus non ſubiici, ut ordinum dignitas familiarumque ſalua ſit. Denuntiari autem oportet iis, quos proxima ſpes ſucceſsionis contingit: ut puta primo gradu hæredi inſtituto, non etiam ſubſtituto. & ſi inteſtatus ſit paterfamiliàs: his, qui primum locum ab inteſtato tenent. ſi verò plures ſint ſimul ſucceſſuri: omnibus denuntiandum eſt. d. l. prima. §. quamuis. & §. publicè. & §. denuntiari.

Quod autem Prætor ait, CAVSA COGNITA SE POSSESSIONEM NON DATVRVM, VEL ACTIONES DENEGATVRVM, eò pertinet: vt ſi per ruſticitatem aliquid fuerit omiſſum ex his, quæ Prætor ſeruari voluit, non obſtet partui. quale eſt enim, ſi quid ex his, quæ leuiter obſeruanda Prætor edixit, non ſit factum, partui denegari bonorum poſſeſsionem? ſed mos regionis inſpiciendus eſt, & ſecundum eum & obſeruari uentrem, & partum, & infantem oportet. d. l. prima. §. fi.

Edictum

Edictum de custodiendo partu, derogatorium est eius, quod ad Carboniani decreti exemplum comparatum est; sed hoc aliquando remittere Prætor debet, si non malitia, sed imperitia mulieris factum fuit ne venter inspiceretur, aut partus custodiretur. ff. de inspic. vent. l. secunda.

Qui ventri substitutus est, vel institutus: si ventrem seruare velit, audiendus est. ff. eod. l. tertia.

Is, à quo si sine liberis decessisset, quidquid ad eum ex bonis peruenisset, sorori fideicommisso relictum erat: decessit posthumo hærede instituto, & substitutis aliis, cùm vxor defuncti prægnantem se dicat, sorori procuratori've eius secundum formam edicti ventrem inspicere, & partum custodire permittendum erit, idq; causa cognita statuendum est. ff. eod. l. fi.

Sicuti liberorum eorum, qui iam in rebus humanis sunt, curam Prætor habuit. ita etiam eos, qui nondum nati sunt, propter spem nascendi, non neglexit. ff. de ventre in possess. mitt. l. prima, in princ.

Prægnantem esse mulierem oportet omnimodo, nec discere se prægnantem sufficit. quare nec tenet datio bonorum possessionis, nisi verè prægnans fuit, & mortis tempore, & eo, quo se mitti in possessionem petit. d. l. prima. §. prægnantem.

Si filius in adoptionem datus decesserit prægnante vxore, tunc deinde adoptator defunctus fuerit; admittetur venter in possessionem aui adoptiui. d. l. prima. §. si filius in adoptionem. Ac etiam in eius, qui in adoptionem dederat, filius mittetur. & si hic nepos posthumus hæres ab auo naturali institutus sit. d. l. prima. §. sed an etiam.

Si ea, quæ in possessionem vult ire, vxor negetur, vel nurus esse vel fuisse, vel ex eo prægnans non esse contendatur; decretum interponit Prætor exemplo Carboniani edicti. & summatim de ea re cognoscit; & si manifestam calumniam videret eius, quæ ventris nomine in possessionem mitti desiderat, nihil noui decerneret. si dubitari de re posset, operam daret, ne quod præiudicium fieret ei, quod in vtero est. sed uentrem in possessionem mitti oportere. apparet itaq;, nisi manifesta sit calumniatrix mulier, debere eam decretum eligere. & ubi omnino iustè dubitari poterit, an ex eo prægnans sit, decreto tuendam esse, ne præiudicium partui fiat. d. l. prima. §. si ea quæ, & ff. ne uis fiat ei. l. tertia. §. fin.

Generaliter ex quibus causis Carbonianum bonorum possessionem puero Prætor dare solitus est, ex eisdem causis ventri quoque subuenire Prætorem debere non dubitamus; eò facilius, quod fauorabilior est causa partus, quàm pueri. partui enim in hoc fauetur, ut in lucem producatur; puero, ut in familiam iudicatur. partus enim iste alendus est, qui & si non tantum parenti, cuius esse dicitur, verum etiam reipublicæ nascitur. d. l. prima. §. & generaliter.

Quoties autem venter in possessionem mittitur, solet mulier curatorem uentri petere, solet & bonis. sed si quidem tantum ventri curator datus sit, creditoribus permittendum est, iri custodia bonorum esse. si verò non tantum ventri, sed etiam bonis curator datus est; possunt esse securi creditores, cùm periculum ad curatorem pertineat. idcirco curatorem bonis ex inquisitione dandum (idoneum scilicet) oportet creditores curare, uel siquis alius est, qui non edito partu successionem speret. Hoc autem iure utimur, vt idem curator & bonis & ventri detur. d. l. prima. §. quoties.

Si creditores instent, uel qui sperat se successurum: diligentius atque circumspectius id fieri debebit: & plures (si desiderentur) dandi sunt. d. l. prima. §. sed si creditores.

Mulier autem in possessionem missa, ea sola, sine quibus fœtus sustineri, & ad partum vsque produci non posit, sumere ex bonis debet: & in hanc rem curator constituendus est, qui cibum, & potum, & uestitum, & rectum mulieri præstet pro facultatibus defuncti, & pro dignitate eius atque mulieris. Deminutio autem ad hos sumptus fieri debet primum ex pecunia numerata, si ea non fuerit: ex his rebus, quæ patrimonia onerare magis impedio, quàm augere fructibus consueuerunt. d. l. prima. §. mulier.

Idem si periculum est, ne interim res vsu capiantur, ne debitores tempore liberentur: idem curare debet. ita igitur curam hoc quoque officio administrabit, quo solent curatores atq; tutores pupillorum. d. l. prima. §. idem si periculum.

Eligitur autem curator aut ex his, qui tutores dati sunt posthumo, aut necessariis adfinibusq;, aut ex substitutis, aut ex amicis defuncti, aut ex creditoribus: sed is vtique, qui idoneus videbitur. at si de personis eorum quæstio moueatur: vir bonus eligitur. Quod si nondum curator constitutus sit: quia plerunque, aut non petitur, aut tardius petitur, aut serius datur: Seruius aiebat, res hæreditarias hæredem institutum vel substitutum obsignare non debere, sed tantum pernumerare, & mulieri adsignare. Idem ait ad custodienda ea, quæ sine custodia salua esse non possunt, custodem ab hærede ponendum: ut puta pecoris, & si nondum messis uindemia'ue facta sit. & si fuerit controuersia, quantum deminui oporteat: arbitrum dandum. d. l. prima. §. eligitur.

Curatore autem constituto hæc omnia cessant: conscribi tamen curatori debent, & uendenti, & inuentarium rerum facienti. d. l. prima. §. curatore.

Tandiu autem uenter in possessione esse debet, quàm diu aut pariat, aut abortum faciat, aut certum sit eam non esse prægnantem, & si sciens prudensque se prægnantem non esse, consumpserit: de suo id eam consumpsisse Labeo ait. d. l. prima. §. finali.

Sed & si eum ediderit, qui repulsus est, discedere debet. ff. de uentre in possess. l. secunda.

Sumptus autem ab ea facti bona fide non repetentur. ff. eod. l. tertia.

Habitatio quoque, si domum defunctus non habuit, concedenda erit mulieri. ff. eod. l. quarta.

Curator uentris alimenta mulieri statuere debet. nec ad rem pertinet, an dotem habeat, unde sustentare se posit: quia uidentur, quæ ita præstantur, ipsi præstari, qui in utero est. Curator uentri datus soluendi debiti rationem habere debet: utique eius, quod sub pœna, aut pignoribus prætiosis debetur. ff. eod. l. quinta.

Extraneo posthumo hærede instituto, non aliter ventrem in possessionem mittitur, nisi mater aliunde se alere nō posit: ne fortè ei, qui natus bonorum possessor futurus est, denegasse alimenta videamur. ff. eod. l. sexta.

Vbicunque ab intestato venter admittitur: scilicet si talis fuerit is, qui in utero est, vt si in rebus humanis esset, bonorum possesionem petere posit: (ut in omnibus partibus edicti) pro superstite habetur is, qui in vtero est. ff. eod. l. vbicunque. vii. in princ.

Si ventris nomine mulier missa sit in possessionem: differtur accusatio adulterii, ne quod præiudicium fieret nato. ff. eod. l. si ventris. viii.

Cum

Cum venter mittitur in possessionem: quod in ventris alimēta deminutum est, detrahitur uelut æs alienum.ff.eod.l.cum venter.ix.

Posthumus natus quocunque tempore (qui tamen testatoris morte conceptus iam erit) potest agnoscere bonorum possessionem. nam & uentrem prætor ex omnibus edicti partibus mittit in possessionem bonorum: non missurus scilicet, si ei nato daturus non esset bonorum possessionem.ff.eod.l.fi.

SI VENTRIS NOMINE MVLIER IN POSSESSIONEM MISSA EADEM POSSESSIO DOLO MALO AD ALIVM TRANSLATA ESSE DICATVR.

Titulus III.

HOc edicto rectissimè Prætor prospexit, ne dum in fauorem partus possessionem polliceatur, aliis prædæ occasionem præbeat. Idcirco constituit actionem in mulierem, quę in alium hanc possessionem dolo malo transtulit.ff.si ventris nomine.l.prima, in princ.

Nec solùm mulierem Prætor coercet, verum eum quoque, in cuius potestate ea fuit: scilicet, si dolo ipsorum alius in possessionem fuerit admissus. actionemq; in tantum pollicetur in eos, quanti interfuerit eius, qui experitur. d.l.prima.§.nec solum.

Necessariò prætor adiecit. VT QVI PER DOLVM VENIT IN POSSESSIONEM, COGATVR DECEDERE. coget autem eum decedere non prætoria potestate, vel manu ministrorum: sed melius & ciuilius faciet, si eum per interdictum ad ius ordinarium remiserit.d.l.prima.§.necessariò.

Interest autem eius, qui experitur, admissum alium in possessionem non fuisse: cum fortè bona fide fructus præceptos consumpserit: aut si prædo venerit in possessionem, à quo fructus consequi non possit, quia soluendo non est. d.l. prima.§.interest.

Hæc actio etiam post annum dabitur: quia rei habet persecutionem. & si filia sit, quæ dolo fecit: in patrem dabitur actio, si quid ad eum peruenerit. d.l. prima.§.finali.

Dolo facit mulier, non quæ in possessionem venientem non prohibeat: sed quę circunscribendi alicuius causa, clàm & per quandam machinationem in possessionem introducat. Si & patris & filiæ factum arguetur: in alterum, quem actor velit, reddenda est actio: quia in id, quod agentis interest, datur, ideo si id, quod ei abest, ab eo, qui in possessione est, seruari possit (præter sumptus litis causa factos) inutilis erit ei hæc actio.ff.eod.l.secunda.

SI MVLIER VENTRIS NOMINE IN POSSESSIONEM CALVMNIAE CAVSA ESSE DICETVR.

Titulus IIII.

SI de possessione ventris nomine quæratur, & deferente hærede mulier iurauerit se prægnantem esse: seruandum est iusiurandum, nec tenebitur mulier, quasi calumniæ causa fuerit in possessionē missa, nec uis ei facienda est post iusiurandum. Si tamen pepererit: quæretur ueritas, an ex eo prægnans fuerit. alteri enim nec pro

deſt: nec nocet iuſiurandum inter alios factum. nec partui igitur nocebit. ff. ſi mulier uent. nom. l. prima, in principio.

Hoc edictum ex eadem cauſa proficiſcitur, qua ſuperius debet enim prætor, quẽadmodum facilis eſt circa bonorum poſſeſsionem mulieri dandam uentris nomine, ita calumniam eius impunitam non relinquere. d. l. prima §. & hoc edictum.

Per calumniam autem in poſſeſsionem fuiſſe uidetur, quæ ſciens prudensque ſe prægnãtem non eſſe, uoluerit in poſſeſsionẽ uenire. d. l. prima §. per calumniã.

Hanc autem actionem prætor intra annum utilem pollicetur, ultra non, uidelicet quaſi pœnalem. Simili autem modo & hic, quanti agentis interfuit. prætor actionem hanc pollicetur. In parentem etiam prætor actionem pollicetur: ſi modo per eum factum ſit, ut in poſſeſsionem per calumniam ueniret. d. l. prima §. hanc autem.

Competit autem actio ei, cuius interfuit in poſſeſsionem miſſum non eſſe: ut puta uel cohæredi ſperanti partum, uel ei, qui ſubſtitutus fuit, uel qui ab inteſtato, ſi partus non fuiſſet, ſuccedere potuit. d. l. prima. §. competit.

Intereſſe autem uidetur primum de alimentis, quæ in uentrem ſunt erogata. nec enim aliàs hæc repetuntur, niſi per calumniam in poſſeſsionem uenit. ceterũ ſi res calumnia caret: nihil præſtabit mulier, quaſi ſine cauſa alta ſit ſub prætextu uentris. d. l. prima. §. intereſſe.

Nonnunquam augebitur, quod intereſt: ſi quis fortè dubitans, an prægnans ſit, excluſus ſit hæreditate. nam hæredi eius, qui excluſus eſt, datur hæc actio. Si quidem eius quoque interfuit, non fuiſſe calumniæ cauſa in poſſeſsionem mulierem: quia hoc ſi non fuiſſet, adeundo hæreditatem, inſtitutus hæredi ſuo locupletiorem hæreditatem ſuam relinqueret. ſed & hoc imputatur mulieri. quod diminuta ſunt multa in hæreditate: dum hic contemplatione uentris non attingit hæreditatem. d. l. prima. §. nonnunquam.

Si ſubſtitutus, manente muliere in poſſeſsione, deceſſerit: hæres eius eadem actione prætium hæreditatis à muliere exiget: legata verò non decedunt ceteraq; onera hæreditatis, ſed legatarii cum muliere vſuri ſunt hac actione: quia & ipſorum interfuit adiri hæreditatem. d. l. prima. §. idem Iulianus. aliàs. l. ii.

Si dolus filiæfamiliàs interuenerit, & particeps doli pater fuerit ſuo nomine tenebitur. d. l. prima. §. fin. aut d. l. ſecunda. §. fin.

DE LIBERIS EXHIBENDIS VEL DEDVCENDIS.
Titulus V.

Supra titulo III. dictum eſt: tunc maritum poſſe iure ſuo filiũ per interdictum deſiderare aut exhiberi ſibi, aut deducere permitti, extra ordinem. cum filius editus fuerit. cum verò hucuſque tractatum ſit de filiis naſcituris nunc conueniẽter tractatur de filiis iam natis.

AIt prætor, QVI QVAE'VE IN POTESTATE LVCII TITII EST, SI IS EA'VE APVD TE EST, DOLO'VE TVO MALO FACTVM EST, QVO MINVS APVD TE ESSET: ITA EVM EAM'VE EXHIBEAS. ff. de lib. exhib. l. prima in principio.

Hoc interdictum proponitur aduerſus eum, quem quis exhibere deſiderat eum, quæ in poteſtate ſua eſſe dicit: & ex uerbis apparet ei, cuius in poteſtate eſt, hoc interdictum competere. d. l. prima. §. hoc interdictum.

In hoc interdicto prætor non admittit cauſam, cum apud eum ſit is, qui exhiberi debet: ſed omnino reſtituendum putauit, ſi in poteſtate eſt. Si uerò mater ſit, quæ retinet apud quam interdum magis, quàm apud patrem morari filium de-

beat,

beat, ex iustissima scilicet causa subueniendum ei erit per exceptionem. Pari modo si iudicatum fuerit, non esse eum in potestate, & si per iniuriam iudicatum sit, agenti hoc interdicto obiicienda erit exceptio rei iudicatæ. ne de hoc quæratur, an sit in potestate, sed an sit iudicatum. ff. eod. l. prima. §. in hoc interdicto.

Deinde ait Prætor SI LVCIVS TITIVS IN POTESTATE LVCII TITII EST, QVOMINVS EVM LVCIO TITIO DEDVCERE LICEAT VIM FIERI VETO. ff. eod. l. tertia. in princ.

Superius interdictum exhibitorium est, hoc est pertinens ad exhibitionem liberorum. Hoc autem interdictum pertinet ad ductionem, ut ducere quis posit eos, in quos habet ius ductionis. Itaque prius interdictum, quod est de liberis exhibendis, præparatorium est huius interdicti. Quò magis enim quis duci posit, exhibendus est. Et ex eisdem causis hoc interdictum tribuendum est, ex quibus causis de exhibendis liberis competere dictum est. Itaq; quęcunque ibi dicta sunt, eadem hic quoque dicta accipienda sunt. ff. de lib. exhiben. l. tertia. §. superiora.

Hoc autem interdictum competit non aduersus ipsum filium, quem quis ducere vult, sed vtique debet esse is, qui eum interdicto defendat. Cæterum cessat interdictũ, & succedere poterit notio prætoris, vt apud eum disceptetur, vtrum quis sit in potestate, an non. d. l. tertia. §. hoc autem interdictum.

Quoties id interdictum mouetur de filio ducendo, uel cognitio, & is, de quo agitur, impubes est, aliàs differri oportere rem in tempus pubertatis, aliàs repręsentari. idq; ex persona eorum, inter quos controuersia erit, & ex genere causę constituendum est. Nam si is, qui se patrem dixerit, auctoritatis, prudentiæ, fidei exploratę sit, usque in diem litis impuberem apud se habebit. Si verò qui controuersiam facit, humilis, calumniator, notę nequitię sit, repręsentanda cognitio est. Item si is, qui impuberem negat in aliena esse potestate, vir omnibus modis probatus, tutor vel testamento, vel à Prętore datus est, pupillum, quem apud se habuit, in diem litis tuetur. Si verò qui patrem se dicit, suspectus quasi calumniator est, differri litem non oportebit. Si verò vtraque persona suspecta est, aut tanquam infirma, aut tanquam turpis, non alienum erit, inquit, disponi, apud quem puer interim educetur, & cõtrouersiam in tempus pubertatis differri, ne per collusionem, vel imperitiam alterutrius contendentium, aut alienę potestati paterfamiliàs addicatur, aut filius alienus patrisfamiliàs loco constituatur. d. l. tertia. §. Iulianus.

Etiam si maximè eum probet filium pater in sua potestate esse, tamen causa cognita mater in retinendo eo potior erit. Idque decretis Diui Pii quibusdam continetur. obtinuit enim mater ob nequitiam patris, vt sine deminutione patriæ potestatis apud eam filius moraretur. d. l. tertia. §. etiam si.

In hoc interdicto donec res iudicetur, fœminam prætextatam, eumque, qui proximè prætextati ætatem accederet, interim apud patremfamiliàs deponi, Prętor iubet. Proximè autem prætextati ætatem accedere eum dicimus, qui puberem ætatem nunc ingressus est. Cum audis matrẽfamiliàs. accipe notæ auctoritatis fœminam. d. l. tertia. §. fin.

Si eum, qui se patremfamiliàs dicat. ego in mea potestate esse, & iussu meo adiisse hæreditatem dicam, tam de hæreditate agi oportere, quàm ad interdictum de filio ducendo iri debet. ff. de lib. exhib. l. quarta.

Si filius sua sponte apud aliquem est, inutile hoc interdictum erit: quia filius ma-

gis

gis apud ſe. quàm apud eum eſt, in quem interdicetur, cum liberam facultatem abeundi vel remanendi haberet, niſi inter duos, qui ſe patres dicerent, controuerſia eſſet, & alter ab altero exhiberi eum deſideraret. ff. eod. l. fi.

Si (tu proponis) cum tuæ poteſtatis eſſes ſuper rebus maternis obtinuiſti: potes eos, qui tibi condemnati ſunt conuenire. Quod ſi extiterit qui te filium, & in ſua poteſtate eſſe contendit: interdicto in eam rem propoſito de fide intentionis eius quæretur. C. de lib. exhib. l. prima.

Per rei vindicationem non petuntur liberi, qui in noſtra poteſtate ſunt. Petuntur autem præiudiciis, aut interdictis, aut cognitione prætoria. ff. de rei vind. l. prima. §. primo. & C. de lib. exhib. l. ſecunda.

DE CARBONIANO EDICTO.

Titulus VI.

SI cui controuerſia fiat an inter liberos ſit, & impubes ſit: cauſa cognita perinde poſſeſsio datur, ac ſi nulla de ea re controuerſia eſſet: & iudicium in tempus pubertatis cauſa cognita differtur. ff. de carbon. edicto. l. prima. in princ.

Eum, qui controuerſiam facit ſi pro pupillo ſatis ei non detur ſimul in poſſeſsionem eorum bonorum eſſe prætor iubet. d. l. prima. §. eum qui.

Non tantum maſculi, ſed & fœminæ ex virili ſexu deſcendentes Carboniani cõmodum habebunt. d. l. prima. §. non tantum.

Si poſthumus ſit hæres inſtitutus, & natus negetur eſſe filius, ſed ſubiectus eſſe dicatur iſto caſu eius patris tantum danda eſt ei bonorum poſſeſsio ex qua inſtitutus eſt. d. l. prima. §. Pomponius. verſ. niſi fortè poſthumus.

Cum quidam exhæredem ſcripſiſſet filium, quod diceret eum ex adulterio conceptum quaſi frater ei hæc controuerſia an inter liberos ſit ex hac parte edicti ei bonorum poſſeſsio competit. Idem eſt & ſi ita ſit ſcriptus. QVISQVIS, EST, QVI SE FILIVM MEVM SE ESSE DICAT EXHAERES ESTO: quia non eſt filius exhæredatus. d. l. prima. §. idem ait.

Si quis filium ſuum hæredem inſtituerit ex minima parte ſic ILLE, QVI EX ILLA NATVS EST, HAERES ESTO, non quaſi filium ſuum: deinde hic contendat patrem inteſtatum deceſsiſſe, ſeq; ei ſuum hæredem eſſe: intereſt, cohæredes eius vtrum negent eum filium ſuum, an verò contendant teſtamentum valere. ſi teſtamentum valere contendant, controuerſia non eſt differenda: & Carbonianum edictum ceſſat. quod ſi filium eum negant, & ad ipſos potius quaſi ad conſanguineos hæreditatem pertinere dicunt: data bonorum poſſeſsione impuberi, controuerſia in tempus pubertatis differtur. ff. de Carbon. edicto. l. prima. §. ſi quis filium.

Si mater ſubiecti partus arguatur: an differenda ſit quæſtio propter ſtatum pueri, quæritur. & ſi quidem pupilli ſtatus in dubium deducitur: differri quæſtio in tempus pubertatis debet: cum metus eſſe poſsit, ne minus idoneè defendatur. cum verò mater rea poſtulatur: utique integra fide & maiore conſtantia cauſam defenſuram recenti tempore, dubium non eſt: cognitionemq; fieri oportet, & poſt euentum cognitionis (ſi ſuppoſitum partum apparuerit) actiones hæreditariæ puero denegandæ ſunt: omniaque perinde habenda, atque ſi hæres ſcriptus non fuiſſet. d. l. prima. §. ſi mater.

Licet

Licet mulier, quæ partum ſubieciſſe dicitur, deceſſerit: tamen ſi participes maleficii ſint, in præſenti cognoſcendum eſt. ſi nemo autem ſit, qui puniri poſſit, quia omnes participes facinoris fortè deceſſerint: ſecundum Carbonianum edictum in tempus pubertatis differenda eſt cognitio. ff. eod. l. ſecunda.

Quamuis ſcripto hæredi non promitti bonorum poſſeſsionem ex edicto Carboniano certum ſit: tamen quæſtionem ſtatus in Tempus pubertatis differri, procul dubio eſt. ergo ſi quidem de parentis bonis ſimul & de ſtatu controuerſia fiat: hoc edictum locum habebit. ſi verò ſtatus tantum: differtur quæſtio in tempus pubertatis, ſed non ex Carboniano, ſed ex conſtitutionibus. ff. eod. l. tertia. §. quamuis.

Puberi, quamuis minori vigintiquinq; annis, Carbonianum non ſuccurrit. ſed ſi cum eſſet pubes, quaſi impubes obrepſerit, bonorumq; poſſeſsionem acceperit: dicendum erit, nihil eum egiſſe. nam & ſi impubes eſſet, mox pubes factus: finiretur bonorum poſſeſsionis emolumentum. d. l. tertia. §. Puberi.

Cauſæ cognitio in eo vertitur, vt ſi manifeſta calumnia appareat eorum, qui infantibus bonorum poſſeſsionem petent; non detur bonorum poſſeſsio. ſummatim ergo, cum petitur ex Carboniano bonorum poſſeſsio, debet prætor cognoſcere. & ſi quidem abſolutam cauſam inuenerit, eidenterque probetur filium non eſſe: negare debet ei bonorum poſſeſsionem Carbonianam: ſi verò ambiguam cauſam, hoc eſt, uel modicum pro puero facientem, ut non videatur euidenter filius non eſſe: dabit ei Carbonianam bonorum poſſeſsionem. d. l. tertia. §. cauſæ cognitio.

Duæ autem ſunt cauſæ cognitiones. vna dandæ Carbonianæ poſſeſsionis: quæ habet commodum illud, ut perinde, atque ſi nullam controuerſiam pateretur impubes, poſſeſsionem accipiat. alia eſt cauſæ cognitio illa, vtrum debeat differri in tempus pubertatis cognitio, an repreſentari. hoc enim diligentiſsimè Prætori examinandum eſt: an expediat pupillo repreſentari cognitionem, an potius differri in tempus pubertatis: & maximè inquirire hoc à cognatis, matre, tutoribusq; pupilli debet: finge eſſe teſtes quoſdam, qui dilata controuerſia aut mutabunt conſilium, aut decedent, aut propter temporis interuallum non eandem fidem habebunt. vel finge eſſe anum obſtetricem, vel ancillas, quæ veritatem pro partu poſsunt inſinuare, uel inſtrumenta ſatis idonea ad victoriam, vel quædam alia argumenta: vt maius damnum patiatur pupillus, quod differtur cognitio, quàm compendium, quod non repreſentatur. finge pupillum ſatiſdare non poſſe: & admiſsos in poſſeſsionem, qui de hæreditate controuerſiam faciunt, multa poſſe ſubtrahere nouare moliri, aut ſtulti aut iniqui Prætoris erit, rem in tempus pubertatis differre, cum ſummo eius incommodo, cui conſultum velit. diuus enim Hadrianus ita reſcripſit, quod in tempus pubertatis res differri ſolet, pupillorum cauſa fit. ne de ſtatu periclitentur, ante quàm ſe tueri poſsint. cæterum ſi idoneos habeant, à quibus defendantur, & tam expeditam cauſam, vt ipſorum interſit maturè de eo iudicari, & tutores eorum iudicio experiri volunt: non debet aduerſus pupillos obſeruari, quod pro ipſis excogitatum eſt; & pendere ſtatus eorum, cum iam poſsit indubitatus eſſe. d. l. tertia. §. duæ autem ſunt cauſæ.

Si mater impuberis ſubiecti partus rea poſtulata, cauſam obtinuerit; poterit adhuc ſupereſſe ſtatus quæſtio. ut puta ſi dicatur, aut non eſſe ex ipſo defuncto conceptus, aut ex ipſo quidem, ſed non ex matrimonio editus. d. l. tertia. §. ſi mater.

Si is,

Si is, qui ſtatus controuerſiam filio faciebat & ſolum ſe filium dicebat, deceſſerit, & mater ei hæres extiterit: ſi quidem eandem controuerſiam impuberi mater faciat, qui ſe ex alia natum affirmat, quàm filius eius faciebat, ſcilicet vt neget eum filium, idcircoq; ad ſe totam hæreditatem ex perſona filii ſui defuncti pertinere debere: in tempus pubertatis differri, Iulianus ait: quia nihil interſit, ſuo, an hæreditario nomine controuerſiam faciat .d.l.tertia.§. ſi is, qui.

Planè ſi mater concedat hunc quoque defuncti filium eſſe idcircoq; partem dimidiam hæreditatis ſolam ſibi vindicet ex bonis paternis: non erit iudicium in tempus pubertatis differendum. non enim de paternis, ſed de fraternis bonis impuberi fit controuerſia.d.l.tertia.§.Planè.

Si duo impuberes patiantur ſtatus controuerſiam, & alter eorum pubuerit, expectari alterius quoque pubertas debet: ſcilicet vt ſic de vtriuſque ſtatu agatur, ne aliquod præiudicium fiat impuberi propter puberis perſonam. Parui refert, vtrum petitor ſit impubes, an poſſeſſor, qui ſtatus controuerſiam patitur. nam ſiue poſsideat, ſiue petat: in tempus pubertatis differtur.d.l.tertia.§.ibidem Iulianus.

Si duo impuberes inuicem ſtatus controuerſiam faciant, intereſt, utrum quiſque ſe ſolum filium dicat, an & ſe. nam & ſi ſolum dicat filium: dicendum eſt, debere controuerſiam ad vtriuſque pubertatem differri, ſiue petitor, ſiue poſſeſſor ſit. ſi verò alter ſe ſolum, alter & ſe dicat: ſi quidem ille adoleuerit, qui ſe ſolum dicat: adhuc differtur controuerſia propter pueritiam eius, qui & ſe eſſe dicit; ſed de parte, non de toto. de parte enim vtique hic litigatur. Quod ſi ille adoleuerit, qui & ſe dicit: ille impubes ſit, qui ſe ſolum dicit: non differtur controuerſia. nec enim patitur impubes controuerſiam ſtatus, ſed facit: cùm hic pubes & ſe dicat, & illum non neget filium.d.l.tertia.§.ſi duo.

Cùm extaret impubes, qui ſe filium defuncti diceret, debitoresq; negarēt eum eſſe filium defuncti, & inteſtati hæreditatem ad agnatum, qui fortè trans mare abierat, pertinere: neceſſarium erit puero Carbonianum edictum. ſed & abſenti erit proſpiciendum, ut cautio præſtetur.d.l.tertia.§.Cum extaret.

Miſſus in poſſeſsionem ex Caboniano edicto poſſeſſor conſtituitur, quod ſi cœperit, aut hæreditatem petere, aut ſingulas res, exceptione ſubmouebitur, quia directa actione quaſi hæres petere debet: vt ea petitione iudicari poſsit, an quaſi ex liberis hæres ſit: ne præſumptio bonorum poſſeſsionis iniuriam aduerſariis afferat.d.l.tertia.§.miſſum.

Sed & ſi is, qui controuerſiam impuberi facit, ex liberis ſit: eueniet, vt ſiue caueat is, cui ſtatus controuerſia ſit, ſiue non caueat: attamen ſimul ſit in poſſeſsione. Si impubes non defendatur idcircoq; miſſus ſit in poſſeſsionem, & etiam aduerſarius eius curator conſtitui debet, qui omnia curet, & exerceat.ff. de Carbon. edicto.l.quinta, in princ.

Is, qui cum impubere miſſus eſt in poſſeſsionem, actiones poteſt aduerſus curatorem intendere, nec eſt prohibendus nullum enim præiudicium hæreditate fit: nam & aduerſus ipſum pupillum ſi ſatiſdediſſet rectè experiretur.d.l.quinta.§.denique.

Quoties impubes ſatis non dat: mittitur in poſſeiſionem eius aduerſarius, ſiue ſatis det, ſiue non det. & si velit aduerſarius committi ſibi adminiſtrationem: ſatiſdare debet pupillo, cæterum ſi ſatis non det: debet curator conſtitui, per quem bona adminiſtrentur. Aduerſarius autem ſi ſatiſdederit: res, quæ tem-

tempore perituræ, aut deteriores futuræ ſunt, diſtrahere debet. item à debitoribus, qui tempore liberabuntur, exigere debet. cætera cum pupillo poſsidebit. d. l. quinta. §. quotieſcunque.

Si ſatis impubes dederit: ſiue decreuerit præſes, ſiue non adminuet bona veſcendi cauſa. & hoc minui reſtituet hæreditatis petitori. quod ſi ſatiſdare non potuit, & aliter alere ſe videtur non poſſe: deminuendi cauſa vſque ad id, quod alimentis eius neceſſarium eſt, mittendus eſt, nec mirum debet videri, hæreditatem propter alimenta minus eius, quem fortaſſe iudicabitur filium non eſſe; cùm omnium edictis venter in poſſeſsionem mittatur, & alimenta mulieri preſtentur propter eum, qui poteſt non naſci, & maior cura adhiberi debeat, ne fame pereat filius, quàm ne minor hæreditas ad petitionem perueniat, si apparuerit filium non eſſe. d. l. quinta. §. an autem.

Si aduerſarius miſſus fuerit in poſſeſsionem, desiderandum à Prætore ne inſtrumenta in poſſeſsionem ſuam redigat. cæterùm decipietur pupillus, dum vel inſtruitur eis aduerſarius, vel etiam intercipere ea poteſt. d. l. quinta. §. maximè autem.

Cum autem in ſatiſdatione & pupillus & aduerſarius eius ceſſant: curator conſtituendus eſt, qui bona adminiſtret, & quandoque ei, qui iudicio uicerit, reſtituat. Quid tamen, ſi tutores pupilli uelint adminiſtrare? non erunt audiendi, niſi ſatiſdederint nomine pupilli, aut curatores quoque iidem ipſi ſint conſtituti. d. l. quinta. §. finali.

Qui pupillo controuerſiam facit, ſi ſimul cum eo in poſſeſsionem miſſus eſt: ali ex bonis defuncti non debebit, nec quicquam de bonis deminuere. hæc enim poſſeſsio pro ſatiſdatione cedit. Non ſolum alimenta præſtari debent pupillo, ſed & in ſtudia, & cæteras neceſſarias impenſas debet impendi pro modo facultatum. ff. de carbo. edicto. l. de bonis. vi. §. qui pupillo.

Poſt pubertatem, qui ex carboniano miſſus eſt in poſſeſsionem rei partes ſuſtinere debet maximè ſi cauit aut nunc paratus eſt cauere, & quaſi poſſeſſor conueniendus eſt, quod ſi nunc non caueat poſſeſsio transfertur aduerſario ſatis offerente perinde atque ſi nunc primum ab eo peteretur hæreditas. d. l. vi. §. poſt pubertatem.

Si impubes negetur iure adoptatus, & ideo in paternæ hæreditatis ei controuerſia fiat: non erit iniquum ſimile carboniano decretum interponi. Item ſi impubes in adoptionem datus eſse dicatur, & ideo negetur naturalis patris hæreditas ad eum pertinere: quia & hoc caſu quæritur, an iure filii obtinere hæreditatem poſsit: locus erit Carboniano edicto. ff. de Carbo. edicto. l. vii. in princ.

Quoties Carbonianum decretum interponitur: eodē loco rem haberi oportet, quo eſſet, ſi nulla controuerſia fiat ei, qui bonorum acceperit poſſeſsionem. Cum autem ex duobus fratribus ex hoc decreto miſsis, alter pro parte ſua paternam hęreditatem non defendit: compellitur alter totam defendere, aut vniuerſa creditoribus cedere. d. l. ſi impubes. §. quoties.

Quoties ſuppoſitus eſſe dicatur pupillus cum quo patris eius hęreditate controuerſia eſt & curare debet Prætor vt in poſſeſsionem ſit: De eo intelligitur, qui poſt mortem patrisfamiliàs, qui ſe ſine liberis decedere credidit, filius eius eſſe dici cœpit: Nam eius, qui agnitus eſt ab eo, de cuius bonis quęritur, iuſtior in ea re cauſa eſt quàm poſthumi. ff. eod. l. quod Labeo. ix.

Scriptus hæres contra quem filius impubes, qui ſubiectus dicitur ex edicto primo bonorum poſſeſsionem petit exemplo legitimi poſſeſsionem bonorum pe-

tere

tere non poteſt. Quod ſi medio tempore ſcriptus uel ille, qui inteſtati poſſeſſionem habere potuerit, moriantur: hæredibus eorum ſuccurendum erit. quid enim ſi non potuerit adire hæreditatem iure ceſſante, uel ob litem in dubio conſtitui. ff. eod. l. ſcriptus. xii.

Cum mulier deferente hærede iurauerit ſe prægnantem, bonorum poſſeſsio ex edicto Carboniano dari debet: uel denegari, ſi illa hæredi detulit iusiurandum: cùm cauſa cognita detur poſſeſsio, ne aut hæredi bonorum poſſeſsio data faciat præiudicium, aut denegata ius ordinarium eripiat pupillo. ff. eod. l. cum mulier. x.

Titia poſt mortem mariti ſui poſthumam enixa eſt, eidem Titiæ crimen adulterii Sempronius tandem apud præſidem prouinciæ obiecit. Si ei pupillæ bonorum quæſtio paternorum non moueatur: ſine cauſa tutores deſiderabunt, adulterii quoque quæſtio in tempus pubertatis pupillę differtur. ff. eod. l. Titia. xiii.

Impubes, qui bonorum poſſeſsionem ex Carboniano edicto accepit ſi antè quàm poſſeſsio ad eum translata fuerit pubes factus ſit, petitoris partibus fungi debebit, quia in eo, quod à poſſeſſore peteret probatio ei incumbit. ff. eod. l. quæritur. xiiii.

Hæc bonorum poſſeſsio, ſi ſatiſdatum ſit, non tantum ad poſſeſsionem adipiſcendam, ſed ad res etiam perſequendas, & debitum exigendum, & collationem bonorum, & dotis, & omnium, quæ conferri diximus prodeſt. ff. eod. l. penul.

Cum Prætor ventrem in poſſeſsionem mittit: interdum ne vis fiat ei, qui in poſſeſsionem miſſus eſt. Et reſtitutorium & prohibitorium eſt. ſed ſi mulier velit in factum actione vti ad exemplum creditorum magis, quàm interdicto poſſe eam experiri ſciendum eſt. ff. ni vis fiat ei. l. tertia. §. cum Prætor.

Carbonianum edictum, ſub perſonis legitimis ex indubitato matrimonio, caſto dito partu, & probata legitima ſucceſsione defertur: ſcilicet vt in poſſeſsione nouus hæres conſtitutus, vſque ad pubertatis annos ſine inquietudine rebus vtatur interdum alienis. C. de Carbon. edicto. l. fin.

COMPEN-

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI, Liber Quartus.

DE TVTELIS, *Titulus Primus.*

TRanseamus nũc ad aliam diuisionem personarum: nam ex iis personis, quæ in potestate non sunt, quædam in tutela sunt. Insti. de tutelis, in princ.

Tutela est uis, atque potestas in capite libero, ad tuendum eũ, qui propter ætatem se defendere nequit, iure ciuili data ac permissa: tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent: ex qua re ipsi nomen acceperunt: itaque appellantur tutores quasi tuitores, atq; defensores, sicut ęditui dicuntur, qui ædes tuentur. Insti. de tutel. §. est autem tutela, & ff. eod. l. prima, in princ.

Non est exigendum à pupillo, vt sibi tutorem petat, aut vt ad tutorem suum proficiscatur. ff. eod. l. secunda.

Impuberes in tutela esse naturali ratione conueniens est: Vt is, qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutela regatur. Insti. de Attiliano tutore. §. penul.

DE TESTAMENTARIA TVTELA, ET QVI TESTAMENTO TVTORES DARI POSSVNT. *Titulus II.*

PErmissum est parentibus, liberis impuberibus, quos in potestate habent tutores dare, & hoc in filios, filias've procedit omnimodo: nepotibus verò, neptibusq; ita demum parentes possunt testamento tutores dare, si post mortem eorum in potestatem patris sui recasuri non sunt: Itaq; si filius tuus mortis tuæ tempore, in potestate tua sit, nepotes ex eo non poterunt ex testamento tuo tutores habere, quamuis in potestate tua fuerint, scilicet, quia mortuo te, in potestatem patris sui recasuri sunt. Insti. de tutel. §. permissum est, & ff. de testam. tute. l. prima, in prin.

Nec etiam miles liberis recasuris in potestatem, tutorem dare potest. ff. eod. l. secunda.

Nemo potest tutorem dare cuiquam nisi ei, quem in suis hæredibus cum moritur, habuit, habiturus've esset si vixisset. ff. de reg. iur. l. quo tutela. lxxiii. aliàs lxxiiii. §. nemo.

Cùm autem in quamplurimis causis posthumi pro iam natis habeantur, & in hac causa placuit, non minus posthumis, quàm iam natis testamento tutores dari

posse: si modo in ea causa sint, vt, si viuis parentibus, nascerentur sui hæredes, & in potestate eorum fierent. Insti. de tutelis. §. cum autem.

Licet testamento datus posthumo tutor, nondum est tutor, nisi posthumus edatur: datur tamen aduersus eum substituto pupilli negotiorum gestorum actio. sed & si partus editus fuerit, deinde hic tutor prius, quàm quicquam gereret, remotus à tutela fuerit: & hic eadem actione tenebitur. si quid planè gessit post editum partum: de eo quoque, quod antè gessit, tutelæ iudicio tenebitur, & oĩs administratio in hanc actionem veniet. ff. de testa. tut. l. si nemo. xix. §. fin.

Cum pater testamento posthumo tutorem dederit, isq; tutelam interim administrauerit, nec posthumus natus fuerit: cùm eo non tutelæ, sed negotiorum gestorum agendum erit. Quòd si natus fuerit posthumus: tutelæ erit actio: & in ea vtrunque tempus veniet, & quo antequam nasceretur infans, gessit: & quo postea, quàm natus sit. ff. de negot. gest. l. cum pater. xxx.

Posthumo tutor datus, non nato posthumo, neq; tutelæ, quia nullus pupillus est, neq; protutelæ, quia nulla significatio est: neq; negotiorum gestorum iudicio tenetur, quia administrasse negotia eius, qui natus non esset, non videtur, & ideo vtilis in eum actio dabitur. ff. de tutel. & ration. detrah. l. penul.

Testamento datos tutores accipere debemus etiam eos, qui codicillis testamento confirmatis scripti sunt. sed eos demum testamento datos accipere nos oportet, qui iure dati sunt. ff. de testam. tute. l. tertia.

Tutores non ab hærede, sed à testatore protinus proficiscuntur, & simul atq; aliquis hæres extitisset. nam & ipse hæres tutor dari potest. sed & post mortẽ hæredis tutor rectè dari potest. ff. de testam. tute. l. septima.

Tutor datus, vetari tutor esse põt, uel testõ, vel codicillis. ff. eo. l. tutor. viii. ĩ princ.

Si nemo hæreditatem adierit: nihil valet ex his, quę testamento scripta sunt. Si verò vnus ex pluribus adierit: tutelæ statim valent, nec expectandum erit, vt omnes hæreditatem adeant. ff. eod. l. si nemo. ix.

Si hæreditas nondũ adita sit, ex qua tutor speratur: verius est, alium tutorem dari posse, quasi nondum sit, nec speretur. ff. eod. l. si hæreditas. x. in princ.

In tutelis testamentariis id sequimur, quod nouissimum est: & si sæpius tutor datus sit, nouissimam scripturam intuemur. d. l. si hæreditas. x. §. in tutelis.

Qui filium, & ex eo nepotem habebat, si nepoti tutorẽ dederit, habet disceptationem, an aliquo casu nõ sit vtilis datio: vtputa si proponas filium viuo patre decessisse, & nepotem ex eo successisse viuo auo. Et fortius dicẽdum est tutelam quoq; ex lege Iunia Velleia confirmatam. Cùm. n. confirmatum sit testamentum, consequenter tutoris quoq; datio valebit in eo testamento scripta, idem vbi nepos vel hæres institutus sit, vel nominatim exhæredatus. ff. eod. l. si hæreditas. §. qui filium. x.

Si quis ita dixerit FILIIS MEIS TVTOREM DO: in ea conditione est, vt tã filiis, q̃ filiabus dedisse videatur. filiorum. n. appellatione, & filię continentur. Si quis filio tutorẽ dederit, & plures filios habeat: oĩbus dedisse vr̃. Si quis liberis tutores dederit, vel filiis, & habeat quosdam apud hostes: ẽt ipsis dedisse videbitur, si non aliud apertè probetur testatorem sensisse. Si quis cum ignoraret se Titium filium hr̃e, filiis tutores dederit: his solis dedisse videtur, quos scit habere in potestate licet nomen filiorum admittat & ipsum. sed quia de ipso non sensit: dicendum est, cessare in personam eius dationem. Proinde & si certior sit factus filium decessisse, qui supererat: idẽ erit dicendum. nec enim videtur ei dedisse quem obiisse credebat. ff. de testa. tute. l. si quis ita. xvi.

Dari potest tutor testamento, non solum paterfamiliàs, sed etiam filiusfamiliàs: Insti. qui testam. tut. dari poss. in princ.

Tutor incertus dari testamento non potest. Quemlibet possumus tutorem dare, siue is Prætor, siue Consul sit: quia lex duodecim tabularum id confirmat. ff. de testam. tute. l. tutor. xx.

Testamento tutores hi dari possunt, cum quibus testamenti factio est. ff. eod. l. testamento. xxi.

Tutor ita rectè non datur, ILLI AVT ILLI FILIIS MEIS, VTRI EORVM VOLET, TITIVS TVTOR ESTO, ita autem rectè dabitur, TITIVS (SI VOLET) ILLI FILIO MEO TVTOR ESTO. ff. eod. l. tutor. xxiii.

Duo sunt Titii, pater & filius. datus est tutor Titius, nec apparet, de quo sensit testator, is tutor datus est, quem dare se testator sensit. si non apparet: non ius deficit, sed probatio: igitur neuter est tutor. ff. eod. l. duo sunt Titii. xxx.

Ciues non eiusdem ciuitatis testamento quis tutores dare potest. ff. de testa. tut. l. Quæro. xxxii.

Ille, qui propter rerum notitiam tutor datus est: perinde in omnibus, & administrationis, & accessionis iure conueniri potest, atq; cæteri tutores qui eodem testamento dati sunt. d. l. quæro. xxxii. §. idem Paulus.

Tutoribus ita datis LVCIVM TITIVM TVTOREM DO. SI IS NON VIVAT. TVNC CAIVM PLANTIVM TVTOREM DO: Lucius Titius vixerat, & tutelam gesserat, deinde mortuus erat. Tutela ad Plantiū nō pertinet: quia illa verba ad mortis tēpus referuntur. ff. eo. l. pen.

Cum codicillis ideo alios se tutores dare significasset, quoniam testamēto datos quosdā defunctos, aut excusationē habere posse cōperisset. Nihilominus, qui eorum viuerent, nec excusati essent tutores permanent. ff. de testa. tute. l. fin.

Etsi à patre filio testamēto tutor datus eo tempore, quo hæres extitit in rebus humanis fuit: tamen codicillis alius tutor rectè datus est: & vterq; propter voluntatem testatoris tutor erit: nisi testamēto datum pater alium codicillis dando reprobauerit. tunc. n. posterior solus tutor erit. C. de testam. tute. l. secunda.

Furiosus vel minor xxv. annis tutor testamento datus tunc tutor erit, cum cōpos mentis, aut maior xxv. annis fuerit factus. Insti. qui testamen. tutor. dari poss. §. furiosus, & ff. de testa. tute. l. si hæreditas. x. §. si furiosus.

Ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione, vel ante hæredis institutionem posse dari tutores non dubitatur. Insti. eod. §. ad certum tempus.

Si sub conditione fuerit tutor datus deficiente conditione tutor non erit: tutorem autem in testamento, & à certo tempore dari, & vsque ad certum tempus licet, & sub conditione, & vsque ad conditionem. ff. de testamen. tute. l. tutor datus. viii. §. sed si sub.

In tutoris datione non leuissima, sed nouissima conditio spectāda est, vt puta ita TITIVS CVM POTERIT TVTOR ESTO: TITIVS SI NAVI EX ASIA VENERIT TVTOR ESTO: nam nouissima scriptura spectanda est. ff. eod. l. tutor datus. viii. §. in tutoris.

Si quis sub conditione, vel ex die tutorem dederit: medio tēpore alius tutor dandus est, q̃uis legitimum tutorem pupillus habeat. sciendum est. n. quādiu testamentaria tutela sperat, legitimū cessare. & si semel ad testamentariā deuoluta sit tutela, deinde excusatus sit tutor testamentarius: adhuc dicimus ī locū excusati alium dandum, nō ad legitimum tutorem redire tutelā. Idem dicimus, & si

fuerit remotus, nam idcirco abiicitur, ut alius detur. quod si tutor Testamento datus decesserit, ad legitimum tutela rediit. quia his Senatuscõsultum cessat. Planè si duo plures ve fuerint tutores testamentarii; in locũ eius, qui cesit, uel in ciuitate esse desiit, poterit dari alius. Cęterũ si nullus supersit, uel in ciuitate sit, legitima tutela succedit. ff. de Testament. tutel. l. si quis sub conditione. xi.

Certæ autem rei, uel causæ tutor testamento dari non potest. Nec deductis rebus. Et si datus fuerit, tota datio nihil ualebit. Quia personæ, nõ causæ uel rei tutor datur. Insti. qui testam. tut. dar. poss. §. certæ autem rei. & ff. de Testament. tutel. l. certæ. xii. cum duab. seq.

Si tamẽ tutor datur rei Africanę, uel rei Syriacę utilis datio est. ff. eo. l. si tamẽ. xv.

Si quis filiabus suis, uel filiis tutores dederit etiam posthumo & posthumæ dedisse uidetur, quia filii, uel filiæ appellatione, & posthumus & posthuma continetur. Insti. qui testam. tut. §. si quis filiabus, & ff. de testam. tutel. l. quinta. Quare si nepotes habeat quis, & liberis tutores dare dixerit ẽt nepotibus tutores dati sunt. Cęterum si filiis dare dixerit nepotes non continebuntur. aliter enim filii aliter nepotes appellantur. Planè si posthumis dederit, tam filii posthumi, quàm cæteri liberi continebuntur. Instit. qui Testam. tut. dar. poss. §. quid si nepotes. & ff. de Testament. tutel. l. quod si nepotes. vi.

Tutores etiam Græcis uerbis licet in testamentis relinquere, ut ita tutores dati uideantur, ac si legitimis uerbis eos testatur dedisset. C. de testament. tutel. l. fin.

DE CONFIRMANDO TVTORE.
Titulus III.

ET ne de confirmandis tutoribus relinquamus indiscussum: pauca & de his scrutemur. Sunt quidam, qui rectè dantur testamẽto tutores, hoc est, & à quibus oportet, & quibus oportet, & quo oportet modo, & ubi oportet. Nam pater filiis, uel nepotibus, quos habet in potestate rectè dat tutorem in testamento tamen. Si uerò ea persona sit, quæ dare non potest, mater puta, uel extraneus quiuis, aut ei, cui datur, dari non posit: ut à patre filio, uel filiæ, qui non sunt in potestate aut si scriptum sit ROGO TE VT ILLAS RES CVRES, aut codicillis non confirmatis tutor datus sit, quod deest suppletur, & tutores secundum testatoris uoluntatem dati confirmantur. Et si quidem pater erat, qui dedit plerunque solet non inquirere præses, sed simpliciter confirmare: si uerò alius, diligenter inquirit, an idoneus sit. Præterea scire oportet curatorem testamento ne à patre quidem rectè dari, sed datum confirmari à Præside solere. ff. de confir. tut. l. prima.

Si emancipato filio tutor à patre datus fuerit testamento, confirmandus est ex sententia præsidis omnimodo, idest sine inquisitione. Inst. de tutel. §. finali.

Mater testamento filiis tutores dare non potest nisi eos heredes instituerit: quando autem eos hæredes non istituerit, solet ex uoluntate defunctæ datus tutor à præsidibus confirmari. Nullo uero ex his interueniẽte si res pupillares, qui dati sunt administrauerint pro tutelæ actione tenentur. C. de testament. tutel. l. iiii.

Mulier liberis non rectè testamento tutorem dat, sed si dederit; decreto Prætoris, uel proconsulis ex inquisitione confirmabitur, nec satisdabit pupillo rem saluam fore. sed & si curator à matre testamento datus sit filiis eius. decreto confirmabitur ex inquisitione. ff. de confirm. tut. l. secunda. & ff. de

testam.

testam.tut. l.quarta.§.sed & inquiri.

Qui à patre tutor scriptus est,aut non iusto testamento,aut non vt lege præcipiebatur: confirmandus est ad tutelam gerendam, perinde ac si ex testamento tutor esset,idest,ut satisdatio ei remittatur.ff.de confirm.tut.l.tertia.

Cùm à patre datus est tutor, quamuis minus iure datus sit,tamen sine inquisitione confirmetur: nisi causa,propter quam datus uidebatur,in eo mutata sit: ueluti si ex amico inimicus,uel ex diuite pauperior effectus sit.ff.de testam. tutel. l.quarta. §.finali.

Si filio impuberi pater tutorem, aut puberi curatorem dederit: citra inquisitionem prætor eos confirmare debebit. ff.de confir.tut. l.vi.

Naturali filio,cui nihil relictum est, frustra tutor à patre datur,nec sine inquisitione confirmatur.ff.eod.l.vii.

Si quæratur, an ex inquisitione rectè datus sit tutor: quatuor hæc consideranda sunt. an & hic dederit, qui dare potuit: & ille acceperit, cui fuerat dandus: & is datus sit, cuius dandi facultas erat: & pro tribunali decretum interpositum sit.ff. eod.l.naturali.vii.§.finali.

In confirmando tutore hoc Prætor inquirere debet, an durauerit patris uoluntas. quod in facili est,si in proximo mortis tempore tutores non iure,uel curatores scripserit pater.nam si ante annos: ut medio spatio potuerit facultatum tutoris non iure à patre dati fieri deminutio, uel morum antè cælata uel ignorata emerserit improbitas, aut inimicitiæ cum patre exarcerint. ff.eod. l.in confirmando. viii.

Vel cum fisco aliquem contractum damnosum miscuisset.ff. eod.l.uel cum. ix.

Vtilitatem pupillorum prætor sequetur,non scripturam Testamenti, uel codicillorum . nam patris uoluntatem Prætor ita accipere debet,si non fuerit ignarus scilicet eorum,quæ ipsa Prætor de tutore comperta habet,quid denique,si postea de eo,quem pater testamento codicillis ve non iure dedit,scripserit tutorem esse nolle? nempe non sequetur primam uoluntatem prætor, à qua pater discessit. ff.eod.l.penult.

Quidam Testamento nepotibus curatorem dedit fideicommisso ei relicto. Curator quidem iste non est, tenetur tamen ex fideicommisso si non curam susciperet: nisi id quod ei datum esset nollet petere: aut reddere paratus esset. Item iste quasi curator nepotibus satisdare non debet: sed cum fideicommissum peti ab eo posset,fideicommissi nomine satisdare debet.ff.eod. l.fi.

Neque per epistolam, neque ex imperfecto testamento tutorem rectè dari,indubitati iuris est: sed voluntas patris in constituendis tutoribus vel curatoribus in his casibus à iudice, ad cuius officium hæc res pertinet seruari solet.secundum quæ tutor vereri non debet,ne tempus,antè,quàm confirmaretur sibi cesserit. C.de confirm. tut. l.secunda.

Si pupillo pater inutiliter testamento tutores dedit, & priusquam hi confirmarentur alii ab eo,cuius interest dati sunt: id quidem,quod iure gestum est reuocari non potest. an autem,qui iudicium patris habent,curatores eidem pupillo constitui debeant: aditus competens iudex, prospectis vtilitatibus eius, æstimabit.C. eod.l.tertia.

Datur licentia patribus,naturalibus liberis tutorem relinquere in iis rebus,quas quocunque modo eis dederint,vel reliquerint (scilicet intra præfinitum legibus modum) qui tutor debet apud competentem iudicem confirmari, & ita res gerere pupillares.C.eod.l.fi.

DE LEGITIMIS TVTORIBVS.

Titulus IIII.

INtestato parente mortuo, adgnatis tutela defertur. intestatus autẽ videtur non tantùm is, qui testamentum non fecit: sed & is, qui testamento liberis suis tutores non dedit, quantum enim ad tutelam pertinet, intestatus est. ff. de legit. tutor. l. intestato. vi. & Instit. de legit. agnat. tut. in princ.

Legitimæ tutelæ lege. xii. tabularum delatæ sunt iis, qui ad legitimam hæreditatem admitti possunt. hæc summa prouidentia: ut qui sperant hanc habere successionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur. ff. eod. l. prima, in princ.

Legitimos tutores nemo dat, sed lex xii. tabularum fecit tutores. ff. eod. l. legitimos. v. in princ.

Nouel. cõsti. c xviii. quia iura agnationis & cognationis tollit & præscribit successiones ab intestato; cõsequenter etiam mutatio facta est circa tutelas: ideo hæc tutelarum particula hic inscribitur.

Ex his, quæ de hæreditate disposita sunt manifesta existunt, & ea quæ tutelam cõcernunt. Nam sancitum est, vt eo quique gradu ac ordine, vel soli, vel cum aliis tutelæ munus subeant, quo & ad hæreditatem vocantur: nulla neque hac parte differentia introducenda per agnationis, & cognationis iura, sed omnibus qui impuberem masculum, vel fœminam contingunt, ex æquo ad tutelam vocandis. Si mares, & perfectæ ætatis sint, & nulla lege prohibeantur ad tutelã accedere, neque competente sibi vtantur excusatione. Mulieribus etenim tutela interdicitur, nisi mater, aut auia sit. nam his solis pro successionis hæreditariæ ordinẽ tutelam subire permittitur, si apud acta tam secundis nuptiis, quàm Velleiani S. C. auxilio renuntiauerint. Solis testamentariis tutoribus eas antecedentibus, vt defuncti voluntas præferatur. sed si multi eundem cognationis gradum teneant, communi consilio magistratum adeũtes unum aut plures deligant, ac nominent, qui pupilli res vel soli, vel cum adiunctis administrent. Periculo tutelæ omnibus, qui ad tutelam vocantur ex æquo imponendo, & facultatibus eorum tacitè huius administrationis nomine pupillo obligandis. Nouell. Const. cxviii. §. ex his. & nostris. Institu. de legit. agnat. tutel. §. verum quia.

Agnati sunt cognati per virilis sexus cognationem coniuncti, quasi à patre connati, veluti frater ex eodem patre natus, fratris filius, nepos ve ex eo: Item patruus, & patrui filius, nepos've ex eo. Institu. de legit. agnat. tutel. in princ. & ff. eod. l. sunt autem. vii.

Si reliquero filium impuberem, & fratrem, & nepotẽ ex alio filio: constat utrosque esse tutores si perfectæ ętatis sint: quia eodem gradu sunt. ff. de legit. tuto. l. si reliquero. viii.

Qui per fœminini sexus personas cognatione iunguntur, agnati non sunt, sed aliàs naturali iure cognati: itaque amitæ tuæ filius, non est tibi agnatus, sed cognatus, & inuicem tu illi eodem iure coniungeris: quia qui ex ea nascuntur, patris, non matris familiam sequuntur. Instit. eod. §. at qui per fœminini.

Si plures sunt agnati, proximus tutelam nanciscitur: & si eodem gradu plures sint omnes tutelam nanciscuntur. ff. de legit. tutor. l. si plures. ix.

Agnationis ius omnibus modis capitis diminutione plerunque perimitur: Nam agnatio iuris ciuilis nomen est, cognationis verò ius non omnibus modis commutatur, quia ciuilis ratio ciuilia quidem iura corrumpere potest, naturalia vero iura non vtique. Insti. de legit. agnat. tutel. §. sed agnationis.

Surdus & mutus nec legitimi tutores esse possunt: cùm nec testamento, nec alio

modo

modo vtiliter dari posſűt, minus autem audiens poteſt. ff. de legit. tut. l. Penul. §. ſurdus, cum. l. fin.

Nemo legitimus tutor, vel datiuus ad tutelam vocatur: antequam quintum & vicesimum ſuæ ætatis annum impleat. C. de legit. tut. l. fi. in princip.

Cum ad agnatos, vel cognatos tutela pertineat, non ſimul ad omnes pertinet, ſed ad eos tantum, qui proximiores gradu ſunt, uel ſi plures eiuſdem gradus ſunt, ad omnes pertinet: veluti ſi plures fratres ſunt, qui unum gradum obtinent; ideoq́, pariter ad tutelam vocantur. Inſtit. de capit. deminut. §. fi.

DE CAPITIS DIMINVTIONE.

Titulus V.

CApitis diminutio eſt prioris ſtatus commutatio, eaque tribus modis accidit, nam aut maxima eſt capitis diminutio, aut maior, (quā quidam mediam vocant) aut minima. Maxima capitis diminutio eſt, cum aliquis ſimul & ciuitatem, & libertatem amittit, quod accidit iis, qui ab hoſtibus capiuntur, & in ſeruitutem rediguntur. Minor, ſiue media capitis diminutio eſt, cum ciuitas amittitur, libertas verò retinetur, quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum fuerit, vel ei, qui in inſulam deportatus eſt. Minima capitis diminutio eſt, cum ciuitas retinetur & libertas, ſed ſtatus hominis commutatur: quod accidit iis, qui cū ſui iuris fuerint, cœperunt alieno iuri ſubiecti eſſe, vel è contra, veluti filiusfamiliàs, ſi à patre emancipatus fuerit, eſt capite diminutus. Inſti. de capit. dimin. in princ. & ff. eod. l. prima, & l. fin. Item amiſsione ciuitatis fit capitis minutio, vt in aquæ & ignis interdictione. ff. eod. l. quinta.

Quibus autem dignitas magis, quàm ſtatus, permutatur, capite non minuuntur: & ideo ſenatu motos, capite non minui conſtat. Inſti. eod. §. quibus autem.

Liberos, qui adrogatum parentem ſequuntur: placet minui capite: cùm in aliena poteſtate ſint, & familiam mutauerint. ff. eod. l. tertia, in princ.

Emancipato filio, & cæteris perſonis capitis minutio manifeſtè accidit d. l. tertia. §. finali.

Qui deficiunt, capite minuuntur. deficere autem dicuntur, qui ab his, quorum ſub imperio ſunt, deſciſcunt, & in hoſtium ſe numerum conferunt. ſed & ii, quos ſenatus hoſtes iudicauit vel relegati, vtique vſq; adeo, vt ciuitatem amittant. ff. de capit. diminu. l. quinta. §. qui deficiunt.

Ait Prætor: QVI QVAE'VE, POSTEA, QVAM QVID CVM HIS ACTVM CONTRACTVM'VE SIT CAPITE MINVTI MINVTAE'VE ESSE DICENTVR: IN EOS EAS'VE, PERINDE QVASI ID FACTVM NON SIT, IVDICIVM DABO. ff. eod. l. ſecunda. §. ait Prætor.

Pertinet hoc edictū ad eas capitis diminutiones, quæ ſalua ciuitate contingunt. Cæterum ſiue amiſsione ciuitatis, ſiue libertatis cōtingat capitis diminutio: ceſſabit edictum, neque poſſunt hi penitus conueniri. Dabitur planè actio in eos, ad quos bona eorum peruenerunt. ff. de capit. dimin. l. ſecunda, in princ.

Hi, qui capite minuuntur ex iis cauſis, quæ capitis diminutionem præceſſerunt, manent obligati naturaliter. cæterum ſi poſtea: imputare quis ſibi debebit, cur contraxerit, quantum ad verba huius edicti pertinet. ſed interdum ſi contrahatur cum his poſt capitis diminutionem, danda eſt actio. & quidem ſi adroga-

rogatus sit, nullus labor est, nam perinde obligatur, vt filiusfamiliàs. d.l.secunda.§.hi qui capite.

Ei qui debitorem suum adrogauit, non restituitur in eum actio: postquàm sui iuris fiat. ff.eod.l.secunda.§.ei qui.

Hoc iudicium perpetuum est, & in hæredes, & hæredibus datur. d.l.secũda.§.fin.

Nunc respiciendum est, quæ capitis diminutione pereant. & primò de ea capitis diminutione, quæ salua ciuitate accidit, per quam publica iura non interuerti constat: nam manere magistratum, uel senatorem, vel iudicem certum est. ff. de capitis dimin. l.quinta.§.fin. Nam & cætera officia, quæ publica sunt, in eo, non finiuntur. Capitis enim diminutio, priuata hominis & familiæ eius iura, non ciuitatis amittit. ff.eod.l.sexta.

Tutelas non amittit capitis diminutio, exceptis iis, quę in iure alieno personis positis deferantur: igitur testamento dati, vel ex lege, vel ex senatusconsulto erunt nihilominus tutores. ff.de capi.diminu.l.tutelas.vii.in princ.

Si minima capitis diminutio interuenit, manet cognatio. Insti.eod.§.quod aũt.

Cùm ciuitas amissa est: nulla restitutionis æquitas est aduersus eum, qui amissis bonis, & ciuitate relicta, nudus exulat. d.l.septima.§.fin.

Eas obligationes, quæ naturalem præstationem habere intelliguntur, palàm est capitis diminutione non perire, quia ciuilis ratio naturalia iura corrumpere non potest. Itaque de dote actio, quia in bonum & æquum concepta est, nihilominus durat, etiam post capitis diminutionem. Vt quandoque emancipata aget. ff.de capi.diminu.l.eas obligationes.viii.cum l.sequ.

Legatum in annos singulos vel menses relictum, vel si habitatio legetur, morte quidem legatarii legatum intercidit: capitis tamen diminutione interueniente perseuerat: videlicet quia tale legatum in facto potius, quàm in iure consistit. ff.eod.l.penul.

Nemo delictis exuitur, quamuis capite minutus sit. ff.eod.l.secunda. §.nemo.

Iniuriarum & actionum ex delicto venientium obligationes cum capite ambulant. ff.eod.l.tutelas.vii.§.iniuriarum.

DE LEGITIMA PARENTVM TVTELA.
Titulus VI.

ESt & alia tutela, quæ & ipsa legitima vocatur: nam si quis filium, aut filiam, nepotem, aut neptem ex filio, & deinceps impuberes emancipauerit: legitimus eorum tutor erit. Institu.de legit. paren. tutel.

DE FIDVCIARIA TVTELA.
Titulus VII.

ITem est alia tutela, quæ fiduciaria appellatur: nam si pater filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel deinceps impuberes manumiserit, legitimam nanciscitur eorum tutelam. quo defuncto, si liberi eius virilis sexus existant, fiduciarii tutores filiorum suorũ, vel fratris, vel sororis, vel cæterorum efficiuntur. Ita tamen hi ad tutelam vocantur, si perfectæ sint ætatis: quod in omnibus tutelis, vel curationibus obseruari generaliter debet. Insti.de fiduc.tutel.

Parente defuncto, qui filium, vel filiam, nepotem vel neptem, quos in potestate habebat, si liberi perfectæ ætatis existant, fiduciarii tutores fratris vel sororis efficiuntur. ff. de legit. tutel. l. quarta.

DE DATIVO TVTORE.
Titulus VIII.

SI nullus omnino tutor fuerat, dabatur diuersimode. Sed hoc iure utimur, ut Prętor, Præses prouincię, Magistratus ciuitatem tutores dent. Instit. de tut. dat. in princ. & ff. de tutor. & curat. dat. l. prima. Ius dandi tutores datum est omnibus magistratibus municipalibus, eoque iure utimur: sed illum, qui ab eodem municipio, uel agro eiusdem municipii est. ff. de tutorib. & curat. l. tertia.

Si quando desunt in ciuitate, ex qua pupilli oriundi sunt, qui idonei uideantur esse tutores: officium erit magistratuum, inquirere ex uicinis ciuitatibus honestissimum quemque, & nomina præsidi prouinciæ mittere: nõ ipsos arbitrium dandi sibi uindicare. ff. eod. l. diuus. xxiiii.

Neque à Præside alterius prouinciæ, neque à magistratibus municipalibus tutorem ortum ex alia ciuitate, nec domicilium, ubi nominatur, habentem, iure dari posse ab eo, cuius iurisdictioni subiectus non est, certissimi iuris est: necessario iniuncti perperam officii ad periculum eius pertinet. C. qui dare tut. l. v.

Magistratus municipalis collegam suum, quin dare tutorem possit, non dubium est. ff. de tutor. & curat. l. xix. §. finali.

Ventri tutor à magistratibus populi Romani dari non potest, curator potest. nam de curatore constituendo edicto comprehensum est. Curatorem habenti, quò minus alius curator detur, regula iuris nõ est impedimento. ff. eod. l. uentri. xx.

Illud semper constitit: præsidem posse tutorem dare, tam absentem, quàm præsentem, & tam præsenti, quàm absenti. Nec non ignoranti & inuito. ff. eod. l. quinta. & l. sequenti.

Nec mandante præside alii is tutor dari poterit. ff. eod. l. vii. aliàs. l. viii. in princ.

Si prætor, uel præses Prouinciæ in furore, uel dementia constitutus, dederit tutorem; non ualet. quamuis enim Prætor, uel præses sit, nec furor ei magistratum abroget: attamen datio nullius erit momenti. ff. de tut. & curat. dat. l. nec mandante. viii. §. si prætor. aliàs. vii.

Vbi absunt hi, qui tutores dare possunt, decuriones iubentur dare tutores: dummodo maior pars conueniat. ubi non est dubium, qui unum ex se dare possint. ff. eod. l. ubi absunt. xix. in princ.

Prætor ipse se tutorem dare non potest: sicut nec pedaneus iudex, nec compromissarius ex sua sententia fieri potest. ff. eod. l. iiii.

Dari tutor omni die poterit: furioso, & furiosæ, & muto, & surdo tutor, uel curator à prætore uel præside dari poterit. d. l. viii. aut. vii. §. finali.

Impuberi ad hæreditatem adeundam, ut tutor detur, ex causa permissum est. ff. eod. l. impuberi. ix.

Tutor si petitus fuerit habenti, & absente eo, quasi nõ habẽti datus sit: datio nulla est. Nã & si quoquo modo in petitione tutoris erratũ fuerit in facti causa, maximè post constitutionẽ diuorũ fratrũ, non ualet tutorum datio. ff. eod. l. tutor. x.

In dando tutore ex inquisitione & in eum inquiritur, qui senator est. ff. de tutor. & curat. dat. l. in dando tutore. xviii.

Qui in legatione ſunt, non ſunt à magiſtratibus tutores creandi. nam dum legatione funguntur, ad eos periculum non pertinet. Si prouincialem hominem legatum magiſtratus Romæ dederit tutorem liberabitur. Inter cæteras cauſas magiſtratum oportet creandorum mores animaduertere, neque enim tam facultates aut dignitas apta ſunt ad fidem eis habendam, q̃ vitæ inſtitutū decēs, & mores probi. ¶ Sēper aūt hoc maximè magiſtratus obſeruēt, ne creent eos, qui ſe ingerunt, vt creentur aut ob id pecuniā dant, quos pœnæ quoque obnoxios eſſe conſtitutum eſt. ff. de tuto. dat. l. ſcire oportet. xxi. §. qui in legatione.

In eos, extra ordinem animaduertitur, qui probantur numis datis tutelam occupaſſe, vel pretio accepto operam dediſſe, vt non idoneus tutor daretur, vel conſulto in edendo patrimonio quantitatem minuiſſe, vel euidenti fraude pupillorum bona alienaſſe. ff. de tutel. l. in eos. ix.

Qui non ſunt Decuriones Decurionum liberis tutores creantur, quēadmodum Decuriones quoq; non Decurionum liberis. ff. de tut. dat. l. qui non ſunt. xxii.

Tutor datus maiori, quaſi minori: neq; neceſſariò debet ſe excuſare, neq; obligatur ſi gerit negotia. ff. eod. l. Seiæ. xxvi.

Ne magiſtratuum vlterius procedat licentia: plenius deſignamus, ne patrimonialem colonum, ſiue alium, qui priuilegio ab hac nuncupatione defenditur, tutelæ muneris adſtringat officium. C. qui dare tutor. l. fi.

Cum quidam tutores dati appellaſſent, quidam autem non adeſſent: datur temporarius tutor, qui tutela fungeretur. ff. eod. l. ſecunda.

In omnem rem tutor dandus eſt, in eius tutoris locum, qui reipublicæ cauſa abfuit: Nec ille deſinit tutor eſſe, quod & in omnibus, qui ad tempus excuſantur iuris eſt. ff. eod. l. in omnem. xv. cum l. ſeq.

Pupillo, qui tam Romæ, quàm in prouincia facultates habet: rerum, quæ ſunt Romæ, Prætor: prouincialium, præſes tutorem dare poteſt. ff. de tuto. & curator. datis. l. pupillo. xxvii.

Magiſtratus eius ciuitatis, vnde filii originem per conditionem patris ducūt, vel vbi eorum ſunt facultates tutores vel curatores his quàmprimum ſecundū formam perpetuam dare curabunt. Quod ſi filii nec poſsident quicquam in prouincia, vbi morantur, neque inde originem ducunt: reſtituti apud patriam ſuam, & vbi patrimonium habent, morabuntur, vt ibi defenſores legitimos ſortiantur. C. vbi petantur tut. l. vnica.

Simul plures tutores dari poſſunt. ff. de tutor. dat. l. ſimul. xxiii.

Romanius Apulus à iudice appellauerat, dicens ſe non debuiſſe dari in tutela collegam ei, quem ipſe, cùm magiſtratus eſſet, nominaſſet ſuo periculo: ne in vna tutela duplex periculum ſuſtineret. decreuit Imperator, poſſe quem & fideiuſſorem pro tutore eſſe, & nihilominus tutorem dari, itaque detentus eſt in tutela. ff. eod. l. penul.

Qui ſororis ſuæ filiis tutore legitimo patruo conſtituto, nec vllo excuſato priuilegio tutor datus eſt: cum habenti tutorem alium dari iura prohibeant: neceſſitatem adminiſtrationis ad eum pertinere, nec eum datione teneri non ambigitur. C. qui dare tutores. l. ſi ſororis. ix.

Si peregre agant, qui tutores, vel curatores dati ſunt, vt intra dies xxx. notum his à magiſtratibus fiat conſtitutum eſt. ff. de tutor. dat. l. fin.

Si quis creabitur tutor exiſtens in patris poteſtate, deinde pater noluerit pro eo cauere: iuſſerunt leges, & ipſum patrem creari tutorem, vt nullo modo impediatur tutelæ cautio. ff. de excuſ. tut. l. xviii. §. ſi quis creabitur.

IN QVIBVS CASIBVS TVTOREM HABENTI TVTOR DETVR. *Titulus VIIII.*

DAtur tutor: ſi teſtamento tutor ſub conditione aut ex die datus fuerat quandiu conditio, aut dies pendebat. Item ſi purè datus fuerat, quandiù ex teſtamento nemo hæres exiſtebat, tandiu petitur, qui deſinit eſſe tutor, ſi conditio exìſteret: aut dies ueniret. Inſtit. de tut. dat. §. item datur.

Si hæreditas nondum adita ſit, ex qua tutor ſperatur: uerius eſt, alium tutorem dari poſſe, quaſi nundum ſit, nec ſperetur. ff. de teſtament. tut. l. ſi nemo. x. in princ.

Si quis ſub conditione, uel ex die tutorem dederit: medio tempore alius tutor dandus eſt, quamuis legitimum tutorem pupillus habeat. ſciendum eſt enim, quamdiu teſtamentaria tutela ſperatur, legitimam ceſſare. & ſi ſemel ad teſtamentarium deuoluta ſit tutela, deinde excuſatus ſit tutor teſtamentarius: adhuc dicimus in locum excuſati alium dandum, non ad legitimum tutorem redire tutelam. Idem dicimus, & ſi fuerit remotus. nam idcirco abiicitur, ut alius detur. quod ſi tutor teſtamento datus deceſſerit, ad legitimum tutela rediit: quia hic S. C. ceſſat. Planè ſi duo plures've fuerint tutores teſtamentarii: in locum eius, qui ceſsit, uel in ciuitate eſſe deſiit, poterit dari alius. cęterũ ſi nullus ſuperſit, uel in ciuitate ſit: legitima tutela ſuccedit. ff. de teſtam. tut. l. ſi quis. xi.

Ab hoſtibus quoque tutore capto, tutor petitur, qui deſinit eſſe tutor, ſi is, qui captus erat, in ciuitatem reuertatur, nam reuerſus recipit tutelam iure poſtliminii. Inſtit. de datiuo tut. §. ab hoſtibus.

Si apud hoſtes ſit frater inferioris gradus, agnato tutela non defertur, ſed interim à prætore alius datur. ff. de legit. tuto. l. prima. §. ſi apud.

Hi, qui in locum abſentis reipublicæ cauſa tutores dati ſunt, mortuo illo perſeuerant in eadem cauſa uſque ad tempus pubertatis. ff. de tutel. l. quæſitum. xii.

Qui in locum eius tutoris ad tempus dati ſunt, qui reipublicæ cauſa aberat, iſque iam finito munere, quod ei iniunctum eſt, abeſſe deſiit: quin ad eius officium curamque pertineat negotia pupillæ non ambigitur. Sed conſultius fecerint ſi præſide Prouinciæ adito, is ad adminiſtrationem tutelæ cõpellatur. C. in quib. caſib. tut. hab. l. prima.

Licet tutorem habenti tutor dari non poteſt: tamen ex certis cauſis alius idoneus ſubſtitui ſolet à competenti iudice & ex eadem prouincia, ut puta in locum ſuſpecti, qui conuictus, & remotus eſt, & in locum excuſati, uel defuncti, uel relegati tutoris. C. eod. l. quarta. & C. qui tutor. petant. l. tertia. & C. de curat. furios. l. ſeptima. §. penul.

Item in locum furioſi, & muti, & ſurdi tutoris alii tutores dentur. ff. de tut. l. pen.

Cum ob augumentum facultatum curatores adiungi ſolent, non prius dati tutores, adminiſtratione eorum liberãtur. Sanè ſi is, qui adminiſtrauit Tempore finitæ tutelæ fuit ſoluendo: ſecuti temporis periculum ad curatorem non pertinet. C. in quib. caſib. tutor. hab. l. quinta.

QVI PETANT TVTORES, ET DE POENA MATRIS NON PETENTIS.

Titulus X.

Matris sollicitudo in petendis filio tutoribus, non etiam curatoribus obseruatur: nisi quo casu impuberi curator petendus est.ff.qui petant tutor.l.prima in principio.

Matres naturalibus etiam filiis ad similitudinem eorum, qui ex iustis & legitimis nuptiis sunt procreati, petendornm tutorum necessitati subiaceant: nulla eis ignorantia iuris ad euitanda legibus uel sacris Constitutionibus definita, si petitionem tutorum minus curauerint, profutura. C. qui petant tutores l.finali.

In locum tutoris defuncti, uel in perpetuum relegati, alium dari tutorem filiis suis mater postulabit idoneum ex eadem prouincia à iudice competente, qui secundum officium suum utilitatibus eorum prouidebit.C.eod.l.tertia.

Matris pietas instruit eam, quos tutores filio petere debeat: sed & obseruare debet ne quid secus q̃ oportet in re filii sui pupilli agatur. Petendi autẽ filiis curatores necessitas matribus imposita non est: cum puberes minores anno uicesimoquinto ipsi sibi curatores, si res eorum exigit, petere debeant.C.eod.l.vi.

Matri autem necesse est petere tutorem. expellitur enim mater à legitima filii hæreditate quasi indigna existẽs accipere hæreditatem legitimam eorum, quibus tutorem cõstitui neglexerit, nec solum si non petierit, sed & si quẽ petierit, qui prauitatis gratia dimitti poterat, deinde dimisso eo, uel etiam abiecto rursus alium non petierit, uel studiose malos petierit.ff.eod.l.ii.§.sunt autem.

Si uerò maritus ei fideicõmissum à filio reliquerit, cui mulier nõ petiit tutorem, SI SINE LIBERIS DECESSERIT, uel sub hac ipsa conditione SI INTESTATVS MORTVVS ERIT fideicommissi petitio, quæ ex alieno iudicio descendit, non est perempta.ff.eo.l.fi.§.si uerò.

Credendum est, & eam matrem Cõstitutione contineri, quæ tutores à patre non legitimè testamento uel codicillis datos filiis impuberibus, non postulauit decreto confirmari. sin autem pluribus tutoribus idoneis datis, unus eorum uel decessit, uel temporalem excusationem accepit: mater, quę propterea in locum illius alium non petit, quia numerus reliquorum administrationi tutelæ sufficiebat: incidit quidem in uerba constitutionis, sed sententia excusatur. d.l.fi. in principio.

Sed si suspecto tutore pupilli accusato, decretum erit, ei adiungi alios: mater eos quoque petere debet: & si non petit, incidet in sententiam Constitutionis.d.l. finali.§.sed si suspecto.

Non tamen imputatur matri, quia suspectum tutorẽ non fecit: nec uerbis, nec sententia Cõstitutionis in pœnam incidit: quod eiusmodi facta diiudicare, & æstimare, uirilis animi est.& potest etiam delicta ignorare mater: satisque est eam petiisse talem, qui inquisitione per prætorem habita, idoneus apparuit. & ideo nec iudicium eius sufficit ad eligendos tutores: sed inquisitio fit, etiam si maximè in propria bona liberis suis testamento tutores dederit.d. l.finali. §.quæ autem. At si latitẽt poterit edicto desiderare, ut eos Prætor adesse iubeat, & suspectos eos remouere si deesśẽt.ff.ad S.C.Tertyllianum. l.ii. §.sed quod dicimus.

Si mater non compulerit eos miscere se tutelæ, cùm plenum officium à matre desideramus, & hæc ei curanda sunt, ne in hæreditate ei obstent. ff.eo. l. secunda. §.quid

§. quid si non.

Non solùm autem, quæ non petiit, coercetur, sed & quę defunctorie petiit, uel priuilegio munitum, uel oneratum tribus tutelis: sed ita demum, si data opera hoc fecit, sed si onus susceperunt, & postea detenti sunt, excusata erit mater. d. l. secunda. §. non solum.

Si indignos, uel minus habiles, ad tutelam petiierit, & Prætor matris petitionem secutus, eos dedit, iam quidem prætoris delictum est, sed & matris punitur consilium. d. §. non solum. uers. quid si.

Sed si petit idoneos facultatibus, facile ei ignoscitur. d. l. secunda. §. idoneos.

Si mater petierit admonita à cognatis, incidit in S. C. si compulsa fecerit, non si cum petere non cunctaretur, admonita est. d. l. secunda. §. quid ergo si petiit.

Et cum incidit, si prioribus excusatis, reiectis ue, non confestim aliorum nomina ediderit punitur. d. l. ii. §. si mater.

Confestim autem sic erit accipiendum, ubi primum potuit idest Prætoris copiam habuit, nisi fortè infirmitate impedita est, uel alia magna causa, quæ etiam mandanre eam ad petendos tutores impediret, ita tamen, ut nullo modo, annale tempus excederet, si enim mortalitate filii præuenta est, nihil matri imputetur. d. l. secunda. §. confestim.

Vnde si procurator constitutus à matre, ad petendum pupillo tutorem, à latronibus interfectus fuerit, & petitionem ex necessitate demorata sit, ab hæreditate non repellitur. C. qui pet. tut. l. octaua.

Si pater, prohibuerit matri, tutorem peti, quoniam per matrem administrari uoluit, incidit, si nec petat, nec legitimè tutelam administret. ff. ad S. C. Tertyll. l. secunda. §. quid si pater est.

Si mater absens ab aliis pręuenta est, non excluditur: nisi fortè cùm frustaretur, id contigit. ff. eod. d. l. secunda. §. quid si pater. ibi sed si fortè.

Ignoscendum tamen est matri, si penitus egenis filiis tutores non petiit. d. §.

Si pater, uxorem communis filii matrem, hæredem scripserit, rogauitque remissa etiam satisdatione, ut filio pubere facto restituerit hæreditatem, nec mater ei petiit tutorem, debet dici constitutionem cessare: quia nihil habenti filio, tutores non petierit, quod si eis remissa satisdatio non fuerit: contra erit, quoniam uel propter hoc debuit tutores habere. d. l. secunda. §. & si fortè.

Filiis autem; non petendo punitur, utique & filiabus, & nepotibus. d. l. secunda. §. filii autem.

Si mulier prægnans bonis non petiit curatorem incidit in sententiam. nam & si apud hostem habuerit impuberem idem erit dicendum, & si furioso tutorē, uel curatorem nō petiit pariter incidit. d. l. secunda. §. quid si pater. uers. quid si cū.

Si mater ætatis lubrico lapsu non petiit, non denegatur ei succesio. quia in maioribus matribus tantum procedit denegatio. C. si aduer. del. su. l. secunda.

Si amplum legatum pupillo sub conditione sit relictum, si tutores non habuerit & propterea mater ei non petierit, cessat constitutio, si damnum minus sit cumulo legati. Item si mater ei, qui soluendo non erit non petiit tutorem, ignoscendum erit, consuluit enim ei, ut minus inquietetur, quasi indefensus. d. l. secunda. §. tractari.

Matres, quæ puberes amiserunt filios, licet impuberibus eis, tutores non petierūt, non excluduntur à succesione. C. ad. S. C. Tertyl. l. tertia.

Omnem matri siue ab intestato, siue iure substitutionis, si filius impubes moriatur succesionm denegati oportet, si ea legitima liberorum tutela suscepta ad

ſecundas contra ſacramentum præſtitutum aſpirauerit nuptias, antequam ei tutorem fecerit ordinari, eique, quod debetur ex ratione tutelæ geſtæ, perſoluerit. C. ad. S. C. Tertyll. l. vi.

Cum iure habenti tutorem tutor dari non poſsit: mater nõ officium pietatis in petendo tutorem deſeruit. ſed iure munita merito filio ſuo tutorem non poſtulauit. C. qui petant tutores. l. cum iure. ix.

Amita tutores petere filiis fratris ſui non prohibetur. C. eod. l. v.

Nepotibus fratris ſui, ſi eorum mater in petendis tutoribus debito non fungantur officio frater petere tutores ſolemniter poteſt. C. eod. l. penul.

Matre nolente filiis tutores petere: poteſt quilibet Præſidem adire, qui ſi eam neglexiſſe proſpexerit, etiam ipſe magiſtratus dare tutores, ſiue nomina mittere, ut ab ipſo decreto tribui poſsint, iubere non prohibeatur. C. qui dare tutor. l. ſexta.

Si minores non habeant eos, qui ex legibus defenſores ſint: ſi quidem tutoribus indigent propter ætatem: poſſunt cognatione, aut adfinitate propinqui parentibus eorum maſculis, aut fœminis petere, ut eis tutores conſtituantur. ff. qui. pet. tutor. l. ſecunda. in principio.

Qui qualitercunque dimiſsi ſunt per excuſationem à tutela, neceſſe non habent petere pupillis tutorem. ff. eod. l. quinta. aliàs l. ii. §. fin.

Si maritus uxori fideicommiſſum à filio reliquerit, cui mulier non petiit tutorem SI SINE LIBERIS DECESSERIT uel ſub hac conditione, SI INTESTATVS MORTVVS ERIT fideicommiſsi petitio, quæ ex alieno iudicio deſcendit, non eſt perempta. ff. qui petant tut. l. quarta. §. ſi uerò maritus. aliàs l. vii. d. §.

Si filiis debitoris tui non ſunt neceſſarii, qui tutores petant: potes & ipſe curare, ut accipiant, per quos legitime defendantur. C. qui petant tut. l. quarta.

SI CONTRA MATRIS VOLVNTATEM TVTOR DATVS SIT.
Titulus XI.

SI contra matris uoluntatem tutorem datum fuiſſe filio probabitur: eum ſine damno exiſtimationis à tutela remouendum prætor decernet, quæ lex ſi in fraude conuictus fuerit, non ſuffragabitur. C. ſi contra matris uolunt. l. unica.

Si quis à parentibus prohibeatur tutor eſſe, creandus non eſt, quod ſi fuerit creatus neque ſe excuſauerit, prohibendus eſt exiſtimatione quidem ſalua tutelam gerere. ff. de tut. dat. l. ſcire oportet. xxi. §. ſed & ſi quis.

Epilogus de pupillis.

Impuberes autem in tutela eſſe naturali iuri conueniens eſt. ut is, qui perfectæ ętatis non ſit, alterius tutela regatur. ¶ Cum ergo pupillorum pupillarumve negotia gerunt, poſt pubertatem tutelæ iudicio rationem reddunt. Inſtit. de tut. dat. §. finali.

COM-

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI, Liber Quintus.

DE AVCTORITATE TVTORVM. *Titulus Primus.*

AVctoritas tutoris, in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusdam non est necessaria. Vt ecce, si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris auctoritas namq; placuit, meliorem quidem suam conditionem licere eis facere, etiam sine tutoris auctoritate, deteriorem uerò non aliter, quam cum tutoris auctoritate. Vnde in iis causis, ex quibus obligationes mutuæ nascuntur, ut in emptionibus, uenditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, depositis, si tutoris auctoritas interueniat, ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur, at inuicem pupilli non obligantur. Insti. de auctori. tut. in principio.

Pupillus vendendo sine tutoris auctoritate non obligatur, sed nec emẽdo, nisi in quantum locupletior factus est. ff. de auctor. tut. l. quinta. §. pupillus.

Obligari ex omni contractu pupillus sine tutoris auctoritate non potest: adquirere autem sibi stipulando, & per traditionem accipiendo, etiam sine tutoris auctoritate potest. ff. eod. l. obligari. ix. in princ.

Pupillus ex omnibus causis soluendo sine tutoris auctoritate, nihil agit: quia nullum dominium transferre potest. si tamen creditor bona fide pecuniam pupilli consumpserit, liberabitur. d. l. obligari. §. pupillus.

Impuberes tutore auctore obligantur, etiã si taceant. nã cum acceperint pecuniã mutuam: quãuis nihil dicant, auctoritate tutoris interposita, tenentur. Quare & si non debita pecunia his personis soluta fuerit; quãuis tacuerint, interposita tutoris auctoritas sufficit, vt condictione tenecãtur. ff. eodem. l. impuberes. xiii.

Potest pupillus tutore auctore debitorem suum Titio delegare. sed cùm tutor debet pupillo: dicendum est, neq; delegari eum, neq; procuratorem aduersus tutorem dari ipso tutore auctore posse: quia futurum sit, vt auctoritate sua liberetur. ff. de auctor. tut. l. potest. xviii.

Neque tutoris absentia quicq̃ stipulationi pro pupillo nocet. C. de auct. præst. l. i.

Neque sine tutoris auctoritate in pupillari ætate constitutas remittendo quidquam amittere potest. C. eod. l. secunda.

Eum, qui à pupillo sine tutoris auctoritate distrahente comparauit longi temporis spatium non defendit. C. eod. l. tertia.

Tutor si inuitus retentus sit per vim: non valet, quod agitur sicuti, neque præsentia corporis sufficit ad auctoritatem: vt si somno, aut morbo comitiali occupatus, tacuisset. ff. de auctor. tuto. l. prima. §. fin.

Nulla differentia est,non interueniat auctoritas tutoris,an perperam adhibeatur ff.eod.l.secunda.

Etiam si non interrogatus tutor auctor fiat; valet auctoritas eius,cùm se probare dicit, id,quod agitur. hoc est enim auctorem fieri.ff.eod.l.tertia.

Etiam si non exaudiat tutoris auctoritatem is,qui cum pupillo contrahit,scriptis tamen hoc adprobetur: rectè negotium geritur: veluti si absenti pupillo per epistolam vendam aliquid, aut locem, & is tutoris auctoritate consentiat. ff. eod.l.obligari.ix.§.fin.

Mutus tutor dari non potest: quoniam auctoritatem præbere non potest,nec surdus potest dari tutor,quia non tantùm loqui,sed & audire tutor debet.ff.de tutel.l.prima.§.fin.

Tutor, qui per valetudinem,vel absentiam,vel aliam iustam causam auctor fieri non potuit, non tenetur.ff.de auctor.tutor.l.decima.

Non multum interest,non adfuerit tutor,cum negotium contraheretur; an præsens ignorauerit, quale esset,quod contraheretur.ff.eod.l.non multum. xiiii.

Accipientis & edentis iudicium idem tutor auctor vtrinq; fit. sed vtrum ita est, si bis auctor factus est: an & vna auctoritas sufficiat eo animo,vt ad vtrunque pertineat? dubitat quidem Pomponius,sed fortiter defenditur, sufficere unam auctoritatem.ff.eod.l.accipientis.xv.

Etiam si tutor cœcus factus sit, auctor fieri potest.ff.eod.l.etiam.xvi.

Si plures tutores fuerint ordinati,siue in testamento paterno, siue ex lege vocati, siue à iudice, vel ex inquisitione,vel simpliciter dati: vnius tutoris auctoritas pro omnibus tutoribus sufficit vbi non diuisa est administratio, vel pro regionibus, vel pro substantiæ partibus. ibi etenim necesse est singulos pro suis partibus vel regionibus auctoritatem pupillo prestare; quia in hoc casu non absimiles sunt legitimi, & simpliciter dati testamentariis, & per inquisitionem datis,eò quòd fideiussionis onere prægrauantur,& subsidiariæ actionis adminiculum speratur. Sed hæc omnia ita accipienda sunt,si non res,que agitur, solutionem faciat ipsi tutelæ; vt puta si pupillus in adrogationem se dare desideret. etenim absurdum est solui tutelam non consentiente,sed forsitan ignorante eo, qui tutor fuerat ordinatus. tunc etenim siue testamentarii,siue per inquisitionem dati, siue legitimi, siue simpliciter creati sunt. necesse est omnes suam auctoritatem præstare,vt quod omnes similiter tangit, ab omnibus comprobetur. C. de auctor.præst.l.fin.

Et si pluribus datis tutoribus vnius auctoritas sufficiat: tamen si tutor auctor erit, cui administratio tutelæ concessa non est: id ratum à prætore haberi non debet: Et ideo verius est, quod Ofilio placebat: si eo tutore auctore, qui tutelam non gerat, emam à pupillo, sciens alium eius tutelam gerere: dominum me non posse fieri. Item si eo auctore emam,qui à tutela fuerit remotus. nec enim id ratum haberi.ff.de auctor.tutor.l.& si pluribus.iiii.

Pupillus obligari tutori eo auctore non potest. Planè si plures sint tutores, quorum vnius auctoritas sufficiat. dicendum est,alio auctore pupillum ei posse obligari; siue mutuam pecuniam ei det, siue stipuletur ab eo. sed & cùm solus tutor, mutuam pecuniam pupillo dederit, vel ab eo stipuletur: non erit obligatus tutori. naturaliter tamen obligabitur, in quantum locupletior factus est. nam in pupillum non tantùm tutori, uerum & cuiuis alii actionem, in quantum locupletior factus est, dandam, Diuus Pius rescripsit.ff.eod. l.quinta, in principio.

Ipse

Ipse tutor & emptoris & venditoris officio fungi non potest. sed enim si contutorem habeat, cuius auctoritas sufficit: proculdubio emere potest. sed si mala fide emptio intercesserit: nullius erit momenti, ideoq; nec vsu capere poterit. Sanè si suæ ætatis factus, comprobauerit emptionem: contractus valet. Sed si per interpositam personam rem pupilli emerit: in ea causa est, ut emptio nullius momenti sit: quia non bona fide videtur gessisse rem, & ita est rescriptum à Diuo Seuero & Antonino. Sanè si quidem emit ipse palam, dedit autem nomen non mala fide simpliciter: (ut solent honestiores non pati nomina sua instrumentis inscribi) valet emptio, quod si callidè: idem erit, atque si per interpositam personam emisset. sed & si creditor pupilli distrahat: æquè emere bona fide poterit. Si verò filius tutoris, vel quæ alia persona iuri eius subiecta, emerit: idem erit, ac si ipse emisset. ff. de auctorita. tutor. d. l. quinta. §. item ipse tutor.

Cùm ipse tutor ex bonis pupilli, quæ distrahi possunt comparare, palam, ex bona fide non prohibeatur multo magis vxor eius hoc facere potest. C. de contrah. emptio. l. quinta.

Tutores, quibus administratio decreta non est, tanquam extraneos, rectè à pupillo emere placet. ff. eod. l. sexta.

Quod dicimus, in rem suam auctoritatem accommodare tutorem non posse: toties verum est, quoties per semetipsum, vel subiectas sibi personas adquiritur ei stipulatio. cæterum negotium ei per consequentias geri (ut dictum est) mihi prohibet. ff. eod. l. septima.

Si duo rei sint stipulandi, & alter me auctore à pupillo stipuletur, alter altero tutore auctore: dicendum est, stipulationem valere: si tamen auctoritas tutoris vnius sufficiat. cæterum si non sufficiat: dicendum erit, inutilem esse stipulationem. d. l. septima. §. si duo.

Si pater & filius, qui in potestate eius fuit, tutores fuerunt, & pater est stipulatus filio auctore: nullius momēti erit stipulatio idcirco, quia in rem patris auctor esse filius non potest. d. l. septima. §. fin.

Quanquā regula est iuris ciuilis, in rem suam auctorem tutorem fieri non posse: tamen potest tutor proprii sui debitoris hæreditatem adeunti pupillo auctoritatem accommodare, quamuis per hoc debitor eius efficiatur. prima enim ratio auctoritas ea est, vt hæres fiat: per consequentias contingit, vt debitū subeat. se tamen auctore, ab eo stipulari non potest. Sed si auctor fiat, vt filiu suo quid tradatur: nulla erit auctoritas. euidenter enim sua auctoritate rem adquirit. ff. de auctor. tut. l. prima, in princ.

Si quid est, quod pupillus agēdo, tutorem suum liberatus est; id ipso tutore auctore agi rectè non potest. ff. eod. l. fin.

Et si conditionalis contractus cum pupillo fiat, tutor debet purè auctor fieri. nā auctoritas non conditionaliter, sed purè interponenda est, ut conditionalis contractus confirmetur. ff. eod. l. & si. viii.

Si tutor pupillo nolit auctor fieri, non debet eum Prætor cogere: primum, quia iniquum est, si non expedit pupillo, auctoritatem eū præstare: deinde & si expedit, tutelæ iudicio pupillus hanc iacturam consequitur. ff. eod. l. si tutor. xvii.

Neq; tamen hæreditatem adire, aut hęreditatem ex fideicōmisso suscipere aliter potest, nisi tutoris auctoritate, quāuis illi lucrosa sit, ne vllum damnum habeat. Insti. de auct. tut. §. neq; tamen, & ff. eo. l. obligari. ix. §. pupillus hæreditatē.

Inter pupillos paternæ hæreditatis diuisio facta est, præsente tutore, sed non as-

ſignante inſtrumento diuiſionis. Si tutor auctor fuiſſet, non idcirco minus ſtandum eſt diuiſioni, quod non aſsignaſſet inſtrumenta. ff. de auctor. tutor. l. inter pupillos. xx.

Defendente tutore, pupillus condemnatus ex cõtractu patris accepit curatorem: inter quem & creditorem acta facta ſunt apud iudicem. in quo iudicio dictum eſt facias iudicata. Nouellus curator dixit abſtineo pupillum. Et reſponſum eſt proponi abſtentum. ff. eod. l. penul.

Tutor autem ſtatim in ipſo negotio præſens debet auctor fieri, ſi hoc pupillo prodeſſe exiſtimauerit: poſt tempus uerò, uel per epiſtolam, aut per nũtium, interpoſita auctoritas nihil agit. Inſti. de auctori. tutor. §. tutor autem. & ff. eod. l. obligari. ix. §. tutor.

Curator etiam impuberi dari poteſt. ſed ad ea, quę ſolemnitatem iuris deſiderãt explicanda tutore auctore opus eſt. ff. eod. l. curatorem. xix.

DE IN LITEM DANDO TVTORE VEL CVRATORE. *Titulus II.*

SI inter tutorem, pupillumque iudicium agendum ſit: quia ipſe tutor in rem ſuam actor eſſe non poteſt: nõ prętorius tutor (ut olim) conſtituitur, ſed curator in locum eius datur: quo curatore interueniente, iudicium peragitur, & eo peracto curator eſſe deſinit. Inſtit. de auctorit. tutor. §. finali.

Qui aliquas petitiones aduerſus pupillos ſuos habet dirigere eas poteſt, adſiſtentibus cauſamque defendentibus contutoribus ſuis, cum & ſi alios tutores non haberent ad hoc genus litis defendendæ curatores accipere deberent. C. de in litem dando tutor. uel curat. l. prima.

An tutori patris fundi paterni uindicatio competat: is, cuius de ea re notio eſt, æſtimabit: Reſpicere autem debet officium in quo ſe tutorem eſſe dicit: ne ob eiuſmodi petionem euictione ſecuta ultra prætii quantitatem auctoris hæredem pupillum ſuum oneret, qui laudatus per ſe defendi debeat: cum aut compenſationis rationem habere, aut contrario tutelæ iudicio experiri poſsit. Sed ne ſuum ius (ſi quod habet) impediatur: ad eam rem defendendam, quæ ad uerſus ſe uindicantem agenda erit, curatores pupillo petantur. C. de in lit. dando tut. uel curat. l. ſecunda.

Ad protegendam cauſam tutor ſiue curator datus, conueniri non poteſt adminiſtrationis periculo cùm ſola ſuſcepti negotii tutela mandata eſt. Si nihil igitur præter negotium geſsit fruſtra conuenitur. C. eod. l. tertia.

Ad litem tutor datus, ſi quid bona fide erogauit à contutoribus more ſolito exigere poteſt. C. eod. l. quarta.

Siue ex teſtamento, ſiue ex iure legitimo fratris ſui filiorum tutelæ onus ad fratrem perueniat: vereri non debet de his quæſtionibus quas aduerſus fratrem ſuum quondam fuiſſe dicit; cùm ſi qua emerſerit lis procuratore dato, & illis curatore ad litem conſtituto & ſolemnitati iuris, vbi tutor exigitur, & indemnitati vtriuſq; proſpici poſsit. C. eod. l. fin.

Si inteſtatum deceſsiſſe patrem pupilli nomine defendatur, falſum ve teſtamentum nomine pupilli dicatur: tutor à patre datus à Prætore confirmabitur, & ſi patruus extet, legitimus tutor futurus ab inteſtato; quia tutorem habenti tutor dari non poteſt. Nam commodius ipſe, qui continetur ſcriptura à Prę-

tore

tore dabitur;vt ſine vllo litis præiudicio,iuſtus tutor auctor pupillo ad eam litem fiat.ff.de teſtam.tute.l.idem fiet.xxvii.iuncta particula pręcedentis legis.

Cùm patruus,quem tutorem legitimum ſibi dicebat pupillus eſſe, ſubiectum filium criminaretur & ad ſe legitimam hæreditatem pertinere contenderet: alius tutor petendus erit.d.l.idem fiet.xxvii.§.fin.

Si pupillus pupilla've cum iuſto tutore litem agere vult,curator in eam rem petitur:poſcentibus tam ipſis quibus datur,quàm aduerſario, ſiue agant, ſiue conueniantur: licet non aliàs,quàm ſi ipſe petat cui dari eum oportet. ¶ Sed talis curator dari non poteſt niſi præſens: neque cuiquam niſi præſenti,& poſtulanti. itaque infanti non poteſt dari. item ſi pupillus curatorem poſcere non vult quò minus cum eo agatur: cogi poterit à Prætore, & hic curator quolibet loco & tempore dari poteſt.ff.de tutel.l.tertia.§.ſi pupillus.

Quo dicitur,ſi indiſtinctè datus ſit curator,in totam litem datum videri: fortaſſe eò ſpectat, ſi familiæ erciſcundæ,aut communi diuidundo actio eſſet cum tutore.Et ſi indiſtinctè datus eſſet: non ſolum eo nomine curator eſſet,quo ageret pupillus pupilla've: ſed inuicem quoq; quo cum his ageretur. Poſſunt autem vel plures in plurium locum,vel vnus in plurium,vel vnus vnius loco, vel in vnam litem,vel in plures curator peti.ff.eod.l.quarta.

Cùm ſemel petitus eſt talis curator: quàm diu is curator manet,alius in eandem litem curator peti non poteſt. Et ſi Titius (verbi gratia) aduerſus Seium curator petitus ſit: idem Titius & aduerſus alium curator eſſe poterit: vt ex diuerſis cauſis vnus duorum curatorum locum obtineat. quod quidem & aduerſus eundem accidet,ſi in diuerſas lites,& diuerſis temporibus petatur. ff. eod. l. quinta.

DE ADMINISTRATIONE TVTORVM.

Titulus III.

Gerere atque adminiſtrare tutelam extra ordinem tutor cogi ſolet. Ex quo ſcit ſe tutorem datum, ſi ceſſet tutor, ſuo periculo ceſſat. id enim à Diuo Marco conſtitutum eſt:ut qui ſcit ſe tutorem datum, nec excuſationem (ſi quã habet) allegat intra tempora præſtituta; ſuo periculo ceſſet. ff.de admin.tut.l.prima, in princ.

Sufficit tutoribus ad plenam defenſionem: ſiue ipſi iudicium ſuſcipiant,ſiue pupillus ipſis auctoribus, nec cogẽdi ſunt tutores cauere, ut defenſores ſolent. licentia igitur erit:utrum malint ipſi ſuſcipere iudicium,an pupillum exhibere,ut ipſis auctoribus iudicium ſuſcipiatur. ita tamen,ut pro his qui fari nõ poſsint,uel abſint,ipſi tutores iudicium ſuſcipiant: pro his autem,qui ſupra ſeptimum annum ætatis ſunt,& præſto erunt, auctoritatem præſtent.d.l.prima.§.ſufficit.

Si parens uel pater, qui in poteſtatem habet,deſtinauit teſtamento, quis tutorum tutelam gerat:illum debere gerere prætor putauit.meritoque patris ſtatur uoluntati,qui utrique filio rectè proſpexit.tantundem prętor facit & de his,quos parens deſtinauit teſtamẽto, aut confirmauit. Vt ſi parens, quem uelit tutelam adminiſtrare,declarauit: ille ſolus adminiſtret. cæteri igitur tutores non adminiſtrabunt: ſed erunt hi, quos uulgò honorarios appellamus, nec quiſquam putet ad hos periculum nullum redundare.conſtat enim hos quoque,excuſsis prius facultatibus eius,qui geſsit,conueniri oportere.dati ſunt enim quaſi obſeruatores actus eius & cuſtodes:imputabiturque eis quandoque,cur ſi malè eum

conuer-

conuerſari uidebant, ſuſpectum non fecerint? Aſsiduè igitur, & rationem ab eo exigere eos oportet, & ſollicitè curare, qualiter conuerſetur: & ſi pecunia ſit, quæ deponi poſsit, curare, ut deponat ad prædiorum comparationem. blandiuntur enim ſibi, qui putant honorarios tutores omnino non teneri. tenentur enim ſecundum ea, quæ ſuprà oſtẽdimus. ff. de adminiſt. tut. l. tertia. §. ſi. pares.

Quamuis autem ei potiſsimum ſe tutelã commiſſurum prætor dicat, cui teſtator delegauit: attamen nonnunquam ab hoc recedetur. ut puta ſi pater minus perpenſo conſilio hoc fecit, fortè minor uiginti quinque annis: uel eo tempore fecit, quo iſte tutor bonæ uitæ uel frugi uidebatur. deinde poſtea idem cœpit malè conuerſari, ignorante teſtatore: uel ſi contemplatione facultatum eius res ei commiſſa eſt, quibus poſtea exutus eſt. nam & ſi unum pater tutorem dederit, nunnunquam ei adiunguntur curatores. Quod in tutoribus reſcriptum eſt, & in curatoribus erit obſeruandum, quos pater teſtamento deſtinauit à Prę tore confirmandos. Apparet igitur prætori curæ fuiſſe, ne tutela per plures adminiſtretur. quippe & ſi pater non deſtinauerit, quis gerere debeat: attamen id agit, ut per unum adminiſtretur. ſanè enim facilius unus tutor & actiones exercet, & excipit ne per multos tutela ſpargatur. d. l. tertia. §. quamuis.

Si non erit à teſtatore electus tutor, aut gerere nolet: tunc is geret, cui maior pars tutorum tutelam decreuerit, prætor igitur iubebit eos conuocari: aut ſi nõ coibunt, aut coacti non decernent: cauſa cognita ipſe ſtatuet, quis tutelam geret. planè ſi non conſentiant tutores prætori, ſed uelint omnes gerere: quia fidem non habeant electo, nec patiuntur ut ſuccedanei ſint alieni periculi: dicendum eſt, prætorem permittere eis omnibus gerere. Item ſi diuidi inter ſe tutelam uelint tutores, audiendi ſunt: ut diſtribuatur inter eos adminiſtratio. Vel in partes, uel in regiones: & ſi ita diuiſa fuerint: unuſquiſque exceptione ſubmouebitur pro ea parte, uel regione, quam non adminiſtrat. d. l. iii. §. fin. cũ l. ſequẽti.

Geſsiſſe autem uidetur tutor, qui quid omnino pupillare attigit, etiam ſi modicum: ceſſantque partes eorum, qui ſolent ceſſantes cogere adminiſtrare. quod ſi poſtea, quàm geſsit, tunc ſe geſtu abſtinuit: etiam ſuſpecti poſtulatio ſuccedit. Quod ſi quis tutelam mandauerit gerendam, geſtaque fuerit ab eo, cui mandatum eſt: locus erit tutelæ actioni geſsiſſe enim uidetur, & qui per alium geſſit. quod ſi non acceſsit is, cui mandatum eſt: utili actione conuenitur. ff. de adminiſtr. tut. l. quinta. §. geſsiſſe.

Si pater tutelam filiorum conſilio matris geri mandauit, & eo nomine tutores liberauit. non idcirco minus officium tutorum integrum erit. ſed uiris bonis cõueniet, ſalubre conſilium matris admittere: tametſi neque liberatio tutoris, neque uolũtas patris, aut interceſsio matris tutoris officium infringat. Vſq; adeo autem licet tutoribus patris præceptum negligere: ut ſi pater cauerit, ne quid rei ſuę diſtraheretur, uel ne ueſtis, ne domus, ne alię res periculo ſubiectę: liceat eis contemnere hanc patris uoluntatem. ff. eod. l. ead. §. Papinianus.

Ex quo innotuit tutori, ſe eſſe tutorem: ſcire debet, periculum tutelæ ad eum pertinere innoteſcere aũt qualiter qualiter ſufficit, non vtiq; teſtato eũ conueniri. nam & ſi citra teſtationem, ſcilicet undecunque, cognouerit; nulla dubitatio eſt, quin debeat periculum ad ipſum reſpicere. Hoc autem, quod cognouerit tutor, pupillus probare debet. d. l. quinta. §. fin. cum l. ſeq.

Tutor, licet abſens, decreto datus, ſi ſe ſciens ſolemniter non excuſauerit; adminiſtrationi conſtituitur obnoxius. C. de adminiſtrat. tut. l. tutor. xix.

Teſtamento dati tntores, quod ruptum uidebatur, ceſſauerunt in adminiſtratio-

ne tute-

ne tutelæ; & à præſide tutor datus eſt pupillo. iuſsi autem ſunt & hi, qui dati erant teſtamento tutores, tutelam adminiſtrare: ad teſtamēto datos periculum adminiſtrationis pertinet, nō ex apertis tabulis, ſed ex quo iuſsi ſunt, quia nullum antecedentis temporis periculum ad eos pertinet. ff. de admini. tut. l. qui negotiationem. lviii. §. Teſtamento.

Tutor, qui repertorium non fecit, quod uulgò inuentarium appellatur, dolo feciſſe uidetur; niſi fortè aliqua neceſſaria, & iuſtiſsima cauſa allegari poſsit, cur id factum non ſit. Si quis igitur dolo inuentarium non fecerit; in ea conditione eſt, ut teneatur in id, quod pupilli intereſt; quod ex iureiurādo in litem æſtimatur. Nihil itaq; gerere ante inuentarium factum eum oportet; niſi id, quod dilationē, nec modicam expectare poſsit. ff. eod. l. tutor. vii. aliàs. viii. in princ.

Si tutor ceſſauerit in diſtractione earū rerum, quæ tempore depereunt; ſuum periculum facit. debuit enim confeſtim officio ſuo fungi. Quid ſi contutores expectauit differentes, uel etiam uolentes ſe excuſare, an ignoſcatur ei? & non facilè ignoſcetur. Debuit enim partibus ſuis fungi, non quidem pręcipiti feſtinatione, ſed nec moratoria cunctatione d. l. tutor. §. ſi tutor.

Generaliter quotieſcunque non fit nomine pupilli, quod quiuis paterfamiliàs idoneus faceret, non uidetur defendi. ſiue igitur ſolutionem, ſiue iudicium, ſiue ſtipulationem detrectat: defendi non uidetur. ff. de adminiſtr. tut. l. generaliter. x. aliàs. xi.

Quæ bona fide à tutore geſta ſunt, rata habentur etiam ex reſcriptis Traiani & Hadriani. & ideo pupillus rem à tutore legitimè diſtractam. uindicare nō poteſt. nam & inutile eſt pupillis, ſi adminiſtratio eorum nō ſeruetur, nemine ſcilicet emente, nec intereſt, tutor ſoluendo fuerit, nec ne: cum ſi bona fide geſta eſt, ſeruanda ſit: ſi mala fide, alienatio non ualeat. ff. de adminiſtr. tut. l. cum plures. xii. aliàs. xiii. §. quæ bona.

Nimium eſt, tutori licere reſpectu exiſtimationis pupilli erogare ex bonis eius, quod ex ſuis non honeſtiſsimè fuiſſet erogaturus. d. l. cum plures. §. nimium.

Cum tutor non rebus dumtaxat, ſed etiam moribus pupilli præponatur: in primis mercedes pręceptoribus, non quas minimas poterit, ſed pro facultate patrimonii, pro dignitate natalium conſtituet. Alimenta etiam extraneis (ſi hoc pupillo expediet) aliquando præſtabit: ſolemnia munera parentibus, cognatiſq; mittet. ſed non dabit dotem ſorori pupilli alio patre natæ, etiam ſi aliter ea nubere non potuit. nam & ſi honeſtè, ex liberalitate tamen fit, quę ſeruanda arbitrio pupilli eſt. d. l. cum plures. §. cum tutor.

In ſoluendis legatis & fideicommiſsis attendere debet tutor, ne cui non debitum ſoluat. ſed nec nuptiale munus matri pupilli uel ſorori mittere debet. aliud eſt, ſi matri fortè aut ſorori pupilli tutor ea, quę ad uictum neceſſaria ſunt, pręſtiterit, cum ſemetipſas ſuſtinere non poſſent. nam ratum id habendū eſt. nec enim eadem cauſa eſt eius, quod in eam rem impenditur. & quod muneris, legatorū ve nomine erogatur. ff. de admin. tut. l. tutor. xiii. aliàs. xiiii. §. in ſoluendis.

Etiam contutoris factum imputatur collegæ, ſi potuit & debuit ſuſpectum facere. interdum & ſi debuit ſatis petere, nam ſi idoneus ſubitò lapſus ſit, nihil collegę imputari poteſt. ff. eod. l. etiam. xiiii. aliàs. xv.

Qui iuſſus eſt ab eo, qui ius iubendi habet, tutelam gerere, ſi ceſſat: ex quo iuſſus eſt, indemnem pupillum præſtare debębit, non ex quo tutor eſſe cępit. ff. eod. l. iuſſus. xvii. aliàs. xviii.

Tutor cuius iniuſta appellatio pronunciata fuerit, cuius ve executio recepta non

ſit: ex quo accedere ad adminiſtrationem debuit, erit obligatus. ff. eod. l. tutor. xx. aliàs. xxi.

Rerum prouincialiũ tutores in urbe cauſa appellationis impuberum agentes: rerum Italicarum curatores, ut impuberibus conſtituantur, ad officium ſuum reuocare debent. alioquin ſi prius in prouinciam redierint: dolum aut culpam eorum in ea quoq; parte rectè iudex conueniet. ff. eo. l. tutores xxxix. §. rerum.

Tutor ad utilitatem pupilli, & nouare, & rem in iudicium deducere poteſt. donationes autem ab eo factæ pupillo non nocent. ff. eod. l. tutor. xxii. aliàs. xxiii.

Vulgo obſeruatur, ne tutor caueat ratam rem pupillum habiturum cum rem in iudicium deducit. quid tamen, ſi dubitetur, an tutor ſit, uel an duret tutor, uel an geſtus illi commiſſus ſit? æquum eſt, aduerſarium non decipi. ff. eod. l. uulgo. xxiii. aliàs. xxiiii.

Decreto prætois actor conſtitui periculo tutoris ſolet, quoties aut diffuſa negocia ſunt, aut dignitas, uel ætas, aut ualetudo tutoris id poſtulat. ſi tamen nondum fari pupillus poteſt, ut procuratorem facere poſsit, aut abſens ſit: tunc actor neceſſariò conſtituendus eſt. ff. eod. l. decreto. xxiiii. aliàs. xxv. in princ.

Si duobus tutela ſimul gerenda permiſſa eſt, uel à parente, uel à contutoribus, uel à magiſtratibus: benignè accipiendum eſt, etiam uni agere permiſſum: quia duo ſimul agere non poſſunt. d. l. decreto. §. ſi duobus.

Tutor, qui tutelam gerit quantum ad prouidentiam pupillarem Domini loco haberi debet. ff. de adminiſt. tut. l. tutor qui. xxvii.

Qui tutelam gerit tranſigere cum fure poteſt, & ſi in poteſtatem ſuam redegerit rem furtiuam: deſinit furtiua eſſe; quia tutor domini loco habetur. ff. de furtis l. interdum. lvii. §. qui tutelam.

Si tutor rem pupilli ſui ſubripuerit, & uendiderit: uſucapio non cõtingit, prius q̃ res in poteſtatẽ pupilli redeat. nam tutor in re pupilli tunc domini loco habetur, cũ tutelam adminiſtrat, nõ cùm pupillũ ſpoliat. ff. pro empt. l. vii. §. ſi tutor.

Tutor pro pupillo in iudicium uocatus ſolemniter cauit ſi intra moras puer ad pubertatem peruenit, non eſt cogendus accipere iudicium. ff. de adminiſt. tut. l. tutor. xxviii. in principio.

Tutoris præcipuum eſt officium ne indefenſum pupillum relinquat. ff. eod. l. tutoris. xxx. aliàs. xxxi.

Forma, qua ſinguli tutores, pro ut quiſque geſsit tutelam, nonnunquam in ſolidũ tenentur: duntaxat intra pubertatem locum habet: non etiam ſi poſt pubertatem adminiſtrauerint. ff. eod. l. Diui. xxxi. aliàs xxxii.

Inter tutores diuiſa tutela eſt. æquitas, que merum ius compenſationis inducit, propter officium & perſonam agentis tutoris non differtur. nam diuiſio tutelæ, quæ non iuris, ſed iuriſdictionis eſt: modum adminiſtrationis facit, & inter ipſos locum habet: nec experiri cum pupillo uolentibus obſtare debet. ff. eod. l. inter tutores. xxxvi. aliàs. xxxvii.

Si plures tutelam non adminiſtrauerint, & omnes ſoluendo ſint: utrum, quia nullæ partes adminiſtrationis inueniuntur, electioni locus erit: an ut eiuſdem pecuniæ debitores, excipere debebunt periculi ſocietatem? quod magis ratio ſuadet, ſi quidã ex his idonei non ſunt: onerabuntur ſine dubio cęteri, nec iniquè: cum ſingulorũ contumacia pupillo damnum inſolidum dederit. Vnde quærendum eſt, an actiones pupillus, qui ſolus cõuenitur, in alterum pro parte ſcilicet præſtare debeat? ſed cum propria cuiuſque contumacia puniatur: qua fronte poterit hoc deſiderari? ff. de adminiſtr. tut. l. ſi plures. xxxviii. aliàs. xxxix.

Fruſtra

Fruſtra tutores quondam adoleſcentium, quorum cura adminiſtratur, iudicatum facere detrectant, cũ exacta pecunia poſsit auctoritate præſidis in depoſiti cauſam haberi. C. de admin. tut. l. quinta.

Tutoribus conceſſum eſt, à debitoribus pupilli pecuniam exigere, ut ipſo iure liberentur: non etiam donare, vel etiam diminuendi cauſa cum his tranſigere. & ideo is, qui minus tutoris ſoluit à pupillo in reliquum conueniri poteſt. ff. eod. l. Lucius. xlvi. aliàs. xlvii. §. fi.

Titium & Mæuium tutores quis dedit, & ita cauit VOLO ET ROGO OMNIA FIERI CVM MAEVII FRATRIS MEI CONSILIO, ET QVOD SINE EO FIET IRRITVM SIT. Si adminiſtrationem & Męuio dediſſet, Titio ſolo non rectè ſolutum erit, & debitores non liberati eſſent. ff. de admin. tut. l. Titium & Mæuium. xlvii. aliàs. xlviii. in princ.

Si teſtator dicat: QVANTVM FILIO MEO DIVRNVM SVFFICIAT, MARIANA ET IANVARIA AESTIMABVNT. contenti non debent eſſe tutores arbitrio mulierum, ſed ſumptum boni viri arbitrio faciundum eſt. d. l. Titium. §. quantum.

Tutores dati ad res Italicas inſtrumenta Romæ reperierunt debitorum prouincialium, ut pecunia Romæ, aut vbicunq; petitum fuerit ſoluatur: cùm neq; debitores in Italia eſſent, neq; eorum prædia: hæc exactio ad Italicæ rei tutores non pertinet, ſi prouincialis contractus eſſet; reſpicit tamen ad officium eorum, ne inſtrumentorum ignorantia cõtractus eos, ad quos adminiſtratio pertinet lateret. d. l. Titium. §. tutores.

Tutela pupillorum ſic adminiſtrari debet, ne ædificium, quod his relictum eſt, contra formam alienandi teſtamento datam vendatur. C. de adminiſtr. tut. l. vii.

Tutores debita pupillaria, ſeu depoſita repoſcentes ad ſatiſdationem compelli non poſſe manifeſtum eſt. C. eod. l. tutores. xiii.

Non omni titulo rerum pupilli poteſtatem alienandi tutores habent: ſed adminiſtrationis tantum cauſa diſtrahentes, quæ venum eis dare licet, iuſtam cauſam poſsidendi comparantibus præſtant. Cùm itaq; donare nulla ratione res eorum, quorum adminiſtrant negotia poteſtatem habeant: vindicari dominiũ à poſsidentibus non prohibetur. C. de adminiſtra. tut. l. non omni. xvi.

Aurum, argentum, gemmas, veſtes, cæteraq; mobilia prætioſa, Vrbana etiam prædia tutores prohibentur vendere etiam prætextu, ut omnia ad numos redigerent: niſi hac foret neceſsitate & lege, qua ruſticum prædium vendere, vel pignorare, vel in donationem propter nuptias, vel in dotem dare licebat ſcilicet per inquiſitionem iudicis, & probationem cauſæ interpoſitionemq; decreti, vt fraudi locus non ſit: atque ita omnia obſeruabunt, vt nec inuẽtaria minuere, nec mutare, vel ſubtrahere aliquid tutor valeat. Quod & in veſte, margaritis, gemmis, & in vaſculis, cæteriſq; ſuppellectilibus neceſſarium ſit. Et hoc, quia ipſius pecuniæ negotiandi vſus vix diuturnus, vix cõtinuus & ſtabilis eſt. Quo ſubſecuto intercidente ſæpe pecunia ad nihilum minorum patrimonia deducuntur. C. eod. l. lex, quæ tutores. xxii. in princ. & §. huc accedit.

Nec domum vero vendere liceat, in qua defecit pater, minor creuit, in qua maiorum imagines aut non videre fixas, aut reuulſas videre, ſatis eſt lugubre: ergo & domus, & cætera omnia immobilia in patrimonio minorum permaneant: nullumq; ædificii genus, quod integrum hæreditas dabat, collapſum tutoris fraude depereat. d. l. lex, quæ. §. nec domum vero.

Sed ſi parens, vel cuiuſcunq; hęres eſt minor, reliquerit deformatum ędificium: tutor

tutor testificatione operis ipsius, & multorum fide, id reficere cogatur. ita. n. annui reditus plus minoribus conferent, quàm per fraudes pretia deminuta. d.l.lex quæ.§.sed si parens.

Lex non solum contra tutores, sed etiam contra fœminas immoderatas atq; intemperantes prospexit minoribus, quæ plerunq; nouis maritis non solum res filiorum, sed etiam vitam addicunt. d.l.lex quæ.§.lex enim.

Iam ergo venditio tutoris nulla sit sine interpositione decreti exceptis vestibus, quæ detritæ vsu, aut corruptæ seruando seruari non potuerint. animalia quoque superuacua minorum quin veneant, non vetatur. d.l.lex.§.fi.

Tutores mox, quàm fuerint ordinati, sub præsentia publicarum personarum inuentarium rerum omnium & instrumentorum solemniter facere curabunt. Aurum, argentumq;, & quidquid vetustate temporis non mutatur, si in pupilli substantia reperiatur: in tutissima custodia collocent: ita tamen, vt ex mobilibus prædia idonea comparentur, si idonea potuerint inueniri. C.de administr.tutor.l.tutores.xxiiii.

Tutoribus licet fructus, qui ex reditibus prædiorum collignutur idest vinum, & oleum, & frumentum, vel cuiuscunque speciei sunt, sine decreto distrahere iusto prætio, quod in his locis, in quibus venditio celebratur. tunc temporis dinoscitur obtinere, & quæ ex venditione eorundem fructuum colliguntur pecuniæ, cum alia pupillorum substantia administrentur. C.de administrat.tuto. l.fin.§.fin.

Nemo tutor potest defensionem, quam pro lite susceperit recusare, sed ab initio litis modis omnibus pupillos defendere, & litem præparatam instruere debet. sciens hoc munus necessarium esse tutelæ: & si hoc recusauerit, vel subire distulerit, non solum vt suspectus amoueatur amissa eius existimatione, sed etiam ex substantia sua omne detrimentum, quod pupilli ex recusatione defensionis sustinent resarcire cogatur. C.eod. l.fin.in princ.

Sed & si quis ex quadam interpellatione admonitus, propter litis instructionem consuetam cautelam exposuerit, vel post litem contestatã, quam per se, non per procuratorẽ suscepit, vel demens, vel furiosus factus fuerit: continuo curator ei à competenti iudice ordinatur, cura & prouisione tam iudicis sub quo lis vertitur, quàm cognatorum, & propinquorum, & actoris, si voluerit, vt non ab eo instituta lis diutius protrahatur: necessitatem habente creando curatore defensionem subire, & cætera litis adimplere. d.l.fin.§.sed & si quis.

Personæ, quæ periculo proprio, vel suæ substantiæ tutores petierunt (siue matres fortè fuerint, vel quidam alii) compellendæ sunt eos, quos ordinauerunt tutores, pręparare talem subire defensionem, vel si illi noluerint hoc facere, & propter huius defensionis recusationem tutela remoueantur: necessitas imponitur memoratis personis, alios tutores ordinare in ipsis gestis, in quibus tutores creantur ex sua confessione declarantes talem subire defensionem. Ne autem tales personæ sine prouisione debita relinquantur, vel contra eos agentium iura diutius protelentur: continuo idest post recusationem defensionis, in casibus, in quibus hoc fieri possit creatio aliorum tutorum celebrari debet cognatis aliisq; propinquis & affinibus, vel creditoribus, vel aliis, quorum interest adeuntibus vel admonentibus eos, qui secundum leges ius habent, tutores constituere. d.l.fin.§.personis.

Ne tutores putauerint ex hac defensione grauamen sibimet proponi: decernitur, illam defensionem eos subire, quæ non satisdatione pro euentu litis constituitur:

tur: sed ut tantummodo litem secundum legum ordinem pro pupillo instruant: & licentiam habent sine decreto res quarum gubernationem gerunt pro cautela litis subsignare. C. de administrat. tutor. l. finali. §. defensionem.

Amputata omni dubitatione pro defensione pupillorũ. omnes tutores non aliàs creabuntur nisi prius cum aliis solemnibus uerbis, quæ pro gubernatione rerum, tam in gestis, quàm in cautionibus, ab his conscribuntur: & hoc specialiter expresserint, quod omnimodo sine ulla dilatione defensionem pro pupillis subire eos necesse est. d. l. finali. §. omnem.

Ab uno ex tutoribus causam posse minorum defendi: cum alii tutores eam defendere noluerint non ignoratur. C. si ex pluribus tut. l. prima.

Si diuisum administrationis periculũ per prouincias sit; his tãtum oĩbus insinuari conuenit, & ab ipsis inferri litẽ, qui in ea prouincia tutelæ officiũ substinent: ne de aliis prouinciis defensores minorum ad iudicia perducantur. C. eo. l. fi.

Tutor si in negotio pupilli prouocauerit: hæres eius antequam reddat rationes appellationis causam persequi debet: nam post redditas rationes ipse tutor appellationis merita probare non cogetur. ff. de appellat. & relatio. l. tutor. xxvii. Et hoc uerum est etiam si rationes tutelæ hæres reddiderit: quia sufficit mortis tempore ad causas appellationis reddendas obligatum fuisse. ff. si penden. appellat. mors interue. l. unica. §. tutor.

Si clarum sit, eum, qui curator constituitur, iuribus minoris obligatum esse, tutor curator've non erit, ne quãdo aut calendarium surripiat, aut alias probationes, quę ad manum sint supprimat, & huius curatio, illius rebus perniciem inferat. ¶ At si quis cum iam in curatione hæreat, obligationem sibi cõtra pupillũ acquisierit, delata fortè ei hæreditate alicuius, qui minorem obligatũ habuit, aut alia huiusmodi causa ne amplius ei soli pupillorum aut minorum curatio credatur, sed alius tutor uel curator adiungitur, ne quid medio tempore cõtra minoris commoda ab eo, qui obligationem aduersus eum paratam habet dolo malo geratur. Nouell. const. lxxii. §. propterea, in princ.

Ne uerò tutelæ, aut curationis recusatio omnibus hominibus præbeatur, si quis dicat, minores sibi obligatos, uel minoribus se obligatum esse, si obscurum adhuc sit, ad sancta Dei Eloquia iusiurandum subeat, quod uera existimatione ductus minorẽ se habere obligatũ, curationem recuset, tutelã aut curationem nõ attinget, ne hostis potius minori, quàm curator detur d. nouel. lxxii. §. ne uerò.

Si uero initio hoc tacuerit, & curator factus sit, sciat tota se actione quam contra minorem habet, & si uera sit, casurum d. nouell. §. si uerò initio.

Sed si is, qui perspicuè minori obligatus sit, tacuerit, ne curationis tempore possit arte compositis fortè solutionibus, aut aliis liberationibus debito se exuere si res minoris perscrutatus actiones sibi delegari, uel per donationẽ, uel per emptionem nominis uel quocunque alio modo effecerit: sciat, quod ab ipso geritur, omnino irritũ futurum perinde quasi ne initio quidem factũ, aut contractum esset. Neque tantum, quandiu curator fuerit, à tali delegatione arcetur, sed etiam postea: ne quando tali consilio in animo concepto, rem ad tempus seponat: post deinde, quàm à curatione destitit, & dolo malo gestum obliuioni traditum est, tunc fortè actionum delegationem acceptet, & rem dolo malo circumueniat. Nam tunc quoque irritum erit, quod agitur: ne qua actio contra eum, cuius antea curam gessit, delegata ualeat, sed pro non facto habeatur, & minori cedat in lucrum, licet delegatio ex ueris causis facta sit, ne quod ad eum, qui delegarit, reuertatur actio, sed ut propter legis

transgreſsionem ipſe quoque his excidat, quæ per eam occaſionem, pro delegata actione acquiſiuit, & minor ea lucri faciat. d. Nouell. lxxii. §. ſed ſi is.

Hęc de omni curatorē dicta ſunt, in quibus omnino caſibus leges aliquibus, prodigiis fortè, uel furioſis, uel mente captis curationes indicunt: uel ſi quid denique aliud, aut lex iam enumerauit, aut etiam poſtea præter opinionem natura inuenit. d. conſt. Nouell. lxxii. §. atque hæc.

VBI PVPILLVS EDVCARI DEBEAT ET DE ALIMENTIS EI PRAESTANDIS.

Titulus IIII.

EDucatio pupillorum nulli magis, quàm matri eorum ſi non uitricum eis induxerit committenda eſt: quando autem inter eam & cognatos & tutorem ſuper hoc orta fuerit dubitatio: aditus præſes Prouinciæ, inſpecta perſonarum & qualitate & coniunctione, perpendet, ubi puer educari debeat. Sin autem æſtimauerit, apud quem educari debeat: is neceſsitatem habebit hoc facere, quod præſes iuſsit. C. ubi pupill. educ. l. prima.

Ex quo nemo circa ſubleuandam filiorum neceſsitatem, & educationem fidelior idoneorque uidetur, quàm ipſa mater: permittit ei lex hoc etiam, niſi ad ſecundas accedat nuptias. Nouell. conſt. xxii. §. porro & illud.

Vtrum nepos ex filia apud auiam, an apud patruum morari debeat: ex ſingulorum affectione, & qui magis ad ſuſpicionem ex ſpe ſucceſsionis propior ſit æſtimabitur. C. eod. l. ſecunda.

Solet Prætor frequentiſsimè adiri ut conſtituat, ubi filii, uel alantur, uel morētur, non tantum in poſthumis, uerum omnino in pueris, & ſolet ex perſona, ex cōditione, ex tempore ſtatuere, ubi potius alendus ſit: & nonnunquam à uoluntate patris recedit prætor: Denique cùm quidam teſtamento ſuo cauiſſet, ut filius apud ſubſtitutum educaretur. Imperator Seuerus reſcripſit, Prætorem exiſtimare debere, præſentibus cæteris propinquis liberorum: id enim agere prætorem oportet, ut ſine ulla maligna ſuſpitione alatur partus & educetur. ff. ubi pupillus educ. l. prima in principio.

Quamuis Prætor recuſantem apud ſe educari, non polliceatur ſe coacturum: attamen quæſtionis eſt, an debeat etiam inuitum cogere: ut putà parentem, uel quem alium de adfinibus. d. l. prima. §. quamuis.

Si diſceptetur, ubi morari uel educari pupillum oporteat: cauſa cognita, id præſidem ſtatuere oportebit. in cauſæ cognitione uitandi ſunt, qui pudicitiæ impuberis poſſunt inſidiari. ff. eod. l. quinta.

Pupillus, ſi ei alimenta à tutore ſuo non præſtantur: præſidem prouinciæ adeat, qui ne in alimentorum præſtatione mora fiat, partibus ſuis fungetur. Idem eſt, & ſi de ſtatu pupilli, ſeu adulti, & de bonis eius controuerſia pendeat. C. de alimentis pupill. præſt. l. prima.

Ius alimentorum decernendorum pupillis Prætori competit: ut ipſe moderetur, quam ſummam tutores uel curatores ad alimenta pupillis uel adoleſcentibus præſtare debeant. modum autem patrimonii ſpectare debet, cum alimenta decernit: & debet ſtatuere tam moderatè, ut nō uniuersū reditum patrimonii in alimēta decernat: ſed ſemper ita, ut aliquid ex reditu ſuperſit. ff. ubi pup. educ. l. tertia,

l.tertia.in principio.

Ante oculos in decernendo Prætor habere debet mercedes illorum,qui pupillis deseruiunt, & uestem & tectum pupilli : Aetatem etiam contemplari, in qua constitutus est, cui alimenta decernuntur. In amplis tamen patrimoniis non cumulus patrimonii,sed quod exhibitioni frugaliter sufficit, modum alimentis dabit.d.l.tertia.§.ante oculos.

Si non constat,quis modus facultatum sit: inter tutorem & eum,qui alimenta decerni desiderat, suscipere debet cognitionem : nec temere alimenta decernere, ne in alterutram partem delinquat.prius tamen exigere debet, ut profiteatur tutor, quæ sit penes se summa. Item ad institutionem quoque pupillorum uel adolescentium, item pupillarum, uel earum, quæ infra uicesimum annum constitutæ sunt: solet decernere respectu facultatum & ætatis eorum, qui instituuntur.d.l.tertia.§.sed si non.

Si egeni sunt pupilli: de suo eos alere tutor nõ compellitur.sed si fortè post decreta alimenta ad egestatem fuerit pupillus perductus : deminui debent, quæ decreta sunt: quemadmodum solent augeri, si quid patrimonio accesserit.d.l.tertia.§.fin.

Qui filium hæredem instituerat,filiæ dotis nomine,cùm in familia nupsisset, ducenta legauerat,nec quidquam præterea : & tutorem ei Sempronium dedit. is à cognatis & propinquis pupillæ perductus ad magistratus, iussus est alimenta pupillæ & mercedes, ut liberalibus artibus institueretur, pupillæ nomine præceptoribus dare.pubes factus pupillus, puberi iam factę sorori suæ ducenta legati causa soluit.quamuis citra magistratuum decretum tutor sororem pupilli sui aluerit, & liberalibus artibus instituerit (cum hæc aliter ei contingere non possent) nihil eo nomine tutelæ iudicio pupillo aut substitutis pupillis pręstare debet.ff.ubi pupill.educ.deb.l.quarta.

Si absens sit tutor,& alimenta pupillus desideret: si quidem negligentia, & nimia cessatio in administratione tutoris obiiciatur, quæ etiã ex hoc arguatur. quod per absentiam eius deserta derelictaque sint pupilli negotia : euocatis adfinibus,atque amicis tutoris,prætor ædicto proposito,causa cognita,etiam absente tutore,uel remouendum eum,qui dignus tali nota uidebitur, decernet, uel adiungendum curatorem: & ita qui datus erit,expediet alimenta pupillo. si uerò necessaria absentia tutoris & improuisa inciderit, fortè quod subitò ad cognitionem principalem profectus,nec rei suæ prouidere, nec consulere pupillo potuerit : & speretur redire, & idoneus sit tutor,nec expediat alium adiungi, & pupillus alimenta de re sua postulet : rectè constituetur ad hoc solum, ut ex re pupilli alimenta expediat.ff.eod.l.finali.

Officio iudicis, qui tutelæ cognoscit,congruit, reputationes tutoris non improbas admittere : ut puta si dicat impendisse in alimenta pupilli uel disciplinas. Modus autem (si quidem prætor arbitratus est) is seruari debet, quem prætor statuit. Si uerò Prætor non est aditus : pro modo facultatum pupilli debet arbitrio iudicis æstimari. nec enim permittendum est tutori, tantum reputare, quantum dedit, si plus æquo dederit. Hoc amplius, & si prætor modum alimentis statuit: ueruntamen ultra uires facultatum est, quod decretum est, nec suggessit prætori de statu facultatum : non debet ratio haberi alimentorum omnium : quia si suggessisset, aut deminuerentur iam decreta, aut non tanta decernerentur. Sed si pater statuit alimenta liberis, quos hæredes scripsit : ea præstando tutor reputare poterit : nisi fortè ultra uires facultatum statuerit.

tunc enim imputabitur ei, cur non aditò prætore desiderarit alimenta minui. ff. vbi pupill. educ. l. secunda.

Quod plerunque postulatur, vt arbitrio prætoris alimenta pro modo facultatum pupillis vel iuuenibus cōstituantur: pro officio suo, qui aliena negotia gerunt, ne apud iudicem controuersiam habeant, faciunt. Cæterum si bonus vir, & innocens tutor arbitrio suo aluit pupillos: quod interdum etiam necesse est fieri, ne secreta patrimonii & suspectum ęs alienum pandatur, quod melius est interim taceri, quàm cum de modo bonorum quæritur, vltro proferri, & apud acta ius dicentis contra vtilitatem pupillorum asignari: non dubie acceptò ferre debebunt ea, quæ vir bonus arbitratur, meritò ad exhibitionem educationis, ministeria, studiaq; erogata esse. nec ferendus est iuuenis, qui cùm præsens esset, studiisq; eruditus, atque alitus esset: si ea per alium se consecutum non probet: sumptus recuset, quasi vento vixerit, aut nullo liberi hominis studio imbui meruerit. C. de alimen. pupil. præst. l. fi.

VT CAVSAE POST PVBERTATEM ADSIT TVTOR.

Titulus V.

Tutores, qui nec dum administrationem ad curatores transtulerunt, defensioni causarum pupillarium adsistere oportere, sępe rescriptū est. Et ideo si instrumenta, quibus adseri possunt causę prouocationis tutores, apud se detinerent: aditus præses prouinciæ periculi sui eos admoneri præcipiet. C. vt caus. post pubert. l. vnica.

QVIBVS MODIS TVTELA FINITVR.

Titulus VI.

Pupilli, pupillæq; cùm puberes esse cœperint à tutela liberantur. Pubertas autem in masculis post xiiii. annum complectum illico initium accipit, in fœminis post xii. annos complectos. Instit. quib. mod. tute. finit. in principio, & C. quando tutor. esse desin. l. fi.

Officium tutorum contutoribus constitutis finem accipit. Ideoque omnia negotia, quæ inita sunt ad fidem curatorum pertinent. ff. de administr. tuto. l. à tutoribus. xxxiii. aliàs xxxiiii. §. officium.

Quamuis curator cum aliis in locum tutoris substitutus quis sit: tamen periculo administrationis vltra pubertatis tempora non adstringitur. C. in quibus cau. tut. hab. l. secunda, in fine. Nam si curatores tutoribus adiuncti sunt: pubertate pupilli, tam tutorum quàm curatorum adiunctorum officium finitur. Ideoque alios propter ætatis infirmitatem curatores esse dandos manifestisimum est. C. quand. tut. esse desin. l. prima. Et curator impuberi datus quacunque ex causa perseuerare in diem pubertatis in eadem cura debet: ergo post pubertatem alius curator peti debet. ff. de tut. datis. l. curatorem. xxv.

Item finitur tutela si adrogati sint adhuc impuberes vel deportati, vel si pupillus ab hostibus captus fuerit. Instit. quibus mod. tut. fin. §. item finitur. & ff. de tutel. l. si adrogati. xiiii. in princ, & ff. de legit. tut. l. secunda.

Quod

Quod dicitur tutelam finiri adrogatione pupilli: intelligitur, si omnes tutores consenserint: nam non sufficit consensus vnius tutoris. C. de auctor. præstan. l. fin. §. sed hæc omnia.

Si vsq; ad certam conditionem datus sit tutor testamẽto: æque euenit, vt desinat esse tutor existente conditione. Insti. quib. mod. tuto. fin. §. sed si vsque, & ff. de tutel. l. si adrogati. xiiii. in fi. Et de testam. tute. l. tutor datus. viii.

Actus legitimi, inter quos est tutoris datio: nõ recipiunt diem, vel conditionem, & in totum vitiantur per temporis vel conditionis adiectionem. ff. de reg. iur. l. actus legitimi. lxxvii.

Item sub conditione à præsidibus prouinciarum non posse dari tutorem placet: & si datus sit, nullius momẽti est datio. ff. de tute. l. mutuo. 6. §. sub conditione.

Finitur tutela nõ solum pubertate, sed etiam morte tutoris vel pupilli. Insti. quib. mod. tut. finitur. §. simili modo, & ff. de tut. actio. vel tute. & ration. detrah. l. quarta, in princ.

Capitis diminutione tutela finitur, nam minima capitis diminutione tutoris, veluti si se in adoptionem dederit, legitima tantum tutela perit, cæteræ non pereunt, sed pupilli & pupillæ capitis diminutione, licet minima sit omnes tutelas tollit. Instit. quib. mod. tute. fin. §. sed & capitis & ff. de legit. tut. l. secunda.

Qui ad certum tempus testamento dantur tutores, finito eo deponunt tutelam. Instit. eod. §. præterea & ff. de tutel. l. si adrogati. xiiii. §. sed & si ad tempus.

Desinunt etiam tutores esse, qui uel remouentur à tutela, ob id, quod suspecti visi sunt: uel qui ex iusta causa sese excusant, & onus administrandæ tutelæ deponunt secundum ea, quæ inferius proponentur. Instit. quib. mod. tut. final. §. finali.

Si duobus impuberibus fratribus tutor datus sit, & alter eorum in legitimam tutelam fratris sui perfectæ ætatis constituti reciderit: eum, qui datus sit, tutorem esse desiisse. Neratius ait, quia igitur desinit: tutelæ actio erit, etiam ex persona impuberis: quamuis si testamento datus fuisset, non desineret esse tutor eius, qui adhuc erat impubes: quia semper legitima tutela testamentariæ cedit. ff. de tutel. actio. siue de tutel. & ration. detrahen. l. si tutor. ix. §. si duobus.

Tutoris officium ex sola voluntate pupilli non finiri, certissimum est. C. quando tut. esse desinant. l. secunda.

QVANDO EX FACTO TVTORIS MINORES AGERE VEL CONVENIRI POSSINT.

Titulus VII.

OB dolum malum uel culpam tutoris, pupillus possessor condemnatur: sed non quanti actor in litem iuraret, & si rem à tutore pupillus seruare possit. ff. quando ex facto tut. l. prima.

Dolus tutorũ pupillo neque nocere neque prodesse debet: quod autem uulgo dicitur, tutoris dolum pupillo non nocere: tunc uerum est, cùm ex illius fraude locupletior pupillus factus non est. quare meritò Sabinus tributoria actione pupillum conueniendum ex dolo tutoris existimauit: scilicet si per iniquam distributionem pupilli rationibus fauit. Quod

in depositi quoque actione dicendum est, item in hæreditatis petitione: si modo, quod tutoris dolo desiit, pupilli rationibus illatum probetur. ff. eo. l. tertia.

Et si extrinsecus aliquid tutor dolo amiserit: pupillo nihil nocere oportet. ff. eod. l. quarta.

Neque in interdicto, neque in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris siue soluendo est, siue non est. ff. de reg. iur. l. cxcviii.

Si tutor pecuniam eius, cuius negotia administrat, mutua data ipse stipulatus fuerit, vel prędia in nomen suum emerit: vtilis actio ei, cuius pecunia fuit, datur ad rem vindicandam, vel mutuam pecuniam exigendam. ff. quando ex facto tutor. l. secunda.

Et si tutores cum pecuniam pupillarem crederent, ipsi stipulati sunt: vtilis actio pupillo dabitur. C. eod. l. secunda.

Si in rem minoris pecunia profecta sit, quæ tutori eius nomine minoris mutuò data sit: merito personalis actio in eundem minorem danda est. C. eo. l. tertia.

Si hi, qui tutores fuerint, postea in administratione perseuerantes prædia minoris locauerint: competenter conueniri possunt. & ex eorum contractu vtilis minori quæri potuit contra successores conductoris actio. C. eod. l. penul.

Per tutorem pupillo actio nisi certis ex causis quæri non potest. C. eod. l. fin.

Tutor, qui pecuniam soluturum se cauit ad quam pater pupilli condemnatus fuerat: actionem post tutelam finitam rectè recusat: non idem in eo placuit, qui suo nomine mutuam pecuniam accepit, & iudicatum pro pupillo fecit: nisi fortè creditor ideo contraxit, ut in causam iudicati pecunia transiret. ff. quando ex facto tuto. l. quinta. §. tutor qui.

Tutor interpositio decreto prætoris, actorem reliquit. secundum eum sententia dicta, iudicati actio ad pupillum non minus transfertur, quàm si tutor obtinuisset. ff. eod. l. tutor. vi.

Tutori, qui infantem defendit, succurritur, vt in pupillum iudicati actio detur. ff. eod. l. tutori. vii.

Tutor, qui & cohæres pupillo erat, cùm conueniretur fideicommissi nomine, in solidum ipse cauit. In adultum pupillum pro parte danda erit utilis actio. ff. eod. l. fina.

Tutores, qui testamento dati non sunt, administrandi potestatem, nisi satisdatione emissa non habent: & ideo tutor, qui pro tutelario officio non cauerat iudicio expertus est: aduersus eum lata sententia pupillo non officit, nec ea, quę ab eo gesta sunt ullam firmitatem obtinent, & frustra in integrum restitutio desideratur. C. de tutor. qui satis non dedit. l. tertia.

DE TVTELAE ET RATIONIBVS DETRAHENDIS. *Titulus VIII.*

CVm pupillorum pupillarumq́ue tutores negotia gerunt post pubertatem tutelę iudicio rationem reddunt. Instit. de tut. dat. §. finali.

Omnes tutores seu hæredes eorum, qui administrauerũt tutelam ad eundem iudicem ire debent. C. arbitrium tutel. l. quinta.

De omnibus, quę tutor fecit cùm facere non deberet: Itẽ de his, quę non fecit, rationem reddet hoc iudicio: præstãdo dolum & culpã, & quãtum in suis rebus diligẽtiam. unde quæritur apud Iulianum libro uicesimo primo Digestorum. si tutor pupillo auctoritatẽ ad mortis causa donationem accõmodaue-

uerit: an tutelę iudicio teneatur? & ait teneri eum. nam sicuti testamenti factio (inquit) pupillis concessa non est: ita ne mortis quidem causa donationes permittendæ sunt. Sed si non mortis causa donauerit, tutore auctore: idem Iulianus scripsit, plerosque quidem putare, non ualere donationem (ut plerunque ita est) ff. de tutel. & ration. detrah. l. prima, in principio.

Quicquid tutoris dolo uel lata culpa, aut leui, minores amiserint, uel cum possent non quæsierint: hoc in tutelæ seu negotiorum gestorum utile iudicium ueni re non est incerti iuris. C. arbitrium tute. l. quicquid, septima.

Ab eo, qui restitutionis auxilio non iuuatur quæstio culpæ, tutorum conuentione remitti potest: nec donatum sed transactum uidetur negligentia tutorum. ff. de administrat. tut. l. tutores. xxxix. §. ab eo.

Sed non nulli casus possunt existere, quibus sine reprehensione tutor auctor sit pupillo ad diminuendum, decreto scilicet interueniente: ueluti si matri aut sorori, quæ aliter se tueri non possunt, tutor alimenta præstiterit. nam cùm bonæ fidei iudicium sit: nemo feret aut pupillum, aut substitutum eius quærẽtes, quod tam coniunctæ personæ alitæ sunt. quinimò per contrarium potest cum tutore agi tutelæ, si tale officium prætermiserit. ff. de tutel. & ration. detrah. d. l. prima. §. sed non nulli.

Officio tutoris incumbit, etiam rationes actus sui cõficere, & pupillo reddere. Cæterùm si non fecit, aut si factas non exibet: hoc nomine iudicio tutelæ tenebitur. d. l. prima. §. officio.

Præterea si matrem aluit pupilli tutor: putat Labeo, imputare eum posse. sed est uerius, non nisi si perquàm egenti dedit, imputari eum oportere de largis facultatibus pupilli. utrunq; igitur concurrere oportet, ut & mater egena sit, & filius in facultatibus positus. Sed si munus nuptiale matri pupilli miserit: non eum pupillum imputaturum. Labeo scripsit. nec enim tam necessaria est numeratio ista. d. l. prima. §. præterea.

Item sumptus litis tutor reputabit, & Viatica: si ex officio necesse habuit aliquò excurrere uel proficisci. d. l. prima. §. si pupillus. uers. item sumptus.

Nunc tractemus, si plures tutelam pupilli administrauerint, pro qua quisque eorum parte conueniendus sit. & si quidem omnes simul gesserunt tutelam, & omnes soluendo sunt: æquissimum erit, diuidi actionem inter eos proportionibus uirilibus exemplo fideiussorum. Sed & si non omnes soluendo sint: inter eos, qui soluendo sunt, diuiditur actio: sed pro ut quisque soluendo est, poterunt conueniri. Et si fortè quis ex facto alterius tutoris condemnatus præstitit, uel ex communi gestu, nec ei mandatæ sunt actiones: constitutum est, utilem actionem tutori aduersus contutorem dandam. d. l. prima. §. nunc tractemus.

Planè si ex dolo communi conuentus, præstiterit tutor: neque mandandæ sunt actiones, neque utilis actio competit: quia proprii delicti pœnam subiit: quę res indignum eum fecit, ut à cæteris quid doli participibus consequeretur. nec enim ulla societas est maleficiorum, uel iusta communicatio damni ex maleficio. Vsque adeo autem ad contutores non uenitur. si sunt soluendo cõtutores, ut prius ad magistratus, qui eos dederunt, uel ad fideiussores ueniatur. Quod enim Marcellus libro octauo digestorum scripsit, quodque sæpissime rescriptum est: quandiu unus ex tutoribus idoneus sit, non posse ad magistratus, qui dederunt, perueniri: sic erit accipiendum, si non contutor ob hoc conueniatur, quod suspectum facere, uel satis exigere noluit. d. l. prima. §. plane.

Non tantum autem ante condemnationem, sed etiam post condemnationem de-

fide-

ſiderare poteſt tutor, mandari ſibi actiones aduerſus contutorem, pro quo cõdemnatus eſt. d. l. prima. §. non tantum.

Si tamen non ex propria culpa pupillæ unus tutor condemnatus eſt, ſed abſens & indefenſus acquieuit, cum ex cauſa iudicati ſatisfacere cęperit, actiones aduerſus contutores ſuos mandari ſibi à pupilla deſiderabit, uel utili actione utetur. C. de contrar. iudic. tutel. l. ſecunda.

Si minoris nomine actum fuerit cum tutoribus, aſſiſtentibus curatoribus, & pupillus ob hoc egerit cum curatoribus, & ei ſint condemnati in id, quod ſua interat, minoris eorum culpa tutores condemnatos non eſſe: reſtitutio aduerſus tutores non ceſſat: & idcirco curatores, ſi nondum iudicatum fecerint, prouocantes poſſunt per exceptionem doli conſequi, ut eis mandentut aduerſus tutores actiones. Quid tamen ſi iam fecerunt iudicatum curatores? hoc proderit tutoribus: quoniam nihil minori abeſt, qui de preda magis, quàm de damno ſolicitus eſt: niſi fortè mandare actiones paratus ſit curatoribus. ff. de adminiſ. tut. l. ſi minoris. xxv.

Ex pluribus tutoribus in ſolidum unum tutorem iudex cõdemnauit. in rem ſuam iudicatus procurator datus priuilegium pupilli non habebit, quod nec hæredi pupilli datur. non enim cauſæ, ſed perſonæ ſuccurritur, quæ meruit præcipuum fauorem. ff. eod. l. ex pluribus. xxxxii.

Si plures tutelam non adminiſtrauerint, & omnes ſoluendo ſint: utrum, quia nullæ partes adminiſtrationis inueniuntur, electioni locus erit: an ut eiuſdem pecuniæ debitores, excipere debebunt periculi ſocietatem? quod magis ratio ſua det, ſi quidẽ ex his idonei non ſunt: onerabuntur ſine dubio cæteri, nec iniquè: cum ſingulorum contumacia pupillo damnum inſolidum dederit. unde quærendum eſt, an actiones pupillus, qui ſolus conuenitur, in alterum pro parte ſcilicet præſtare debeat? ſed cum propria cuiuſque contumacia puniatur: qua fronte poterit hoc deſiderari? ff. eod. l. ſi plures. xxxviii.

Tutores tutelæ conueniri longi temporis præſcriptio non prohibet. Vnde ſi iis tranſactione atque acceptilatione liberationem non præſtitiſti: apud rectorem prouinciæ, quæcunque tibi debentur, repetere non prohiberis. C. arbitr. tut. l. Tutores. viii.

De rationibus detrahendis actione non ſolùm hi tenentur tutores, qui legitimi fuerunt: ſed omnes, qui iure tutores ſunt, & gerunt tutelam. ff. de tutel. & rationib. d. l. prima. §. rationibus.

Ex duobus tutoribus, ſi cum altero actum fuerit, alter non liberabitur. ff. de adminiſtr. tuto. l. qui tutor. xviii. aliàs xix. §. fi.

Actus ſui rationem tutor contutori reddere non compellitur: ſed niſi cum eo adminiſtrationem communicet, aut ex fide curam gerat, ſuſpectus poſtulari poteſt. ff. eod. l. actus. xix. aliàs xx.

Adoleſcens, tutoribus conuentis, à quibus totum ſeruare non potuit, aduerſus curatores, qui tutelam ad ſe negligentia non tranſtulerunt, integram actionem retinet. neque enim tutelæ iudicio conſultum videtur, quod alterius officii querelam habuit. ff. de admin. tut. l. tutores. xxxix. aliàs xl. §. adoleſcens.

Tutor, qui tutoris idoneum hæredem conuenire pupilli nomine noluit, damni vicarius ſubſtituitur: vt is, qui non idoneum tutelæ tempore ſuſpectum facere superſedit. Tutelæ iudicium ideo differri non oportet, quod fratris & cohæredis impuberis idem tutelam ſuſtineat. d. l. tutores. §. tutor qui.

Hanc actionem etiam in hæredem tutoris competere conſtat. ſed & hæredi pupilli

li æquæ competit similibusque personis. ff. de tutel. ac ration. detrahen. l. prima, §. fin. & C. arbitrium tutel. l. penul.

In hac actione de rationibus detrahendis prætium rei tantùm duplicatur, non etiam, quod pupilli intersit d. l. prima. §. considerandum.

In tutela ex una obligatione duas actiones esse constat. & ideo siue tutelæ fuerit actum, rationibus detrahendis agi non potest: siue contrà, tutelæ actio (quo ad speciem istam) perempta est. hic tutor tamen, qui intercepit pecuniam pupillarem: & pro furto tenetur. qui si etiam pro furto teneatur: hac actione conuentus pro furto non liberatur. nec enim eadem est obligatio furti ac tutelæ: ut quis dicat plures esse actiones eiusdem facti, sed plures obligationes. nam & tutelæ & pro furto obligatur. d. l. prima. §. in tutela.

Quoniam in hac l. fit mentio de actione furti, quæ amplius non est in usu; cum pena lis & ciuilis sit ideo pro ea positum est pro furto.

Hanc actionem sciendum est perpetuam esse, & hæredi similibusq; personis dari ex eo, quod viuo pupillo captum est, sed in hæredem, cæterosq; successores nõ dabitur, quia pœnalis est. Hæc actio tunc competit, cùm & tutelæ actio, hoc est finita demum tutela. d. l. prima. §. fin.

Actione de rationibus detrahendis nemo tenetur, nisi qui in tutela gerenda rem ex bonis pupilli abstulerit. quod si furandi animo fecit: etiam furti tenetur. Vtraque autem actione obligatur, & altera alteram non tollet. sed & condictio ex furtiua causa competit: per quam si consecutus fuerit pupillus, quod fuerit ablatum, tollitur hoc iudicium: quia nihil absit pupillo. Hæc actio licet in duplum sit, in simplo rei persecutionem continet, & non tota dupli pœna est. ff. eod. l. secunda.

Cæteræ actiones, præter tutelæ, aduersus tutorem competunt, & si adhuc tutelam administrat: veluti, damni iniuriæ, condictio. ff. eod. l. si tutor. ix. §. fin.

Sed non dantur pupillo, dum tutor tutelam gerit. quamuis enim morte tutoris intereant: tamen pupillus cum hærede eius actionem habet: quia sibi soluere debuit. ff. eod. l. sed non dantur. x.

Si tutelæ aut negotiorum gestorum agatur, incerto hoc, quantum ab aduersariis debeatur tutori procuratori ve: arbitratu iudicis cauendum est, quod eo nomine eis absit. ff. eod. l. tertia.

Nisi finita tutela sit, tutelæ agi non potest. ff. eod. l. quarta. in princ.

Si tutor rem sibi depositam à patre pupilli vel commodatam non reddat: non tantùm commodati vel depositi, verùm tutelæ quoque tenetur. sed si acceperit pecuniam, vt reddat: plerisque placuit, eam pecuniam depositi vel commodati actione repeti, vel condici posse, quod turpiter accepta sit. ff. de tute. & ration. detrah. l. si tutor. v.

Debitor patris, qui tutelam administrauit filii, tutelę iudicio tenebitur etiam ob id, quod patri debuit. ff. de admin. tut. l. ita autem. iiii. aliàs v. §. debitor.

Si filiusfamiliàs tutelam administrauerit, & liberatus patria potestate dolo aliquid fecerit: an actio tutelæ patrem hoc nomine teneat, quæritur? & æquum est, ut eum dumtaxat dolum pater prȩstet, qui commissus sit ante emancipationem filii. ff. de tut. & ration. l. si filiusfamiliàs. vi.

Si filiusfamiliàs tutelam administrauerit deinde fuerit emancipatus: remanet tutor. & cùm pupillus adoleuerit aget cum eo eius quidem temporis nomine, quod est ante emancipationem, in quantum facere potest: eius verò, quod est post emancipationem, insolidum: cum patre verò, dumtaxat de peculio. manet enim aduersus eum etiam post pubertatem de peculio actio. neq; enim antè annus cedit, intra quem de peculio actio datur, quàm tutela fuerit finita. ff. de

tutel.

tutel. & ration. detrahen. l. si filiusfamiliàs. xi. Filius autem tutor, propter hoc suum factum, cum patre agere non potest ante pubertatem: quia nec finita tutela hoc ab eo exigi potest. ff. eo. l. filius autem. xii.

Si filiusfamiliàs tutor datus sit, si quidem pater tutelam agnouit in solidum debet teneri si non agnouit dumtaxat de peculio: Agnouisse autem videtur, siue gessit, siue gerenti filio consensit, siue omnino tutelam attigit. Vnde cum quidam filio scripsisset, ut diligenter tutelã gereret CVM SCIAS (inquiens) PERICVLVM AD NOS PERTINERE: hic uidebitur agnouisse. Planè si solum monuit filium non uidebitur agnita. ff. de Tutel. l. septima.

Lucius Titius Caium Seium filiumfamilias Testamento filio suo tutorem dedit. Caius Seius sciente & consentiente patre tutelã administrauit: Actione de peculio, & de in rem uerso pater tenetur, nã multum nõ facit patris scientia & consensus ad obligandum eum in solidum: nisi fortè contutore uel alio uolente eum facere suspectum intercesisset, & quasi in se periculum recepisset. ff. de administrat. tut. l. Lucius. xxi.

Sine hęrede tutor decessit: & cum neque inuentaria, neque alia instrumenta à fideiussore tutoris exhibeantur in id, quod tutor conueniri potuit fideiussor cõuenietur. ff. de adminisṫ. tut. l. sine hærede. xxxi. aliàs. xxxii.

Si filiusfamiliàs tutor testamento datus, post tutelam gestam emancipatus, in eodem officio perseuerauit. & secundum Sabini & Casii sententiam eueniet, ut de eo quidem, quod post emancipationem gestum est, in solidum conueniri posit: de præterito autem (siue peculium non sit ademptum siue ademptum sit) in id, quod facere posit. quod si superioris temporis nomine patrem de peculio pupillus conuenire maluerit. (annus enim vtilis, ex quo tutelæ agi posse cœperit, computabitur, ne capiatur pater, inducta totius temporis causa) tempus, quo filiusfamiliàs tutelam gesit, comprehendẽdum erit. ff. de admin. tut. l. tutorem. xxxvii. §. inde descendit.

Si pupillus hæres existerit ei, cuius tutelã tutor suus gesserat: ex hæreditaria causa cum tutore suo habebit actionem. ff. de tutel. & ration. detrah. l. si pupillus. vii. in principio.

Si tutor in hostium potestatem peruenerit: (quia finita tutela intelligitur) fideiussores, qui pro eo rem saluam fore spoponderint: & si quis existat defensor eius, qui paratus est suscipere iudicium tutelæ; vel si quis curator bonis eius constitutus: rectè conuenietur. Quamuis iure postliminii tutelam pristinam posit redintegrare. d. l. si pupillus. vii. §. fin. cum l. seq.

Si tutor reipublicæ causa abesse cœperit, ac per hoc fuerit excusatus, quod reipublicæ causa aberit: tutelæ iudicio locus est. sed si desierit reipublicæ causa abesse: consequenter desinit & is, qui in locum eius datus est, & tutelæ conueniri poterit. ff. de tutel. & ration. detrah. l. si tutor. ix. in princ.

Si duobus impuberibus fratribus tutor datus sit, & alter eorum in legitimam tutelam fratris sui perfectæ ætatis constituti reciderit: eum, qui datus sit, tutorem esse desiisse, Neratius ait. quia igitur desinit: tutelæ actio erit, etiã ex persona impuberis. quamuis sit testamento datus fuisset, non desineret esse tutor eius, qui adhuc erat impubes: quia semper legitima tutela testamentariæ cedit. d. l. si tutor. ix. §. si duobus.

Si testamento sub conditione tutor datus sit, deinde alius medio tempore ex inquisitione: dicendum est, locum esse tutelæ iudicio existente conditione, quia tutor esse desinit. sed & si quis testamento vsq; ad tempus fuerit datus: idem

erit

erit dicendum, & generaliter, quod traditum est, pupillum cum tutore suo agere tutelę non posse: hactenus uerum est, si eadem tutela sit. absurdum enim erat à tutore administrationis rationem negotiorum pupilli posci, in qua ad huc perseueraret. in qua autem desiit esse tutor, & iterum cœpit: sic ex pristina administratione tutelæ debitor est pupillo, quomodo si pecuniam creditam à patre eius accepisset. Quem igitur effectum hæc sententia habeat, uideamus. nam si solus tutor est: utique ipse secum non aget. sed uel per specialem curatorem conueniendus est: uel pone eum contutorem habere, qui possit aduersus eum iudicium accipere, ex qua causa cum eo tutelæ agi potest. quinimò & si medio tempore soluendo esse desierit: imputabitur contutoribus, cur non egerint cum eo. d. l. si tutor. §. si testamento.

Si tutori curator sit adiunctus, quamuis suspecto postutato: non cogetur tutelæ iudicium tutor suscipere: quia tutor manet. d. l. si tutor. §. si tutori.

Si fuerit tutor confiscatus: aduersus fiscum dandam esse actionem constat ei, qui loco eius tutor datus sit, uel contutoribus eius. d. l. si tutor. §. penul.

Si tutor post pubertatem pupilli negotia administrauerit: in iudicium tutelæ ueniet id tantum, sine quo administratio tutelæ expediri non potest. si uerò post pubertatem pupillis, qui tutor huius fuerat; fundos eius uendiderit, & prædia comparauerit: neque uenditionis eius, neque emptionis ratio iudicio tutelæ continebitur. & est uerum: ea, quæ connexa sunt, uenire in tutelæ actionem. Sed & illud est uerum: si cæperit negotia administrare post tutelam finitam, deuolui iudicium tutelæ in negotiorum gestorum actionem. oportuit enim eum à semet ipso tutelam exigere. sed & si quis cùm tutelam administrasset, idem curator adolescenti fuerit datus: dicendum est, negotiorum gestorum eum conueniri posse. ff. de tutel. & ration. detrah. l. si tutor. xiii.

Si post pubertatem tempore aliquo (licet breuissimo) intermiserit administrationem tutor, deinde cęperit gerere: sine ulla dubitatione tam tutelæ, quàm negotiorum gestorum iudicio cum eo agendum est. ff. eod. l. si post. xiiii.

Si tutor petitus, uel testamento datus, tutorem se constitutum esse, non ex remissæ negligentiæ uitio, sed iustæ ignorationis ratione non didicit, idque liquidis probationibus ostenderit: periculo eius temporis, quod ignorante se transmissum est, non tenebitur. C. de periculo tutor. l. penul.

Temporis, quod insequitur post tutelę translationem administrationis officio finito, ad eos qui fuerint tutores gerendæ rei non pertinere periculum, rationis est C. eod. l. finali.

Ad eos, qui in alia prouincia tutelam administrant, periculum administrationis ex persona tutorum, qui in alia prouincia res pupilli gerunt, non porrigitur. C. eod. l. secunda.

Tutor post puberem ætatem puellæ, si in administratione connexa perseuerauerit: tutelæ actione totius temporis rationem præstare cogitur. Sin autem post finitam administrationem in iisdem rebus minime se immiscuerit: temporis, quod insequitur, periculum ad eum nõ pertinet. C. arbitrium tutel. l. tutor. xi.

Si ex duobus tutoribus cum altero quis transegisset, quàmuis ob dolum communem: transactio nihil proderit alteri. nec immeritò: cùm unusquisque doli sui pœnam sufferat. quod si conuentus alter, præstitisset: proficiet id, quod præstitit ei, qui conuentus non est. licet doli mali ambo rei sint, tamen sufficit unum satisfacere: ut in duobus, quibus res commodata est, uel deposita, quibusque mandatum est. ff. de tutel. & ration. detrah. l. si ex duobus. xv.

Non

Non idcirco actio, quæ post vicesimumquintum ętatis annum intra restitutionis tempus aduersus tutorem in minore pecunia tutelæ iudicio cōdemnatum redditur, inutilis erit: quod adolescenti curatores ob eam culpam condemnati sunt. itaq; si non iudicatum à curatoribus factum est: per doli exceptionem curatores cōsequi poterunt, eã actionem sibi pręstari. ff. eod. l. alterius. xx. §. fi.

Cùm pupillus tutelæ actione contra alterum tutorem tutori, quem iudex in solidum condemnauit, cessit: quamuis postea iudicatum fiat, tamen actio data non intercidit: quia pro parte condemnati tutoris, non tutela reddita, sed nominis precium solutum videtur. ff. eo. l. cum pupillus. xxi.

Defensor tutoris condemnatus non aufert priuilegium pupilli. neq; enim sponte cum eo pupillus contraxit. ff. eod. l. defensor. xxii.

Conuento hærede tutoris iudicio tutelæ: curator eiusdem, neq; ab ipso iure liberatus videtur, neque exceptio rei iudicatæ ei datur. idemq; in hæredibus magistratuum obseruandum est. ff. eod. l. conuento. xxiii.

Cùm tutor negotiis impuberis administratis, pupillum paterna hæreditate abstineat: bonis patris venditis tractari solet, vtilis actio pupillo relinqui, an creditoribus concedi debeat. & probatur actionem inter pupillum & creditores patris esse diuidendam: scilicet vt quod rationi bonorum per tutorem deerit, creditoribus reddatur: quod autem vel culpa tutoris in officio pupilli perperam abstenti contractum est, puero relinquatur. quæ actio sine dubio non prius competet, quàm pupillus ad pubertatem peruenerit. sed illa confestim creditoribus datur. ff. de tutel. & ration. detrah. l. cum tutor. xviii.

Si tutor pupillum suum puberem factum non admonuerit, vt sibi curatores peteret: (sacris enim constitutionibus hoc facere iubetur, qui tutelam administrauit) iudicio tutelæ tenetur, & sufficit tutelæ iudicium, quasi connexum sit hoc tutelæ officio, quamuis post pubertatem admittatur. ff. de administr. tuto. l. ita tamen. v. §. si tutor.

Tutor, qui repertorium non fecit, quod uulgo inuentarium appellatur, dolo fecisse uidetur: nisi fortè aliqua necessaria & iustissima causa allegari possit, cur id factum non sit. Si quis igitur dolo inuentarium non fecerit: in ea conditione est, ut teneatur in id, quod pupilli interest: quod ex iureiurando in litem æstimatur. Nihil itaq; gerere ante inuentarium factum eum oportet. nisi id, quod dilationem nec modicam expectare possit. ¶ Aut testatores, qui substantiam transmittunt, specialiter inuentarium conscribi vetuerint. Scituris tutoribus quòd si inuentarium facere neglexerint, & quasi suspecti ab officio remouebuntur, & pœnis legitimis subiacebunt: & postea perpetua macula infamiæ notabuntur. ff. de administr. tut. l. tutor. vii. in principio. iuncto §. fi. l. fi. C. arbitrium tutel.

Si tutor pro substantia pupilli aliquid vbicunque dixerit ad maiorem quantitatem reducens, siue pro vtilitate pupilli, siue pro sola simplicitate, siue per aliam quancunque causam: nihil veritati præiudicat. sed hoc obtinet, quod ipsius rei inducit natura, & mensura pupillaris ostendit substantiæ. sin autem inuentario publice facto res pupillares conscripserit, & ipse per huiusmodi scripturam confessus fuerit ampliorem quantitatem substãtiæ: non erit aliud inspiciẽdum nisi hoc, quod inscripsit & secũdum vires eiusdem scripturę patrimoniũ pupilli exigitur. Neque enim sic homo simplex (imò magis stultus) inuenitur, vt & in publico inuentario contra se scribi aliquid patiatur. C. arbitri. tutel. l. fin. in princ.

Tutor eorum redituum nomine rationẽ pupillo reddere debet, qui ex fundo bona fide percipi potuerunt.ff.de admin.tuto.l.fine.xxxii.§.Modestinus.

Cùm tutelæ administratæ ratio à tutore peti cœperit: neq; veritati, neque iustis probationibus officit, quod testator modum patrimonii sui verbis testamenti ampliauit, vel minuit.C.arbitr.tute.l.prima.

Competet aduersus tutores tutelæ actio, si malè contraxerunt, si prædia non idonea comparauerunt per sordes, aut gratiam. Quid ergo, si neq; sordidè, neque gratiosè: sed non bonam conditionem elegerint? rectè quis dixerit, solam latam negligentiam eos pręstare hac in parte debere.ff.de administ.tut.d.l.tutor.vii.§.competet.

Hæredibus quoque pupillorum electio eadem aduersus tutores, cum quo potissimum consistere velint, competit; quę ipsis, quorum tutela administrata fuit. Quemadmodum principalibus cõstitutionibus declaratur: sumptuum, qui bona fide in tutelam, non qui in ipsos tutores fiunt, ratio haberi solet: nisi ab eo, qui eum dat, certum salarium ei constitutum sit.ff.de admin.tut.l.à tutoribus.xxxiii.aliàs xxxiiii.§.hæredibus.

Si temporali actione fuerit obligatus tutor: dicendum est, locum esse in tutelæ iudicio, vt perpetua actio sit. Et generaliter quod aduersus alium præstare debuit pupillo suo, id aduersus se quoque præstare debet, fortasis & plus, aduersus alios enim experiri sine actione non potuit, aduersus se potuit.ff.eodem.l.quoties.ix.aliàs.x.§.item si temporali.

Sicut soluere tutor, quod debet: ita exigere à pupillo, quod sibi debetur potest: si creditor fuit patris pupilli, si modò fuerit pecunia, vnde soluat. nec utiq; necesse habet si conueniatur per iudicem, semper soluere. tueri enim debet causam pupilli si iuxta est. idcirco quoque si mala causa pupillaris est denuntiari verum sibi debet: nam prohibentur tutores honoraria imputare pupillo, si superuacaneam litem instituissent, cùm conuenirentur à vero creditore.nec.n. prohibentur tutores bonam fidem agnoscere.d.l.quoties.ix.§.sicut.

Fundum ab eo emisti, cuius filii postea tutelam administras, nec accepisti vacuam possessionem. Labeo dixit, te tradere tibi possessionem hoc modo posse: vt pupillus & familia eius decedat de fundo: tunc demum tu ingrediaris in possessionem.ff.de contrahen.empt.l.fistulas.l.lxxviii.§.fundum.

Constat eum, qui ad augumentum datur (ut puta ad bona materna, quę postea accesserunt, uel ad aliud quod augumentum) administrare bona pristina non solere. Si autem suspectum facere priorem tutorem supersedit, vel satis ab eo exigere, plectetur. Per contrarium, qui datus est simpliciter tutor pupillo, si quid postea augumenti accesserit, periculo tenetur: quamuis solet ad augumentum dari curator, quæ res non facit, vt ipsa augumenta non pertineant ad curam priorum, ad quos omnis vtilitas pupillorum debet pertinere. Siue igitur datus est, communicatur periculum cum prioribus: siue datus non est, tenetur administrationis necessitate is, qui antea erat datus.d.l.quoties.§.cõstat.ff.de admini.tuto.

Etiam contutoris factum imputatur collegæ, si potuit & debuit suspectum facere. interdum & si debuit satis petere. Nam si idoneus subitò lapsus sit, nihil collegæ imputari potest.ff.eod.l.etiam contutoris.xiiii.aliàs.xv.

Qui plures tutores habuit: vnum, qui soluendo non fuit, rationem actus sui vetuit reddere. quoniam eius liberatio, quod ex tutela percepit, aut dolo con-

traxit, non est relicta: contutores, qui suspectum facere neglexerunt, ex culpa rectè conueniuntur. tutor enim legatarius ex culpa, quæ testamento remissa est, non tenetur. ff. eod. l. qui plures. xli. aliàs xlii.

Non denegari tutoribus debet, etiam debitores pupillorum ex persona sua respectu officii in iudicium vocare: vel illis hoc facientibus, suum accõmodare consensum. ff. de administr. tut. l. prima. §. fi. Imò periculum nominum debitorum ad tutorem pertinet, & denuntiari oportet parere solutioni: quia si satis non fecerint: in venditione pignorum vti communi iure potest. C. eod. l. debitoribus. xviii.

Si tutor constitutus, quos inuenit debitores, non conuenerit, ac per hoc minus idonei efficiantur; ipse in debitam pecuniam conuenitur. ff. eod. l. si tutor. xv. aliàs. xvi.

Cùm post mortem pupilli desinit esse nomen idoneum, tutor periculo eximitur. ff. eod. l. cùm post. xliii. aliàs. xliiii. in princ.

Si tutor pecuniam pupilli mutuam dedisset, & suo nomine stipulatus esset: potest dici, nomina integra pupillo salua esse, deperdita & malè contracta ad tutorem pertinere, sed verius esse existimatur posse tutorem eam conditionem adolescenti deferre, vt id, quod gessisset tutor in contrahendis nominibus, aut in totum agnosceret, aut à toto recederet: ita vt perinde esset, ac si tutor sibi negotium gessisset. Idem est & si pupilli nomine credidisset. ff. de administr. tuto. l. quæreretur. xvi. aliàs. xvii.

Chirographis debitorum incendio exustis, cùm ex inuentario tutores conuenire eos possent ad soluendam pecuniam, aut ad nouationem faciendam cogere, cùm idem circa proprios debitores propter eundem casum fecissent, & id omisissent circa debitores pupillorum. Si quid propter hanc eorum cessationem pupilli damnum contraxerũt, & probatum fuerit, eos tutores hoc per dolum, vel culpam prætermisisse: iudicio tutelæ damnum hoc præstabunt. ff. de administra. tuto. l. chirographis. lvii. aliàs lviii. in princ.

Nomina paternorum debitorum si idonea fuerint initio susceptæ tutelæ: & per latam culpam tutoris, minus idonea tempore tutelæ esse cœperunt, si palam dolo tutoris vel manifesta negligentia cessatum est: tutelæ iudicio damnum, quod ex cessatione accidisset, pupillo præstandum est. C. arbi. tute. l. secunda.

Sed tutores, qui post finem tutelæ per errorem in officio durantes, rerum administrationem retinuerunt: nominum paternorum periculum, quæ post pubertatem adolescẽtis idonea fuerunt, pręstare cogendi non erunt: cum actionem inferre non potuerunt. ff. de admin. tut. l. tutores. xxxix. in prin.

Si probatum est nomen debitoris à nouissimo curatore, frustrà tutor de eo conueniri potest. ff. de tutel. & ration. detrah. l. si probatum. xix.

Curator à patre testamento datus, si impuberis negotiis se per errorem immiscuit. postea à Prætore, tutoribus aliis datis, periculum futuri temporis ille, qui postea nihil gessit, non præstabit. Qui se negotiis impuberis, non iure tutor datus, secundum patris voluntatem immiscuit: errore comperto, tutorem à Prætore constitui consultius petet: ne fortè, si rem cęptam deseruerit, fraudis, vel culpæ causa condemnetur, non idem seruatur, si quis vltro negotium alienum gesserit: cùm satis abundeq; sit, vel in vna specie per amici laborem domino consuli. ff. de admin. tuto. l. tutores. xxxix. §. curator.

Hæres institutus, qui non habuit substitutum: prius, quàm hæreditatem adiret,

quam

quam impuberi restituere debuit, vita decessit. cum hæreditas in Italia esset, scriptus autem hæres in prouincia vita decessisset: tutores prouincialium rerum, culpæ nomine condemnandi sunt: si causam testamenti non ignorantes, vtilitatem impuberis deseruerunt. nam hæreditatis in prouincia fideicommisso restituto, causa quidem iuris expediri potuit: rerum autem administratio ad eos recidere debuit, qui tutelam in Italia suscepissent. d.l. tutores. xxxix. §. hæres institutus.

Aduersus tutorem, qui pupillum hæreditate patris abstinuit, actionem denegari non oportet creditori, qui cum ipso tutore cōtraxit: quamuis tutor pecuniam in rem impuberis verteret. d.l. tutores. §. aduersus.

Periculo nominum, quæ pater honesto lucro fecit, adscripto: pupilla quidem actionem Kalendarii præstare cogitur exactum autem interesse tutelę tempore citra vllam compensationem retinet. dl. tutores. §. Periculo.

Qui tutor negotia pupilli gessit: quamuis in nulla re auctor pupillo fuerit: quin tutelæ iudidio teneatur, dubitari non oportet. Quid enim prohibet, ita patrimonium pupilli compositum esse, vt nihil gerere necesse sit, in quo tutoris auctoritas interponi debeat. ff. eod. l. tutor. xviii. aliàs. xix.

Tutelæ iudicio tutor conuentus, edidit librum rationum, & secundum eum condemnatus, soluit. postea cùm à debitoribus paternis, quorum nomina libro rationum non inerant, exigere vellet puppillus decem: prolatæ sunt ab his apochæ tutoris: si debitores tempore administrandæ tutelæ, tutori tutelam gerenti soluissent: ipso iure à pupillo liberati sunt. Sed si cum tutore actum esset, potest idem adolescens propter eandem causam tutelæ experiri, & aduersus exceptionem rei iudicatæ doli mali replicatione vti. ff. de administr. tute. l. Lucius. xlvi. aliàs. xlvii. §. tutelæ.

Ab eo, qui sententia præsidis bonis ademptis relegatus erat, (cùm permissu principis appellatio eius recepta sit, quam is, qui pronuntiauerat, non receperat) fundum emerat pupillus, interuenientibus tutoribus: & appellatione iniusta pronuntiata, fundus ei ablatus est. Si tutores scientes emerunt ab eo, qui in ea causa etiamnum obnoxius sententiæ priori esset: tutelæ iudicio prętium fundi pupillus consequi à tutoribus poterit. ff. eod. l. Chirographis. lvii. §. fin.

Qui bonam causam ea, quæ tutorem habuit, & aduersus latam sententiam non appellauit, seu post appellationem prouocationis solemnia implere cessauerit: tutelæ iudicio indemnitatem pupillæ pręstare debet. C. de admi. tut. l. si bonā. xi.

Si tutoris culpa, vel dolo, eo quod vectigal prædio emphytheutico impositum minimè dependere voluissent, minori fuerit amissum: damnum, quod ei contigit, ex substantia eorum resarciri necesse est. C. de admin. tut. l. si tutoris. xxiii.

Damnum, si quod accidit eo, quia cautiones soluti vectigalis inuentæ non sunt: ad tutorem, cuius nulla culpa admissa proponitur non pertinet. ff. de admini. tut. l. si sine hærede. xxxii. aliàs. xxxiii. §. Modestinus.

Si res pupillaris incursu latronum pereat: vel argentarius, cui tutor pecuniā dedit, cùm fuisset celeberrimus, solidum reddere non possit: nihil eo nomine tutor præstare cogitur. ff. de admin. tuto. l. 50. aliàs. 51.

Nequaquam ambigendum est, si paterfamiliàs eum, pro quo fideiussit, tutorem dederit filio suo: officio tutoris conuenire, vt cum dies pecuniæ præteriit, creditori debitum soluat. Et ideo cessante eo, si pupillus suæ tutelæ factus, soluerit ex causa fideiussoria: non solum mandati, sed etiā tutelæ agere poterit. hoc enim ei imputatur, cur pro se non soluerit, quod si in diē debitor fuit iste

tutor, vel si die adhuc durante tutela venit. vnoq; casu deuoluitur in tutelæ iudicium si facultatibus labi tutor cœpit. Cæterum si idoneus tutor fuerit: nihil venire in tutelæ iudicium certum est. ff. eod. l. quoties. ix. aliàs. x. §. nequaquã.

Si res pupillares, quas in horreo conditas habere aut etiam venundare tutor debuerat, in hospicio suo vi ignis consumptæ sunt, hæc culpa seu segnities ad suũ damnum non ad pupillum spectat. C. de periculo tut. l. tertia.

Sed tutoribus fortuitos casus aduersus quos caueri non potuit, imputari non potest. C. eod. l. quarta.

Ex pluribus tutoribus in solidum vnum tutorem iudex condemnauit. in rẽ suam iudicatus procurator datus, priuilegium pupilli non habebit, quod nec hæredi pupilli datur. non enim causæ, sed personæ succurritur, quæ meruit præcipuum fauorem. ff. de admin. tut. l. ex pluribus. xlii.

Quod culpa tutoris pupillus ex hæreditate desiit possidere: eius æstimatio in petitione hæreditatis sine vlla dubitatione fieri debebit ita, si pupillo de hæreditate cautum sit. Cautum autem esse videtur, etiam si tutor erit idoneus à quo seruari possit id, quod pupillus ex litis æstimatione subierat. Sed si tutor soluendo non est: detrimentum petitoris esse debeat, non pupilli, perindeque haberi debeat, ac si fortuito casu interiisset: similiter ve atque ipse pupillus expers culpæ quid ex hæreditate diminuisset, corripuisset, perdidisset. & actiones dumtaxat, quas haberet cum tutore pupillus, uenditoris hæreditatis præstabit: sicut hæres si nihil culpa eius factum sit: veluti si de fundo hæreditario vi deiectus sit, nam nihil amplius quàm actiones, quas eo nomine habet præstare debebit. ff. eod. l. fin.

Cum tutor negotiis impuberis administratis, pupillum paterna hæreditate abstineat: bonis patris venditis, tractari solet, vtilis actio pupillo relinqui, an creditoribus concedi debeat. & probatur actionem inter pupillum & creditores patris esse diuidendam: scilicet vt quod rationi bonorum per tutorem deerit, creditoribus reddatur: quod autem vel culpa tutoris in officio pupilli perperã abstenti contractum est, puero relinquatur. quæ actio sine dubio nõ prius competet, quàm pupillus ad pubertatem peruenerit. sed illa cõfestim creditoribus datur. ff. de tutel. & ration. detrah. l. cum tutor. xviii.

Eum, qui bonis paternis abstentus est, hęreditariis actionibus conueniri nulla ratio suadet, nec ad rem facit, quòd aduersus curatores vel tutores, si non consulte abstentus sit, actio ei competat. nihil quippe in ea, quæ ex officio gesta sunt, vel geri debuerunt, veniet: sed culpa solummodo, quantiq; interfuit eius, non fuisse abstentum, æstimatur. Cui consequens est, vt si propter eam causam pupillus transegit cum tutoribus, vel curatoribus: nulla aduersus eum creditoribus patris petitio competat. C. arbit. tutel. l. quarta.

DE

DE CONTRARIA ET VTILI ACTIONE TVTELAE.

Titulus IX.

CONtrariam tutelæ actionem Prætor proposuit, induxitq; in vsum, vt facilius tutores ad administrationem accederent scientes pupillũ quoq; sibi obligatum fore ex sua administratione, quãquam enim sine tutoris auctoritate pupilli non obligentur, nec in rem suam tutor obligare pupillum posit: attamẽ receptum est, vt tutori suo pupillus sine tutoris auctoritate ciuiliter obligetur, ex administratione scilicet. etenim prouocandi erant tutores, vt promptius de suo aliquid pro pupillis impenderent: dum scirent se recepturos id, quod impendissent. ff. de contrar. & vti. act. tut. l. prima, in princ. Finito officio hæc actio competit tutori. cæterum quandiu durat nondum competit. d. l. prima. §. finito.

Præterea si tutelæ iudicio conuenietur: reputari potest id, quod in rem pupilli impendit. sic erit arbitrii eius: vtrum compensare, an petere velit sumptus. Quid ergo, si iudex compensationis eius rationem non habuit? an & contrario iudicio experiri posit? & vtiq; potest. sed si reprobata est hæc reputatio, & adquieuit: non debet iudex contrario iudicio id sarcire. d. l. i. §. Præterea.

Ea, quæ debebantur aliàs tutori, (vtputa si quid à patre pupilli debitum fuit) non sunt in contrarium iudicium deducenda, cum sit integra actio pro his tutori. Si tamen ideo expectauit, quia tutor erat, & ideo non exigit: contrario iudicio tutelæ indemnitatem consequetur. Nam sicuti, quodcunque aliud gesit pro vtilitate pupilli, id contrario iudicio cõsequitur: ita.n. id, quod sibi debetur, consequi debet, vel eius securitatem, ergo & si ex causa, quæ tempore finitur, obligatio aliqua fuit: tutelæ contrarium iudicium esse ei existimatur. d. l. prima. §. an in hoc iudicio.

Hanc actionem dandam placet, & si tutelæ iudicio non agatur. etenim nonnunquam pupillus idcirco agere tutela vult, quia nihil ei debetur: imò plus in eũ impensum est, quam ei abest. nec impediendus est tutor contrariò agere. d. l. prima. §. fin. Et longè magis danda est hæc actio, & si de rationibus detrahendis actio intendatur. ff. eod. l. secunda.

Si tutor plus in pupillum impendit, quã est in facultatibus: potest consequi, quod impendit, si tamen expediat pupillo in tutelam administrari. cæterùm si non expediat: dicendum est, absolui pupillum oportere. neque enim in hoc administrantur tutelæ, vt mergantur pupilli. iudex igitur, qui contrario iudicio cognoscit, vtilitatem pupilli spectabit, & an tutor ex officio sumptus fecerit. ff. de contrar. tut. l. tertia, in princ.

Contrariũ iudicium an ad hoc quoq; cõpetat, vt qs à pupillo exigat liberationẽ, videndum est. & nemo dixerit, in hoc agerę quẽ contrario posse, vt tutelæ iudicio liberet: sed tñ de his, quę ei propter tutelã absunt. d. l. tertia. §. contrarium.

Consequitur pecuniam tutor, quam de suo cõsumpsit etiam cum interesse, quod in regione obseruatur, vel eo, quo mutuatus est (si necesse habuit mutuari, ut pupillo ex iuxta causa prærogaret) vel eo, quo pupillũ liberauit, vel quo caruit tutor, si nimium posuit pupillo pecuniã esse exsolutam. Planè si tutor fortè aliquid pecuniæ debuit numo dare sub honesto interesse, & aliquid ipse pro pupillo soluit: nec ipse interesse consequitur, nec pupillo pẽsabit. Quare & si in vsus suos cõuertit, deinde aliquid impendit in rẽ pupillarem: quã impendit, desinit vertisse, & exinde interesse non pstabit. & si antè ĩpendit in rẽ pupillarẽ, mox in

vsus suos vertit: non videbitur vertisse quantitatem, quæ concurrit cum quantitate sibi debita, vt eius summæ non præstet interesse. Non tantum post finitã tutelam, verum etiam quoad ei reddatur pecunia, interesse cõsequetur. nec. n. debet ei sterilis esse pecunia. si tamen fuit in substantia pupilli, vnde consequeretur: dicendum est, non oportere eum interesse à pupillo exigere. quid ergo, si de re pupillari non potuit sibi soluere, quia erat deposita ad prędiorum comparationem? si quidẽ nõ postulauit à prætore, vt promatur pecunia, vel hoc minus deponatur: sibi imputet. si verò hoc desiderauit, nec impetrauit: dicendum est, non deperire ei interesse in contrario iudicio. ff. de contrar. tut. & vtil. act. l. tertia. §. consequitur.

Sufficit tutori bene & diligenter negotia gesisse: & si euentum aduersum habuerit, quod gestum est. d. l. tertia. §. sufficit.

Iudicio tutelæ, præstatur, & id cõtrario quod in rem pupilli vel post tutelã versum est, si negotiis tutelæ tempore gestis connexũ probatur: & quod antè impẽsum est, siue pro tutore negotia gesit, & postea tutor constitutus est, siue ventri erat curator. sed & si non pro tutore negotia gerebat, debet venire, quod antè impensum est. Deducuntur enim in tutelæ iudicium sumptus, quoscunque fecerit in rem pupilli: sic tamen, si bona fide fecit. d. l. tertia. §. iudicio.

Sumptus in pupillum necessariò, & ex honestis iustisque causis iudici si probabuntur facti, acceptò ferentur, etiamsi decretum de eis dandis non sit interpositum, id nanq; quod à tutoribus bona fide erogatur potius iustitia, quàm aliena authoritate firmatur. C. de administ. tut. l. tertia.

Et ratio haberi debet sumptuum in tutelam, non qui in ipsos tutores fiunt, nisi ab eo, qui eum dat certum salarium ei constitutum sit. ff. de administr. tut. l. à tutoribus. xxxiii. aliàs xxxiiii. §. fin.

Tutor rerum Italicarum conuentus à creditore prouinciali vbi rem pupilli habuit, soluit id tutelæ iudicio reputari poterit. ff. eod. l. Titium. xlvii. aliàs xlviii. §. finali.

Hanc actionem perpetuam esse palàm est: & hęredi, & in hæredem dari: cęterisq; successoribus, ad quos ea res pertinet, & in eos. ff. de contr. tut. l. tertia. §. fin.

Hæredem tutoris, si eam summam soluerit, in qua obligati pupilli fuerunt, actionem contrariam aduersus eos habere posse responsum est. ff. eod. l. penult.

A tutela remotus eo loco haberi debet, quo esset finita tutela. & sicut actiones patitur, perinde ac si pupillus pubes factus esset: ita contrario iudicio, si quid ei aberit, persequi debebit. Nihil enim prohibet suspectum tutorem esse; quãuis complura in rem pupilli impenderit, quæ eum amittere non oportet. ff. eod. l. quarta.

Si tutor pro pupillo se obligauit: habet contrariam actionem, & antequam soluat. ff. eod. l. vltima.

Qui pro contutore iudicato pecuniã soluit nullum iudicium cõtra pupillum competit, vt delegetur sibi aduersus liberatum actio. Quod si nomen emit: in rẽ suã procurator datus hæredes iudicati poterit conuenire. C. de contr. iud. tut. l. 1.

Si pater, qui priuigni sui tutelam administrasse proponitur, testamẽto rectè facto, pupillo etiam quondam suo hærede instituto, decessit: quoniam non nisi pro portione hæreditaria tutelæ petitionem confusione constet extingui, pro residua parte succedentem patri filium, tutelæ conuenit apud competentem iudicem reddere rationem; qui secundum bonam fidem eorum etiam, quæ patrem, & tutorem in rem pupilli erogasse dicitur. admissa compensatione, &

reli-

reliqui (si quid amplius debetur) faciet condemnationem. Quod si sciens amplius in rem suam erogatum, agendum propterea tutelæ non putauerit, is contrario iudicio conueniri poterit. C.de contr. jud.tut.l.fin.

Hæc actio non solum tutori, uerum etiam ei, qui pro Tutore negotia gessit competere debet.ff.de contr.act.tut.l.prima.§.hæc actio.

DE EO, QVI PRO TVTORE NEGOTIA GESSIT.
Titulus X.

PRo tutelæ actionem necessariò prætor proposuit. nam cùm plerunque incertum sit, utrum quis tutor, an uerò quasi tutor, pro tutore administrauerit tutelam: idcirco in utrunque casum actionem scripsit, ut siue tutor sit, siue non sit, qui gessit: actione tamen Teneatur. solent enim magni errores intercedere, ut discerni facilè non possit, utrum quis tutor fuerit, & sic gesserit: an uerò non fuerit, pro tutore tamen munere functus sit. ff.de eo qui pro tut.l.prima, in princ.

Pro tutore negotia gerit, qui munere tutoris fungitur in re impuberis: siue se putet tutorem, siue sciat non esse, fingat tamen.d.l.prima.§.pro tutore.

Cum eo, qui pro tutore negotia gessit, etiam ante pubertatem agi posse, nulla dubitatio est: quia tutor non est, quarè si quis finita Tutela, pro tutore negotia impuberis gessit, tenebitur. Sed & si prius pro tutore administrauerit, deinde quasi tutor; æquè tenebitur ex eo, quod pro tutore negotia adminastrauerit: quamuis deuoluatur hic gestus in tutelæ actionem. Si quis quasi tutor negotia gesserit eius, qui iam pubes est neque tutorem habere potest: pro tutelæ actio cessat. Simili modo & si eius, qui nondum natus est. nam ut pro Tutore quis gerat, eam esse personam oportet, cuius ætas recipiat tutorem, sed erit negotiorum gestorum actio. Si curator impuberi à prætore datus, negotia gesserit: an quasi pro tutore gesserit, teneatur, quæritur? & est uerius cessare hãc actionem: quia officio curatoris functus est. Si quis tamen, cùm curator non esset, compulsus à Prætore uel pręside, dum se putat tutorem, gesserit tutelam: uidendum, an pro tutore teneatur. & magis est, ut quamuis compulsus gessit, teneri tamen debeat: quia animo tutoris gessit, cum tutor non esset. an iste curator, non quasi tutor, sed quasi curator gessit. ff.de eo, qui pro tut.l.prima.§.cum eo, qui.

Si is, qui pro tutore negotia gerebat, cum tutor non esset: rem pupilli uendidit, nec ea usucapta est: petet eam pupillus, quamquam ei cautum est, non enim est eadem huius, quæ tutoris, rerum pupilli administratio. ff.eod.l.secunda.

Qui pro tutore negotia gerit, eandem fidem & diligentiam præstabit, quam tutor præstaret. ff.eod.l.penul.

Etiam mulieres si res pupillares pro tutore administrauerũt, ad præstandam rationem tenentur. C.de eo, qui pro tut.l.prima.

Ei, qui pro tutore negotia gessit, contrarium iudicium competit. ff.de eo, qui pro tutore.l.finali.

Non utiliter nominatus tutor pupillorum nomine agendo licet ex eorum persona iniunctas impleat intentiones, exceptione (si tutor non est) submouetur. C. de eo, qui pro tutor.l.finali.

QVOD

QVOD FALSO TVTORE AVCTORE GESTVM ESSE DICETVR.

Titulus XI.

HVius edicti æquitas non est ambigua: ne contrahentes decipiantur, dum falsus tutor adhibetur. Verba autem edicti hæc sunt. QVOD EO AVCTORE, QVI TVTOR NON FVERIT. uerbis edicti multa desunt, quid enim, si fuerit tutor: is tamen fuit, qui auctoritatem accōmodare non potuit: puta furiosus, uel ad aliam regionem datus? sed Pomponius libro tricesimo scripsit, interdum (quamuis tutore gestum est) non pertinere ad hanc partem edicti. quid enim, si duo tutores, alter falsus, alter uerus auctoritatem accōmodauerit: non ne ualebit, quod gestum est? Item hoc edictum, licet singulariter scriptum sit: si tamen plures interuenerint, qui tutores non erant: locum habere debere, Pomponius libro tricesimo scribit. Idem Pomponius scribit etiam si pro tutore negotia gerens, auctoritatem accōmodauerit: nihilominus hoc edictum locum habere: nisi fortè Prætor decreuit, ratum se habiturum id, quod his auctoribus gestum est. tunc enim ualebit per Prætoris tuitionem, non ipso iure. ff. quod falso tut. l. prima in principio.

Ait Prætor. SI ID ACTOR IGNORAVIT DABO IN INTEGRVM RESTITVTIONEM scienti non subuenit, meritò: quoniam se ipsum decepit. d. l. prima. §. finali.

SI ID ACTOR IGNORAVIT. Labeo. & si dictum sit ei, & ex bona fide non crediderit. ff. eod. l. secunda.

Planè si is sit, qui auxilio non indiget, scientia ei nō nocet. ut puta si pupillus cum pupillo egit. Nam cum nihil actum sit, scientia non nocet. ff. eod. l. iii. Et minori uiginti quinque annis succurritur etiam si sciuerit. ff. eod. l. quarta.

Interdum tamen, & si scientia nocet: tamen restitutio facienda erit, si à prætore compulsus est ad iudicium accipiendum. ff. eod. l. quinta.

Pupilli scientia computanda non est, tutoris eius computanda est. utique si pupillo cautum sit: melius diceretur, rem suam restitui pupillo debere, quàm incertum cautionis euentum expectari. & idem si aliàs circunuentus sit pupillus. ff. eod. l. pupilli. vi.

Nouissimè Prætor ait. IN EVM, QVI CVM TVTOR NON ESSET, DOLO MALO AVCTOR FACTVS ESSE DICETVR: IVDICIVM DABO, VT QVANTI EA RES ERIT, IN TANTAM PECVNIAM CONDEMNETVR. Non semper tutor conuenitur, nec sufficit, si sciens auctor fuit: uerum ita demum, si dolo malo auctor fuit. quid enim si compulsus, aut metuens, ne compelleretur, auctoritatem accōmodauerit? debebit esse excusatus? Quod ait Prætor. QVANTI EA RES ERIT non pœna, sed ueritas his uerbis continetur. ff. quod falso tutor. l. nouissimè. vii.

Sumptuum in hoc iudicio ratio habebitur, quos facturus est actor restitutorio agendo. d. l. nouissimè. §. Pomponius.

Si plures sint, qui auctores fuerunt: perceptione ab uno facta & cæteri liberantur non electione. Et ideo si nihil, aut non totum seruatum sit: in reliquos non denegatur in id, quod deest, actio. d. l. nouissimè. vii. §. fin. cum l. seq.

Si cum falso tutore actum sit, & interea dies actionis exierit, aut res usucapta sit: omnia in-

omnia incommoda perinde sustinere debet. ac si illo tempore uero tutore auctore egisset.ff.eod.l.si cum falso.x.

Falsus tutor, qui in contrahendo auctor minori duodecim uel quatuordecim annis fuerit: tenebitur in factum actione propter dolum malum, cuiuscunque conditionis fuerit, uel sui iuris,uel alieni. Qui enim dolo malo auctoritatem accomodauerit: tenebitur hoc edicto. Sed & si quis filius familiàs auctor factus sit ad contrahendùm, tenetur. Nam omnibus istis modis propter tutorem decipitur is, qui contraxit: quia aliter cum impubere contracturus non fuisset, quàm si tutoris auctoritas intercessisset. ff.quod falso tut.l.falsus tutor. xi. in principio.

Huius actionis exemplo Pomponius libro tricesimo scribit,dandam actionem aduersus eum,qui dolo malo adhibuit, ut alius auctoraretur inscius.ff.eod.l.Huius.ix.in principio.

Has in factum actiones hæredibus quidem competere,cæterisque successoribus: in eos uerò non reddi,Labeo scribit,nec in ipsum post annum: quoniam & factum puniunt,& in dolum concipiuntur, & aduersus eas personas, quæ alieno iuri subiectæ sunt,nuxales erunt.d.l.huius.ix.§.has in factum.

Ex eo,quod interrogatus,tutorem se esse respondisset: nulla is actione tenetur. si tamen cum tutor non esset,responso suo in aliquam captionem adolescētem induxisset: utilis actio aduersus eum danda est.ff.eod.l.finali.

COMPEN-

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,
Liber Sextus.

DE CVRATORIBVS.
Titulus Primus.

MAsculi quidem puberes, & fœminæ uiri potentes usque ad uicesimumquintum annum completum curatores accipiunt: quia licet puberes sint, adhuc tamen eius ætatis sunt, ut sua negotia tueri non posint. Instit. de curat. in principio.

Curatores minores sibi ipsis petent: si quidem adfuerint, per se ipsos, si autem ab fuerit aliquis eorum petet per procuratores, nec decet alium petere minoribus curatores. ff. qui petant tutor. uel curat. l. ii. §. curatores aliàs. iii. d. §.

Curator, ignorante nec mandante pupillo non recte à tutore petitus uidetur, periculumque eorum, quæ curator non iure datus gesit non sine ratione is, quod petit cogitur agnoscere. Et idem si matris iudicium princeps secutus, curatores eius filiæ dedit periculum administrationis eorum ea respicere debet. d. l. ii. §. curatorem aliàs. iiii. in princ.

Dantur curatores ab eisdem, magistratibus à quibus & tutores. Instit. de curat. §. dantur autem.

Decreto decurionum & ipsum magistratum curatorem dari posse responsum est. ff. qui petant tut. uel curat. l. iii. aliàs. vi.

Scire oportet magistratus, quod curatrices minoribus mulieres non curabunt. ff. de tut. & curat. datis. l. scire. xxi.

Non tantùm ad dotem dandam nupturæ curatorem dari oportet: uerum etiam ei, quæ iam nupta est. Sed & ad dotem augendam datur, & mutandæ quoque dotis gratia curator dari potest. ff. de tutor. & curat. datis l. non tantum. vii.

Curator pro minore non tantum dotem dare debet, sed etiam impendia, quæ ad nuptias facienda sunt. ff. de administrat. tutor. l. curator. lii. aliàs. liii.

Item si curatores cessāt, dotare minorem bonis suis impetratur à pręside, ut, quod moderatum est honestæ personæ præstare cogantur. C. eod. l. si curatores. ix.

Curatorem habenti, quominus alius curator detur regula iuris non est impedimento. ff. de tut. & curat. datis l. uentri. xx. §. finali. Causa tamen cognita quia ambigui iuris non est curatorem habenti non adiungi, aut ante priore remoto Eum quoque absuturum damni, quod medio tempore negotiis pupillaribus contingit, esse succedaneum; cum actorem periculo suo constituere debuerat; nec iure magistratum in absentia sua alium creasse certum est. C. qui dare tut. uel curat.

uel curat.l.curatores.x.

Si peregre agant,qui curatores dati ſunt,ut intra xxx.dies notum his à magiſtratibus fiat reſcriptum eſt. ff.eod. l.finali.

Curator teſtamento non datur, datus tamen confirmatur decreto Prætoris uel præſidis. Inſtitut.de curat. §.ſed curator & ff.de confirmat. tut.uel curat. l.prima.§.finali.& C.de teſtam.tut.l.tutelæ.vii.

Auia teſtamento nepotibus curatorem dedit, fideicommiſſo ei relicto : iſte curator quidem non eſt: ſed cum aliquid teſtamento ei datum ſit,tenetur is ex fideicommiſſo,ſi non curam adminiſtrationis ſuſciperet: niſi id, quod datum eſſet nolet petere,aut reddere paratus eſſet.ff.de confirman.tut.uel cura. l.finali.

Inuiti adoleſcentes curatores non accipiunt præterquam in litem. Curator enim & ad certam cauſam,dari poteſt. Inſtit.de curat.§.item inuiti.

Petendi filiis curatores neceſsitas matribus impoſita non eſt: cum puberes minores anno uiceſimo quinto ipſi ſibi curatores,ſi res eorum exigit,petere debeāt. C.qui petant.tutor.l.matris pietas.vi.§.petendi.

Actor admonet adoleſcētem,aduerſus quem conſiſtere uult,ut ſibi curatorem dari poſtulet, cum quibus ſecundum iuris formam conſiſtet : qui ſi in petendis his ceſſabit poteſt actor competentem iudicem adire ut in dandis curatoribus officio ſuo fungatur. C.eod.l.prima.

Tutor admonet eam,quæ quondam pupilla ſua fuit,ut ſibi petat curatorem. quod ſi eum petere neglexerit,quo maturius poſsit rōnes adminiſtrationis reddere, addito eo cuius ſuper ea re notio eſt: curatorem petere quondam tutorem non uectabit. C.qui petant.tut.uel curat.l.admone.vii.

In uniuerſis litibus placet,non prius puberem iuſtam habere perſonam, niſi interpoſito decreto, aut adminiſtrandi patrimonii gratia,aut in litem fuerit curator datus,ut legitime initiatæ litis agitata in iudiciis controuerſia finiatur. C. qui dare tut.uel cura.l.in uniuerſis.xi.

Curator adoleſcenti ordinatus, poſt inchoatam litem non poteſt ſub prætextu ſpecialis curatoris à ſe nominati,aut litem conteſtatam deſerere,aut ab adminiſtratione ſe ſubtrahere. C.eod.l.penul

Interdum & pupilli curatores accipiunt, ut puta ſi legitimus tutor nō ſit idoneus, quoniam habenti tutorem tutor dari non poteſt. Inſtit.de curat.§.interdum.

Si teſtamento datus tutor, uel à prætore aut præſide idoneus non ſit ad adminiſtrationem, nec tamen fraudolenter negotia adminiſtret, ſolet ei curator adiungi. Inſtit.eod.§.item ſi teſtamento.

Item loco tutorum,qui non in perpetuum, ſed ad tempus à tutela excuſantur ſolent curatores dari. Inſtit.eod.§.item loco.

Si tutor aduerſa ualetudine, uel alia neceſsitate impediatur, quominus negotia pupilli adminiſtrare poſsit,& pupillus uel abſit,uel infans ſit, quem uelit actorem,periculo ipſius tutoris Prætor, uel, qui prouinciæ præerit decreto,conſtituet. Inſti.de curat.§.finali.

Solet curator dari aliquando tutorem habenti propter aduerſam tutoris ualetudinem, uel ſenium ætatis : qui magis adminiſtrator rerum, quàm curator eſſe intelligitur. Sed etiam actor tutelæ, quem ſolet Prætor permittere tutoribus conſtituere,qui non poſſunt ſufficere adminiſtrationi tutelæ : ita tamen ut ſuo periculo eum conſtituant.ff.de tutel. l.ſolet.xiii. & ff.de excuſat.tut. l.non ſolum.x.aliàs.xii.§.fina.

Propter late diffuſum,uel in diuerſis locis patrimonium,uel quod ſolus ad admi-

niſtratio-

nistrationem non sufficiat, aliqui curatores adiungi oportet tutori. C. in quib. casib. tut. hab. l. tertia. & C. de excusat. tut. l. Testamento. xi.

Tutor pupillo datus si prouocet: interim pupillo curator dabitur. Sed si tutoris auctoritas fuerit necessaria, ueluti ad adeundam hęreditatem: tutor ei necessariò dabitur, quoniam curatoris auctoritas ad hoc inutilis est. ff. de appellat. l. cum in una. xvii. §. final.

Si mater ea conditione scripserit filios hæredes, si liberati fuerint patria potestate, liberatis his & ob id hæredibus ipse pater curator creari, etiam si uelit, non potest, ne alia uia, quod testatrix fieri noluit fiat. ff. de tutor. datis. l. scire oportet. xxi. §. primo.

Maritus & si rebus uxoris suæ debet affectionem, tamen ei curator creari non potest. C. qui dare tutor. l. secunda.

DE CVRATORIBVS FVRIOSO: PRODIGO ET ALIIS EXTRA MINORES DANDIS
Titulus II.

FVriosi quoque & prodigi licet maiores. xxv. annis sint, tamen in curatione sunt agnatorum, ex lege. xii. tabularum. Sed solent Romæ præfecti Vrbis, uel prætores, & in Prouinciis Præsides, ex inquisitione eis curatores dare: sed & mentecaptis, & surdis, & mutis, & qui perpetuò morbo laborant, (quia rebus suis superesse non possunt) curatores dandi sunt. Insti. de curat. §. furiosi.

Curatores impleta legitima ætate prodigis uel furiosis solent tribui. C. de curat. furiosi uel prodigi. l. prima.

Si furioso puberi, quanquam maiori annis uigintiquinque, curatorem pater testamento dederit: cum Prætor dare debet secutus patris uolūtatem, manet enim ea datio curatoris. ff. eod. l. si furioso. xvi. in principio.

Sæpe ad alium ex lege duodecim tabularum curatio furiosi aut prodigi pertinet, alii prætor administrationem dat: scilicet cum ille legitimus inhabilis ad eam rem uideatur. ff. eod. l. sæpe. xiii.

Furiosæ matris curatio ad filium pertinet: pietas enim parentibus (& si inæqualis est eorum potestas) æqualis debetur. ff. eod. l. quarta.

Si pater mentis compos non est, filius petet ei curatores, per quos si quid gestum est, quod reuocari oporteat, possit causa cognita in pristinum statum restitui. C. de curat. furios. l. tertia.

Imò extat diui Pii rescriptum filio potius curationem permittendam in patre furioso, si tamen probus sit. ff. eod. l. prima, in fi.

Frater etiam emancipatus ex lege. xii. tabularum furiosis fratribus, & sororibus est legitimus curator. C. eod. l. quinta.

Virum uxori mente captę curatorem dari non oportet. ff. eod. l. uirum. xiiii.

Cum aliis quidem hominibus continuum furoris infortunium accidat, alios autem morbos non sine laxamento aggrediatur, sed in quibusdam Temporibus quædam eis intermisso perueniat, & in hoc ipso multa sit differētia, ut quibusdam breues induciæ, aliis maiores ab huiusmodi uicio inducantur: antiquitas disputabat, utrum ne in mediis furoris interuallis permaneret eis curatoris intercessio, an cum furore quiescente finita, iterum morbo adueniente redintegraretur. Decisum est curatoris creationem non esse finiendam, sed manere

quidem

quidem eum donec talis furiosus viuit, quia non est pene tempus in quo huiusmodi morbus desperatur. Sed per interualla, quæ perfectissima sunt nihil curator aget, quia potest ipse furiosus, dum sapit, & hæreditatem adire, & omnia alia facere, quæ sanis hominibus competunt. Sin autem furor stimulis suis iterum eum accenderit. curator in contractu suo coniungitur, vt nomen quidem curatoris in omne tempus habeat, effectum autem quoties morbus redierit: nec crebra, vel quasi ludibriosa fiat curatoris creatio, & frequenter tam nascatur, quàm desinere videatur. C. de cura. furio. l. sexta.

Qui habent tutorem, si furere cœperint in ea causa sunt, vt in ea tutela durent, & cesset cura si tutelæ ætas indigeat: si uerò tutores non habent, & furor eis accessit: tutores accipere poterunt: Et si minor xxv. ann. furiosus sit, curator ei, non vt furioso, sed vt adolescenti datur, quasi ætatis sit impedimentum, cùm magis ætati, quàm dementiæ tantisper sit consulendum. ff. de tutel. l. tertia.

Cùm furiosus, quem morbus detinet, in sacris perpetuis parentis sui constitutus est: indubitatæ curatorem habere non potest: quia sufficit ei ad gubernationem rerum, quæ ex castrensi peculio, uel aliter ad eum peruenerunt, & vel ante furorem adquisitæ sunt, vel in furore obueniunt, vel in iis, quorum proprietas ei tantummodo competit, paterna verecundia. Quis enim talis affectus extraneus inueniatur, vt vincat paternum? uel cui alii credendum est res liberorum gubernandas, parentibus derelictis? C. de cura. furio. l. fin. in princ.

Sin autem parentes ab hac luce decedere contigerit: Constitutio Iustiniani. C. de impub. & aliis substi. Lib. vi. Tit. xxvi. l. nona. disponens de his, quæ in testamento furioso relinquenda sunt, vel substitutione eorum, in suo robore maneat. d. l. cùm furiosus. §. sin autem parentes. citauimus in hoc §. Librum titulum, ac legem, pro maiori facilitate.

Sin verò perpetuò furiosus sui iuris sit: tunc in paterna quidem hæreditate, quæ quasi debita ad posteritatem suam deuoluitur, nulla est iuri veterũ dubitatio: cum illico appareat, & suus hæres existat suis parẽtib. d. l. fi. §. sin verò perpetuò.

Sin autem ex alia quacunq; causa hęreditas ad eum, vel successio pertineat: furiosus quidem nullo modo potest hæreditatem adire, curatori autem eius datur licentia, imò magis necessitas imponitur, si vtilem ei esse successionem existimauerit, Bonorum possessionem agnoscere. d. l. fi. §. sin autem ex alia.

Si parens curatorem furioso, vel furiosæ in vltimo elogio hæredibus institutis dederit, cessat satisdatio, paterno testimonio pro eius satisdatione sufficiente: Et ipse, qui datus est ad curationem perueniat: ita tamen vt apud competentes iudices, & actis interuenientibus tactis sacrosanctis euangeliis, edicat omnia se rectè & cum vtilitate furiosi agere, & neq; prætermittere ea, quæ vtilia furioso esse putauerit, neque admittere, quæ inutilia existimauerit: Et inuentario cum omni subtilitate publicè scripto, res suscipiat, & eas secundum sui opinionem disponat sub hypotheca rerum ad eum pertinentium ad similitudinem tutorũ & curatorum adulti. d. l. fin. §. & si quidem parens.

Sin autem testamentum quidem parens non fecerit, lex autem curatorem vtpote adgnatum vocauerit, vel eo cessante, aut non idoneo forsitan existente, ex iudiciali electione curatorem dare necesse fuerit: tunc si nobilis sit furiosi persona ex inquisitione curator optimę atque integræ opinionis nominabitur. Sin verò non talis persona sit: sine tãta inquisitione procedetur: Et si quidẽ curator substantiã idoneam possideat: eo sufficiente ad fidem gubernationis, & sine aliqua satisdatione nominatio eius procedet. Sin aũt non talis eius census inueniatur: & tunc fideiussio, in quantũ possibile est, ab eo exploreť creatione

omnimodo ſacris ſcripturis propoſitis, in omni cauſa celebranda. Ipſo autem curatore, cuiuſcunque ſubſtantię, vel dignitatis eſt, præfatum ſacramētum pro vtiliter rebus gerendis præſtante, & inuentarium publicè conſcribente, quatenus poſsint vndiq; res furioſi vtiliter gubernari. d. l. fi. §. ſin autem teſtamētum.

Tali ordinatione in curatore furioſi diſpoſita, ſi quid poſtea ad furioſum peruenerit, ſiue ex hæreditate, vel ſucceſsione, vel legato, vel fideicommiſſo, vel alio quocunq; modo: hoc furioſo accedat, & cum alia eius ſubſtantia manibus curatoris tradatur, inuentario etiam ſuper his omnibus rebus ſcilicet faciendo: & ſub eius cura cuſtodiatur, quatenus, ſi quidem reſipuerit furioſus, & adquiſitionem admiſerit, ipſi reſtituatur. Sin autem in furore diem ſuum finierit, vel ad ſuam ſanitatem perueniens eam repudiauerit, ſi quidem ſucceſsio eſt, ad eos referatur, (volentes tamen) ideſt, vel ſubſtitutum, vel ab inteſtato hæredes, vel ad ærarium publicum: eo ſcilicet obſeruando, vt hi veniant ad ſucceſſionem, qui mortis tempore furioſi propinquiores exiſtant ei, ad cuius bona vocabuntur, ſi non in medio fuiſſet furioſus: omni ſatiſdatione vel cautione, quam per inextricabilem circuitum veteris iuris auctores induxerunt, radicitus exciſa: legatis autem proculdubio & fideicommiſsis, cæteriſque adquiſitionibus furioſo adquirendis, & ſubſtantiæ eius aggregandis. ſin autem ipſe reſipuerit, & noluerit ea admittere, & apertè hæc reſpuerit, vel eius hæres hoc fecerit: à ſubſtantia eius illico ſeparandis, quaſi nec fuerint ab initio ad eum deuoluta: & per legitimum tramitem ambulantibus, ſubſtantiam furioſi nec prægrauantibus, neq; adiuuantibus. d. l. fin. §. tali itaque ordinatione.

Sin autem curator furioſi ſecundum hāc legem nominatus deceſſerit, ſub eodem modo eademq; obſeruatione alius creabitur: quemadmodum & ſi ſuſpectus reperiatur, alter ſubrogetur. d. l. fin. §. penult.

Obſeruare Prætorem oportet, ne cui temerè citra cauſæ cognitionem pleniſsimam, curatorem det: quoniam pleriq; vel furorem, vel dementiam fingunt, quò magis curatore accepto onera ciuilia detrectent. ff. de curato. furio. l. obſeruare. vi.

Conſilio & opera curatoris tueri debet non ſolum patrimonium, ſed & corpus ac ſalus furioſi. ff. eod. l. conſilio. vii.

Curator dementi datus, decreto interpoſito, vti ſatiſdaret, non cauit: & tamen quaſdam res de bonis eius, legitimo modo alienauit. Si hæredes dementis eaſdem res vindicent, quas curator alienauit, & exceptio opponetur, SI NON CVRATOR VENDIDERIT: replicatio dari debet, AVT SI SATISDATIONE INTERPOSITA SECVNDVM DECRETVM VENDIDERIT. Quòd ſi prętio accepto curator creditores furioſi dimiſit: replicatio doli tutor poſſeſſores præſtabit. d. l. conſilio. §. curator.

Cùm dementis curatorem (quia ſatis non dederat, & res malè adminiſtrat) Proconſul remouerit à bonis, aliumq; loco eius curatorem ſubſtituerit: & hic poſterior (cum nec ipſe ſatis dediſſet) egerit cum remoto negotiorum geſtorum, poſteaq; hæredes dementis cum eodem negotiorum geſtorum agant, & is exceptione rei iudicatæ inter ſe & curatorem vtatur: hęredibus replicatio danda erit, AVT SI IS, QVI EGIT, SATIS DEDERAT. ſed curatori replicatio doli profutura eſt, ſi ſequens pecuniam, quam ex condemnatione conſecutus fuerat, in rem furioſi vertiſſet. d. l. conſilio. vii. §. cum dementis.

Altero ex curatoribus furioſi rectè ſoluitur, & is quoque qui ab altero ex curatoribus fundū furioſi legitimè mercaretᷣ, vſucapturus eſt, q̄a ſolutio, vēditio, tra-

ditio, facti magis, quàm iuris essent. Ideoq; sufficit vnius ex curatoribus persona: quia aliter intelligitur consentire. denique si præsens sit, & vetet solui, vel venire, vel tradi: neq; debitor liberabitur, neq; emptor vsucapiet. d.l.consilio.vii.§.finali.

Nam ne vtilitates furiosi impediantur Prætor vni curatorum curationem decernet, ratumq; habebit, quod per vnum sine dolo malo gestum est.ff.de administrat.tut.& curat.l.si plures. iii.in princ.

Curator furiosi rem quidem suam quasi furiosi tradere poterit, & dominium trāsferre: rem verò furiosi, si quasi suam tradat, dicendum, vt non transferat dominium: quia non quasi furiosi negotium gerens tradidit.ff.de curat.furio.l.Iulianus.x.§.curator.

Pignus à curatore furiosi datum valet si vtilitate furiosi exigente id fecit.ff.eod.l.pignus.xi.

Ab adgnato, vel alio curatore furiosi, rem furiosi dedicari nō posse constat. Adgnato enim furiosi non vsquequaque competit rerum eius alienatio, sed quatenus negotiorum exigit administratio.ff.eod.l.ab adgnato.xii.

Curator furiosi si donandi causa alienet, neq; traditio quicq̃ valebit, nisi ex magna vtilitate furiosi hoc cum cognitione iudicis fiat.ff.eod.l.fin.

Beneficium, quo possessiones rusticas sine decreto præsidis pupillorum vel adolescentium distrahi vel obligari prohibitum est, nō iniuria etiam ad adgnatos furiosi porrigitur. Si igitur citra decretum præsidis fundus mente capti etiam ab adgnato eius pignori nexus est, vinculum pignoris in eo non consistit: vtilem tamen aduersus eum personalem actionem si ob eius vtilitatem pecunia mutua accepta est creditor poterit habere. C.de curator. furio. & prodi. l.secunda.

Curator furiosi domini loco habetur & transigere cū fure potest, quia adeo personam domini sustinet, vt etiam tradendo rem furiosi alienare existimetur. condicere etiam rem furtiuam curator furiosi eorum nomine possunt.ff.de furtis.l.interdum.lviii.§.qui tutelam.

In curatoris bonis priuilegium furioso, furiosæ've seruatum.ff.de curat.furio.l.& mulieri.xv.§.in curatoris.

De prodigo.

Lege duodecim tabularum prodigo interdicitur bonorum suorum administratio. quod moribus quidem ab initio introductum est. sed solent hodie Prætores, vel præsides, si talem hominem inuenerint, qui neque tempus, nec finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissidando profundit. curatorem ei dare, exemplo furiosi. & tamdiu erunt ambo in curatione, quādiu vel furiosus sanitatem, vel ille sanos mores receperit. Quod si euenerit: ipso iure desinunt esse in potestate curatorum.ff.de cura.furio. l.prima.

Non est nouum, quosdam, & si mentis suæ videbuntur ex sermonibus compotes esse: tamen si ita tractant bona ad se pertinentia, vt nisi subueniatur his, deducantur in egestatem. eligendus erit, qui eos consilio regat. nam æquum est, prospicere etiam eis, qui quod ad bona ipsorum pertinet, furiosum faciunt exitum.ff.de tut.& cura.datis.l.his, qui.xii.§.fin.

Curatio eius, cui bonis interdicitur filio hodie non negatar, quia permittitur in parte furioso si tamen probus sit. d. l. prima, in fi.

Ii, quibus per Prætorem bonis interdictum est nihil transferre possunt ad aliquem: quia in bonis nihil habent. ff. eod. l. Iulianus. x. in princ.

Si prodigo curatorem pater dederit voluntatem eius sequi debet Prætor, eumq; dare curatorem, nec attenditur, quòd forte Prætor ei bonis interdicturus nō esset, nisi pater aliquid testamento cauisset, quia per omnia iudicium patris sequendum est: ne quem pater verò consilio prodigum credidit, eum magistratus propter aliquod suum vitium idoneum putauerit. ff. de cura. furios. & prod. l. penult. §. his consequens est.

Surdis & mutis, & qui perpetuo morbo laborant: quia rebus suis superesse non possunt curatores dandi sunt. Insti. de curat. §. furiosi. vers. & surdis. & ff. de tutor. & cura. dat. l. nec mandante. viii. in fine.

Sed & aliis dabuntur curatores. qui rebus suis superesse non possunt, vel dari iubebitur. Nec dubitabitur filium quoq; patri curatorem dari. ff. de curat. furio. & prod. & aliis, l. secunda.

Mulieri, quæ luxuriose viuit bonir interdici potest. ff. eod. l. & mulieri. xv.

Cùm deliberāt hēdes instituti adire, bonis à Prętore curator datur. ff. eo. l. tertia.

Curator constituitur, cum clara persona in ea causa sit, vt eius bona venire debeant. Nam vt honestius ex bonis eius, quantum potest, creditoribus soluatur: curator constituitur distrahendorum bonorum gratia, vel à Prætore, vel in prouinciis à præside. ff. eod. l. quinta.

Cuius bonis distrahendis curatores facere senatus permisit, eius bona creditoribus vendere non permisit: quamuis creditores post id beneficium bona vendere mallent. Sicut enim integra re potestas ipsis est, vtrum velint, eligendi: ita cum alterum elegerint, ab altero abstinere debent. Multoq; magis id seruari æquum est, si factus est curator, per quem bona distraherentur, & si nōdum explicato eo negotio decesit. Nam & tunc ex integro alius curator faciendus est, neque hæres prioris curatoris onerandus: cùm accidere posit, ut negotio vel propter sexus, vel propter ætatis infirmitatem, vel propter dignitatem maiorem minorem've, quæ in priore curatore spectata erat, habilis non sit: posint etiam plures hæredes ei existere, neque per omnes id negotium administrari expediat: aut quicquam dici posit, cur vnus aliquis ex his potisimum onerandus sit. ff. eod. l. cuius. ix.

Bonorum ventris nomine curatorem dari oportet, eumque rem saluam fore viri boni arbitratu satisdare proconsul iubet. Sed hoc si sine inquisitione detur. nam si ex inquisitione: cessat satisdatio. ff. eod. l. bonorum. viii.

Inter bonorum, ventrisq; curatorem, & inter curatorem furiosi, itemq; prodigi, pupilli've magna est differentia: quippe cum illis quidem planè rerum administratio, duobus autem superioribus sola custodia, & rerum, quæ deteriores futuræ sunt, venditio committatur. ff. de administrat. tuto. l. inter bonorum. xlviii. aliàs xlix.

Ei, cuius pater in hostium potestate est tutor non datur. Sed si datus sit in pendenti datio non est, & non valet datio, quia post patris regressum recidit in potestatem patris atque si nunquam ab hostibus pater captus fuisset, imò curator substantiæ dari debet ne medio tempore pereat. ff. de tutel. l. muto. vi. §. ei cuius.

Prodigus & omnes omnino etiam si in edicto non fiat eorum mentio in bonis curatoris

ratoris decreto priuilegium consequuntur. ff. de cura. furi. & prod. l. & mulieri. xv. §. finali.

Aequissimum est non solum ei, qui pro tutore negotia gesit priuilegio locum esse, sed cæteris quoque quibus curatores quasi debilibus vel prodigis dantur. vel surdo, vel muto, vel fatuo. ff. de priuil. credito. l. quarta. §. fin. cum l. sequ.

DE ADMINISTRATIONE, ET PERICVLO CVRATORVM.

Titulus III.

CVrator frastrà timet administrare res adolescētis, cuius curator est, ne ex hoc aliquid existimet commune periculum prioris temporis se recepisse, sed & quę agenda putat debet agere, & quod magis interest debet instare, vt iudex inter se & tutores datus quāprimum partibus suis fungatur. C. de admin. tut. uel cura. l. prima.

Curatores mox, vt fuerint ordinati omnia faciant, quæ habentur de tutoribus. in l. tutores. xxiiij. supra Tit. de administr. tuto.

Si plures curatores dati sunt: ratum haberi debet etiam quod per vnum gestum est. Nam & in furiosi curatoribus, ne vtilitates furiosi impediantur, prætor vni eorum curationem decernet: ratumq; habebit, quod per eum sine dolo malo gestum est. ff. de administr. tut. vel cura. l. tertia, in princ.

Curator cuius iniusta appellatio pronunciata fuerint, cuius ve excusatio recepta non sit, ex quo accedere ad administrationem debuit: erit obligatus. ff. eod. l. tutor. xxi.

Qui scit se curatorem datum, & non administrauit: cæteris curatoribus administrationem per agentibus & sufficientibus damno præstando contra eum, qui non administrauit actio dari non potest. Si autem nescisset se curatorem datum, etiam si soluendo cæteri non sint: damni periculum ad eum nō pertinet. C. de administr. tut. & curat. l. & si scisses. viii.

Pro officio administrationis curatoris bona, si debitor existat tāquam pignoris titulo obligata, minores sibi met vindicare minimè prohibentur. Idem est si curator quis constitutus, res minorum non administrauerit. C. de admin. tut. & curato. l. pro officio. xx.

Minorum defensores, si per eos donationum conditio neglecta est, rei amissæ periculum præstent. C. eod. l. pupillorum. xxi.

Si curatoris culpa eo, quod vectigal prædio emphyteutico impositū minimè dependere voluissent, minori fuerit amissum damnum, quod ei contigit ex substantia eius resarciri necesse est. C. eod. l. si tutoris. xxiii.

Curatoribus fortuitos casus, aduersus quos caueri non potuit imputari non oportet. C. de periculo tut. & curat. l. quarta.

Interposito curatore adolenscens fundum Titio uendidit. Postea agnita fraude in integrum restitutus in possesionem induci passus est: si prætium fundi ab adolescente uenumdati rationibus eius non profuit, nec quicquam de eo à iudice de in integrum restitutione statutum est, emptor frustra restitutionem prętii postulat. Item adolescens sumptibus uoluptatis causa ab emptore factis onerandus non est. Illi tamen, qui ab eodem ædificio ita auferri possunt, ut in facie pristina, idest, quæ fuit ante uenditionem ædificium esse posit emptori auferre permitti oportet. ff. de administrat. tut. uel curat. l. si sine hærede. xxxii. aliàs. xxxiii. §. interposito.

A curatoribus adoleſcentulorum, eadem diligentia exigenda eſt circa admini-ſtrationem rerum, quam paterfamilias rebus ſuis ex bona fide præſtare debet. ff. eod. l. à tutoribus. xxxiii. aliàs xxxiiii.

Curator nomina, quæ iuſtè putat non eſſe idonea à tutore, vel curatore priore ſuſcipere quidem cogitur, non tamen exactionem periculo ſuo facere. ff. de adminiſtr. tuto. vel curat. l. tutor. xxxv. aliàs xxxvi.

Qui verò nominibus à curatoribus ſuſceptis, nomina agnouerint, periculum in ſe transferunt. ff. eod. l. qui nominibus. xliiii. aliàs xlv.

Curator à patre teſtamento datus, impuberis negotiis ſe per errorem immiſcuit. poſtea à Prætore tutoribus aliis datis, periculum futuri tẽporis ille, qui poſtea nihil geſsit, non præſtabit. ff. eod. l. tutores. xxxviii. aliàs xl.

Curatores adoleſcentis mutui periculi gratia cautionem inuicem ſibi præbuerunt, & in eam rem pignora dederunt. cùm officio depoſito ſoluendo fuiſſent: irritam cautionem eſſe factam, & pignoris vinculum ſolutum apparuit. d. l. tutores. §. curatores.

Curatores teſtamento, inutiliter dati, neque decreto Prætoris confirmati, ſi negotia geſſerunt. vice mutua periculum præſtare coguntur: cùm officium ſponte citra iuris adminiculum inierint: & qui fuit idoneus, decretum Prætoris curatores conſtituentis, implorare debuerit. d. l. tutores. §. curatores teſtamento.

Adoleſcens, tutoribus conuentis, à quibus totum ſeruare non potuit, aduerſus curatores, qui tutelam ad ſe negligentia non tranſtulerunt, integram actionem retinet. neque enim tutelæ iudicio conſultum videtur, quod alterius officii querelam habuit. d. l. tutores. §. adoleſcens.

Impuberi filio centurio curatorem dedit, decreto Prætoris non ſecuto, ſi nihil curator datus adminiſtret: periculo contumaciæ vel negligentiæ non adſtringitur. nam priuilegium militum ad alienam iniuriam porrigi non oportet: nec in aliis circa ſupremam voluntatem imperitiæ venia datur, quàm in bonis militum. Filii verò tutela iure patriæ poteſtatis, non militiæ præmio mãdatur. ff. de admini. tuto. vel cura. l. impuberi. xl. aliàs xli.

Quidam cum eſſet fratris ſui filiæ curator, quadringenta dotis nomine marito eius ſe daturum promiſit. Et cùm poſtea ære alieno emergẽte ſupra vires patrimonii eius dos promiſſa ſit, ſuccurrendum eſt ei. ſi non donandi animo, ſed negotii gerendi cauſa dotem promiſerit, nam habet mulierem obligatam, & poteſt dici etiam manente matrimonio eam teneri, quia habet dotem, vel certè ſoluto matrimonio, ſiue exacta ſit, dos ſiue maneat nomen, quia poteſt efficere, vt ei accepto feratur. Quod ſi mulier ſuum curatorem adimplere, eo quod ſupra vires patrimonii eius in dotem dare promiſit, non queat: curator quidem in hoc, quod ſuperfluum eſt, per exceptionem releuatur, mulier verò cautionem in maritum exponere debet. quod ſi quandoq; locupletior conſtante matrimonio facta fuerit: dotis reliquum marito ſoluat. ff. eod. l. cum poſt mortem. xliii. aliàs xliiii.

Sed ſi ſciens curator non ſufficere patrimonium promiſerit: cùm officium ſuum egreſſus ſponte ſe obligauerit, à prætore ei ſuccurri non debet, non magis, q̃ ſi creditori puellæ pecuniam ſe daturum ſpopondiſſet. d. l. cum poſt mortem. xliii. §. præterea.

Lucius Titius curator Caii Seii tempore curæ fundum Cornelianũ locauit Sempronio, qui Sempronius reliqua traxit. pupillus ætate probata, eundem quondã colonum Semproniũ fecit procuratorẽ: Non ex eo, quod adultus eũ, qui p̃-

dia eius soluit, procuratorē habere voluit debitum qđ ex cōductione reliquatus est agnouisse non uidetur. eoq; nomine curatorem suum non liberauit. ff. de administrat. tut. uel curat. l. Lucius. xlvi. aliàs. xlvii. in princ.

Sempronii, qui ex pollicitatione debitor patriæ suæ exstiterat, bona Respublica iussu præsidis possedit. quorum bonorum magistratus tres curatores constituerunt, qui apud Græcos uocantur ἐπιμεληταὶ qui postea inter se sine consensu Reipublicæ administrationem bonorum Sempronii diuiserūt. ex quibus quidam, cum reliqua traherent, idonei ipso Tempore administrationis esse desierunt. postea pupillus hæres Sempronii, qui abstentus erat, ab Imperatore impetrauit, ut bona paterna ei restituerentur. si pupillo in curatores bonorum actiones decerni placuerit: pro eius portione, qui idoneus non sit magistratum conueniri oportet. alia enim causa est tutorum, alia eorum, qui reipublicę negotia administrant. d. l. Lucius Titius. xlvi. §. Sempronii.

Cum hæreditas patris ære alieno grauaretur, & res in eo statu uideretur, ut pupilla hæreditate paterna abstineret: unus ex tutoribus cum plerisque creditoribus ita decidit, ut cætera crediti portione contenti essent, acciperentque idem curatores iam iuripotenti accepti, cum plerisque creditoribus deciderunt. Et cum aliquis tutorum creditor patris pupillæ solidam pecuniam expensam sibi ex re pupillæ fecerit: reuocari poterit à curatoribus pupillæ ad eas portiones, quas cæteri quoque creditores acceperunt: quia tutor, qui cæteros ad portionem uocat eadem parte contentus esse debet. ff. de administrat. tut. l. cum hæreditas. lix. aliàs. lx. & ff. de pactis cum in eo. xliiii. aliàs. xlv.

In causis adultorum licentia erit agentibus, uel ipsum adultum præsentem in iudicium uocare, ut consensu curatoris conueniatur: uel contra curatorem agere, ut ipse litem suscipiat. In absentibus autem adultis omnimodo contra curatorem agendum erit. ff. de administrat. tut. uel curat. l. prima. §. in causis.

Post completum uicesimumquintum annum ætatis, si nondum rationes redditæ sunt, nec ad causam pertinentia instrumenta: fidei ac uerecundiæ curatorum conuenit, ut consilio suo cœptam litem perficiant. si igitur cessent in his, quæ constituta sunt, faciendis: magis existimatur, sufficere negotiorum gestorum iudicium, etiam si iam actum sit: si tamen huius rei ratio reddita non est. ff. eo. l. ita autem. v. §. post completum. aliàs. §. final.

Curator si in negotio adulti prouocauerit: hæres eius antequam reddat rationes appellationis causam persequi debet: nā post redditas rationes curator appellationis merita probare non cogetur. ff. de appellat. & relatio. l. tutor. xxvii.

Nemo curatorum adulti uel furiosi aliarumque personarum, quibus ex legibus creantur curatores, defensionem, quam pro lite susceperint recusare, sed ab initio litis, modis omnibus memoratas personas defendere, & litem præparatam secundum leges instruere debent: scientes, quod hoc munus necessarium est curationi, & si hoc recusauerint, uel subire distulerint, non solum utpote suspecti amouebuntur amissa eorum existimatione, sed etiam ex substantia sua omne detrimentum, quod antelatæ personę ex recusatione defensionis sustinent resarcire coguntur. C. de administrat. tut. & curat. l. final. in principio.

Sed & si quis ex quadam interpellatione admonitus, pro litis instructione consuetam cautelam exposuerit, uel post litem contestatā, quam per se, non per procuratorem, susceperit, uel demens, uel furiosus factus fuerit: continuò curator ei à cōpetente iudice ordinatur, cura & prouisione tam iudicis, sub quo lis uertitur, quàm cognatorum, & propinquorum, & actoris, si uoluerit: ut non ab eo in

stituta

ſtituta lis diutius protrahatur: neceſsitatem habente creando curatore defenſionem ſubire, & cætera litis adimplere. d. l. final. §. ſed & ſi quis.

Perſonæ, quæ periculo proprio uel ſuæ ſubſtātiæ curatores petierunt, ſiue matres fortè fuerint, ſiue quidam alii compellendæ ſunt eos, quos ordinauerint curatores præparare talem ſubire defenſionē, uel ſi illi noluerint hoc facere, & propter huiuſmodi defenſionis recuſationem, à cura remoueantur: neceſsitas imponitur memoratis perſonis alios curatores ordinare in ipſis geſtis, in quibus curatores creantur: ex ſua defenſione declarantes talem ſubire defenſionem. Ne autem tales perſonæ ſine prouiſione debita relinquantur, uel contra eos agentium iura diutius, protelentur: continuò, ideſt poſt recuſationem defenſionis, in caſibus, in quibus hoc fieri poſsit, creatio aliorum curatorum celebrari debet cognatis, aliiſque propinquis & affinibus uel creditoribus, uel aliis quorum intereſt adeuntibus, uel admonentibus eos, qui ſecundum leges ius habēt curatores conſtituere. d. l. finali. §. perſonis.

Ne curatores putauerit ex hac defenſione grauamen ſibi met imponi: decernitur illam defenſionem eos ſubire, quæ non ſatiſdatione, pro euentu litis conſtituitur, ſed ut tantum modo litem ſecundum legum ordinem pro adulto, aliiſque perſonis inſtruant. Et licentiam habent ſine decreto res, quarum gubernationem gerunt pro cautela litis ſubſignare. C. de adminiſt. tut. l. fi. §. defenſionem.

Omni dubitatione pro defenſione adultorum, aliarumque perſonarum penitus amputata, omnes curatores non aliàs creabuntur, niſi prius cum aliis ſolemnibus uerbis, quę pro gubernatione rerum tam in geſtis, quàm in cautionibus ab his conſcibuntur, & hoc ſpecialiter expreſſerint, quod omnimodo ſine alia dilatione defenſione pro pupillis & adultis aliiſque ſupra memoratis perſonis ſubire eos neceſſe eſt. d. l. finali. §. omnem autem.

Poſſeſſore furioſo in petitione hæreditatis: ſi quid ne in rerum natura eſſet. per furorem eius accidiſſet expers culpæ erit. quemadmodum in caſu aliquo ſine facto perſonæ id accidiſſet. Si uerò per curatorem furioſi culpa uel dolo quid admiſſum fuerit, ad ſimilitudinem pupilli actiones dumtaxat, quas haberet cum curatore petitori hæreditatis præſtare debet. ff. de adminiſtrat. tutor. l. finali. §. de poſſeſſore. & §. finali.

De his, quæ in fraudem adminiſtrationis à tutore geſta, uel negligenter acta à curatoribus ſunt, agere debet minor ſi modo annos legitimæ ætatis impleuerit. Nec enim ignorandum eſt, non multum patrocinari fœcunditatem liberorum fœminis ad rerum ſuarum adminiſtrationem, ſi intra ætatem legitimam ſint conſtitutæ. C. de adminiſtrat. tuto. l. de his. xii.

Cum curatore & pro tutore, etiam manente adminiſtratione agi poteſt. ff. de adminiſtrat. tut. l. cum curatore. xxvi.

Item cum curatore pupilli, ſiue adoleſcētis agi poterit, & ſi uſque adhuc cura perſeueret. ff. de tutel. & ration. l. ſi ad huc. xvi.

Secus eſt in curatore adoleſcentis, quia rationes curæ adminiſtratæ ante impletū uigeſimumquintum annum durante officio poſci iure non poſſe manifeſtum eſt. C. de adminiſtrat. l. rationes. xiiii.

DE FI-

DE FIDEIVSSORIBVS ET NOMINATORIBVS TVTORVM ET CVRATORVM.

Titulus IIII.

FIdeiuſſores à tutoribus nominati, ſi præſentes fuerunt, & non contradixerunt, & nomina ſua referri in acta publica paſsi ſunt: ęquum eſt, perinde teneri, atque ſi iure legitimo ſtipulatio interpoſita fuiſſet. eadem cauſa uidetur affirmatorum: ſcilicet quia, cum idoneos eſſe tutores affirmauerint, fideiuſſorum uicem ſuſtinent. ff. de fideiuſſorib. tut. & curat. l. quarta. §. fin.

Poſtulare tutorem uidetur & qui per alium poſtulat: item nominare, & qui per alium hoc idem fecit. ff. eod. l. ſecunda.

Etiam fideiuſſorem, & hæredem fideiuſſoris ad rationem reddendam reuocandos eſſe conſtat, ad quam tutor reuocatur. ff. eod. l. tertia.

Si cum fideiuſſoribus tutoris, ex ſtipulatione REM SALVAM FORE, agetur: eaſdem reputationes habebunt, quas tutor. ff. eod. l. quinta.

Pupillus contra tutores eorumque fideiuſſores iudicem accepit. iudice defuncto priuſquam ad eum iretur, contra ſolos fideiuſſores alter iudex datur eſt. officio cognoſcentis conuenit, ſi tutores ſoluendo ſint, & adminiſtratio nõ diſpar, ſed communis fuerit portionum uirilium admittere rationem ex perſona tutorum. ff. eod. l. pupillus. vi.

Si fideiuſſores, qui rem ſaluam fore pupillo cauerant, ut tutorum adoleſcens ante conueniret, petierunt: atque ideo ſtipulanti promiſerunt, ſe reddituros, quod ab eo ſeruari non potuiſſet: placuit inter eos, qui ſoluendo eſſent, actionem reſidui diuidi, quod onus fideiuſſorum ſuſceptum uideretur. nam & ſi mandatu plurium pecunia credatur: æquè diuiditur actib. ſi enim, quod eſt datum pro alio, ſoluitur: cur ſpecies actionis æquitatem diuiſionis excludat? ff. eo. l. penult.

Eligere debet tutor utrum cum ipſis tutoribus uel curatoribus, ſeu hæredibus eorum, an cum iis, qui pro ipſis ſe obligauerunt agere debeat, uel (ſi ita malit) diuidere actionem. Nam in ſolidum, & cum reo, & cum fideiuſſoribus agi iure non poteſt. C. de fideiuſſ. tut. uel curat. l. prima.

Non eſt ambigui iuris, electo reo & ſoluente, fideiuſſorem liberari. ideo & ſi ſimpliciter acceptus eſt fideiuſſor in id, quod tutor ſeu curator debiturus eſſet: cum proponatur, tutor ſeu curator damnatus ſoluiſſe: dubium non eſt, liberatum eſſe fideiuſſorem. Planè ſi ſtipulatio REM SALVAM PVPILLO FORE interpoſita eſt, uel cautum eſt in id, quod a tutore uel curatore ſeruari non poteſt: manet fideiuſſor obligatus ad ſupplendam pupillo indemnitatem. C. eod. l. finali.

Si duo plures've tutores tutelam adminiſtrẽt: in fideiuſſorem quidem in ſolidum per quemlibet eorum committitur ſtipulatio, ac ſi inter eos diuiſa ſit tutela regionibus (quod plerunque fit) & alius urbica negotia, alius peregrina adminiſtret: tunc ex ſubſtantia cuiuſque rei, aut committi contra fideiuſſorem ſtipulationem, aut non committi dicemus. nam licet omnes tutores ſint, & tutelam gerant: tamen cùm quis de ea re, quæ extra ſuam regionem erit, experiri, uel ad iudicium uocari cœperit: perinde non committitur ſtipulatio, atque ſi ei adminiſtratio tutelæ permiſſa non eſſet, quantum enim facit, in totum denegata: tantundem ualet, ſi in ea re, de qua agitur, denegata ſit. ff. de adminiſtr. tutor. l. ſi duo plures've. li.

Propter

Propter ea, quæ post pubertatem nulla necessitate cogente, sed ex uoluntate sua tutor administrauit; fideiussor, qui saluam rem fore cauit, non tenetur. ff. eod. l. Lucius. xlvi. §. Paulus.

Si plures fideiussores à tutore pupillo dati essent: in unum datur actio: ita ut ei, qui conueniretur, actiones præstarentur. Nec quisquam putauerit ab iure discessum, postquàm pro ea parte placuit tutores condemnari, quam administrauerunt: & ita demum in solidum si res à cæteris nō seruentur, aut idonea culpa detegatur, quòd suspectum facere supersederint. Nam æquitas arbitrii atque officium boni uiri uidetur eam formam uiris desiderasse. cæterùm fideiussores ciuiliter in solidum obligati, cæteris quidem agentibus, ut diuidatur actio, impetrare possunt: pupillo uerò agente, qui non ipse contraxit sed in tutorem incidit, & ignorat omnia, beneficium diuidendę actionis iniuriam habere uisum est: ne ex una tutela causæ plures, uariæque quæstiones apud diuersos iudices constituerentur. ff. rem pupilli sal. fore. l. finali.

SI MATER INDEMNITATEM PROMISIT.

Titulus V.

SVo potius periculo magistratus tutores, quos mater petiit dederunt: quam ipsa contra sexus conditionem alicui ex ea obligatione obstincta sit, quòd suo periculo tutores filiis suis dari postulauerit. C. si mater indemnit. promis. l. prima.

Ob tutorem non idoneum à matre petitum, frustra eam teneri contenditur: cum non, nisi specialiter eius periculo dari decreto fuerit comprehensum, ex ea obligatione obstricta sit. C. eod. l. tertia.

Tutore asseuerante, quædam pupillorum suorum à matre, itemque auo materno administrata fuisse, ac indemnitatem promissam. si iidem pupilli legitimæ ętatis effecti, non aduersus matrem suā, neque auum, sed contra tutores congredi malunt: non immeritò indemnitatem ab iis præstari tutores desiderabūt, quos & administrationē suo periculo pridē suscepisse proponitur. C. eod. l. secunda.

Quamuis mater, susceptis bonis filiorum indemnitatem pro administratione tutoris se præstituram promiserit: tamen filius aduersus tutorē tutelæ, non aduersus matris successores ex stipulatu cōpetit actio. C. arbitrium tutel. l. tutorē. ix.

DE HAEREDIBVS TVTORVM ET CVRATORVM.

Titulus VI.

QVamuis hæres tutoris tutor non est: tamen ea, quæ per defunctum inchoata sunt, per hæredem (si legitimæ ætatis, & masculus sit) explicari debent: in quibus dolus eius admitti potest. quod penes tutorem fuit, hæres quoque eius reddere debet. quod apud pupillum is reliquerit, si hæres capit: non quidem crimine caret, sed extrà tutelam est, & utili actione hoc reddere compellitur. ff. de fideiussor. & nominat. & hæred. tutor. l. prima.

Hæredes tutorum ob negligentiam, quæ non latæ culpæ comparari possit cōdemnari non oportet, si non contra tutorem lis inchoata est, neque ex damno pupilli lucrum captatum est, aut gratia præstitum sit. C. de hæredib. tutor. uel curat. l. prima.

Peter

Pater tutor uel curator datus, si se non excusauit, non ideo filii minus hæredes eius tutelæ, uel utili iudicio conueniri possunt, quod eum tutelam, seu curam non administrasse dicant: nam & cessationis ratio reddenda est. Prius tamen propter actum suum eos conueniendos esse, qui administrauerunt sæpe rescriptum est. C. eod. l. secunda.

Pupillus aduersus hæredes quondam tutoris sui consistere debet. in iudicium autem ueniet etiam id, qđ sibi tutor ex causa fideiussionis debuit. C. eo. l. tertia.

Hæredes eorum, qui tutelam uel curam administrauerunt, si quid ad eos ex re pupilli uel adulti peruenerit, restituere coguntur in eo etiam, quod tutor uel curator administrare debuit, nec administrauit rationem reddere eos debere non est ambigendum. C. eod. l. finali.

Cùm ostendimus hæredem quoque tutelæ iudicio posse conueniri: uidendum, an etiam proprius eius dolus, uel propria administratio ueniat in iudicium. & extat Seruii sententia existimantis, si post mortem tutoris hæres eius negotia pupilli gerere perseuerauit: aut in arca tutoris pupilli pecuniam inuenerit, & consumpserit: uel eam pecuniam, quam tutor stipulatus fuit, exegerit: tutelæ iudicio eum teneri suo nomine. Nam cum permittatur aduersus hæredem ex proprio dolo iurari in litem, apparet eum iudicio tutelæ teneri ex dolo proprio. Negligentia planè propria hæredi non imputabitur. ff. de fideiuss. & hæred. tutor. l. quarta.

Hæres eius, qui non iure tutor uel curator datus administrationi se non immiscuerit: dolum & culpam præstare non debet. ff. eod. l. finali in princ.

Tale iudicium in hæredem tutoris transferri oportere, quale defunctus susceperit. hoc eò pertinet, ut non excusetur hæres, si dicat se instrumenta tutelaria nō inuenisse. Nam cùm ex omnibus bonæ fidei iudiciis propter dolum defuncti hæres teneatur. idem seruandum est & in tutelæ actione. Sed constitutionibus subuentum est ignorantiæ hæredum. hoc tamen tunc obseruandum est, cùm post mortem tutoris hæres conueniatur: non si lite contestata tutor decesserit. nam litis contestatione & pœnales actiones transmittuntur ab utraque parte, & temporales perpetuantur. d. l. finali. §. Paulus.

Tutoribus idoneis diem functis uice mutua periculum ad hęredes eorum non redundat: quod non habuit locum officio tutelæ manente. ff. de administrat. tut. l. tutores. xxxix. aliàs. xl. §. tutoribus.

Si tutoris hæres executus est, quæ tutor inchoauit tutelæ etiam eo nomine tenetur. ff. de administrat. tut. l. penult.

Alterius curatoris hæredem minorem, ut in maiore pecunia condemnatum in integrum restitui placuit. ea res materiam litis aduersus alterum curatorem instaurandæ non dabit, quasi minore pecunia condemnatum: si non sit eius ætatis actor cui subueniri debeat. sed ęquitatis ratione suadente, per utilem actionem ei subueniri, in quantum alter releuatus est, oportet. ff. de tutel. & ration. l. alterius. xx.

DE

DE IN LITEM IVRANDO.

Titulus VII.

ADuersus hæredes tutoris ad transferendam tutelam iudicem accipiens, tempore litis ad puberem instrumenta pertinentia restitui desiderabit quis. Quod si non exhibeantur: in litem iurandi facultas erit, modo si quondam pupillo debitam affectionem ad uincula quoque religionis extendere uoluerit. C. de in litem iurand. l. prima.

Is, qui rationem tutelæ seu curæ reposcit, inuitus in litem iurare compelli non potest: sed uolens ita demum audiendus est, si heres per longam successionem tutoris instrumenta pupillaria dolo uel circumueniendi pupilli gratia exhibere non uult. Sin uero neque fraus, neque dolus hæredis conuincitur: omissa iuris iurandi facultate, iudex de ueritate cognoscet, quæ etiam argumentis liquidis inuestigari potest. C. eod. l. secunda.

Summa sententia comprehensa, quam cessantibus curatoribus quondam adulti iudex secutus iuris iurandi ab ipso prolati religionem, in condemnationem deduxit, minui pacto non potuit. C. eod. l. tertia.

Alio iure est tutor alio hæres eius. tutor enim inuentarium cæteraque instrumenta si non proferat: in litem iusiurandum aduersus se potest admittere. at enim hæres eius ita demum, si reperta in hæreditate dolo malo nõ exhibeat. sed cum aduersus ipsum tutorem litem contestatam esse dicatur transferentibus pupillis in hæredes eius actionem præses prouinciæ partes suas exhibebit: non ignorans nisi exhibeantur instrumenta, quatenus iuxta formam cõstitutionum partes suas debeat moderari. C. eod. l. penult.

Licet aduersus hæredem, ob non factum inuentarium iusiurandum in actione tutelæ prætermitti placuerit: iudicem tamen uel ex dolo tutoris aliis iudiciis instructum aduersus eos ferre sententiam conuenit. C. eod. l. finali.

NE TVTOR VEL CVRATOR VECTIGALIA CONDVCAT.

Titulus VIII.

COmpetens iudex non ignorat, non esse admittendos ad uectigalia conducenda eos, qui pupillorum, uel adolescentium tutelam uel curam administrant, uel eius administrationis rationem nondum reddiderunt. Sed quamuis contra interdictum ad uectigal conducendum accesserit quis, tamen quoniam ultro principem adiit. si tam uectigali, quam pupillis satisfecerit: falsi crimine carebit. Cum autem fisco iam se obstrictum, postea tutorem esse dicat: periculo se excusare poterit. C. ne tutor uel curator uectig. conduc. l. unica.

SI TVTOR VEL CVRATOR NON GESSERIT.

Titulus IX.

CErtum est non solum eos, qui gesserunt, sed etiam qui gerere debuerunt tutelæ teneri etiam in ea, quæ à tutoribus seruari non potuerunt: si modo cum suspectos eos facere deberent, id officium omiserunt. C. si tutor non gesserit. l. prima.

Qui se non immiscuit tutelæ uel curæ ex persona eorum, qui gesserunt ei

runt & idonei ſunt non onerantur, ſi quæ verò ſunt, quæ cum geri debuerint, omiſſa ſunt, latæ culpæ ratio omnes æqualiter tenet. C.eod.l.ſecunda.

In eum, qui tutelam gerere noluit, poſt cæteros, qui geſſerunt actionem vtilem tutelæ dari placuit. quod autem ex tutela non peruenerit ad eos, qui ſe negotiis immiſcuerunt, ſed communi negligentia periit, citra ſubſtitutionis ordinem æqualiter oĩum periculum ſpectat. ff. de admin. tu. l. tutores. xxxix. §. in eum, q.

Procedit hæc diſpoſitio etiã in tutoribus: quia nomen curæ comprehẽdit & tutores & curatores. ut dicit gloſ. in hac Nouell. atque probatur in conſtit. xciiii. in qua diſponitur de cura, licet rubrica ſit de tutela.

DE INTERESSE PVPILLIS ADVLTISVE DEBITO.

Titulus X.

NEceſsitas curatoribus ex lege non incumbit, minorum pecuniam credant mercatori pro honeſto lucro, ſed debent in tuto eam deponere & ſeruare, cum multò præclarius ſit, ſortem in tuto collocare, quàm appetitione lucri, etiam de ſorte decidere, ſi verò ipſe ſua ſponte collocare voluerit, forte acceptis pignoribus, aut aliis cautionibus: tunc habet quidem ſingulis annis ad exigendum duorum menſium inducias id, quod leges laxamentum vocant, ſciant autem crediti periculum omnino ad ſe reuerſurum. certè ſi is, qui ſub cura agit. ſufficientes redditus habeat: hos ipſos curator impendat, ſi maiores, quàm ad tuendam vitam ſufficiunt, quod excurrit deponat. ſi patrimonium eius, qui ſub cura degit ex mobilibus rebus conſiſtat, tunc curator illud tantum, quod ad gubernationem minoris, rerumq́; eius ſatis ſit collocare apud mercatorem ſub honeſto lucro compellitur, quod ſupereſt in tuto deponat.

Pro nomine uſuiæ poſitũ eſt nomen intereſſe, ne diſcrepet à iure canonico. ponendo potius uſitatum nomen, q̃ linguæ latinæ candori indulgendo.

Integrum præterea illi erit cum ſumma diligẽtia, & accuratè elaborare, ſi certum poſsit ſortè abſq; fruſtatione inuenire redditum, vt ex redundãtibus pecuniis eum minori redimat, qui venditorem habeat affluentem opibus, habeat item expeditos prouentus. datur. n. ei huius agendi facultas, vt tamen ſciat ſi negligẽter in aliquo horum ſe geſſerit, quod eius emptionis periculum ad ipſum reſpiciat. Nouell. Conſt. lxxii. §. quia verò grauatæ.

Cæterum ſi aurum, quod minor habet tã curtum ſit, vt eius lucrum ad ipſum, eosve qui circa ipſum ſunt alendos, & ſuppeditanda ea, quæ alioqui gubernationi eius neceſſaria ſunt ægre ſufficiat. Tunc curatores ad Deum reſpicientes tanq̃ in ſuis rebus adminiſtrationem expediant. d. Nouell. lxxii. §. fin.

Tutorem vel curatorem pecunię, quam in vſus ſuos conuertit, legitimum intereſſe præſtare debere olim placuit. C. de vſur. pupill. l. prima. Sed hoc ita demum, ſi euidenter doceantur pecuniam in ſuos vſus vertiſſe. Cęterùm ſi non collocauerit mercatori pro honeſto lucro, uel non depoſuerit, non ideo in ſuos vſus vertet. ff. de adminiſtr. tut. l. ſeptima. §. pecunia.

Vertiſſe in ſuos vſus non accipimus eum, qui debitor patri pupilli fuit, deinde ipſi filio non ſoluit, hic enim id intereſſe præſtabit, quod patri promiſerat. d. l. ſeptima. §. vertiſſe.

Si deponi oporteat pecunias ad prædiorũ cõparationem, & p̃ceptum eſt, ac neglectum, quia non fuit depoſitio facta, vel aliquanto tardius fiat, legitimum intereſſe præſtabitur. Ideo erit circa eos tutores, qui negant habere ad alendos pupillos penes ſe aliquid, vt quicquid conſtiterit penes eos eſſe, eius intereſſe pẽdatur. Et hoc perſequi oportet iudicem, palàm eſt, cum alia etiam pœnæ adiectione. ff. de adminiſtr. tuto. l. tutor. vii. §. ſi deponi.

Si poſt depoſitionem pecuniæ: comparare prædia tutores neglexerint incipient

ad intereſſe conueniri. quamq̃. n. à prætore cogi eos oporteat ad cõparandum: tamen ſi ceſſent etiam intereſſe plectendi ſunt tarditatis gratia: niſi per eos factum non eſt, quò minus compararent. d.l. tutor. vii. §. ſi poſt depoſitionem.

Sed ſi tutor negauit apud ſe eſſe pecuniã, & prætor pronunciauit contra eum: legitimum intereſſe præſtabit. Sed & ſi dum negat aliquam quantitatem penes ſe eſſe, pupillis ad onera ſua expedienda impoſuit neceſsitatem mutuam pecuniã ſub intereſſe accipiendi: tenebitur tutor ad legitimum intereſſe. Et idem intereſſe præſtabit, ſi id à debitoribus exegit. d.l. tutor. vii. §. ſed etſi negauit.

Eius, qđ ex cã tutelę debet̃ itereſſe, pſtari oportet̃ dubiũ nõ ẽ. C. đ vſu. pup. l. ſcđa.

Si pecuniam pupillarem in emptionem poſſeſsionum tutor conuertere non potuit: non ignorabit iudex intereſſe eius à ſe exigi non oportere. C. eo. l. tertia.

Pupillus agere cum tutoribus actione tutelę compelli non poteſt verum aduerſus futuram calumniam, vt ſi quid ei pupillo debetur curſus intereſſe inhibeatur denuntiationibus frequenter interpoſitis ad iudicium eum prouocare, ac ſi rẽ diſsimulatione proferat actis apud præſidem prouinciæ factis voluntatis rationem tutores declarabunt quo facto tam ſibi ipſis, q̃ ſecuritati filiorum ſuorum conſulent. Quod & in curationibus locum habet. C. eod. l. fin.

Si tutelæ agat is, cuius tutela adminiſtrata eſt; dicendum eſt nonnunq̃ diem creditæ pecuniæ expectandam: ſi fortè tutor pecunias crediderit pupilli noĩe, quarũ exigendarum dies nondum venit. ſanè, quod ad pecunias attinet: ita demum eſt, ſi potuit & debuit credere. Cæterum ſi non debuit credere: non expectabitur. ff. de adminiſtr. tuto. l. ſi tutelæ. viii.

Spatium ſeu laxamentum temporis ſeu duorum menſium anteq̃ exigatur intereſſe à tutoribus, non tribui oportet his qui numos pupillorum vel adoleſcentium in ſuos vſus conuerterunt. ff. de admini. tuto. l. ſeptima. §. vſuræ.

Si intereſſe ſeu lucri ceſsãtis vel damni emergẽtis exactum tutor vel curator vſib. ſuis retinuerit, eius intereſſe agnoſcere eum oportet: nã parui refert, vtrũ ſortẽ pupillorum, an intereſſe in ſuos vſus cõuerterit. ff. eo. & d.l. ſeptima. §. ſi vſuras.

In actione tutelæ venit intereſſe non ſolùm ſortis, ſed etiam eius ſummæ, quæ ex ſortis intereſſe pupillo aucta translatum eſt, aut transferri debuit, ſi eam pecuniam tutor in ſe vertiſſet: quod ſi pecunia manſiſſet in rationibus pupilli pſtabitur, quod bona fide percepiſſet aut percipere potuiſſet. ſi honeſto lucro dare cum potuiſſet neglexiſſet: cùm id, quod ab alio debitore nomine itereſſe cum ſorte datur, ei, qui accipit, totum ſortis vice fungat, vel fungi debeat. ff. de adminiſt. tutor. l. qui negociationem. lviii. §. ex duobus intereſſe.

Intereſſe pupillaris pecuniæ, quod tutores debuerunt: cùm ad curatores transfertur, in ſortem computatur: quia omnis pecuniæ, quæ ad curatores tranſit, par cauſa eſt: quia oĩs ſors efficit̃. ff. de admi. tut. d.l. qui negotiationẽ. lxxxviii. §. fi.

Tutor pro cõtutore ẽt ad itereſſe cõdemnat̃, ſi ſuſpectũ facere ſupedit, & q̃dẽ id demũ pſtare cogit̃, qđ ex ſua ẽt adminiſtratione cogeret̃. ff. eo. l. ſeptima. §. pe.

Eius, quod ex cauſa tutela debetur, intereſſe præſtat̃, quamuis aliis pro participe muneris neceſsitas ſolutionis irrogetur: quia non id aliàs contingit, q̃ ſi ceſſatio contutoris in ſuſpecto faciendo cõputari poſsit. C. de vſu. pupil. l. ſecunda.

Etiam fideiuſſorem & hęredes fideiuſſoris ad eandẽ rõnem intereſſe reuocandos eſſe cõſtat, ad quam & tutor reuocat̃. ff. de fideiuſſ. tut. l. tertia. Itẽ hæres tutoris intereſſe quoq; eius pecuniæ, quam pupillarem agitauit præſtare debet. quantum autem & cuius temporis intereſſe præſtare debeat, ex bono & æquo conſtitui à iudice oportet. ff. de fideiuſſ. tut. l. cum oſtendimus. iiii. §. uſuras.

Si

Si poſteaq̃ pupillus ad pubertatem peruenerit,tutor in reſtituenda tutela aliquã diu moram fecerit: certum eſt, & fructuum nomine,& intereſſe medii tempo ris,tã fideiuſſores eius,q̃ ipſum tueri.ff.rem pupi.ſal.fore. l.ſi poſteaq̃.x.

Non maximo intereſſe ſubiicitur is,qui à contutoribus ſuis mutuã pecuniam pu pilli accipit,& cauit, legitimumq; intereſſe promiſit,quod alii debitores pupil li dependunt,quia hic ſibi non conſumpſit,nec clã,nec quaſi ſua pecunia licen ter abutitur: Et multum refert, palam apertéq; debitorem ſe,ut extraneum & quemlibet faceret pupillo: an ſub adminiſtratione tutelæ pupilliq; utilitate la tenter ſua cõmoda pecunia pupilli iuuaret.ff.de admi.tut. l.non exiſtimo.liiii.

Eius pecuniæ,quo tutor vſus eſt poſt finitam tutelam idem intereſſe præſtare de bet in diem accepti iudicii,quod in tutelæ iudicio computatur.ff.de adminiſt. tuto.l.Lucius Titius.xlvi.§.quæſitum.

Socius ſi ideo condemnandus erit,quod pecuniam communem inuaſerit, vel in ſuos vſus cõuerterit omnimodo etiã mora non interueniente prȩſtabit intereſ ſe: nec tamen iudex iubebit interponi cautiones,vt ſi tardius ſententiæ conde mnatus paruerit futuri temporis pendatur intereſſe. Verum circa tutelæ reſti tutionem pro fauore pupillorum interpretatio latior facta eſt: nemo.n.ambi git. Hodie ſiue iudex accipiatur in diem ſententiæ,ſiue ſine iudice tutela reſti tuatur in eum diem, quo reſtituitur intereſſe præſtari. Planè ſi tutelæ iudicio nolentem experiri tutor vltra conuenerit: & pecuniã obtulerit eamq; obſigna tam depoſuerit ex eo tempore intereſſe non p̃ſtabit.ff.de vſu.l.prima.§.ſocius.

Tutor,qui poſt pubertatem negotiorum eius adminiſtratione abſtinuit intereſſe debitum præſtare non debet ex quo obtulit pecuniam & depoſuerit obſignatã tuto in loco: item æquum erit eum per quem non ſtetit quominus conuentus reſtitueret tutelam ad præſtationem intereſſe non compelli.ff.de admin.tuto. l.tutor.xxix.§.tutor.

In pro tutelȩ iudicio intereſſe quoq; venit ſine dubio in id,qđ geſsit: in id verò, quod gerere debuit diſtinguitur,vt ſi quidẽ non oĩno attigerit tutelam: nõ te neatur,nec.n.attingere debuit,q̃ tutor non fuit: quod ſi quædã geſsit hactenus tenebitur ſi alius geſturus fuit,ſed ſi cognito,quod tutor nõ fuit abſtinuit admi niſtratione,tenetur ſi neceſſarios pupilli non curauerit,vt ei tutorem peterent ff.de eo,qui pro tuto.l.prima.§.fin.

Cùm interdictæ venditionis vitium ẽt p̃cii fraude tutor cumulaſſe proponat̃ non dubitabit prȩſes quando venditio à minore confirmanda eſt reſiduum p̃cium cum intereſſe vẽditæ à tutore poſſeſsionis celeriter reſtitui. Prȩciſum verò rei venditæ vt p̃ſtetur,tutores,qui geſſerũt ſiue eorum hæredes principali loco cõ ueniuntur cæteris ob culpæ rationem non ſeruati detrimenti periculo ſubſti tutis,vel ſi pariter adminiſtraſſe doceantur etiam aduerſus vnum liberum ex periundi arbitrium competit,ita vt actiones,quæ aduerſus alios ſunt ad eleoẽũ transferantur.C.arbitrium tutel.l.cum interdictæ.vi.

Si curator poſt decretum ſublata pecunia,quȩ ad comparationem poſſeſsionum fuerat depoſita ſibi prædium cõparauit,eligere debet adoleſcens vtrũ malit in emptione negotium ſibi eum geſsiſſe,an quia in ſuos vſus pecuniæ conuerſæ ſunt legitimum intereſſe ab eo accipere.C.arbitrium tutelæ.l.tertia.

Altero ex duobus fratribus ſociis bonorum & negociationis defuncto hærede fi lio tutor patruus venditis omnibus cõis negotiationis mercibus, & ſibi redem ptis negotium ſuo nomine exercuit non compẽdium negotii,ſed intereſſe pu pillo præſtatur.ff.de admini.tuto. l.Titium.xlvii.§.altero.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI.

Liber Septimus.

DE SATISDATIONE TVTORVM VEL CVRATORVM.

Titulus Primus.

NE tamen pupillorum, pupillarum've, & eorum qui, quæ've, in curatione sunt, negotia à curatoribus, tutotibus've consumantur, vel diminuantur: curet Prætor vt & tutores & curatores eo nomine satisdent, sed hoc non est perpetuum; nam tutores testamento dati, satisdare non coguntur: quia fides eorum, & diligētia ab ipso testatore probata est: item ex inquisitione tutores, vel curatores dati satisdare non onerantur, q̃a idonei electi sunt. Insti. de satisd. tut. vel cur. in prin.

Tutores à patruo testamento datos iussit Prætor magistratus confirmare, & ab ipsis cautionem accipi: nec voluntas eius, qui tutorem dare non potuit, negligentiam magistratuum excusat. deniq; Prętor non ante decretum interponere potest, quam per inquisitionem idoneis pronuntiantis. vnde sequitur, vt si tutelæ tempore soluendo non fuerunt: in id, quod de bonis eorum seruari non possit, contra magistratus actio decernatut. ff. de confirm. tut. l. quinta.

Bonorum vētris nomine curatorem dari oportet. cumq; rem saluam fore viri boni arbitratu satisdare iubetur, si sine inquisitione detur, nam si ex inquisitione cessat satisdatio. ff. de cura. furio. l. bonorum. viii.

Sed & si ad species curator datus sit REM SALVAM FORE stipulatio interponetur. ff. rem pupill. saluam fore. l. sed & si. viii.

Cùm pupillo REM SALVAM FORE satisdatum sit, agi ex ea stipulatione potest: cum & tutelæ pōt. ff. rem pup. sal. fore. l. prima. Vnde quando tutelę agi non pōt hęc actio stipulatu differēda est. ff. de tute. & rat. detr. l. si cū adhuc. xvi.

Si pupillus absens sit, vel fari non potest, dicemus seruum publicum apud Prætorem stipulari debere, aut dare aliquē Prætor debet, cui caueatur non quasi ipso iure pupillo acquirat, (nec. n. pupillo acquirit) sed vt vtilis actio ex stipulatu pupillo detur. Cauetur autem pupillo hac stipulatione per satisdationem. ff. rem pupil. sal. fore. l. secunda, tertia, & quarta, in prin. Nam si præsens sit, & fari possit: etiam si eius ætatis sit, vt non intelligat quid agat tamen propter vtilitatem receptum est rectè eum stipulari, & agere. ff. eod. l. seruum. vi.

Illud sciendum est, hac stipulatione teneri tā eum, qui tutor est, quā eum, qui pro tutore negotia gesit, vel gerit, & fideiussores eorum. sed. n. qui nō gesit, oīno non tenebitur: nā nec actio tutelæ eum, qui nō gesit, tenet: sed vtili actione ipse, conueniendus est, q̃a suo periculo cessauit: & tamē ex stipulatu actione, neq; neq; fideiussores eius tenebunt. cōpellendus igit̄ erit ad administrationē prop-

pterea, vt stipulatione quoque ista possit teneri. d. l. quarta. §. illud sciendũ.

Hanc stipulationem placet finita demum tutela committi: & fideiussoribus diem exinde incipere cedere. in curatore aliud est. sed & in eo, qui pro tutore negotia gessit, aliud dicendum est. d. l. quarta. §. hanc stipulationem.

Si quis curator datus non gesserit curam: consequens erit dicere, stipulationem non committi. sed eadem hæc erunt dicenda, quæ in tutore diximus. illa secus, quod hæc stipulatio statim, atque quid saluum esse desinit, committitur, & fideiussoribus dies cedit, & in se reuoluitur. Pertinet autem hæc stipulatio ad oẽs curatores, siue puberibus, siue impuberibus propter ętatis infirmitatẽ, siue prodigis, vel furiosis, vel q̃busdã aliis (vt fieri adsolet) dati sint. d. l. quarta. §. si.

Si filius, qui in potestate furiosi erit rem saluam fore stipuletur acquirit patri obligationem. ff. rem pupil. sal. l. quarta.

Cùm pupillus à tutore stipulatur rem saluam fore: non solum, quæ in patrimonio habet, sed etiã quæ in nominibus sunt, ea stipulatione videntur cõtineri. quod .n. in tutelę iudiciũ venit, hoc & ea stipulatione cõtinetur. ff. e. l. cũ pupillus. ix.

Cùm REM SALVAM FORE pupillo cauetur: committitur stipulatio, si quod ex tutela dari fieri oportet, non præstetvr. nã & si res ei salua sit, ob id nõ est: quia quod ex tutela dari fieri oportet, non soluitur. ff. eod. l. penult.

Si plures fideiussores à tutore pupillo dati sunt: non est distinguendum, sed in vnum datur actio: ita vt ei, qui conuenitur, actiones præstentur. Nec quisquã putauerit ab iure discessum, post quam pro ea parte placuit tutores condemnari, qui administrauerunt: & ita damum in solidum, si res à cæteris non seruentur, aut idonea culpa detegatur, quod suspectum facere supersederint. nam æquitas arbitrii atque officium boni viri videtur eam formam iuris desiderasse. cæterum fideiussores ciuiliter in solidum obligati, cæteris quidem agentibus, vt diuidatur actio, impetrare possunt: pupillo verò agente, qui non ipse contraxit, sed in tutorem incidit, & ignorat omnia, beneficium diuidendæ actionis iniuriam habere visum est: ne ex una tutela causæ plures, variæq; quæstiones apud diuersos iudices constituerentur. ff. eod. l. fin.

Si nondum ætas pupillorum legitima completa est satisdationem ab his, quos minus idoneos curatores ab aduersario, cum magistratu fungeretur datos dicitur: postulabunt. prohibentur. n. ab administratione, nisi securitati pupillorum satisdatione prospexerint. C. de tut. vel cura. qui satisd. non dedit. l. prima.

Eum tutorẽ, qui superest si secundum præsidis præceptum, & iuris formam satis non dat: remoueri à tutela si inopia hoc faciat, sine infamia: si fraude etiam cum nota aditus præses prouinciæ iubebit, & in locum defunctorum alios idoneos substitui præcipiet: præsertim cum patrimonium pupilli noua hæreditate auctum esse proponitur: tutores autem dati, ab hæredibus eorum, qui decesserunt rationem tutelæ deposcunt. C. eod. l. secunda.

In dubium non venit, tutores, qui testamento dati non sunt, administrandi potestatem, nisi satisdatione emissa, non habere. Si igitur tutor, qui pro tutelari officio non cauerat, iudicio expertus est: aduersus eum lata sententia iuri pupilli officere nõ potuit: nec ea, quæ ab eo gesta sunt, vllam firmitatem obtinent. Frustrà igitur in integrum restitutionis auxilium desideratur, quando ea, quæ ab ao gesta sunt, ipso iure irrita sunt. C. eod. l. tertia.

Tutor, qui satisdationem, cum satisdare debuit minimè interposuit: nihil omnino ex bonis pupilli alienare potest. Posteaq̃ aũt ad tutelæ administrationẽ electus est, quę tempore arctarentur, prosequi debuisse, apertè claret. C. eo. l. fin.

Sed ſi ex teſtamento vel inquiſitione duo plures've dati fuerint: poteſt vnus offerre ſatiſdationem de indemnitate pupilli vel adoleſcentis: & contutori ſuo vel concuratori præferri, vt ſolus adminiſtret, vel vt contutor, aut concurator ſatis offerens præponatur ei, vt & ipſe ſolus adminiſtret. Itaque per ſe non poteſt petere ſatiſdationem à contutore ſuo vel concuratore, ſed offerre debet, vt electionem det concuratori vel contutori ſuo, vtrum velit ſatis accipere, an ſatiſdare. Quod ſi nemo eorum ſatis offerat: ſi quidem adſcriptum fuerit à teſtatore, quis gerat: ille gerere debet. Quòd ſi non fuerit adſcriptum: quem maior pars elegerit, ipſe gerere debet: vt edicto Prætoris cauetur. Sin autem ipſi tutores diſſenſerint circa elingendum eum, vel eos, qui gerere debent, Prætor partes ſuas interponere debet. Idem & in pluribus ex inquiſitione datis comprobandum eſt, id eſt, vt maior pars eligere poſsit, per quem adminiſtratio fiat. Inſti. de ſatiſdat. tuto. §. ſed ſi ex teſtamento.

Datiuus vel teſtamentarius tutor vel curator non petet ſatis à collega ſuo, ſed offerre ei poterit. Vtrum ſatis accipere velit an ſatiſdare. ff. rem pupill. ſaluam fore. l. datiuus. vii.

Non omnium tutorum par ſimiliſq; cauſa eſt. Quapropter cùm exemplo teſtamentarii confirmatum à præſide, vel datum ex inquiſitione, non onerari ſatiſdatione rem ſaluam fore pupillorum manifeſtum ſit: pluribus tamen datis ex inquiſitione tutoribus, illum, qui ſatis ſecundum formam edicti rem pupilli ſaluam fore, in adminiſtratione præferri, iamdudum obtinuit. C. de tutor. vel curat. qui ſatis non dedit. l. penult.

Si parens vel pater, qui in poteſtate habet, deſtinauit teſtamento, quis tutorum tutelam gerat: illum debere gerere Prætor putauit. meritoque patris ſtatur voluntati, qui vtrique filio recté proſpexit. tantundem Prætor facit, & de his, quos parens deſtinauit teſtamento, aut confirmauit: vt ſi parens, quem velit tutelam adminiſtrare, declarauit: ille ſolus adminiſtret. cæteri igitur tutores non adminiſtrabunt: ſed erunt hi, quos vulgò honorarios appellamus. nec quiſquam putet ad hos periculum nullum redundare. conſtat enim hos quoque excuſsis prius facultatibus eius, qui geſsit, conueniri oportere. dati ſunt enim quaſi obſeruatores actus eius & cuſtodes: imputabiturq; eis quandoq;, cur ſi malè eum conuerſari videbant ſuſpectum non fecerint? Aſsiduè igitur, & rationem ab eo exigere eos oportet, & ſollicite curare, qualiter conuerſetur: & ſi pecunia ſit, quæ deponi poſsit, curare, vt deponat ad prædiorum comparationem. blandiuntur enim ſibi, qui putant honorarius tutores omnino non teneri, tenentur enim ſecundum ea, quæ ſupra oſtendimus. ff. de adminiſ. tuto. l. ſi plures. iii. §. ſi parens.

Quamuis autem ei potiſsimum ſe tutelam commiſſurum Prætor dicat, cui teſtator delegauit: attamen nonnunquam ab hoc recedetur. vt puta ſi pater minus perpenſo conſilio hoc fecit, fortè minor vigintiquinque annis, vel eo tempore fecit, quo iſte tutor bonæ vitæ vel frugi videbatur, deinde poſtea idem cœpit malè conuerſare ignorante teſtatore: vel ſi contemplatione facultatū eius res ei commiſſa eſt, quibus poſtea exutus eſt. nam & ſi vnum pater tutorem dederit, nonnunquam ei adiunguntur curatores. Quod in tutoribus ſtatutū eſt, & in curatoribus erit obſeruandum, quos pater teſtamento deſtinauit à Prætore confirmandos. d. l. ſi plures. iii. §. quamuis autem.

Apparet igitur Prætori curæ fuiſſe, ne tutelæ per plures adminiſtretur. quippe & ſi pr̄ non deſtinauerit, quis gerere debeat: attamen id agit, vt per vnū adminiſtretur.

ſtretur. ſanè enim facilius unus tutor & actiones exercet, & excipit, ne per multos tutela ſpargatur. d. l. ſi plures. iii. §. apparet.

Planè ſi non conſentiant tutores prætori, ſed uelint omnes gerere: quia fidem non habeant electo, nec patiuntur ut ſuccedanei ſint alieni periculi: dicēdum eſt, prætorem permittere eis omnibus gerere. Item ſi diuidi inter ſe tutelam uelint tutores, audiendi ſunt: ut diſtribuatur inter eos adminiſtratio. d. l. ſi plures. iii. §. finali.

Teſtamento datos tutores non eſſe cogendos ſatiſdare REM SALVAM FORE certò certius eſt. Sed nihilominus cùm quis offert ſatiſdationē, ut ſolus adminiſtret, audiēdus eſt ut edicto cauetur. ſed recte pretor etiam cæteris detulit hanc conditionem, ſi & ipſi uelint ſatiſdare. nam & ſi ipſi parati ſint ſatiſdare, non debent excludi alterius oblatione: ſed impleta uidelicet ab omnibus ſatiſdatione, omnes gerent: & qui contentus eſt magis ſatis accipere, quàm gerere, ſecurus erit. Non omnimodo tamen is, qui ſatiſdat, præferendus eſt. quid enim ſi ſuſpecta perſona ſit, uel turpis, cui tutela committi nec cum ſatiſdatione debeat? uel quid, ſi iam multa flagitia in tutela admiſit? nonne magis repelli & reiici à tutela quàm ſolus adminiſtrare debeat? Nec ſatis non dantes temere repelluntur: quià plerunque bene probati & idonei, atque honeſti tutores, etiam ſi ſatis non dent, non debent reiici. quinimò nec iubendi ſunt ſatiſdare. Duplex igitur cauſæ cognitio eſt. una ex perſona eius, qui obtulit ſatiſdationē, quis & qualis ſit. alia uero contutorum, quales ſint: num forte eius exiſtimationis, uel eius honeſtatis ſint, ut non debeant hanc cōtumeliam ſatiſdationis ſubire. Quod ſi plures ſatisdare parati ſint, tunc idoneor præferendus erit: ut & tutorum perſonæ inter ſe & fideiuſſorum comparentur. ff. de teſtament. tutel. l. teſtamento datos. xvii. cum. l. ſeq.

Si nemo tutorum prouocet ad ſatiſdationem: ſed exiſtat quidam, qui tutor non eſt, deſideretque, ut aut ſatiſdent tutores, aut ſi non dent, parato ſibi ſatiſdare committant tutelam: non eſt audiendus. neque enim aut extero tutela committenda eſt, aut teſtamento dati tutores contra ius ſatiſdationi ſubiiciendi ſunt. Hoc edictum de ſatiſdatione ad tutores teſtamentarios pertinet. ſed ſi ex inquiſitione dati ſint tutores, ad eos edictū pertinere non dubitatur. Itaque & illi clauſulæ ſunt ſubiecti, & ſi cui maior pars tutorum decernat. is enim geret, quē maior pars elegerit. ff. eod. l. ſi nemo tutorū. xix. in princ. & §. hoc edictum.

Legitimos tutores nemo dat. ſed lex duodecim tabularum fecit tutores, ſed hos cogi ſatiſdare certum eſt. ff. de legit. tutor. l. legitimos. v. in prin.

In legitimis & in iis, qui à magiſtratibus dantur & uni poteſt decerni tutela, poſſunt enim aliqui uel abſentes uel furioſi eſſe. Ac poſſunt etiam ſeinuicem prouocare, ſi omnes ſatis non dederint, uel potuerint, & noluerint, uel ſi finita ſit ſatiſdatio, (nonnunquam enim ſatiſdatio ab eis non petitur) aut ſatis deſinat eſſe cautum: aut magiſtratus municipales ab iis, quos dederunt, aut non potuerint, aut noluerint ſatis exigere. d. l. legitimos. v. §. in legitimis.

Curator ab auia nepotibus teſtamento datus, & cui fideicommiſſum relictum eſt quaſi curator ſatiſdare non debet: ſed cum fideicommiſſum peti ab eo poſsit fideicommiſſi nomine ſatiſdare debet. ff. de confirm. tut. l. finali. §. finali.

DE

DE MAGISTRATIBVS CONVENIENDIS.

Titulus II.

SCiendum autem est non solum tutores uel curatores pupillis, uel adultis, cæterisque personis ex administratione rerum teneri: sed etiam in eos, qui satisdationem accipiunt, subsidianam actionem esse, qua ultimum eis præsidium posit affere. Subsidiaria autem actio in eos datur, qui aut omnino à tutoribus, uel curatoribus satis dari non curauerunt: aut non idoneè pasi sunt caueri. Quæ quidem, tam ex prudentum responsis, quam ex constitutionibus Imperialibus, etiam in hæredes eorum extenditur. Quibus constitutionibus, & illud exprimitur: ut nisi caueant tutores & curatores, pignoribus captis coerceantur. Insti. de satisdat. tutor. §. sciendum.

In ordinem subsidiaria actio non dabitur sed in magistratus, nec fideiussores eorum. Hi enim rem publicam saluam fore promittunt, non pupilli. Proinde nec nominatores magistratuum ex hac causa tenebuntur, sed soli magistratus. sed si ordo receperit in se periculum: dici debet: teneri eos, qui præsentes fuerunt. parui enim refert, nominauerint, uel fideiusserint, an in se periculum receperint. utilis ergo in eos actio competit. Sed si à magistratibus municipalibus tutor datus sit: non uidetur per ordinem electus. ff. de magistrat. conuenien. l. prima, in principio.

Si præses prouinciæ renunciare magistratus tantum de facultatibus tutorum noluit, ut ipse daret rescriptum est à Diuo Marco eos, qui præsidi renuntiassent non perinde teneri atque si ipsi dedissent. Sed si decipissent, gratia forte aut pecunia, falsa renuntiantes tenentur. Planè si præses prouinciæ satis eos exigere iussit: non dubitabimus teneri eos etiam si præses dederit. d. l. prima. §. si præses prouinciæ.

Si præses prouinciæ nominibus ab alio acceptis ad magistratus municipales remiserit, ut se de nominibus instruant, & proinde instructus dederit tutores quanuis intersit utrum ipsi magistratus, nomina electa dederint præsidi an ea, quæ ab alio præses accepit inquisierint tamen utroque casu sic tenentur quasi dolo uel lata culpa uersati sint. d. l. prima. §. si præses prouinciæ nominibus.

Si curatores fuerunt minus idonei dati: dicendum est, teneri magistratus oportere, si ex suggestu eorum, uel nominibus ab eis acceptis, præses dederit. sed si ad eos remiserit, ut ipsi darent, uel ut post dationem exigerent satisdationem: periculum ad eos pertinebit. d. l. prima. §. si curatores.

Magistratibus imputatur, etiam si omnino tutor uel curator datus nou sit. sed ita demum tenentur, si moniti non dederint. Ideo damnum, quod impuberes uel adolescentes medio Tempore pasi sunt, ad eos magistratus pertinere non ambigitur, qui munere mandato non paruerunt. d. l. prima. §. magistratratibus.

Sciendum autem est si magistratus municipales data opera tutelam distulerint in successores suos: uel satisdationem data opera traxerint, quo ad successores accipiant nihil eis prodesse. d. l. prima. §. sciendum.

Diuus Hadrianus rescripsit, etiam in eum, qui electus esset ad æstimandas tutorum satisdationes, ectionem dandã. d. l. prima de magist. conueniend. §. diuus.

Vnde si in æstimanda substantia scribe uitium, qui tamquam non amplius ducentis libris auri patrimonium ualeret fideiusionem acceperat intercesisset. In casu isto non curatoris erit ratio reprehendenda, si qua læsio rebus minoris illa

ta fuisse

ra fuiſſe aduerſus legum ordinem comprobetur: ſed ſuper negligentia uel dolo ſcribe qui uerum ſubſtantiæ taxationem paſſus eſt occultari, legibus erit agendum. C. de magiſtrat. conuen. l. finali.

Si inter magiſtratus hoc conueniſſet, ut alterius tantum periculo tutores darentur conuentiones hæ pupillo non præiudicant. conuentione enim duum uirorum mutari non poteſt. prius enim conueniendus eſt, qui hoc ſuſcepit: deinde excuſsis eius facultatibus tunc ueniendum eſt collegam: quemadmodum ſi ſolus dediſſet duceremus prius eum deinde collegam aggrediendum. ff. eo. l. prima. §. ſi inter.

Si autem collegæ minus idoneum tutorem dederint cautionemque idoneam nō exegerint, nec aliàs ſeruari pupillo indemnitas poteſt, & utrique ſoluēdo ſunt: pro uirili portione in magiſtratus actio datur. C. de magiſt. cōuenien. l. tertia.

Non tantum pupilli ſed & ſucceſſores eorum ſubſidiaria agere poſſunt. ff. de magiſtratib. conuen. l. prima. §. non tantum.

Si magiſtratus ab initio tutorem idoneum dedit, & ſatis non exigit: non ſufficit. quod ſi ſatis exegit, & idoneum exegit: quamuis poſtea facultatibus lapſi ſunt tutores uel fideiuſſores: nihil eſt quod ei, qui dedit, imputetur. Non enim debent, magiſtratus futuros caſus, & fortunam pupillo præſtare. Sed & ſi ſatis non exegit, idoneus tamen tutor eo tempore fuit, quo tutelæ agi poteſt: ſufficit. probatio autem non pupillo incumbit, ut doceat fideiuſſores ſoluendo non fuiſſe, cùm acciperentur: ſed magiſtratibus, ut doceant eos ſoluendo fuiſſe. d. l. prima. de magiſtrat. conuen. §. ſi magiſtratus.

Si filiusfamilias fuerit magiſtratus, & caueri pupillo non curauerit, aut non idoneè cautum ſit culpa eius: in patrem actio de peculio danda eſt, ſiue uoluntate eius filius decurio factus ſit, ſiue non. nam & ſi uoluntate patris magiſtratum adminiſtrauerit: attamen non oportet patrem ultra, quam de peculio conueniri: quaſi rem publicam ſaluam fore promittat, qui dat uoluntatem, ut filius decurio decreetur. d. l. prima. §. finali.

Proponebatur, duos tutores à magiſtratibus municipalibus datos, cautione non exacta: eorumque alterum inopem deceſsiſſe, alterum in ſolidum conuentum ſatis pupillo feciſſe, & iſte tutor quærebat an aduerſus magiſtratus municipales haberet aliquam actionem. Sed reſponſum eſt. cum à tutore ſatis pupillo factum ſit, neque pupillum ad magiſtratus redire poſſe, neque tutorem: cum nunquam tutor aduerſus magiſtratus habeat actionem. Senatus enim conſultum pupillo ſubuenit: præſertim cùm ſit, quod tutori imputetur: ſcilicet, quod ſatis à contutore non exegit, uel ſuſpectum non fecit, ſi ſciuit (uti proponitur) magiſtratibus eum non cauiſſe. Quod ſi tutor ab hac parte culpa uacet: tamen erit iniquum, aduerſus magiſtratus actionem ei dari. ff. de magiſtrat. conuen. l. ſecunda, & tertia.

Vſque adeo ad contutores non uenitur, ſi ſoluendo tutores non ſint, ut prius ad magiſtratus, qui eos dederunt uel ad fideiuſſores ueniatur. Quod enim dicitur quādiu unus ex tutoribus idoneus ſit non poſſe ad magiſtratus, qui dederunt perueniri: ſic erit accipiendum, ſi non contutor ob hoc conueniatur, quod ſuſpectum facere uel ſatis exigere noluit. ff. de tutel. & rationib. diſtra. l. prima. §. uſque adeo.

Cùm in teſtamento duo tutores dati eſſent pupillo, & alter ex his, vita defunctus fuiſſet, in locum eius, petente matre ex pręſidis pręcepto à magiſtratibus tutor datus eſt, à quo magiſtratus ſatis exegerunt, rem ſaluam fore. poſtea tutor teſtamento

ſtamento datus ſuſpectum datum à magiſtratibus fecit. Paulus reſpondit, tutorem in teſtamento datum, pro ea parte conueniri oportere, pro qua adminiſtrauit: pro contutoris autem portione, prius eos conueniri debere, qui pro eo ſe obligauerunt, uel magiſtratus, qui eum dederunt, tunc ſi ſolidum pupillus conſequi non potuerit, de officio contutoris quærendum eſt, an ſuſpectum facere debuerit, præſertim cũ ſuſpectũ quoque eum poſtulaſſe dicatur. Alias quidẽ cum magiſtratus plures tutores dant, non prius ad eos reuerti pupillus poteſt, quam omnes tutores excuſsi fuerint. In propoſito cũ unus à magiſtratibus datus proponeretur, non eſt uiſum, prius collegam conueniendum, qui & ſuſpectum fecit, & teſtamento datus eſt, perinde que habendos ſingulos, ac ſi in teſtamento, in partes dimidias tutores dati eſſent. ff. de adminiſtrat. tutor. l. Lucius Titius. xlvi. aliàs. xlvii. §. cum teſtamento.

Duo tutores partiti ſunt inter ſe adminiſtrationem tutelæ. alter ſine hærede deceſsit. Quæſitum eſt. utrum in magiſtratum, qui non curaſſet, ut caueretur: an in alterum tutorem actio pupillo dari deberet? Reſponſum eſt æquius eſſe, in alterum tutorem dari, quàm in magiſtratum. debuiſſe enim eum, cùm ſciret pupillo cautum non eſſe, uniuerſa negocia curare: & in ea parte, quam alteri tutori commiſiſset, ſimilem eſſe ei, qui ad adminiſtrationem quorundam negociorum pupilli non acceſsiſſet. nam & ſi aliquam partem negociorum pupilli adminiſtrauerit: tenetur etiam ob rem, quam non geſsit. cum gerere deberet. ff. de magiſtrat. conuenien. l. duo tutores. quinta.

Non ſimiliter tenentur hæredes magiſtratuum, ut ipſi tenentur. Sed nec hæres tutoris negligẽtiæ nomine tenetur. Nam magiſtratus quidem in omne periculum ſuccedit: hæres ipſius, dolo proximæ culpæ ſuccedaneus eſt. ff. eod. l. non ſimiliter. quarta.

Quod ad hæredem magiſtratus pertinet: extat Diui Pii reſcriptum. cauſa cognita debere dari actionem. Nam ſi magiſtratus tanta fuit negligentia, ut omnem cautionem omitteret: æquum eſt, haberi eum loco fideiuſſoris, ut & hæres eius teneatur. Si uerò cauit, & tunc idonei fuerunt, poſtea uerõ defierunt: ſicut ipſe magiſtratus probe recuſaret hanc actionem, ita & hærus multo iuſtius. nouiſsime non aliàs ait in hęredem actionem dandam, quàm ſi erudenter magiſtratus cum minus idoneis fideiuſſoribus contrahunt. ff. eod. l. quod ad hæredem. vi.

In hæredes magiſtratus cuius non lata culpa idoneè cautum pupillo non eſt, non ſolet dari actio. C. eod. l. ſecunda.

In magiſtratibus, qui tutorem dederunt. Si dolo fecerunt, ut minus pupillo caueretur: in quem uult pupillus, ei actio in ſolidum danda eſt. ſed ſi neque culpa duntaxat eorum neque dolo malo id factum eſt: ęquius eſt pro portione in quẽque eorum actionem dari: dum pupillo res ſalua ſit. ff. eo. l. in magiſtratibus. vi.

Magiſtratus à curatoribus adulti cautionem exegerunt REM SALVAM FORE, quia ex his alter ſine hærede deceſsit indemnitatem in ſolidum collega eius præſtare debebit. ff. de magiſtrat. conuen. l. penult.

In magiſtratus actione data cum intereſſe ſors exigitur quoniam eadem in magiſtratus datur, quæ competit in tutores. ff. eod. l. finali.

Exigere cautionem Magiſtratus ſic oportet, ut pupillus ipſe ſi fari poteſt, & in præſentia eorum eſt ſtipuletur à tutoribus item fideiuſſoribus eorum REM SALVAM FORE. At ſi nemo eſt, qui ſtipuletur ſeruus publicus ſtipulari debet REM SALVAM FORE PVPILLO, aut certe ipſe Magiſtratus. Plane ubi ſeruus publicus uel ipſe Magiſtratus ſtipulatur utilis actio pupillo datur. ff. eod.

tur. ff. eod. l. prima. §. exigere.

Si magiſtratus à tutoribus ſeu curatoribus, quos dederint ſeu nominauerint, ſtipulati ſunt, ſe eo nomine indemnes futuros, in eamque rem fideiuſſores acceperunt: actio, quæ aduerſus tutores ſeu curatores ab adulto inſtituta eſt alienam obligationem non reſoluit. ſed aduerſus magiſtratus actio utilis ita demũ competit, ſi uniuerſis bonis excuſsis reuocatisque, quę tutorem uel curatorem in fraudem alienaſſe conſtiterit, indemnitati minorum in ſolidum ſatisfieri non potuit. tunc mandatis à magiſtratibus actionibus aduerſus fideiuſſores, quos acceperunt conſiſtere poſſunt: licet utilem actionẽ ſine ceſsione habeant. C. de magiſtrat. conuenien. l. prima.

Aduerſus nominatorem tutoris uel curatoris minus idonei non ante perueniri poteſt, quàm ſi bonis nominati, itemque fideiuſſores eius, nec non collegarum ad quorum periculum conſortium adminiſtrationis ſpectat, excuſsis, non ſit indemnitati pupilli uel adulti ſatisfactum. C. eod. l. quarta.

In magiſtratus municipales tutorum nominatores, ſi adminiſtrationis finito tempore non fuerint ſoluendo, nec ex cautione fideiuſſoris ſolidum exigi poſsit pupillus quondã in ſubſidiũ indemnitatis actio utilis competit. C. eo. l. quinta.

Priuilegium in bonis magiſtratus pupillus non habet, ſed cum cæteris creditoribus partem habiturus eſt. ff. eod. l. prima. §. Priuilegium.

Si datis tutoribus ceſſauerit magiſtratus in exigenda ſatiſdatione, & in diem finitæ tutelæ idonei permanſerint tutores, licet ſatis non eſſet exactum curatorum periculũ eſt, ſi minus tutorũ & magiſtratuum. ff. de adminiſ. tut. l. Aemilius. liii.

Si pupillus alterum ex tutoribus poſt pubertatem (auctoritate curatoris) liberaſſet: improbè alterum illius nomine conabitur interpellare. Idemque dicemus in duobus magiſtratibus collegis. quorum alterum reſpublica conuenit: nam ſi uterque idoneus eſt, electio locum non habet: is autẽ, qui tempore liberatus eſt, non ei ſimilis eſt, qui nihil habet, ſed ei, qui ſatisfecit. habet enim, quod obiiciat petitori. ff. eod. l. ſi pupillus. xlv.

Neque tamen Præfectus urbi, neque Prætor, neque Præſes prouinciæ, nec quiſquam alius, cui tutores dandi ius eſt hac actione tenebitur: ſed ii tantummodo, qui ſatiſdationem exigere ſolent. Inſtit. de ſatiſdat. tut. §. finali. & ff. de magiſtrat. conuen. l. prima. §. neque Prætor.

DE EXCVSATIONIBVS TVTORVM ET CVRATORVM.

Titulus III.

Numerus liberorũ debet tribuere excuſationẽ. Sed quia nunc certus numerus digno ſci non poteſt: ideo relinquitur deſtinctio hic poſita, ut quæque ciuitas liberorum numero utatur ſecundum conſuetudinẽ uſitatam.

EXcuſantur tutores & curatores uariis ex cauſis. Plerunque autem propter liberos, ſiue in poteſtate, ſiue emancipati: ſi enim tres liberos ſuperſtites Romæ quis habeat, uel in Italia quatuor, uel in Prouinciis quinque à tutela uel cura poteſt excuſari: exemplo cæterorum munerum. Nam & tutelam & curam placuit publicum munus eſſe. Inſtit. de excuſat. tut. & curat. in principio. & ff. de excuſat. tut. l. ſecunda. §. remittit, in princ. & C. qui numero liber. ſe excuſ. l. prima.

Sed adoptiui liberi non proſunt: in adoptionẽ autem dati naturali patri proſunt. Inſtit. eod. §. ſed adoptiui. & d. l. ſecunda. d. §. remittit.

Item nepotes ex filio proſunt: ut in locum patris ſui ſuccedant: ex filia, non proſunt. Inſtit. eod. §. item nepotes.

Non ſolum filii remiſsionem tutelæ tribuunt, & filiæ: ſed etiam nepotes ex filiis

masculis

masculis nati masculi & fœminæ.auxiliantur autem tūc,cum patre eorum mortuo illius locum supplent auo.Quotcunque autem auo nepotes fuerint ex uno filio pro uno filio numerantur.ff.de excusat.tut.l.secunda. §.non solum.Et. C. qui numero liberorum.l.finali.

Numerum autem determinatum unicuique esse oportet,tunc cum creatur. nam si post creationem generentur non auxiliantur. ff.eod.l.secunda. §.numerum. Item,qui in uentre est,etsi in multis partibus iuris comparatur iam natis tamē, neque in præsenti quæstione,neque in reliquis ciuilibus muneribus prodest patri.d.l.secunda.§.qui autem in uentre.

Filii autem superstites tantum à tutelæ uel curæ munere excusationem prosunt. defuncti autem non prosunt.sed si in bello amissi sunt: cōstat eos prodesse,qui in acie amittuntur.ii enim,qui pro republica ceciderunt in perpetuum per gloriam uiuere intelliguntur.Instit.de excusat.tut.§.filii autem.& ff.eod.l.in bello.xviii.aliàs.xxi.

Lucius Titius ex tribus filiis incolumibus unum habet emancipatum eius ætatis, ut curatores accipere debeat: si idem pater petente eidem filio emancipato curator à prætore detur iure publico quidem uacationem trium filiorum nomine postulare potest, sed contra naturales stimulos facit,si tali excusatione utendum sibi putauerit.ff.eod.l.amicissimos.xxxvi.aliàs.xxxix.§.Lucius Titius.

Si à prætore detur curator mentecapto, aut muto,siue uentri excusatur iure liberorum.ff.eod.l. Titius.xlv.aliàs.xlviii.§.si à prætore.

Is,qui res fisci administrat,à tutela,uel cura quamdiu administrat potest excusari. Inst.de excusat.tut.§.item diuus.

Exactores tributorum tanto tempore,quanto rationem tributariam tractauerint non solum ab oneribus, sed etiam à tutelis uacationem habent. C.de excusat. tutor.l.exactores.x.

Sed qui uectigalia conducit à ciuitatibus non excusatur à cura.ff.eo.l.spadonem xv.aliàs.xvii.qui Vectigalia.

Qui reipublicę causa absunt à tutela uel cura excusantur: sed si fuerint tutores uel curatores dati,deinde reipublicæ causa abesse cęperint à tutela,uel cura excusantur,quatenus reipublicæ causa absunt,& interea curator loco eorum datur, qui si reuersi fuerint, recipiūt onus tutelæ.Nec anni habent uacationem.Nam hoc spatium habent ad nouas tutelas uocati. Instit.de excusat.tut. §.item qui reipublicæ.

Tempus uacationis,quod datur eis,qui reipublicæ causa abfuerunt nō ex eo die numerandum est,quo quis abesse desiit, sed cum laxamento quodam itineris. neque enim minus abesse reipublicæ causa intelligendus est, qui ad id negocium,uel ab eo reuertitur.si quis tamen plus iusto tempore, aut in itinere, aut in alio loco commoratus consumpsit:ita ea interpretanda erunt,ut ex eo Tempore uacationis dies incipiat ei cedere, quo iter ex commodo peragere potuisset.ff. de uacat. & excusat.munerum.l.tempus.iiii.

Qui libera legatione abest non uidetur reipublicæ causa abesse,hic enim non publici causa commodi,sed sui abest.ff.de legatio.l.qui libera.xiiii.

Eorum,qui reipublicæ causa absunt,comites, qui sunt intra statutum numerum, de tutela.quæ absentibus,uel profecturis delata est excusantur.nam susceptam non deponunt.ff.de excusat.tut.l.administrantes.xli.aliàs.xliiii.§.eorum.

Qui potestatem aliquam habent se excusare possunt,sed susceptam tutelam deserere non possunt.Instit.de excusat.tut.§.& qui potestatem.

Remit-

Remittuntur à tutela magistratus ciuitatum. ff. eod. l. Athletæ. vi. aliàs. viii. §. remittuntur.

Administrantes res principum ex indulgentia eorum, licet citra codicillos à tutela, itemque à cura tempore administrationis delata excusantur. Idemque custoditur in iis, qui præfecturam annonæ uel uigilum gerunt. ff. eod. l. administrantes. xli. aliàs. xliiii. in princ. Sed is, qui ędilitate fungitur potest tutor dari. Nam ædilitas inter eos magistratus habetur, qui priuatis muneribus excusati non sunt. ff. eod. l. non tantum. xvii. aliàs. xx. §. is qui.

Sanè notum est, quod gerentibus honorem uacationem tutelarum concedi placuit. uacare aūt eos, qui tunc primum uocentur ad suscipiēdum officium tutelę dicimus. cæterū eos, qui iam se miscuerūt administrationi, nec tēpore quidem magistratus uacare certum est. ff. de excus. tut. l. non tm̄. xvii. §. sanè notum est.

Item propter magistratum, quem in municipio quis erat administraturus tutelæ excusationem non habet. ff. eod. l. propter. xxiii. aliàs. xxvi.

Coloni, idest conductores prædiorum ad fiscum pertinentium hoc nomine excusationem à muneribus ciuilibus non habent, ideoque iniunctæ tutelæ munere fungi debent. C. de excusat. tut. l. coloni. viii.

Domini nauium non uidentur haberi inter priuilegiatos, ut tutelis uacent. ff. de excusat. tutor. l. non tantum. xvii. aliàs. xx. §. domini.

Excusationem nauiculariis tutelæ, siue curę hactenus ipsis tribuitur, ut in huiusmodi officiis minoribus sui tantū corporis obligentur. C. de excusat. tut. l. pen.

Item propter litem, quam cum pupillo uel adulto tutor, uel curator habet, excusari non potest, nisi forte de omnibus bonis, uel hęreditatem controuersia sit. Instit. eod. §. item propter. & ff. eod. l. propter litem. xxi. aliàs. xxiiii

Amplius autem absoluitur à tutela cum quæstionem quis pupillo de statu mouet si uideatur hoc non calumnia facere, sed bona fide. ff. eo. l. athletæ. vi. aliàs. viii. §. dat remissionem. uers. amplius.

Si pupillum patruus contendat exhęredatum esse, & se hęredem scriptum, ęquum est. Alium tutorem pupillo dari recepta patrui excusatione: uel si nolit excusationem petere, remoto eo à tutela, ita litem de hæreditate expedire. ff. de excusat. tut. l. si pupillum. xx. aliàs. xxiii.

Si tutor iis datus est cum quibus disceptationem hæreditatis sibi esse proponit, & tempora antiquitus excusationibus præstituta etiam opitulantur: adire pręsidem Prouintiæ potest formæ super ea statutorum principalium obtemperari pro sua grauitate iussurum. C. eod. l. si (ut allegas) xvi.

Inusitatam rem proponit, desiderans de tutela filii dimitti, eo quia contrario iudicio posse matrem eius conuenire contendit. C. eod. l. inusitatam. xix.

Quòd res cum uterinis fratribus sibi communes esse quis profiteatur ad excusationem tutelæ non est idoneum: cum harum diuisio curatore dato fieri posit. C. eod. l. quod. xxi.

Sed qui priuilegio subnixus est fratris curationem suscipere non cogitur. ff. eod. l. iuris peritos. xxx. aliàs xxxiii. §. qui priuilegio.

Item tria onera tutelæ non affectatæ, vel curæ, præstant vacationem, quandiu administrantur: vt tamen plurium pupillorum tutela, vel cura eorundem bonorum, veluti fratrum, pro vna computentur. Insti. de excus. tut. §. itē tria onera.

Amplius autem & qui habet tres tutelas, aut tres curas, aut cōmistas tres curas & tutelas, & adhuc manentes, hoc est nondum excedentibus ætatem minoribus: hi excusantur ad quartā tutelā vel curam vocati. Sed & si curator qs fuerit non impu-

impuberis, ſed furioſi: in numerum curatorum & hæc cōputabitur cura: quod ſic ſe habere docet conſtitutio Seueri & Antonini. Dicit autem hæc optimus Vlpianus de tribus tutelis. ff. de excuſat. tut. l. ſecunda. §. finali.

Tria onera tutelarum dant excuſationem. Tria autem onera ſic accipienda ſunt, ut non numerus pupillorum plures tutelas faciat, ſed patrimoniorū ſeparatio, & ideo qui tribus fratribus tutor datus eſt, qui indiuiſum patrimonium habēt: uel quibuſdam tutor, quibuſdam curator: unam tutelam ſuſcepiſſe creditur. ff. eod. l. tertia.

Diximus tres habentem tutelas, ad quartam non uocari. Quæſitum eſt igitur, ſi quis duas habens tutelas, deinde ad tutelam tertiam uocatus appellauerit, & adhuc pendente iudicio appellationis ad quartam tutelam promoueatur: utrū à quarta ſe excuſans mentionem faciet & tertiæ, an omnino dimittet illam. Et à Diuo Seuero & Antonino conſtitutum inuenitur, non oportere ad quartam promoueri à tertia appellantem: ſed pendente tertiæ creationis excuſatione, illius finem expectare. cuius finis, finem quartæ excuſationibus faciet. Recta ſane ratione: nam ſi quis eam, quæ quarta eſt, quaſi tertiam ſuſceperit, & iniuſta appellatio de tertia appareat quatuor oneribus contra leges onerabitur.

Si pater in tribus fuerit muneribus, aut tutelarum, aut curatoriarum, filius eius non uexabitur. & ita conſtitutum eſt à Diuo Seuero & Antonino. Hoc autem & econtrario eſt, quòd oportet filii tutelas remiſsionem patri dare, & rurſus utrique communes, ideſt, unam filii & duas patris: aut e cōuerſo. Tunc autem hæc ita ſe habent, cum onus uni domui, non ſeparatis contigit. d. l. quarta. §. fi.

Tria onera in domo una eſſe ſufficit. Proinde ſi pater alicuius, uel filius, uel frater, qui eſt in eiuſdem poteſtate tria onera ſuſtineat, quæ ad periculum patris ſui ſpectent: quia uoluntate eius adminiſtrant, omnibus excuſatio à tutela competit. Sed ſi non uoluntate patris adminiſtrent; non prodeſſe, ſæpe reſcriptum eſt. ff. eod. l. quinta.

Si duas habenti tutelas, aliæ duæ ſimul ſuperinductæ fuerint: quæ eſt ordine tertia, auxiliabitur ei ad remiſsionem quartæ: & ſi Imperator fuerit, qui quartam iniunxerit, aut tertiam: & antequam cognoſcat, imperatoris mandata, promotus erit ad aliam. Si autem ordo non apparuerit, ſed in una die duæ creationes proponentur in diuerſis chartis: non qui creatus eſt, ſed qui creauit, eliget, quam oporteat eum ſuſcipere. ff. eod. l. ſi duas. vi. in principio.

Cum oriundus ex prouincia, Romæ domicilium haberet: eiuſdem curator decreto præſidis ac prætoris conſtitutus rerum adminiſtrationem utrubique ſuſcepit. placuit eum duas curationes adminiſtrare nō uideri: quod uidelicet unius duo patrimonia non uiderentur. ff. de excuſat. tut. l. iuriſperitos. xxx. aliàs. xxxiii. §. cum oriundus.

Si is, qui tres tutelas adminiſtrabat, duobus pupillis diuerſis decretis datus eſt: & prius quàm cauſas excuſationis allegaret, unus ex pupillis, quorum iam tutelam adminiſtrat. deceſsit: ubi deſiit ei competere excuſatio, ſtatim tenuit eum prius decretum; quaſi in loco tertię tutelę quarta ſubroganda; nam ipſo iure tutor eſt, & antequam excuſetur. poterit ergo à tutela eius, qui nunc quarto loco inuenitur excuſari. ſed cum non ſit excuſatus, neceſſario ſubeundum eſt onus illius quoque tutelæ. Et ſi dixerit aliquis hoc non exigi an adminiſtretur tutela non nocebit: hoc enim eo pertinet, ne ſit finita adminiſtratio. Cæterum ſi periculum ſuſtineat ceſſationis hæc quoque tutela ei imputabitur. ¶ Idem euenire

poteſt

potest si duobus testamentis cum haberet tres tutelas tutor datus est: ubi non apertarum tabularum tempus inspici debebit, si quæratur, quæ prior delata sit tutela: sed aditæ hæreditatis uel conditionis existentis. Illa quoque erit differentia tutelarum, quæ dicta sunt si tertia & quarta sit delata, licet in quarta prius deteutus sit: quod huius (idest quartæ) ex quo iussus est administrare: illius ex quo datus est, periculum sustinet. ff. eod. l. si is qui. xxxi. aliàs. xxxiiii.

Is, qui pupilum bonis paternis abstinuerat detinebitur in quarta tutela quasi deposita illa. d. l. si is qui. §. eum qui.

Cæterùm prætor recte facturus est, si etiam unam tutelam sufficere crediderit si tam diffusa & negotiosa sit, ut pro pluribus cedat. Neque igitur fratres & sorores plurium loco habendi sunt: sed neq; fratres, si idem patrimonium habent, & ratio administrationis pariter redigẽda est. & ex diuerso fratrum diuiso patrimonio duæ tutelæ sunt. Non enim (ut dictum est) numerus pupillorum, sed difficultas rationum conficiendarum, & reddendarum consideranda est. ff. eod. & d. l. si is qui. §. cæterùm.

Sed non tantum magnitudo patrimonii intuenda est susceptarum trium tutelarum, eiusque, quę suscipienda est: sed etiam ætas pupillorum consideranda est. nam si priorum pupillorum ætas prope pubertatem sit, ita ut tantummodo semestre tempus reliquum fuerit: aut eorum, quorum, suscipere tutelã cogitur: non dabitur excusatio. ff. eod. l. non tantum. xvii. aliàs. xx. in principio.

Si quis inter tres tutelas emancipati filii sui tutelam administret hæc inter onera numerabitur. ff. eod. l. spadonem. xv. aliàs. l. si quis. xviii. in principio.

Qui tres tutelas uel curas eodem tempore nõ defunctorie susceptas administrat: onere quartæ tutelæ seu curationis pupillorum seu adolescentium non grauabitur. finito autem officio pubertate pupillorum uel ætate adolescentium aliæ substitui possunt licet nondum ratio tutelæ siue curæ administratæ reddita sit. C. qui numero tutel. se excus. l. unica in princ.

Testator dixit TITIVS FILIIS MEIS, QVO AD REIPVBLICAE CAVSA ABIERIT, TVTOR ESTO. gessit tutelam ex testamento delatam. deinde reipublicæ causa abesse cœpit, & desiit. an quasi noua tutela nunc delata excusari debeat, etiam ob absentiam reipublicæ causa: an quia præcessit testamentum absentiam ob publicam causam, & est ab eo iam administrata tutela, non oporteat eum excusari, & si liberos interea susceperit, aut aliam excusationem parauerit? & magis est, ut hæc una tutela sit. ideo nec excusationem ei competere, nec agi tutelæ ob prius tempus posse. sed si ita scriptum in Testamento fuit, TITIVS TVTOR ESTO. CVM REIPVBLICAE CAVSA ABIERIT, TVTOR NE ESTO. CVM REDIERIT, TVTOR ESTO. quid de excusatione, aut ob absentiam reipublicæ causa, aut aliam, quæ post obuenerit, dici oporteat, uideamus. Procedit autem & alia quæstio. testamento tutores ex die uel sub conditione dati, an se excusare antè diem conditionem'ue necesse habeant? & in primis, an iam dies quinquaginta eis cedant. intra quos necesse est causas excusationis exercere? sed uerum est, non autẽ esse tutorem, quam dies uenerit. nam nec antequam adita sit hæreditas. quia igitur ex eodem testamento iam gesta fuit tutela: & qui excusatus esset aliàs, absuturus reipublicæ causa, reuersus continuò cohæret tutelis antè susceptis, etiam intra annum. sed hic ex ipso testamento desierat esse tutor. & ideo ex secunda tutela excusare se potest. ff. de excusat. tut. l. penul. in princ.

Quandoque autem & qui tres habet tutelas non habet ius remißionis, puta ſi affectauerit ſuſcipere. Iam autem & tutor, qui modici patrimonii factus eſt, affectaſſe uidetur. ff. eod. l. ſpadonem. xv. §. finali.

Si ciuitatis princeps ideſt magiſtratus incidente ei creatione, obnoxius fuerit periculo tutelæ: hanc non connumerabit aliis tutelis, quemadmodum nec fideiuſſores tutelæ: ſed neque qui ob honorem tutores conſcripti ſunt. ff. de excuſat. tutorum. l. ſpadonem. xv. aliàs. xvii. §. ſi ciuitatis.

Sed & propter paupertatem excuſationem tribui tam diui fratres quam per ſe Diuus Marcus reſcripſit, ſi quis imparem ſe oneri iniuncto poſsit docere. Inſti. de excuſat. tut. §. ſed & propter. & ff. eod. l. paupertas. vii. aliàs. ix. & l. poſt ſcriptã. xl. aliàs. xliii. in fine.

E conuerſo inopia pupilli non dat excuſationẽ. Nam quod omnium bonorum patrem pupilli uſum fructum reliquiſſe quondam uxori ſuæ proponitur: ad excuſandos tutores à tutela non eſt idoneum. C. de excuſat. tut. l. tutores. xviii. §. nam quod.

Item propter aduerſam ualetudinem propter quam ne ſuis quidem negociis intereſſe poteſt excuſatio locum habet. Inſtit. de excuſat. tut. §. iam propter. & ff. eod. l. non ſolum. x. aliàs. xii. §. finali. Et non tantum ne incipiant, ſed & accepta excuſari debent. ff. eod. l. & non tantum. xi. aliàs. xiii.

Solet excuſari quis uel ad tempus uel in perpetuum pro ut ualetudo eſt qua afficitur. ff. eod. idem Vulpianus. xii. aliàs. xiiii. in principio.

Furor autem non in totum excuſat, ſed efficit, ut curator interim detur. d. l. idem. §. furor.

Luminibus captus, aut ſurdis, aut mutus, aut furioſus, aut perpetua ualetudine tentus, tutelæ ſeu curationis excuſationem habet. C. qui morbo ſe excuſ. l. unica.

Frater non ideo a tutela uel cura excuſari debet, quod oculum amiſit. C. de excuſat. tut. l. frater. ix.

Poſt ſuſceptam tutelam cæcus aut mutus, aut ſurdus, aut ualetudinarius deponere tutelam poteſt. ff. eod. l. poſt ſuſceptam. xl. aliàs. xlii. in princ.

Similiter eos, qui literas neſciunt excuſantur: quamuis & imperiti literarum poſſint ad adminiſtrationem negociorum ſufficere. Inſtit. eod. ſimiliter.

Mediocritas & ruſticitas interdum excuſationem prebent. Eius autem, qui ſe negat literas ſcire excuſatio accipi non debet, ſi modo expers non ſit negociorum. ff. de excuſat. tut. l. athletæ. vi. aliàs. viii. §. finali.

Item ſi propter inimicitias, aliquem Teſtamento tutorem pater dederit, hoc ipſum ei præſtat excuſationem. Sicut per contrarium non excuſantur, qui ſe tutelam adminiſtraturos patri pupilorum promiſerunt, & ſi aliter habet ius excuſationis. Inſtit. eod. §. item ſi propter. & ff. eod. l. ſpadonem is. aliàs. xvii. §. qui patri.

Nam & uoluntariæ tutelæ munera priuilegiis nihil derogant. C. de excuſat. tut. l. uoluntariæ. xii.

Seueriter præſes prouincia exequetur, ſi animaduerterit auunculum propterea nominatum tutorem, ut metu huiuſmodi curationis à magiſtratibus iniuriam redimat: quia ſi aliqua ei excuſatio competit, & non alia cauſa nominatus eſt, quàm ut litigetur: quod in ea re aſſumptum fuerit: is, qui eum nominauit, ei reddere cogetur. C. de excuſat. tut. l. ſeueriter. xiiii.

Non eſt autem admittenda excuſatio eius, qui hoc ſolo utitur, quod ignotus patri pu-

tri pupillorum ſit. Inſtit. de excuſat. tut. §. non eſſe autem & ff. eod. l. ſpadonem xv. ſeu xvii. §. qui ſolutus. uerus. qui dixerit.

Inimicitiæ, quas quis cum patre pupillorum uel adultorum exercuit, ſi capitales fuerunt: nec reconciliatio interuenit: à tutela, uel cura ſolent excuſare. Inſtit. de excuſat. tut. §. inimicitiæ.

Dat remiſsionem tutelæ & capitalis inimicitia à creato facta aduerſus patrem pupillorum: niſi ſecundum teſtamentum apparuerit datus tutor, niſi poſtquam ſcriptum eſt teſtamentum, capitale certamen eis inuicem conſtitit: uel niſi antiquior quidem eſt teſtamento inimicitia: propter hoc autem uideatur eſſe datus tutor, ut ſupponantur debito & negociis. ff. eod. l. Athletæ. vi. ſeu viii. §. dat remiſsionem.

Item maior ſeptuaginta annis tutela & cura ſe poteſt excuſare. Minores autem xxv. annis, olim quidem excuſabantur, nunc prohibentur ad tutelam, uel curam aſpirare: adeo ut nec excuſatione opus ſit: nec etiam pupillus ad legitimam tutelam uocatur, nec adultus: cum ſit inciuile eos, qui alieno auxilio in rebus ſuis adminiſtrandis egere noſcuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam uel curam ſubire. Inſtit. de excuſat. tut. §. item maior.

Excuſantur à tutela & cura qui ſeptuaginta annos compleuerunt. Exceſsiue autem oportet ſeptuaginta annos tempore illo, quo creantur, aut quo hæreditatem adiit quis, aut quo conditio, quæ teſtamento inſcripta eſt, completa eſt: nō intra tempora excuſationis. Aetas autem probatur: aut natiuitatis ſcriptura. aut aliis demonſtrationibus legitimis. ff. eod. l. ſecunda in principio.

Idem in militie obſeruandum eſt. ut nec uolens ad tutelæ onus admittatur. Inſtit. de excuſat. tut. §. idem in milite.

Sed & milites, qui honeſte compleuerunt militiæ tempus, remiſsionem habēt tutelarum aduerſus omnes priuatos. Aduerſus autem filios eorum, qui eidem ordini communicauerunt, & omnium, qui olim milites fuerunt intra annum quidem miſsionis remiſsionē habent. Coæqualitas enim honoris militiæ fortior uidetur priuilegio, niſi fortaſsis, aliàs habuerint iuſtas tutelæ excuſationes: ut puta numerum annorum, uel aliquid tale quale priuatos aduerſus omnes excuſare cōſueuerit. Hęc aūt de filiis, non de nepotibus eorum, qui olim milites fuerunt locū habent. Nepotes enim eorum, qui olim milites fuerunt, in eodē loco cum reliquis priuatis eſſe creduntur. ff. de excuſ. tut. l. ſed & milites. x. in princ.

Qui uerò ignominioſe miſsi ſunt ſimiles iis, qui nunquam militauerunt exiſtimātur: & propter hoc neque ipſi habent priuilegium, neque filii eorum. d. l. ſed & milites. §. qui uero.

Quandoque autem non complent quidem militiæ tempus, & tamen habēt remiſſionem tutelarum: ſed non eandem cum iis, qui compleuerunt; qui enim uigeſimum annum militiæ exceſsit, ſimilis eſſe creditur ei, qui compleuit tēpus militiæ, qui autem intra hos annos miſſus eſt, non habet continuam tutelarum immunitatē, ſed ad tempus, quemadmodum & reliquorum ciuiliū munerū remiſſionem habet. Qui enim intra quinque annos a militia ſolutus eſt, nullā ſibi uēdicabit immunitatem. Qui autē poſt quinque annos, unius anni habet immunitatem: qui autem poſt octo, biennii: qui autem poſt duodecim, triennii, qui autem poſt ſexdecim, quadriennii: qui autem poſt uiginti, ſicut ſupra diximus, continue abſoluetur. d. l. ſed & milites. §. quandoque.

Qui autem inter nocturnos cuſtodes, qui ſunt Romæ militauerint: anni ſolius habet remiſsionem, ita autem ſi honeſte ſcilicet abſolutus fuerit, ſicut dictum eſt:

uel propter ægritudinem, causariam (ut uocant) missionem acceperit, est enim & hæc honesta. Qui enim ignominiosa potius missione, nõ habet uacationem d.l. sed & milites. §. qui autem.

Veteranus autem esse creditur, non solum legionarius, sed & omnis, qui qualitercunque militauit: & si honesta est & ipse solutus, filiorum tutor creabitur, etenim legionarius, eius qui inter noctutnos custodes militauit, filiorum tutor fit. d.l. sed & milites. §. ueteranus.

Iam uero & militi impuperi curator dabitur, qui olim miles fuerit: scilicet si pater huius mortuus fuerit: siue etiam hic emancipatus fuerit. Similiter & de uniuersis his constitutiones testantur. d.l. sed & milites. §. iam uero.

Sed & ignominia missi, ab urbicis planè tutelis excusabantur, quia ingredi urbem eis non licet. Planè (inquit Vulpianus) si quis in cohortibus urbanis permilitauit, licet ante .xx. annos mittitur, tamen perpetuam habet à tutelis excusationem. Quæsitum est autem utrum unam & semel tutelam recipiant, qui olim fuerunt milites: uel uno tempore non amplius quàm semel: quiescente autem prima tutela, rursus priuilegium recipiant. Sed sicut in priuatis qui quieuerunt, non auxiliantur iis, qui habuerunt, neque inter tres annumerantur: ita & in iis, qui olim fuerunt milites, non prodest creatum esse. hoc autem & in curiis est promulgatum: ut ostendit Diui Seueri & Antonini constitutio, & nihil differt qualiter indigeāt filii commilitonis tutore uel curatore, utrum emancipati, uel patre mortuo. ff. de excusa. tut. d.l. sed & milites. §. scribit.

Primipilarii ex constitutionibus imperialibus excusationem habent reliquarum tutelarum: primipilarii autem filiorum tutores erunt. Primipilarii autem ii existimantur, qui exercent primi pilum. Si quis autem non exercens mortuus fuerit: huius filiorum primipilarius tutor non erit. d.l. sed & milites. §. primipilarii qui est finalis.

Si Tribunus in cohortibus prætoris permilitauerit, etiam collegarum filiorum tutela excusabitur. ff. de excusat. tutor. l. si Tribunus. xi.

Non solum autem, qui ad caligatas militias & reliquas primipilarii militauerũt, sed & qui qualitercunque necessitatis publicæ populi Romani gratia absentes fuerunt, anni habent uacationem post reuersionem. ff. eod. l. non solum. xii. in principio.

Annus denique hic non solum iis, qui compleuerunt consuetum militiæ tempus, in reliquis publicis necessitatibus datur: sed & iis qui qualitercuuque quieuerunt à publica necessitate, & reuersi sunt: & si minus tempus eo, quod constitutum est, consummauerunt, quas denique prius habebant tutelas, propter hoc autem deposuerunt, quoniam publici negocii gratia abibant: has cum reuersi fuerint, confestim recipiunt, nihil eis auxiliante auno. Annus enim ad futuras nouasq; datur, non ad eas, quæ resumi debent. d.l. nõ solum. §. annus denique.

Annus autem continuorum dierum scrutabitur, ex quo quis reuersus est rectam uiam dirigens, uel dirigere debens, non eam, quæ est ex circuitibus. d.l. non solum. §. annus autem.

Qui primipilum expleuit: si cum tutelam suscepisset & unius filii, rursus in militares necessitates assumptus erit: doponet solicitudinem tutelæ. similiter & in locum illius tutoris, quem postea sibi collegã quis adduxerit, dabitur curator, ut ait constitutio diui seueri, qua recte adaptatis omnibus similibus capitulis. curatorem dari licet in locum eorum, qui temporis uacationem recipiunt. d.l. non solum. §. qui primipilum.

Qui

Qui olim fuerint milites tutores dari obligabuntur. ff.eod. l.sed & milites. x. §. qui olim.

Si in castris merentes non ab eo tutores dantur, qui in castis merebat excusationem habebit. ff.eod.l.propter.magistratum.xxvi.§.si in castis.

Item Romæ Gramatici, Rhetores, & Medici, Et qui in patria suas has artes exercent, & intra numerum sunt à tutela & cura habent uacationem. Instit. de excusat.tutor.§.item Romæ.

Hoc priuilegium relinquitur ut iacet rationibus dictis supra in excusatione numeri liberorum.

Grammatici, Sophistæ, Rhetores, Medici qui περιοδευτε, idest, circulatores uocantur quemadmodum à reliquis muneribus, ita & à tutela & à cura requiem habent. ff.eod.l.si duas.vi.§ grammatici.

Philosophi, oratores, grammatici, qui publice iuuenibus prosunt excusantur à tutelis.d.l.si duas.§.final.& l.sequenti.

Amplius & illud scire oportet, & eum qui in patria propria docet, aut medicatur immunitatem hanc habere. Si enim existens Cumanus in Cæsarea doceat, aut medicetur: apud Cumanos immunitatem non habet. & hoc ita promulgatum est à Diuo Seuero & Antonino. ualde tamen disciplinis instructos, & si supra numerum & in aliena patria moram faciant, esse immunes, Paulus scribit: dicens Diuum Pium Antonium ita iussise. Romæ philosophantem cum salario uel sine salario remissionem habere, promulgatum est à Diuo Seuero & Antonino: ita ac si in propria patria doceret. Quibus promulgationibus potest quis illam rationem adducere: quoniam in regia urbe, quæ, & habetur, & est communis patria, decenter utique utilem se ipsum præbens, non minus quã in propria patria immunitate fouetur. ff.eod.l.sed & reprobart.vii.§.amplius.

Legum uero doctores in aliquo præsidatu docentes remissionem non habebunt. Romæ autẽ docentes, & à tutela & cura remittuntur. d.l.sed & reprobati.§.fin.

Iurisperiti, qui tutelam gerere cæperint in consilium principum assumpti exusantur à tutela: quoniam circa latus eorum agerent, & honor delatus finem certi temporis ac loci non haberet. ff.de excusat.tut.l.iurisperitos.xxx.aliàs.xxxiii.

Viri clarissimi sacri principis palatii silentiarii circa latus eiusdem principis militantes de tutelis & curationibus excusantur. C.de excusat.tut.l.finali.

Scire oportet nulli dignitatem tribuere excusationem. Vnde si quis senator fuerit: hic tutor erit & eorum, qui inferioris ordinis sunt, quàm senatorum: quem admodum rescripsit Diuus Marcus & Commodus. Si quis autem tutor uel curator fuerit non senatoris, uel aliter non in dignitate positi deinde postea fiat senator: continuo absoluetur à solicitudine si autem liberi, quorum tutelã aut curam adminastrabat, erant senatoris: non soluetur à tutela aut cuna. similiter autem & qui inferioris ordinis est non excusabitur à tutela uel cura maiorum. ff.eod.l.spadonem.xv.aliàs.xvii.§.scire oportet.

Gœmetræ à tutela non uacant. hi uero, quibus princeps curam alicuius rei iniunxit, excusantur à tutela, donec curam gerunt. ff.de eod.l.geometræ.xxii.

Spado non habet immunitatem a tutela. C.de excusat.tut.l.prima.& ff.eod.l.spadonem.xv.in principio.

Librari neque calculatores, quos uulgo rationarios dicimus non habent immunitatem d.l.spadonem.§.neque librarios. Et rationatio ciuitatis neque in numerum unius tuttelæ procedit. d.l.spadonem.§.rationatio.

Eos, qui in corporibus sũt (noluti fabrorum) quosquè imnitatẽ habere dicimus: etiã circa tutelarũ extraneorũ hominum administrationẽ habebũt excusationem: nisi si faueltates eorum ad auctæ fuerint, ut ad cætera quoque munera pu

blica ſuſcipienda compellantur: idque principalibus conſtitutionibus cauetur. ff. de excuſat. tut. l. non tantum. xvii. §. eos qui.

Non omnia tamen corpora uel collegia uacationem tutelarum habent, quamuis muneribus municipalibus obſtricta nõ ſint, niſi nominatim id priuilegium eis indultum ſit. d. l. non tantum. §. non omnia.

Inquilini caſtrorum à tutelis excuſari ſolẽt: niſi eorum, qui & ipſi inquilini ſunt, & in eodem caſto, eademque conditione ſunt. d. l. non tantum. §. finali.

Mẽſores frumẽtarios habere ius excuſationis, apparet ex reſcripto Diuorũ Marci & cõmodi, quod reſcripſerũt Prçfecto annonç. ff. eo. l. mẽſores. xxvi. aliàs. xxix.

Qui corporis, item collegii iure excuſantur: à collegarum, filiorumque eorum tutela non excuſantur: Exceptis his, quibus hoc ſpecialiter tributum eſt. Plane ultra centeſimum miliarium ab urbe filiorum collegarum ſuorum tutelam ſuſcipere non coguntur. ff. de excuſat. tut. l. xli. §. final. cum. l. ſeq.

Qui in collegiis piſtorum ſunt, à tutelis excuſantur: ſi modo per ſemet piſtrinum exerceãt. Sed nõ alii excuſandi ſunt quàm qui intra numerum ſunt. Vurbici autem piſtores à collegarum quoque filiorum tutelis excuſantur. ff. eod. l. final.

Sunt & alii, qui & ſi iam ſint tutores, uel curatores continuo tamen de reliquo absoluuntur à ſolicitudine: puta qui domicilium aliò tranſtulerunt. ff. eo. l. idem Vulpianus. xii. §. ſunt & alii.

Tutorem per tempus exulare iuſſum, excuſari non oportet: ſed per tempus exilii curator in locum ipſius debet dari. Planè ſi in exilium datus ſit tutor: poteſt ſe excuſare, modo in perpetuum datus ſit: facilius autem exulis ignorantia, qui tutorem ſuſpectum facere non potuit, ueniam habebit. ff. eod. l. tutor petitus. xxviii. aliàs. xxxi. §. fin. cum. l. ſeq.

Humanitatis ratio non permittit, fratrem aduerſus ſororem uel filios ſororis tutelam ſuſcipere, cum & ipſius etiam pupilli, cui tutor datus eſt, aliud exigere uideatur utilitas: ſcilicet, ut eum tutorem prius habeat, qui ad defenſionem eius non inhibeatur affectu. C. de excuſat. tut. l. humanitatis. xxiii.

Sed & hoc genus excuſationis eſt: ut ſi quis ſe dicat domicilium non habere, ubi ad tutelam datus eſt. ff. eod. l. final. §. final.

Qui autem uult ſe excuſare, ſi plures habet excuſationes, & de quibuſdam non probauerit: aliis uti intra tempora conſtituta non prohibetur. Inſtit. eod. §. qui autem uult. & ff. eod. l. propter. xx. aliàs. xxiiii. §. qui ſe uult.

Qui teſtamento tutor datus fuerat, dixit, ſe tres liberos habere. & prçterea, habẽti patruum legitimum tutorem, ſe malitioſe tutorem datum, prætor ita decreuit: SI LEGITIMVM TVTOREM HABENTI TVTOR DATVS ES NON EST TIBI NECESSARIA ESCVSATIO. cum nemo patruus tutor eſſet: iſte quamuis inſtas cauſas excuſationis haberet, non tamen eſt excuſatus propter uicium pronunciationis. ff. de exvuſat. tut. l. qui teſtamento. xxxvii.

Sed ſi errore potius (quod ſe pro iure trium liberorum, quod allegabat, excuſationem crederet) quàm malicia ab adminiſtratione ceſſaſſet, utilem actionem nõ dandam reſponſum eſt. d. l. qui teſtamento. §. final.

Qui iura multa poterit dicere, quorum unum quodque per ſe ipſum ſatis ualidum non eſt. an poſſit excuſari, quæſitum eſt: puta ſeptuaginta quis annorum non eſt, neque tres habet tutelas, ſed neque quinq; filios, aut aliquod aliud ius rem iſſionis habet: nimirum duas tutelas & duos filios, & ſexaginta annorum eſt: aut alia quædam talia dicit, per ſe ipſa quidem perfectum auxilium non prçbentia, quæ tamen ſi inuicem coniuncta ſint, iuſta appareant. Sed uiſum eſt hũc

non

non excuſari. ff. eod. l. ſpadoné. xv. aliàs. xvii. §. ſi ciuitatis uer qui intra multa.

Qui excuſare ſe uolunt, non appellant: ſed intrra quinquaginta dies continuos, ex quo cognouerunt ſe eſſe tutores uel curatores datos ſe excuſare debent, cuiuſcunque generis ſint. id eſt, qualitercunque dati fuerint tutores, ſi intra centeſimum lapidem ſunt ab eo loco, ubi tutores dati ſunt. ſi uero ultra centeſimum habitant: dinumeratione facta uiginti milium diurnorum, & amplius triginta dierum: qui tamen (ut Scæuola dicebat) ſic debent computari, ne minus ſint, quam quinquaginta dies. Inſtit. de excuſ. §. qui autem excuſare. & C. eod. l. tut. xviii.

Scire etiam oportet, neque datos tutores neq; teſtamentarios prouocare neceſſe habere: ut oſtendit conſtitutio Diui Seueri & Antonini. Hoc autem obſeruari oportet & in datis curatoribus. In paucisſimis enim diſtant curatores a tutoribus. Aduerſus denique ſententias auferentes ei excuſationes, licentiem habebunt appellandi. ff. de excuſat. tut. l. ſcire etiam oportet. xiii. aliàs. xv. in princ.

Multa uerò obſeruari oportet, ut concedatur, tutores uel curatores cauſas remisſionis tribuere. Oportet enim eos etiam conſtituto legibus tempore ad iudicem accedere. Sunt autem conſtituta tempora hæc. Qui enim in ipſa ciuitate eſt, ubi creatur, uel intra centeſimum lapidem a ciuitate: intra quinquaginta dies excuſabitur poſtea autem non admittetur: ſed tenebitur ad ſolicitudinem: & ſi horum quid non fecerit: erit in ea cauſa, in qua eſſet, ſi uideretur proprio ipſam periculo negligere: neque ultra ei uia relicta erit ad excuſationem. d. l. ſcire autem oportet. §. multa uero.

Qui autem ſupra centum miliaria à ciuitate abeſt, uiginti miliaria habebit numerata in unam quanque diem a qua cognouerit: (oportet autem ei manifeſtari a præſidibus uel in faciem uel ad domum) & extra hos, alios triginta dies habebit excuſationem. Hoc autem conuenit & iis, qui in teſtamento dati ſunt: ſiue tutores fuerint, ſiue curatores: quos confirmari a magiſtratibus, conſuetum eſt. ff. eod. d. l. ſcire etiam oportet. §. qui autem.

Aliud etiam inuenitur in Diui Marci promulgatione inquiſitione dignum. Si enim ei, qui in ipſa ciuitate eſt, in qua creatus eſt, uel intra centum miliaria, quinquaginta dierum ſpatium legislator dedit: ei uerò, qui ultra centum miliaria habitat in unam quamque diem numerari uiginti miliaria iuſsit, & extra hos alios triginta dies adiecit ad excuſationem. Vnde contingit, ut ſi cuius habitatio centum ſexaginta miliaribus abſit, is octo & triginta dierum ſpatiũ duntaxat habeat: octo quidem centum ſexaginta miliariorum nomine, in unam quamque diem uiginti miliariis numeratis: triginta uerò eò quod ad excuſationem faciunt. Erit igitur deteriore ordine, qui longius habitat, eo, qui intra centum miliaria eſt, uel in ipſa ciuitate: ſi utique his quidem ſuper quinquaginta dies ſpatii ſunt: illis uero pauciores. Sed & ſi maxime uerba lehunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud uult. Ita enim & Cencidius Scæuola, & Paulus & Domitius Vlpianus Κορυφαῖοι legum prudentum ſcribunt. dicentes ita oportere hoc obſeruari, ut nunquam alicui minus detur, quinquaginta dierum ſpatio: tunc autem longius, cum annumeratio dierum, qui in uiam computantur, adiectis. xxx. diebus, quos ad excuſationem lex dat, excedit quinquaginta dies; ut puta ſi diexrimus aliquem à quadringentis quadriginta miliariis habitare. hic enim uiæ quidem habebit dies. xxii. ad excuſationem autem alios. xxx. Obſeruabunt autem hoc temporis ſpa-

ris spatium omnes, qui qualitercunque excusantur à tutela, uel cura uel parte eius. ff. de excusat. tutor. d. l. scire etiam oportet. xiii. aliàs. xv. §. aliud etiam.

Consequens autem est credere, quod si aliqua specie excusationis fuerit quis usus, non aliter audietur, quam si obseruauerit constitutum tempus: nisi fortè alterius alicuius ciuitatis est ciuis. Ita uero necesse est custodiri constitutum tẽpus: ut & si excusatus fuerit dimissus, non liberari eum, Diui Seuerus & Antoninus ostendunt in constitutione; iubentes non detineri eum qui in locum eius creatus sit: quasi non liceat alium dari in locum existentis tutoris. d. l. scire autem oportet. §. consequens est.

Sufficit autem intra constitutum tempus excusare se solum. Si enim postea nolens desierit, non ei nocebit. Ideoque si representauerit quis se solum, non permanserit autem postea, ut se excuset: post constitutum tempus exceptione repelletur. Et hoc dicit constitutio Imperatoris Seueri & Antonini. Si enim quis propter ægritudinem uel aliam necessitatem, puta maris, uel hyemis, uel incursus latronum, aut aliam quam similem; constituto tempore non poterit uenire: ignoscendum ei est, cuius fidem tametsi sufficit firmare ex ipsa naturali iustitia, est tamen & constitutio imperatorum Seueri & Antonini hæc dicens. scire autem oportet, non sufficere si accedat ad iudicem: sed oportere etiam de specie remissionis testari: & si multa habeat iura quæ ad remissionem faciunt: omnia nominare: sin minus, similem esse ei, qui nequaquam accessit, aut accessit quidem, iustam autem remissionis causam non nominauit. d. l. scire autem oportet. §. sufficit.

Quinquaginta uero dies continui numerantur, incipiendo à tẽpore cognitionis quo quis cognouit se ipsum datũ esse. d. l. scire autẽ oportet. §. quinquaginta.

Oportet autem unam testari ante tribunal uel aliter in submemorationibus. Potest autem & libellos dare, ut iidem ipsi imperatores constituerunt. Hec de iis, qui obseruare constitutum, tempus debent. ff. eod. l. scire etiam, oportet. xiii. aliàs. xv. §. oportet.

Videamus modo de his qui huic tẽpori nõ subiacent. Videlicet qui nõ iuste dati sunt tutores, hoc est à quibus non oportet, aut quos nõ oportet, aut quibus nõ oportet, aut quò non oportet modo: si neque confirmentur, neque administrauerint, sunt immunes: neque oponet quis eis, quod constituta tempora excusationum non obseruauerint neque enim habent excusationis necessitatem: ut ostenditur in subiectis constitutionibus. quæ exempli gratia subiecta sunt adaptantur autẽ utique omnibus. Diui Seuerus & Antoninus Augu. Narcisso ab auo materno tutor datus, necesse nõ habuit se excusare cum ipso iure nõ teneatur, si igitur administrationi se non immiscuit. potest esse securus. Similiter autem & si eum, qui non suppositus est iurisdictioni, creabũt magistratus tutorẽ uel curatorẽ: neque hic necessitatem habet obseruare constituta Tempora: ut puta quia neque ciuis, neque incola est. d. l. scin etiam oportet. §. qui nõ iuste.

Tutor petius ante decreti diem si aliquod priuilegium quærit: recte petitionem institutam excludere non potest. ff. cod. l. tutor. xxviii. in principio.

Qui ab solutus est a tutela uel cura, non omnino depositionibus apud acta ad remissionem alterius creationis utetur, si non extiterint ei iura remissionis. ff. cod. l. spadonem. xv. aliàs. xvii. §. qui absolutus est.

Caius testamento Nigidium filio suo tutorem dedit, eundemque usque ad. xxv. annum curatorem constituit: cum liceat Nigidio à curatione se excusare etiã

citra

citra appellationem tempora, quæ in excusationibus obseruanda sunt non incipiunt à die aperti testamenti sed excusatio est necessaria cum decreto Prætoris seu præsidis. confirmatus curator fuerit. ff. eod. l. Caius. xvi. aliàs. xix.

Quinquaginta dierum spacium tantummodo ad contestandas excusationũ caussas pertinet. peragendo enim negocio ex die nominationis continui quatuor menses constituti sunt. ff. de excusat. tutor. l. quinquaginta. xxxviii. aliàs. xli.

Si cum ipse tutor datus institueret, ut proferret excusationem, mora contradictionis impeditus est, quò minus decreto liberaretur: excusatio recte probabitur. ff. eod. l. si. cum ipse. xxxix. aliàs. xlii.

Quinquaginta dies, qui præfiniti sunt ad professionem excusationis his, qui tutores seu curatores dati sunt, ex eo die cedere, ex quo decreto prætoris aut testamentum parentis notum factum fuerit ei, qui ad munus uocatus fuerit, ipsa constitutio, quæ hoc induxit, sanxit. sed si quis in eius temporis computatione ab eo, cuius de ea re notio fuerit, iniuriam passus, non prouocauit, adquiescere rebus iudicatis debet. C. de excusat. tut. l. sexta.

Quamquam in tutela detentus eo quod excusatio, quam obiiciebat, non est admissa prouocationis auxilio flagitauerit & in medio tempore pupilli in adulta ætate agere cœperint. tamen non eo minus causa interpositæ prouocationis propter periculum administrationis eius temporis iudiciorum more examinanda est. C. de excusat. tut. l. quamquam. xv.

Datus tutor, ad uniuersum patrimonium datus esse creditur. Inst. eo. §. datus. tut.

Licet datus tutor, ad uniuersum patrimonium datus est, tamen excusare se potest, ne ultra centesimum lapidem tutelam gerat: nisi in eadem prouincia patrimonium pupilli sit. & ideo illarum rerum dabunt tutores in prouincia præsides eius. Nec senatores ultra centesimum lapidem urbis tutelam agere coguntur habenti ergo tutorem tutor datur, sed aliarum rerum non earundem datur. ff. eod. l. propter litem. xxi. aliàs. xxiiii. §. licet datus.

Curatores dati generaliter sũt nec decreto significatum est, Italicarum tantum rerũ munus iniustum esse, ipsi debent competentem iudicem adire, ut eos à prouincialadministratione liberet. quod si factum fuerit, petent sibi in prouincia curatores adolescentes. C. de excusat. tut. l. secunda.

Testamento tutor datus, ut a bonis iis excusetur, quæ pupilli in alia prouincia quam unde tutor est ubiquè moratur posident intra quinquagesimum diem postulare debuit. Quod si facere cessauit excusatio quidem temporis præscriptione summouetur: sed propter late diffusum patrimonium. An ipsi tutori adiungi aliquos curatores oporteat præses prouinciæ si illum insufficientem deprehenderit æstimabit. C. eod. l. testamento. xi.

Et qui in testamento dati sunt tutores, renuent secundum leges administrationem earum, quæ in alia prouincia sunt, possessionum: quod ostendit subiecta Diui Seueri constitutio. Diui Seuerus & Antoninus Augusti Valerio. Testamento tutor datus, ante præfinitum diem adire debuisti, & postulrae, ut ab administratione rerum, quæ in alia prouincia erant, liberareris. ff. de excusat. tutor. l. non solum. xii. §. qui in testamento.

Illud usitatissimum est: ut his, qui in Italia domicilium habent administratio rerum prouincialium remitatur. ff. eod. l. illud. xix.

Qui tutelam alicuius gesit. inuitus curator eiusdem fieri nõ compellitur in tantum, ut licet pater familias, qui testamento tutorem dedit, adiecerit se eundem curatorem dare tamen inuitum eum curam suscipere non cogendũ, Diui

Seuerus

Seuerus & Antoninus rescripserũt. inst.eod.§.qui tutel. & ff.eod l. Caius.xvi.

Curator adultis nominatus, quorum tutor antea fuerat inuitus in administratione teneri non potest proinde si dies excusationibus præfinitus nondum excessit, uti competente defensione potest. C.de excus.tut.l.curator.xx.

Maritus uxori suæ curator datus excusare se potest licet se immisceat instit. eod. §. Idem rescripserunt.

SI TVTOR VEL CVRATOR FALSIS ALLEGATIONIBVS EXCVSATVS EST.

Titulus IIII.

SI quis falsis allegationibus excusationem tutelæ mouerit, non est absolutus onere Tutelæ. instit.eod.§.finali.

Si absentibus necessariis personis, uel iis, qui sua sponte minores defendere uolebant non competentibus allegationibus, qui tutores aut curatores dati erant liberari à munere uisi sunt: ne eis circunuenisse iudicis religionem prosit, præses prouinciæ si iniustum decretum extorsisse eos apparuerit, exinde ad eos periculum administrationis pertinere pronunciabit, ex quo dati sunt. C.si tutor uel curat. fals.allegat. l.prima.

Tutores, quos posteaquam bona pupillorum administrarunt à præside Prouinciæ quasi re integra excusari se impetrauerunt periculum administrationis euitare minime possunt. C.eod.l.secunda.

Qui ab administratione tutelæ seu curæ ambitione potius, quam iuris ratione se excusauit periculo iniuncti muneri minime liberatus est. C.eod.l.finali.

DE SVSPECTIS TVTORIBVS ET CVRATORIBVS.

Titulus V.

QVotidie suspecti tutores postulantur. Primum igitur tractãdum est, Vnde descendat suspecti crimẽ, & apud quos postulari quis possit suspectus tutor uel curator. Deinde quis, & à quo & ex quibus causis remoueatur, deq; pœna suspect. ff. de suspect.tut. l.prima.in pri. Sciendum est itaque suspecti crimen ex lege duodecim tabularum descendere. Instit.de suspectis.tutor.& d.l.prima.§.sciendum.

Datum est autem ius remouendi tutores suspectos Romæ prætori: & in prouinciis præsidibus earum, & legato proconsulis quia mandata iurisdictione totum officium, iuris dicundi in eum transit. Ergo etsi prætor mandet iurisditionem simili modo dicendum est suspectum posse apud eum postulari cui mandata est. Instit.eod.& d.l.prima.§.damus.

Ostendimus, qui possint de suspecto cognoscere, nunc uideamus, qui suspecti fieri possint. Et quidem omnes tutores possunt fieri suspecti, siue sint Testamentarii, siue non sint, sed alterius generis tutores. Quare & si legitimus fuerit tutor, accusari poterit. Instit.de suspect.tutor.§.ostendimus, & ff.eod.d.l.prima. §.ostendimus.& C.eod.l.quarta.

Consequens est, ut uideamus, qui possint suspectos postulare. Et sciendum est, quasi publicam esse hanc actionem: hoc est, omnibus patere. Quinimo & mulieres admittuntur ex rescripto Diuorum Seueri & Antonini, sed eæ solæ, quæ pietatis necessitudine ductæ, ac hoc procedunt, ut puta mater, nutrix quoque

& auia,

& auia; potest & soror. Sed si qua alia mulier fuerit, quam prætor propensa pietate intellexerit, sexus uerecundiam non egedientem, sed pietate productam non sustinere iniuriam pupillorum: admittet eam ad accusationem. Instit. eod. §. consequens. & d. l. prima. §. consequens.

Si quis de plebeis, ob facta atrocia in tutela admissa, fuerit ad Prætorem accusatus: remittitur ad præfectum urbi grauiter puniendus. d. l. prima. §. finali.

Tutor quoque contutorem potest suspectum facere: siue duret adhuc tutor, siue iam desierit ipse, contutor autem maneat tutor. Imo plus tutor suspectus remotus contutores suos potest suspectos facere. ff. de suspect. tut. l. tertia.

Non tantum adolescentis curator, sed etiam furiosi, uel prodigi, ut suspectis remoueri potest. sed & si quis curam uentris bonorum ne administrat: non carebit huius criminis metu. d. l. tertia. §. non tantùm autem.

Præterea uidendum, an sine accusatione posit suspectus repelli. & magis est, ut repelli debeat: si prætori liqueat ex apertissimis rerum argumentis, suspectum eum esse, quod fauore pupillorum accipiendum est. d. l. tertia. §. præterea.

Nunc uideamus, ex quibus causis suspecti remoueantur. & sciendum est, aut ob dolum in tutela admissum suspectum licere postulare, si forte grassatus in tutela sit: aut sordide egerit, uel perniciose pupillo; uel aliquid interceperit ex rebus pupillaribus iam tutor. Quod si quid admisit, ante tamen, quàm tutor esset: (Quamuis in bonis pupilli, uel in tutela) non potest suspectus tutor postulari: quia delictum tutelam præcessit. proinde si pupilli substantiam expilauit, sed antè quàm tutor esset: accusari debet expilatæ hæreditatis. si minus: furti. ff. de suspectis tutor. l. tertia. §. nunc uideamus.

Quęri potest: si tutor fuerit pupilli, idemque sit curator confirmatus adolescenti: an possit ex delictis tutelæ suspectus postulari? & cùm posit tutelæ à concuratoribus conueniri: consequens erit dicere, cessare suspecti accusationem: quia tutelę agi post deposito officio, uel alio sumpto. Item erit quærendum, si proponatur aliquem desiisse esse tutorem, & rursum cœpisse. ut puta usque ad tẽpus uel ad conditionem erat datus: deinde iterum, uel superueniente conditione testamẽtaria, uel etiam à prætore postea datus est an suspectus possit postulari? & quia duę tutelæ sunt: si est, qui eum tutelę iudicio conueniat: æquissimũ erit dicere, cessare crimen suspecti. Si autem ipse tutor, solus est: quia tutelæ cessat actio remouebitur ab hac administratione quasi in hac suspectus ex eo, quod in alia male uersatus sit. Ergo & in eo, qui curator solus post finitam tutelam confirmatus est idem dici potest. ff. de suspectis tutor. l. tertia. §. quæri potest.

Si quis tutor ita datus sit; QVO AD IN ITALIA ERIT TVTOR ESTO, uel QVO AD TRANS MARE NONIERIT: poterit suspectus postulari ex eo gestu quem administrauit antè, quam trans mare abesset, quasi una tutela sit habens interualla. d. l. tertia. §. quod si quis tutor.

Si quis absuturus reipublicæ causa, desiderauerit in locum suum constitui alium tutorem; reuersus, ex antegesto suspectus postulari non poterit, quia potest ex priore gestu utili actione conueniri. d. l. tertia. §. si quis absuturus.

Si curator uentri bonisque datus, fraudolenter uersatus sit; deinde tutor datus, an postulari suspectus propter fraudes in cura admissas posit, dubitari potest. Et si quidem habet contutores. non poterit postulari, quia conueniri potest. si non habet; amoueri poterit. d. l. tertia. §. si curator.

Si tutor inimicus pupillo parentibus've eius sit; & generaliter, si qua iusta causa prætorem mouerit, cur non debeat in ea tutela uersari; reiicere eum

debebit.

debebit.d.l.tertia.§.ſi tutor.

Tutores, qui res ueritas ſine decreto diſtraxerunt nihil quidem egerunt, uerum ſi per fraudem id fecerunt remoueri eos oportebit.d.l.tertia.§.ſeuerus.

Tutores,qui repertorium non fecerunt: uel pecuniam neque ad prædiorum comparationem conferre,neque deponere peruicaciter præſtant, quo ad emptionis occaſio inueniatur,uinculis publicis iubentur contineri,& inſuper pro ſuſpectis habentur. ſed ſciendum eſt,non omnes hac ſeueritate tractari debere: ſed utique humiliores. Cæterum eos,qui ſunt in aliqua dignitate poſiti: uinculis publices contineri non oportebit.d.l.tertia.§.tutores.

Is tutor, qui inconſiderate uel dolo pupillum abſtinuit ab hæreditate: ſuſpectus poſtulari poteſt.d.l.tertia.§.is tutor.

Tutores ſtrictoribus remediis adhibitis omni modo adminiſtrationis officium agnoſcere compelluntur. Quod ſi eadem contumacia perſeuerauerint: ſuſpecti poſtulentur, ut alii in locum eorum petantur.C.de ſuſpectis tutor.l.tertia.

Impuberes non poſſunt tutores ſuos ſuſpectos poſtulare Puberes autem curatores ſuos ex conſilio neceſſariorum ſuſpectos poſſunt arguere. Inſtit.de ſuſpect. tutor.§.impuberes.& ff.eod.l.impuberibus.vii.

Curatores quidem ſuo periculo, quanto tardius ad eos tutela transfertur, ceſſant.quod ſi in fraudem factũ adoleſcẽs exiſtimat: ſuſpectos eos poſtulabit.qui ſi ſubmoueri meruerint:in locũ eorũ alios accipiet.C.de ſuſpect.tut.l.ſecũda,

Actus ſui rationem tutor curatori reddere non eſt compellendus ſed niſi cum eo adminiſtrationem communicet, aut ex fide curam gerat, ſuſpectum poſtulari poteſt.ff.de adminiſtrat.tutor.l.actus.xviii.

Suſpectus eſt,qui non ex fide tutelam gerit licet ſoluendo ſit:ſed & antequam incipiat tutelam gerere tutor poteſt quaſi ſuſpectus remoueri. Inſtit.de ſuſpect. tutor.§.ſuſpectus autem.

Si tutores uel curatores filiorum fratris non recte adminiſtrant ſuſpectis eis poſtulatis atque oſtenſis,ut alii in locum eorum conſtituantur patruus facile impetrabit.C.eod.l.pietatis.vi.in princip.

Suſpectus autem remotus, ſi quidem ob dolum, famoſus eſt,ſi ob culpam non æque.Inſtit.eod.§.ſuſpectus autem remotus.& C.eod.l.finali.

Qui ob ſegnitiem,uel ruſticitatem,uel inertiam, uel ſimplicitatem, uel inertiam remotus ſit: in hac cauſa eſt,ut integra exiſtimatione tutela uel cura abeat.ſed ſi ob fraudem non remouerit aliquem, ſed alium ei adiunxerit non erit famoſus: quia non eſt abire tutela iuſſus. Hæ enim cauſæ faciunt, ut integra exiſtimatione tutela uel cura quis abeat: decreto igitur debebit cauſa remouendi ſignificari,ut appareat de exiſtimatione. quid ergo, ſi non ſignificauerit cauſã remotionis decreto ſuo? Papinianus ait,debere dici, hunc integræ eſſe famæ, & uerum eſt.ff.de ſuſpect.tutor.l.tertia.§. finali cum.l.ſequenti.4.

Si prætor ſententia ſua non remouerit tutela, ſed gerere prohibuit: dicendum eſt,magis eſſe,ut hic deſinat tutor eſſe.Qui nihil geſſerunt, non poſſunt ſuſpecti poſtulari: uerùm ob ignauiam, uel negligentiam, uel dolum, (ſi dolo fecerunt)poſſunt remoueri.d.l.quarta.§.finali.

Si fraus non ſit admiſſa,ſed lata negligentia:quia iſta propè fraudem accedit, remoueri hunc quaſi ſuſpectum oportet.ff.eod.l.impuberibus.vii.§.ſi non fraus.

Si tutor aliquo uinculo neceſsitudinis uel adfinitatis pupillo coniunctus ſit, & à tutela remouendus uideatur optimũ factum eſt curatorem ei potius adiungi q̃ eundem notata fide & exiſtimatione remoueri.ff.de ſuſpect.tutor.l.tutor.ix.

Decre-

Decreto Prætoris vt suspectus remotus, periculum futuri temporis nõ timet. iniquum enim uidetur, remoueri quidẽ tutela vel cura in futurum autem non esse securum. ff. eod. l. decreto. x.

Si quis autem suspectus postulatur quo ad cognitio finiatur interdicitur ei administratio: alius tamen interea in locum eius in administratione rerum ordinandus est. Sed si suspecti cognitio suspecta fuerit, posteaque tutor, uel curator decesserit estinguitur suspecti cognitio. Insti. de suspect. tut. §. si quis autem & C. eod. l. eum quem. vii. & ff. eod. l. penul.

Si quis tutor copiam sui non faciat: ut pupillo alimenta decernantur, cauetur epistola Diuorum Seueri & Antonini, vt in possesionem bonorum eius pupillus mittatur, & quæ mora deteriora futura sunt, dato curatore distrahi iubentur: Ergo vt suspectus remoueri poterit, qui non præstat alimenta quod perrarò & diligenti habita inquisitione faciendum est. Insti. de suspect. tutor. §. si quis tutor, & ff. eod. l. impuberibus. vii. §. Præterea, & §. fina.

Sed si quis præsens negat propter inopiam alimenta posse decerni: si hoc per mendacium dicat remittendum eum ad præfectum vrbi puniendum, placuit. hic ergo non quasi suspectus remouebitur: sed remittitur puniendus: sicut ille remittitur, qui data pecunia ministerium tutelæ acquisierit, vel redimerit. Insti. de excus. tutor. §. sed si quis præsens, &. ff. eod. l. tertia. §. tutor.

Nouissime sciendum est eos, qui fraudulenter tutelam administrant, etiam si satis offerant, remouendos esse à tutela, quia satisdatio tutoris propositũ maleuolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatẽ præstat. Expedit .n. pupillo rẽ suam saluam fore magis q̃ tabulas cautionis habere. Nec ferẽdus est contutor, qui ideo collegam suum suspectũ non fecit; quoniam cautum erat pupillo. Insti. de excus. tuto. §. pen. & ff. eod. l. suspectus. v. cum l. sequen.

Suspectum eum putamus, qui moribus talis est, vt suspectus sit: enimuero tutor, vel curator, quamuis pauper sit, fidelis tamen & diligens, remouendus non est quasi suspectus. Insti. eod. §. fin. & ff. eod. l. suspectum. viii.

In postulandis suspectis tutoribus seu curatoribus non iures patrimoniorũ principaliter, sed an nihil segniter, nihil fraudulenter geratur perpẽdi oportet. C. de suspect. tuto. l. in postulandis. v.

Quòd si nihil in fraudem egerunt, verum ita egeni sunt, vt in eorũ administratione pupillorum substãtia periclitetur: an ei adiungẽdis sit curator, qui idoneus facultatibus sit: rector Prouinciæ æstimabit. C. eo. l. pietatis. §. quod si nihil. vi.

Qui suspectum contutorem suum postulare ac remouere ab administratione non curauerit, non admittitur ad tutelam sibi nomine eiusdem pupilli restitui. C. de suspect. tuto. l. pen.

Sine accusatione etiam potest suspectus repelli si Prætori liqueat ex apertissimis rerum argumentis suspectum eum esse, quod fauore pupillorum accipiendum est. ff. de suspect. tuto. l. tertia. §. præterea.

Suspecti tutoris accusatio pro tribunali tm̃ examinari põt, & nullus alius de huius qõne, q̃ præces prouinciæ pronũtiare põt. ff. ad S.C. Turpil. l. prima. §. suspecti.

Qui se in testamento tutorem scripsit tutor non est: cùm autẽ patris voluntas hoc ipsum manu sua declarantis ambigua non esset: iste, quãuis alii tutores essent, curator dabitur, nec admittitur excusatio, quam iure publico habebit: quoniã promisisse videbatur nec vt suspectus remouebitur. ff. de testamentaria tutela. l. ex sententia. xxix.

FINIS PRIMAE PARTIS.

SECVNDA PARS COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Primus.

DE RERVM DIVISIONE.

Titulus I.

SVPERIORE libro de iure personarum exposuimus: modo uideamus DE REBVS, quæ uel in nostro patrimonio, uel extra patrimonium nostrum habentur. Instit. de rerum diuis. in princip. Item summa rerum diuisio in duos articulos deducitur: Nā aliæ sunt diuini iuris, aliæ humani, ff. eod. l. prima, in princip.

Quædam naturali iure communia sunt omnium: quædam publica, quædam uniuersitatis, quædam nullius, pleraque singulorum, quæ ex uariis causis cuique acquiruntur. Insti. eod. §. quædam, & ff. eod. l. secunda.

Et quædam naturali iure cōia sunt omnium: hæc Aer, Aqua, Proflues, & mare, & per hoc Litora maris: Nemo igitur ad litus maris accedere prohibetur piscandi causa: dum tamen à uillis, & monumentis, & ædificiis se abstineat: quia non sunt iuris gentium, sicut & mare. Institu. eod. §. & quidem, & ff. d. l. secunda, & l. sequen.

Item maris est communis usus omnibus hominibus : ut aeris, iactæque in id pilæ sunt eius, qui iecerit. sed id concedendum non est, si deterior litoris, marisve usus eo modo factus sit, ff. ne quid in loco publico.l.tertia.

Flumina autem omnia, & portus, publica sunt: ideoque ius piscandi omnibus commune est in portu, fluminibusque. Est autem littus maris, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit. Institut. eodem. §. flumina, & ff. eodem. l. quarta in fine, & ff. de verborum significatio. l. Litus, xcvi. in princip. Idque M. Tullium aiunt, cum arbiter esset primum constituisse. ¶ Et idem iuris est in lacu, nisi is totus priuatus sit, ff. de uerbor. significatio.l. Litus, cxii.

Et litora mari proxima, publica sunt, non secus atque in continenti agro, ff. de acquir.rer.dom.l.pen.uers.& littora.

Et flumina publica, quæ semper fluunt, ripæque eorum publicæ sunt. Ripa ea putatur esse, quæ plenissimum flumen continet. Secundum ripas fluminum loca non omnia publica sunt, cùm ripæ cedant, ex quo primum à plano uergere incipit, usque ad aquam, ff. de flumin. lege tertia.

Riparum quoque usus publicus iuris gentium est, sicut ipsius fluminis, itaque naues ad eas applicare, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in iis reponere cuilibet liberum est, sicut per ipsum flumen nauigare. Sed proprietas illorum est, quorum prædiis adhærent: qua de causa arbores quoque in eisdem natæ eorundem sunt. Institut. eod. §. Riparum, & ff. eod. l. Riparum, v. & ff. de acquirend. rerum domi. l. Ergo, xxx. §. primo, & ideo cum exsiccatus est alueus proximorum fit, quia iam populus eo non utitur, d.l. ergo. §. celsus.

Litorum quoque usus publicus, & iuris gentium est, sicut & ipsius maris, & ob id quibuslibet liberum est casam ibi imponere, in qua se recipiat, sicut retia siccare, & ex mari deducere. proprietas autem eorum potest intelligi nullius esse, sed eiusdem iuris esse, cuius & mare, & quæ subiacent mari, aut terra, uel arena. Institu.eod.§. Litorum, & ff. eod. d. l. Riparum, in fine, & l. sequ. in princip.

Vniuersitatis sunt, non singulorum ueluti, quæ in ciuitatibus sunt, ut theatra, stadia, & his similia; & si quæ alia sunt communia ciuitatum. Inst. de rer. diuis. §. uniuersitatis, & ff. eod. l. vi. §. uniuersitatis.

Et res, quæ publicę sunt, nullius in bonis esse creduntur, ipsius enim uniuersitatis sunt, ff. eod. l. prima. §. hæc autem.

Et fines publicos à priuatis detineri, non oportet, curabit igitur Præses prouinciarum, si qui publici sunt, à priuatis separare, & publicos potius reditus augere, si qua loca publica, uel ædificia in usus priuatorum inuenerit: æstimare, utrum ne uendicanda in publicum sint, an uectigal eis satius sit imponi, & quod utilius esse reipub. intellexerit, sequi, ff. de operibus publicis. l. quinta. §. fin.

Nullius autem sunt res sacræ, & sanctæ, quod enim diuini iuris est, id nullius in bonis est. Institut. eodem. §. nullius, & ff. eodem, l. in tantum. §. sacræ.

Sacræ res sunt, quæ ritè per Pontifices Deo consecratę sunt: ueluti ædes sacræ,

&do-

& dona quæ rite ad ministerium Dei dedicata sunt, & locus in quo ædes sacræ sunt ædificatæ etiam diruto ædificio sacer manet adhuc. Institu. eod. §. sacræ res.

Sanctæ quoque res, ueluti muri, & portæ ciuitatis, quodammodo diuini iuris sunt, & ideo nullius in bonis sunt: ideo autem muros sanctos dicimus, quia pœna capitis constituta sit in eos, qui aliquid in muros deliquerunt. Inst. eod. §. sanctæ quoque.

DE ACQVIRENDO RERVM DOMINIO.

Titulus II.

Singulorum hominum multis modis res fiunt. quarundam enim rerum dominium nanciscimur iure naturali, quod appellatur ius gentium. Quarundam iure ciuili: commodius est, itaque à uetustiore iure incipere, palam est autem uetustius esse ius naturale, quod cum ipso genere humano rerum natura prodit. Ciuilia autem iura tunc esse cęperunt cum & ciuitates condi, & magistratus creari, & leges scribi cęperunt. Inst. de rer. diuis. §. singulorum, & ff. de acquir. rer. dom. l. prima, in princ.

Feræ bestiæ, & uolucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cœlo, & terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint iure gentium statim illius esse incipiunt: quod autem nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. Inst. eod. §. feræ, & ff. de acquir. rer. dom. l. prima. §. fi. & l. tertia in princip. & §. fin.

Nec interest feras bestias, & uolucres utrum in suo fundo, quis capiat, an in alieno. Plane qui alienum fundum ingreditur uenandi, aut aucupandi gratia, potest à domino, si is præuiderit prohiberi, ne ingrediatur. Quicquid autem eorum cœperis, eo usque tuum esse intelligitur, donec tua custodia coercetur, cum tuam uero euaserit custodiam, & in libertatem naturalem sese receperit, tuum esse desinit, & rursus occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum uel oculos tuos effugerit, uel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit eius persecutio. Instit. eod. §. Nec interest.

Illud quæsitum est, an si fera bestia ita uulnerata sit, ut capi posit, statim tua esse intelligatur, & quibusdam placuit, statim esse tuam, & eo usque tuam uideri donec eam persequeris, quod si desieris persequi, desinere esse tuam, & rursus fieri occupantis. alii uero putauerunt, non aliter tuam esse, quam si eam cœperis, sed posterior sententia uerior est, quòd multa accidere soleant, ut eam non capias. Institut. eodem §. illud, & ff. de acquirenda rerum dominium. l. naturalem. v. §. illud quæsitum est.

In laqueũ, quẽ uenandi causa posueras aper incidit. cùm eo hæreret, exẽptũ eum abstuli: nũ tibi uideor tuũ aprũ abstulisse, quæritur? & interest laqueũ in publico, an in priuato posueris. Etsi in priuato utrũ in tuo, an in alieno, & si in alieno utrum permissu eius, cuius fundus erat, an non permissu eius posueris. Præte-

rea utrum in eo ita hæserit aper, ut expedire se non posset, an diutius luctando expediturus se fuerit. Summa hæc est, ut si in tuam potestatē peruenerit tuus factus sit, si autem aprum tuum factum in suam naturalem laxitatem dimisissem, eoque facto tuus esse desiisset, actionem tibi in factum dari oporteret. Veluti responsum est, cum quidam poculum alterius ex naui deiicisset, ff. de ac quir. rer. dom. l. in laqueum, lv.

Apium quoque fera natura est, itaque apes, quæ in arbore tuo concederint antequàm a te alueo includantur, non magis tuæ intelliguntur esse, quàm uolucres, quæ in arbore tua nidum fecerint. Ideoque si alius eas incluserit, is carū dominus erit: fauos quoque si quos effecerint eximere quilibet potest: planè integra re, si præuideris ingredientem fundum tuum, poteris eum iure prohibere ne ingrediatur. ¶ Examen quoque quod ex alueo tuo euolauerit eo, usq; intelligitur esse tuum donec in conspectu tuo est, nec difficilis persecutio est: alioquin occupantis fit. ¶ Pauonum quoque, & columbarum fera natura est: nec ad rem pertinet, quod ex consuetudine euolare, & reuolare solent: nam & apes idem faciunt quarum constat feram esse naturam: ceruos quoque quidam ita mansuetos habent, ut in syluam ire, & redire soleant, quorum & ipsorum feram esse naturam nemo negat. ¶ In iis autem animalibus, quæ ex consuetudine abire, & redire solent, talis regula comprobata est, ut eousque tua esse intelliguntur donec animum reuertendi habeant: Nam si reuertendi animum habere desierint, etiam tua esse desinunt, & fiunt occupantium: Reuertendi autem animum uidentur desineri habere tunc, cum reuertendi consuetudinem deseruerint. Instit. de rerum diuis. §. apum, & §. pauonum, & §. in iis autem.

Gallinarum autem, & anserum non est fora natura, idque ex eo possumus intelligere, quod aliæ sunt gallinæ, quas feras uocamus. Item alii sunt anseres quos feros appellamus. Ideoque si anseres tui, aut gallinæ tuæ aliquo modo turbati, turbatæve euolauerint, licet conspectum tuum effugerint quocunque tamen loco sint tui, tuæve esse intelliguntur: & qui lucrandi animo ea animalia detinet furtum committere intelligitur. Instit. de rerum diuis. §. gallinarum.

Cum pastori meo lupi porcos eriperent, hos uicinæ uillæ colonus cum robustis canibus, & fortibus, consecutus lupis eripuit, aut canes extorserunt, cuius sint porci dubitat Pomponius, & putat potius domini manere tandiu quandiu recuperari posit licet in auibus, & piscibus, & feris contrarium sit. Nam quod auis transuolans ex area, aut ex agro uestro sustulit, aut quod à nobis miluus eripuit non manet in dominio nostro quemadmodum piscis, uel aper, uel auis cum potestatem nostram euaserit, si ab alio capiatur ipsius fit. Et si manet nostrum, quod à lupo eripitur, licet non furandi animo fuerit colonus persecutus tamen cum reposcenti, non reddiderit supprimere, & interripere uidetur. Quare & ad exhibendum tenetur, & uindicari ab eo exhibitos porcos posse constat, ff. de acquirenda rerum dominium, l. Pomponius, xliiii.

Item ea, quæ ex hostibus capimus iure gentium statim nostra fiunt: adeo quidem ut liberi homines in seruitutem infidelium deducantur, qui tamen si euaserint eorum potestatē, & ad suos reuersi fuerint pristinum statum recipiunt. Instit. de rerum diuis. §. item ea quæ & ff. de acquir. rer. dom. l. naturalem, v. in fine cum l. adeo vii. in princ.

Trans-

Transfugam iure belli recipimus, & quæ res hostiles apud nos sunt, non publicæ, sed occupantium fiunt, ff. de acquirenda rerum domin. l. transfugam 51.

Item lapilli, & gemmæ, & cætera, quæ in littore maris inueniuntur iure naturali statim inuentoris fiunt. Inst. eod. §. item lapilli, & ff. de acquir. possess. l. prima, §. item in bello.

Præterea, quòd per alluuionem agro tuo flumen adiecit iure gentium tibi acquiritur. Est autem alluuio incrementum latens, per alluuionem autem id uidetur adiici, quod paulatim adiicitur, ut intelligi non possit, quanto quoque temporis momento adiiciatur. Quod si uis fluminis de tuo prædio aliquam partem detraxerit, & uicini prædio applicuerit, palàm est eam tuam permanere. Planè si longiore tempore fundo uicini tui hæserit, arboresque quas secum traxit in eum fundum radices egerint, ex eo tempore uidentur uicini fundo acquisitæ esse. Instit. de rer. diuis. §. præterea, & ff. de acquir. rer. domin. l. adeo, vii. §. præterea.

Ratis ui fluminis in agrum meum, delatæ non aliter tibi potestas est, quam si de præterito damno mihi cauisses, ff. de incend. ruina. l. ratis, viii.

Lacus & stagna licet interdum, crescant interdum, exarescant suos tamen terminos retinent, ideoque in his alluuionis ius non agnoscitur, ff. de acquir. rer. dom. l. lacus, xii. in prin.

Insula, quæ in mari nata est (quòd raro accidit) occupantis fit: nullius enim esse creditur. At insula in flumine nata (quod frequenter accidit) siquidem mediam partem fluminis tenet communis est, eorum qui ab utraque parte fluminis, propè ripam prædia possident, scilicet pro modo latitudinis cuiusque fundi, quæ latitudo propè ripam sit. Quod si alteri parti proximior fit eorum est, tantum qui ab ea parte propè ripam prædia possident. Instit. eod. §. insula quæ in mari, & ff. de acquiren. rer. domi. l. inter eos, xxix. Nam si id quod in publico natum, aut ædificatum est, publicum est, insula quoque quæ in publico nata est, publica esse debet, ff. de acquirend. rerum domi. l. penult.

Insula est nata in flumine contra frontem agri mei, ita ut nihil excederet longitudo regionem prædii mei: & postea aucta est paulatim, & processit contra frontem agri, & superioris uicini, & inferioris tota ea insula mea facta est. sed & quod postea ei insulæ accessit, id tuum est, etiam si ita accessit, vt procederet insula contra frontem uicinorum superioris, atque inferioris, uel etiam ut propior esset fundo eius, qui trans flumen habet, ff. de acquir. rer. domi. l. insula, lvi.

Sed si cum propior ripæ meæ sit nata insula, postea totum flumen inter eam, & insulam fluere cœperit relicto suo alueo, quo maior amnis fluxerat: Proculus respondit, si cum fundo tuo propior in initio fuisset insula, flumen relicto alueo maiore, qui inter eam insulam fluerat, & eum fundum uicini, qui inter flumen erat, fluere cœperit inter eam insulam, & fundum tuum; nihilominus insula tua manet, sed alueus, qui fuit inter eam insulam, & vicini fundum medius diuidi debet, ita vt pars propior insulæ tuæ, tua sit pars autem propior agro uicini eius esse intelligatur: intelligo enim (inquit Proculus) cum ex altera parte insulæ alueus fluminis exaruerit desiisse insulam esse, sed quo facilius res intelligatur, eum agrum, qui insula fuerat, insulam appellat, ff. de acqui. rer. dom. l. insula, lvi. §. item quæro.

Item si qua insula in flumine publico proxima tuo fundo nata est, tua est, sed hoc falsum de ea insula, quæ non ipsi alueo cohæret, sed uirgultis, aut alia qua libet leui materia ita sustinetur in flumine, ut solum eius non tangat, atque ipsa mouetur. Hæc enim propemodū publica, atque ipsius fluminis est insula, ff. eod. l. pen. §. si qua insula.

Item si qua insula in flumine nata propria tua est, quo ad ripas in eo genere insula est, quo ripæ fluminum, & littora maris proxima, quæ publica sunt, non secus, atque si in continenti agro sit, d. l. pen. §. si insula.

Quod si aliqua parte diuisum flumen sit, deinde infra unitum agrum alicuius in formam insulæ redegerit eiusdem permanet, is ager cuius, & fuerat Inst. de rerum diuis. §. quod si aliqua, & ff. de acquiren. rer. dom. l. adeo, vii. §. insula ibi quod si ex uno.

Item tribus modis insula in flumine fit. Vno modo cum agrum, qui aluei non fuit amnis circunfluit. Altero cum locum qui aluei esset siccum reliquit, & circunfluere cœpit. Tertio cum paulatim coalluendum locum eminentem supra alueum fecit & cum alluendo auxit Duobus posterioribus modis priuata insula fit eius, cuius ager propior fuerit cum primum extitit. Nam & natura fluminis hæc est, ut churſu suo mutato aluei causam mutet, nec quicquam intersit utrum de aluei dumtaxat solo mutato: an de eo quod superfusum solo ueteri sit quæratur. Vtrumque enim eiusdem generis est. Primò autem illo modo causa proprietatis non mutatur. ff. eod. l. ergo xxx. §. tribus modis.

Quod si naturali alueo in uniuersum derelito ad aliam partem fluere cæperit prior quidem alueus eorum est qui prope ripam eius prædia possident pro modo scilicet latitudinis cuiusque agri, quæ latitudo prope ripam sit. nouus autē alueus eius iuris esse incipit cuius & ipsum flumen est, idest publicus. Quod si post aliquod tempus, ad priorem alueum reuersum fuerit flumen, rursus nouus alueus eorum esse incipit qui prope ripam eius prædia possident. Inst. de rer. diuis. §. quod si naturali.

Et qui dicit quia ager ille, qui fuerat desinit esse amissa prima forma, aut qui prædium uicinum nullum habet non posse ratione uicinitatis ullam partem uicinitatis in eo habere uix est, ut id obtineat. ff. de acquir. rer. dom. l. adeo. vii. §. si cuius tamen.

Alia sanè causa est si cuius totus ager inundatus fuerit. Neque enim inundatio fundi speciem commutat: & ob id si recesserit aqua palam est eum fundum manere cuius & fuit. Inst. eod. §. alia sane causa est.

Martius fundum habebat secundum uiam publicam, & inter uiam & flumen, erat & ager Titii. Flumen paulatim primum omnem agrum, qui inter uiam, & flumen esset aboleuit: deinde & uiam sustulit. Postea rursus minutatim recessit, & alluuione in antiquum locum rediit: ALPHENVS respondit cum flumen agrum & uiam publicam abstulisset eum agrum eius factum esse, qui trās flumen fundum habuisset. Postea cum paulatim retro rediisset ademisse ei, cuius factus esset & addidisse ei, cuius trans uiam ager esset, quoniam eius fundus proximus fluminis esset: id autem quod publicum fuisset nemini accessisse nec tamen impedimento uiam esse quominus ager qui trans uiam alluuione relitus esset Martii fieret, nam & ipsa quoque uia fundi esset, ff. eod. l. Attius, siue Martius. xxxviii.

Alluuio agrum restituit eum quem impetus fluminis totum abstulit. Itaque si ager, qui inter uiam publicam & flumen publicum fuit inundatione flumi-

nis occupatus eſt,ſiue paulatim,ſiue non paulatim,ſed eodem impetu,receſſu fluminis reſtitutus ad priſtinum dominum pertinet. Flumina enim cenſitorum uice funguntur,ut ex priuato in publicum addicant,& ex publico in priuatum,itaque ſicut hic fundus,cùm alueus fluminis factus eſſet fuiſſet publicus:ita nunc priuatus eius eſſe debet,cuius antea fuit.ff.de acquir.rer.dom.l. ergo.xxx.§.alluuio.

Cùm ex aliena materia ſpecies aliqua facta ſit ab aliquo queri ſolet, quis eorum naturali ratione dominus ſit,utrũ is, qui fecerit an potius ille qui materiæ dominus fuerit,ut ecce ſi quis ex alienis uuis,aut oliuis aut ſpicis uinũ,aut oleũ, aut frumentũ fecerit, aut ex alieno auro,uel argẽto,uel ære uas aliqđ fecerit: uel ex alieno uino & mele mulſum miſcuerit, uel ex medicamentis alienis emplaſtrum,aut collyrium compoſuerit, uel ex aliena lana ueſtimentum fecerit, uel ex alienis tabulis nauem,uel armarium, uel ſubſellia fabricauerit: & poſt multam Sabinianorum, & Proculianorum ambiguitatem placuit media ſententia exiſtimantium,ſi ea ſpecies ad priorem & rudem materiam reduci poſſit,eum uideri dominum eſſe, qui materiæ dominus fuerit: ſi non poſſit reduci,eum potius intelligi dominum,qui fecerit: ut ecce uas conflatum poteſt ad rudem materiam æris, uel argenti,uel auri reduci : uinum autem, uel oleum aut frumentum, ad uuas, uel oliuas,uel ſpicas reuerti nõ poteſt: ac ne mulſum quidem ad uinum,& mel reſolui poteſt,uel emplaſtrum,aut collyrium ad medicamenta reuerti poſſunt. Inſt.de rer.diuiſ.§. cum ex aliena. & ff. de acquir. rer.dom.l.adeo vii.§.cum quis ex aliena.& l.in omnibus.xxiiii. Niſi uoluntate domini alterius nomine id factum ſit: propter conſenſum enim domini tota res eius ſit, cuius nomine factum eſt.ff.eod.l.niſi.xxv.

Caius I.C. in hac lege vii.in exemplo de frumẽto contrarius eſt. Sed illa diſpoſitio omittitur, quia terminatio inſtitutionũ ſe quẽda eſt, Et credendũ eſt cõpoſitione inſtitutionũ:uidiſſe alios libros,q̃ ſupradictã legem ſeptimã, quia aut eã ſeculi fuiſſent, aut in digeſtis nõ relicta fuiſſet hæc opinio comunis.

Et ſi quis ex uuis meis muſtum fecerit,uel ex oliuis oleum,aut ex lanis ueſtimẽta cũ ſciret hęc aliena eſſe utriuſque nomine ad exhibendũ tenebitur,quia quod ex re noſtra ſit,noſtrum eſſe uerius eſt.ff.ad exhib.l.de eo. §.ſi quis ex uuis.xii.

Item ubi ſimul plura contribuuntur ex quibus unum medicamentum ſit, aut coactis odoribus unguenta facimus nihil hic ſuum uerè dicere poteſt prior dominus; quare potiſsimum exiſtimari debet,cuius nomine factum ſit eius eſſe. ff. de acquir.rerum domi. l.quicquid.xxvii.§.ubi ſimul.

Si tuum ſcyphum alieno plumbo plũbaueris, alienove argẽto ferumenaueris nõ dubitatur ſcyphum tuũ eſſe,& à te rectè uẽdicari d.l.quicquid.xxvii.in princ.

Si quis nauem ſuam aliena materia refeciſſet,manet eiuſdem nauis materia, ſed ſi in ædificanda ea idem feciſſet non poteſt: nam proprietas totius nauis carinæ cauſam ſequitur.ff.de rei uend.l.Minutius.lxi.

Sed ſi ex meis tabulis nauem feciſſet tua nauis erit,quia cupreſſus non maneret, ſicut nec lana ueſtimento facto,ſed cupreſſeum,aut laneum corpus fieret.ff.de acquir.rer.dom.l.ſed ſi ex meis.xxvi.in princ.

Quòd ſi partim ex tua materia, partim ex aliena ſpeciem aliquam fecerit quis : ueluti ex ſuo uino,& alieno mele mulſum miſcuerit, aut ex ſuis & alienis medicamentis emplaſtrum, aut collyrium, aut ex ſua lana & aliena ueſtimentum fecerit,dubitandum non eſt hoc caſu eum eſſe dominum,qui fecerit cum non ſolum operam ſuam dederit, ſed & partem eiuſdem materiæ præſtiterit. Inſt. de rer.diuiſ. §.Quòd ſi partim.

Si tamen alienam purpuram ueſtimento ſuo quis intexuerit, licet præcioſior ſit purpura,tamen acceſsionis uice cedit ueſtimento:& qui dominus fuit purpuræ,aduerſus eum,qui ſurripuit habet pro furto actionẽ & conditionẽ,ſiue ipſe ſit

ſit,qui ueſtimentum fecit,ſiue alius. Nam extinctæ res licet uendicari nõ poſſint condici tamen à furibus,& quibuſdam aliis poſſeſſoribus poſſunt. Inſt.de rer. diuiſ.§.ſi tamen alienam.

At in his corporibus, quæ ex diſtantibus corporibus eſſent conſtat ſingulas partes retinere ſuam propriam ſpeciem,ut ſingulæ oues.ideoque poſſe me gregẽ uindicare quamuis aries tuus, ſit immiſſus, ſed & te arietem uendicare poſſe,certum eſt. Quod non idem in cohærentibus corporibus eueniret. Nam ſi ſtatuæ meæ brachium alienæ ſtatuæ addideris non poteſt dici brachium tuum eſſe,quia tota ſtatua uno ſpiritu cõtinetur,ff.de rei uẽdic.l.in rem actio.xxiii. §.at in his corporibus.

Si meam lanam infeceris purpuram nihilominus mea eſt, quia nihil intereſt inter purpuram,& eam lanam,quæ in lutum,aut cœnum cecidiſſet,at qui ita priſtinum colorem perdidiſſet,ff.de acquir.rer.dom.l.ſed ſi ex meis,xxvi.§.fi.

Si duorum materiæ ex uoluntate dominorum cõfuſæ ſint totum id corpus,quod ex confuſione fit commune eſt,ueluti ſi qui uina tua confunderint, aut maſſas argenti,uel auri conflauerint,ſed ſi diuerſæ materiæ ſint,& ob id propria ſpecies facta ſit forte ex mele,& uino mulſum,aut ex auro, & argento electrũ,idẽ iuris eſt. Nam & hoc caſu communem eſſe ſpeciem non dubitatur. Quod ſi fortuitu,& non uoluntate dominorum confuſæ fuerint, uel eiuſdem generis materiæ,uel diuerſæ,idem iuris eſſe placuit. Inſt.de rer. diuiſ.§. ſi duorum, & §.ſed ſi diuerſæ,& §.quod ſi fortuitu, & ff.de acquir. rer. dominio, l.adeò vii. §.uoluntas.

Si ex ære meo,& argento tuo conflato aliqua ſpecies facta ſit, non erit ea noſtra communis,quia cum diuerſa materia æs, & argentum ſit ab aurificibus ſeparari,& in priſtinam materiam reduci ſolet, ff.de acquir. rer.dom.l.lacus, xii.§. fi.Item ſi plumbum cum argento miſtum ſit,non communicabitur, nec communi diuidũdo agetur,quia ſeparari poteſt,agetur autem in rem actione, ſed ſi deduci non poſsit,ut puta ſi æs,& aurum miſtum fuerit pro parte uindicandum eſt,ff.de rei uindicat.l.idem Pomponius,v.§.ſed ſi plumbum.

Item ſiquid quod eiuſdem naturę eſt,ita confuſum eſt,atque commixtum, ut ſeparari non poſsit,non totum uindicatur,ſed pro parte:ut puta meum, & tuũ argentum in maſſam reductum eſt,non erit nobis commune: & unuſquiſque pro rata ponderis, quod in maſſa habemus uindicabimus: etſi incertum ſit quantum quiſque ponderis in maſſa habeat,ff.eod.l.iii.§.Pomponius.

Quod ſi frumentum Titii frumento tuo miſtum fuerit, ſiquidem ex uoluntate ueſtra,commune eſt,quia ſingula corpora,ideſt ſingula grana, quæ cuiuſque propria fuerunt,ex conſenſu ueſtro communicata ſunt,quòd ſi caſu id miſtum fuerit,vel Titius id miſcuerit ſine tua uoluntate, non uidetur eſſe commune, quia ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant.ſed nec magis iſtis caſibus commune fit frumentum, quam grex intelligitur eſſe communis, ſi pecora Titii tuis pecoribus miſta fuerint. Sed ſi ab alterutro ueſtrum totum id frumentum retineatur pro modo frumenti,cuiuſque competit arbitrio autem iudicis continetur,ut ipſe extimet quale cuiuſque frumentum fuerit. Inſtit.de rer. diuiſ. §.quod ſi frumentum,& ff.de rei uindic.l.quinta, in princip.

Cum in ſuo ſolo aliquis ex aliena materia ædificauerit, ipſe intelligitur dominus ædificii, quia omne quod in ſuo ſolo ædificatur ſolo cedit. Nec tamen ideo is qui materiæ dominus fuerat,deſinit dominus eius eſſe, ſed tantiſper neque uendicare eã poteſt,neque ad exhibẽdum dę ea re agere propter l.xii.

tabul.

tabul. qua cauetur,ne quis tignum alienum ædibus suis iunctum eximere cogatur,sed duplum pro eo præstet,quæ per actionem quæ uocatur de tigno iniuncto(appellatione autem tigni omnis materia significatur) ex qua ædificia fiunt) quod ideo prouisum est,ne ædificia rescindi necesse sit. Quod si aliqua ex causa dirutum sit ædificium poterit materiæ dominus (si non fuerit duplũ iam consecutus tunc eam uendicare,& ad exhibendum de ea re agere. Inst.de rer.diuis.§.cum in suo,& ff.de rei uendic.l.in rem actio,xxiii.§.pen. & ff.de tigno iniuncto,l.prima.

At si id ædificium uẽdiderit is,qui ædificauerit,& ab emptore longo tẽpore vsucaptum postea dirutum sit ædificium: dubitatur an dominus materiæ uendicationem eius habeat,& responsum est non placere,ff.de acqui.rer.dom.l.adeo vii.§.illud recte,& ff.de rei uendic.l.in rem,xxiii. §.fi.

Ex diuerso qui in alieno solo ex sua materia domũ ædificauerit illius fit domus, cuius & solum est: sed hoc casu materiæ dominus proprietatem eius amittit, quia uoluntate eius intelligitur esse alienata: utique si non ignorabat se in alieno solo ædificare: & ideo licet diruta sit domus materiam tamen uendicare non potest.Inst.de rer.diuis.§.ex diuerso.

Certe illud constat, si in possessione constituto ædificatore soli dominus petat domum suam esse,nec soluat pretium materiæ, & mercedes fabrorum,posse eum per exceptionem doli mali repelli, utique si bonæ fidei possessor fuerit, qui ædificauerit: nam scienti alienum solum esse, potest obiici culpa, quod ædificauerit temere in eo solo,quod intelligebat alienum esse.Inst.de rer. diuis.§.certe illud.

Si in area communi domum aliquis exstruxerit hæc communis erit. Et qui portionem eius uendicari uult ab eo qui bona fide possidens ædificauit sumptus offerre debet ne doli mali exceptione possit submoueri, C. de rei uendic.l.si in area, xvi.

Si Titius horreum frumẽtarium nouum ex tabulis ligneis factum mobile in Seii prædio posuerit,non erit factum Seii,ff. de acquir.rer.dom.l. Titius,lx.

Cum uir,aut uxor in area sibi donata aliquid ædificasset placuit doli mali exceptione opposita rem seruari posse,ff.de doli mali,l.cum uir,x.

Si quis in mari,uel in littore ædificet licet in suo non ædificet iure tamen gentiũ suum facit,ff.de oper.nou.nunc.l.prima,§.quod si quis in mari.

Quod in littore quis ædificauit eius erit: nam littora non ita publica sunt, ut ea quæ in patrimonio populi sunt: sed ut ea quæ primum à natura prodita sunt, & in nullius adhuc dominium prouenerant: nec dissimilis earum conditio est,atque piscium,& ferarum,quæ simulatq; aprehensæ sunt sine dubio eius in cuius potestatem peruenerunt dominii fiunt,ff.de acquir.rer. dom.l. quod in littore, xiiii. Et soli domini constituuntur, qui in littore maris ædificant, sed quandiu ædificium manet. Alioquin ædificio dilapso quasi iure postliminii reuertitur locus ad pristinam causam,& si alius in eodem loco ædificauerit eius fiet: si modo recipiat pristinam littoris speciem,ff.eod.l.quod in littore,xiiii.

Sed quamuis quod in littore publico,uel in mari extruxerimus nostrum fiat tamen Decretum Prætoris adhibendum est, ut id facere liceat immo, & manu prohibendus est, si cum incommodo cæterorum id faciat: nam ciuilem eum actionem de faciendo nullam habere nõ dubitatur,ff.eod.l.quamuis, 50.

Qui autem in ripa fluminis ædificat non suum facit,ff.de acquir. rer. dom.l. qui autem, xv.

Si

Si Titius alienam plantam in solo suo posuerit, ipsius erit,& ex diuerso si Titius suam plantam in Mæuii solo posuerit,Mæuii planta erit: si modo utroque casu radices egerit: ante enim quam radices egerit eius manet, cuius fuerat. Adeo autem ex eo tempore,quo radices egerit planta: proprietas eius commutatur,ut si uicini arbor ita terram Titii præsserit, ut in eius fundo radices egerit. Titii effici arborem dicamus. Ratio enim non permittit,ut alterius arbor esse intelligatur,quam cuius in fundum radices egerit: & ideo propè confinium arbor posita, si etiam in uicini fundum radices egerit communis fit. Instit.de rerum diuis.§.si Titius, & ff.de acquiren.rerum dom. l. adeo, vii.§. si alienam.

Qua ratione autem plantæ, quæ terræ coalescunt solo cœdunt, eadem ratione frumenta quoque,quæ sata sunt solo cœdere intelliguntur: cœterum sicut is, qui in alieno solo ædificauit,si ab eo dominus petat ædificium defendi potest per exceptionem doli mali secundum ea,quæ diximus. Ita eiusdem exceptionis auxilio tutus esse potest is, qui alienum fundum sua impensa bona fide conseuit. Instit.de acquir.rerum domin.§.qua ratione, & C. de rei uendicat. l.si quis, xi.

Sed arbor radicibus eruta,in alieno loco posita,priusquam coaluerit,prioris domini est. Vbi coaluerit,agro cœdit,& si rursus eruta sit, non ad priorem dominum reuertitur,nam credibile est,terræ alimento aliam factam arborem esse, ff.de acquir.rer.dom.l. sed si ex meis xxvi.§.penult. & ff.de rei uendic.l. quinta, §. de arbore.

At si fundi possessor cum excoluisset,sæuissetq; postea fundus euincatur,consita tollere non potest,ff. de rei uendic.l.si postea,liii.aliàs,liiii.

Literæ quoque,licet aureæ,sint,perinde cartis,membranisve cedunt,ac solo cœdere solent ea,quæ inædificantur,aut seruntur. Ideoque si in cartis,membranisve tuis carmen,uel historiam, uel orationem Titius scripserit,huius corporis non Titius, sed tu dominus esse uideris.Sed si à Titio petas tuos libros, tuasve membranas, nec impensas scripturæ soluere paratus sis, poterit, se Titius defendere per exceptionem doli mali, utique si earum cartarum membranarumve possessionem bona fide nactus est.Inst.de rer.diuis.§. literę quoque,& ff.de acquir.rer.dom.l.qua ratione,ix.§.literæ.

In digestis titulo de rei vendic l in rē xxiii.§.sed & id. Est contraria dispositio: nā ita habetur Licet de lectura quidā contra senserint propter pretium, picturę(Sed necesse est ei rei lædi, qđ sine illa esse non potest;) Et cū dispositio Institutionum sequenda sit, hæc lex non scribitur, sed hæc notatio ponitur.

Si quis in aliena tabula pinxerit,quidam putant tabulam picturæ cædere; aliis videtur picturam (qualiscunque sit) tabulæ cœdere: sed melius est tabulam picturæ cœdere: ridiculum est enim picturam Apollis,uel Parrhasii in accessionem uilissimæ tabulæ cœdere: vnde si à domino tabulæ, imaginem possidente,is,qui pinxit,eam petat,nec soluat pretium tabulæ, poterit per exceptionē doli mali submoueri. At si is,qui pinxit,eam possideat,consequens est, ut utilis actio domino tabulæ aduersus eum detur,quo casu si non soluat impensam picturæ,poterit per exceptionem doli mali repelli, utique si bona fide possessor fuerit ille,qui picturam imposuit. Illud enim palam est, quod siue is, qui pinxit, subripuit tabulas, siue alius competit domino tabularum furti actio. Instit.de rer.diuis.§.si quis in aliena.

Item quæ ex animalibus dominio nostro subiectis nata sunt, eodem iure nostra sunt,ff.de acquir.rer.dom.l.item,quæ ex animalibus,vi.

Si æquam meam æquus tuus prægnantē fecerit,non erit tuum,sed meum, quod natum est,ff.de rei uendia.l.idem Pomponius,v.§.idem scribit.

Si quis à non domino,quem dominum esse crediderit, bona fide fundum emerit,

rit,uel ex donatione,aliave qualibet iusta causa æquæ bona fide acceperit,naturali ratione placuit fructus,quos percepit, eius esse pro cultura, & cura: & ideo si postea dominus superuenerit, & fundum uendicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest. Ei uero,qui alienum fundum sciens possederit, non idem concessum est: itaque cum fundo etiã fructus,licet consumpti sint, cogitur restituere. Inst. de rerum diuis. §. si quis à non domino.

Et ouium fœtus sunt in fructu,& ideo ad bonæ fidei emptorem pertinent, etiam si prægnantes uenierint,uel subreptæ sint. Et sanè quin lac suum faciat,quamuis plenis uberibus uenierint, dubitari non potest. Idemque in lana iuris est, ff. de acquir.rer.dom.l.bonæ fidei,xlviii.§.& ouium.

In alieno fundo,quem Titius bona fide mercatus fuerat,frumentum seuit, quoniam in percipiendis fructibus,magis corporis ius,ex quo percipiuntur, quã seminis,ex quo oriuntur,inspicitur, ideo nemo unquam dubitauit, quod ex messibus collectum fuerit,fieri domini fundi. Porrò bonæ fidei possessor,in percipiendis fructibus id iuris habet,quod dominis prædiorum tributum est. Præterea cum ad fructuarium pertineant fructus à quolibet sati, quantò magis hoc in bonæ fidei possessoribus recipiendum est, qui plus iuris in percipiẽdis fructibus habent? cum fructuarii quidem non fiant ante,quàm ab eo percipiantur: ad bonæ fidei autem possessorem pertineant,quo quo modo à solo separati fuerint: sic eius,qui uectigalem fundum habet fructus fiunt. simulatque à solo separati sunt, ff. de usuris, l. qui scit, xxv. §. in alieno.

Item bonæ fidei emptor seuit,& antequam fructus perciperet, cognouit fundũ alienum esse: quæritur an perceptione fructus suos faciat, & responsum est,bonæ fidei emptorem,quo ad percipiendos fructus intelligi debere quãdiu euictus fundus non fuerit, d.l. qui scit, xxv. §. fin.

Bonæ fidei emptor non dubiè percipiendo fructus,etiam ex aliena re, suos interim facit: non tantum eos,qui diligentia,& opera eius peruenerunt, sed omnes,quia quod ad fructus attinet,loco domini penè est. Denique etiã priusquam percipiat,statim ubi à solo separati sunt,bonæ fidei emptoris fiunt. Nec interest,ea res,quam bona fide emi longo tempore capi possit,nec ne,ueluti si pupilli sit,aut ui possessa, ff. de acqu. rer. dom. l. bonæ fidei, xlviii. in prin.

Qui scit fundum cum alio sibi cõmunem esse: fructus,quos ex eo perceperit inuito, uel ignorante socio,non maiore ex parte suos facit, quàm ex sua, Dominus prædii est. Nec refert ipse,an socius, an uterque eos seuerit: quia omnis fructus,non iure seminis,sed iure soli percipitur. Et quemadmodum si totum fundum alienum quis sciens possideat,nulla ex parte fructus suos faciet,quoquo modo sati fuerint: ita qui communem fundum possidet,nõ faciet fructus suos pro ea parte,qua fundus ad socium eius pertinebit, ff. de vsuris. l. qui scit, xxv. in princ.

Si eo tempore,quo mihi res traditur,putem uendentis esse, deinde cognouero alienam esse: quia perseuerat per longum tempus capio,uerendum est, ne nõ sit bonæ fidei possessor,quam uis capiat fructus: Hoc enim ad ius, id est capionem,illud ad factum pertinet,ut quis bona, aut mala fide possideat. nec contrarium est,quod longum tempus currit. nam è contrariò is,qui non potest capere propter rei uitium,fructus suos facit, ff. de acquir.rer.domi.l. bonæ fidei, xlviii. §. in contrarium.

Is uero, ad quem ususfructus fundi pertinet, non aliter fructuum Dominus efficitur,quàm si ipse eos perceperit,& ideo licet maturis fructibus nondũ tamen

perceptis

perceptis decesserit, ad hæredes eius non pertinent, sed domino eius proprietatis acquiruntur. Eadem ferè, & de colono dicuntur. Instit. de rerum diuisio. §. is uero ad quem.

In pecudam fructu etiam fœtus est, sicuti lac, pilus, & lana, itaque agni, hœdi, & uituli, & æquuli, & suculi statim naturali iure Dominii fructuarii sunt, sed si gregis usum fructum, quis habeat in locum demortuorum capitum ex fœtu fructuarius summittere debet, & in uinearum demortuarum, uel arborum locũ, alias debet submittere, recte enim colere, & quasi bonus paterfamilias, uti debet. Inst. de rer. diuis. §. in pecudum, & §. sed si gregis.

Thesauros, quos quis in loco suo inuenerit, diuus Adrianus naturalem æquitatẽ secutus ei concesit, qui eos inuenerit. Idem si quis in sacro loco fortuito casu inuenerit. Inst. de rer. diuis. §. thesauros.

Et generali lege, in suis quidem locis unicuique dummodo sine sceleratis, ac puniendis sacrificiis, aut alia qualibet arte legibus odiosa thesaurum (idest) condita ab ignotis dominis tempore uetustiore mobilia quærere, & inuento uti, libera tribuitur facultas. C. de thesauris. l. unica, lib. x.

Item in alienis terrulis nemo audeat inuitis, imò nec uolentibus, uel ignorantibus dominis, opes abditas suo nomine perscrutari, nam si scrutatus inuenerit totum hoc locorum domino reddere compelletur, d. l. vnica. C. de thesauris.

Thesaurus est uetus quædam depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, ut iã dominum non habeat, sic enim fit eius, qui inuenerit. quod non alterius sit: Alioquin si quis aliquid, uel lucri causa, uel metus, uel custodiæ condiderit sub terra, non est thesaurus, cuius etiam furtum sit, ff. de acquirend. rer. domin. l. nunquam, xxxi. §. thesaurus.

A tutore pupilli domum mercatus ad eius refectionem fabrum induxit: is pecuniam inuenit, si non thesauri fuerunt, sed pecunia forte perdita, uel per errorem ab eo, ad quem pertinebat, non ablata, nihilominus eius est, cuius fuerat, ff. de rei uend. l. à tutore, lxvii.

At si quis in alieno loco non data ad hoc opera, sed fortuitu inuenerit, dimidiũ domino soli conceditur, & dimidium inuentori, & conuenienter si quis in cæsaris loco inuenerit dimidium inuentoris, & dimidium est cæsaris, cui conueniens est, ut si quis in fiscali loco, uel publico, uel ciuitatis inuenerit, dimidiũ ipsius esse debeat, & dimidium fisci, uel ciuitatis. Inst. de rer. diuis. §. thesauros uersi. at si quis, & ff. de iure fisci, l. tertia. §. si in locis. Et ita eueniet, ut unusquisque suis fruatur, & non inhiet alienis. C. de thesauris. l. unica. §. fi.

Quod si creditor inuenerit in alieno uidebitur inuenisse, partem itaque sibi, partem debitori præstabit, nec recepta pecunia, restituet, quod iure inuẽtoris nõ creditoris nomine ex thesauro, apud eum permansit. Quare cum ita sint intra constitutum luendi tempus pignoris causa uertetur, post transactum autem tẽpus thesaurum in eo inuentum ante solutam pecuniam totum tenebit. oblato uero intra cõstitutum tempus debito restitui debebit, sed pro parte sola, quia dimidium inuentori semper placet relinqui, ff. de acquir. rer. dom. l. si is qui, lxiii. §. quòd si creditor.

Qui in loco fisci thesaurum inuenit, partem ad fiscum pertinentem suppresit, totum cum altero tanto cogitur soluere, ff. de iure fisci. l. tertia. §. fi.

Si is, qui in aliena potestate est, thesaurum inuenerit, si in alterius agro partem ei acquirit, si uerò in parentis loco inuenerit, illius totus fit, ff. de acquir. rer. do. l. si is, qui, lxiii. in princ.

Per

Per traditionē, quoq; iure naturali res nobis acquiruntur, nihil. n. tā conueniēs est naturali æquitati, quàm uoluntatē domini uolentis rem suam in aliū transferre ratam haberi, & ideo cuiuscunque sit corporalis res tradi potest, & à domino tradita, alienatur. Inst. de rer. diuis. §. per traditionem, & ff. de acqu. rer. domi. l. qua ratione, ix. §. hæc quoque res.

In traditionibus, & usucapionibus dominia rerum non nudis pactis transferuntur, C. de pactis, l. traditionibus, xx.

Qui uendidit portionem suam, nec induxit emptorem in uacuam possesionem prædii ius omne penes se retinuisse certum est, C. de actionibus empti, l. si pater, viii. in prin. Et si ager ex emptionis causa ad aliquem pertineat, non recte rei uendicatione agi poterit, ante quàm traditus sit ager, & tunc possesio amissa sit, ff. de rei uind. l. si ager, 50.

Et qui tibi hæreditatem uendidit, antequàm res hæreditarias traderet dominus earum perseuerauit, C. de iis, qui à non domino. l. tertia.

Venditæ uero res, & traditæ non aliter emptori acquiruntur, quàm si is uenditori precium soluerit, uel alio modo ei satisfecerit, ueluti ex promissore, aut pignore dato: sed si is qui uendidit fidem emptoris secutus fuerit dicendum est statim rem emptoris fieri: nihil autem interest utrum ipse dominus tradat alicui rem suam, an uoluntate eius alius, cui eius rei possesio permissa sit. Qua ratione si cui libera uniuersorum negotiorum administratio permissa fuerit à domino, isq; ex his negotiis rem uendiderit, & tradiderit faciet eam accipientis. Inst. de rer. diuis. §. uenditæ.

Interdum etiam sine traditione nuda uoluntas domini sufficit ad rem transferendam, ueluti si rem, quam tibi aliquis cōmodauerit, aut locauerit, aut apud te deposuerit, postea, aut uendiderit tibi, aut donauerit, aut dotis nomine dederit: quamuis enim ex ea causa tibi eam non tradiderit, eo tamen ipso, quod patitur tuam esse statim tibi acquiritur proprietas, perinde ac si eo nomine tradita tibi fuisset. Item si quis merces in horreo depositas uendiderit, simulatque claues horrei tradiderit emptori transfert proprietatem mercium ad emptorem. Inst. de rer. diuis. §. interdum, & §. Item si quis, & ff. de acquir. rerum domi. l. qua ratione, §. interdum, & ff. de publiciana in rem, l. siue rem, ix. §. primo.

Si rem meam possideas, & eam uelim tuam esse: fiet tua, quāuis possesio apud me non fuerit, ff. de acquir. rer. dom. l. si seruus, xxi. §. fi.

Sed hæres de eo, quod hæreditati obuenerit, recte agit rei uindicatione etiam si possesionem eius adhuc non habuerit, ff. de rei uindicatio. l. si ager, 50. in fine.

Eius rei, quæ per in rem actionem petita tanti æstimata est, quanti in litem actor iurauerit dominium statim ad possessorem pertinet: transegisse enim cum eo, & decidisse uideor eo precio, quod ipse constituit, ff. de rei uindicat. l. eius rei, xlvi.

Hoc amplius interdum, & in incertam personam collata uoluntas domini transfert rei proprietatem, ut ecce Prætores, & Consules cum missilia, iactant in uulgus ignorant, quid eorum quisque sit excepturus, & tamen, quia uolunt, quod quisque acceperit eius esse statim eum dominum efficiunt. Qua ratione uerius esse uidetur, si rem pro derelicto à domino habitam occupauerit quis, statim eum dominum effici, pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abiecerit, ut id in numero rerum suarum

esse nolit; ideoque statim dominus esse desinit. Instit. de rer. diuis. §. hoc amplius, & ff. pro derelicto. l. prima, & quinta. §. fin.

Alia sanè causa est earum rerum, quæ in tempestate leuandæ nauis causa eiiciuntur, hæ enim dominorum permanent: quia palàm est, eas non eo animo eiici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis, cum ipsa naui maris periculum effugiat, & si inuenerint eas ablaturos; & si suspicati fuerint in quē locū eiectæ sunt requisituro, ut perinde sint ac si quis onere pressus in uiam rem abiecerit, mox cum aliis reuersurus, ut eandem auferret. Qua de causa, si quis eas fluctibus expulsas, uel etiam in ipso mari nactus lucrandi animo abstulerit, furtum committit. Nec longe uidentur discedere ab iis, quæ de rheda currente non intelligentibus dominis cadunt. Inst. de rer. diuis. §. fi. & ff. de acqui. rer. dom. l. qua ratione, ix. §. fi. & ff. ad legem Rhodiam de iactu. l. secunda. §. fi. & l. octaua. Et quęcunque res ex mari extracta est non ante eius incipit esse, qui extraxerit, quàm dominus eam pro derelicto habere cœperit, ff. de acqui. rer. dom. l. quæcunque, lviii.

DE ACQVIRENDA, VEL AMITTENDA POSSESSIONE.

Titulus, II.

Possessio appellata est à pedibus, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit. Dominiumque rerum ex naturali possessione cœpisse Nerua filius ait, eiusque rei uestigium remanere de his, quæ terra, mari, cœloque capiuntur: nam hæc protinus eorum fiunt, qui primi possessionem eorum appræhenderint: Item Bello capta, & insula in mari enata, & gemmæ, lapilli, margaritę in litoribus inuentæ eius fiunt, qui primus eorum possessionem nactus est, ff. de acq. poss. l. prima, in princ.

Cum hæredes instituti sumus: addita hæreditate omnia quidem iura ad nos trāseunt: possessio autem, nisi naturaliter compræhensa, ad nos non pertinet, ff. eod. l. cum hæredes, xxiii.

Is, qui ædificare prohibetur, possidere quoq; prphiberi manifestum est, ff. eod. l. penul. §. primo.

Nemo ambigit possessionis duplicem esse rationem: aliamq; in iure consistere, aliamq; corpore, utramque autem ita demum esse legitimam, cum omniū aduersariorum silentio, & taciturnitate firmatur: interpellatione uero, & cōtrouersia progressa, non posse eum intelligi possessorem, qui licet possessionem corpore teneat; tamen ex interposita contestatione, & causa in iudicium deducta super iure possessionis uacillet, & dubitet. C. eod. l. nemo decima, & ff. eod. l. possessio, xlix. §. primo.

Qui in aliena potestate sunt rem peculiarem tenere possunt; habere, & possidere non possunt, quia possessio non tantum corporis, sed etiam iuris est, ff. eod. l. possessio. xl. §. qui in aliena.

Naturaliter uidetur possidere is, qui usumfructum habet, ff. de acquir. pos. l. naturaliter, xii.

Genera possessionū tot sunt, quot & causæ acquirendi eius, quod nostrū non fit, ueluti pro emptore, pro donato, pro legato, pro dote, pro hærede, pro suo, sicuti in iis, quæ terra, mari, uel ex hostibus capimus, uel quæ ipsi, ut in rerum natura essent, facimus. Et in summa magis unum genus est possiden-

di: species autem infinitæ sunt. Vel etiam potest diuidi possessionis genus in duas species, ut possideatur bona fide, aut non bona fide, ff. eod. l. tertia. §. genera.

Feræ bestiæ quas uiuariis incluserimus, & pisces quos in piscinas coercerimus à nobis possidentur, sed pisces, qui in stagno sint, aut feræ quæ in seluis circumseptis uagantur à nobis non possidentur, quoniam relictæ sint in libertate naturali, alioquin etiam si quis siluam emerit, uideretur omnes feras possidere, quod falsum est. Aues autem possidemus, quas inclusas habemus, aut si quæ mãsuetæ factæ custodiæ nostræ subiectæ sunt. Quidam recte putant, columbas quoque quæ ab ædificiis nostris uolant, item apes, quæ ex alueis nostris euolant, & secundum consuetudinem reuertuntur à nobis possideri, ff. eod. l. tertia. §. Item feras cum aliis. §§. Aduersus extraneos uitiosa possessio prodesse solet, ff. eod. l. fi.

Quidquid apprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere, hoc possessionem appellamus, ff. de uerbor. significat. l. quæstio est, cxv. §. possessio.

Non corpore, & actu, necesse est apprehendere possessionem, sed etiam oculis, & affectu: & argumento sunt eæ res, quæ propter magnitudinem ponderis moueri non possunt, ut columnæ, nam pro traditis haberi eas constat, si in re præsenti partes consenserint, ff. de acquir. poss. l. prima, §. si iusserim.

Et uina tradita uidentur, cum claues celæ uinariæ emptori traditæ fuerint, d. §. si iusserim.

Item si quis merces, in horreo repositas uendiderit, simulatque claues horrei emptori tradiderit, transfert proprietatem, mercium in emptorem, ff. de acquir. rer. dom. l. qua ratione, ix. §. item si quis merces. Qui emptor confestim dominium, & possessionem adipiscitur, & si non aperuerit horrea. Quod si uenditoris merces non fuerint confestim, inchoabitur usucapio, ff. de contra. emptio. l. clauibus.

Quarundam rerum animo possessionem adipiscimur, ueluti si aceruum lignorum emero, & cum uenditor tollere me iusserit, simul ac custodiam posuissem traditus mihi uidetur. Idem iuris est in uino uendito, cum uniuersæ amphoræ uini simul essent: & nihil interest, utrum ego ipse aceruum, an mandato meo alius custodias, utrobique enim animi, quodam genere possessio erit æstimãda, ff. eod. l. quarundam, 51.

Si iusserim uenditorem, procuratori meo rem tradere, cum ea res in præsentia sit, uidetur tradita, Idemque est, si iusserim debitorem nummos alii dare, ff. eod. l. prima, §. si iusserim. Item si uenditorem, quod emerim, deponere in domo mea iusserim possidere, me certum est, quamquam id nemo attigerit, aut si uicinum fundum mercatum uenditor ex mea tuti demonstret uacuamque possessionem se tradere dicat: non minus possidere cœpi, quàm si pedem finibus intulissem, ff. de acq. pos. l. quod meo, xviii. §. si uenditorem.

Quod per colonum possideo hæres meus nisi ipse nactus sit possessionẽ, non poterit possidere, retinere enim animo possumus possessionem, adipisci nõ possumus, sed quod pro emptore possideo, per colonum etiam usucapiet hæres meus, ff. eod. l. qui uniuersas, xxx. §. quod per colonum.

Quædã mulier fundũ, ita non marito donauit, per epistolã, & eundẽ fundũ ab eo conduxit, pôt defendi in rem ei competere actionem, quasi per ipsam acquisierit possessionem, ueluti per colonum. proponebatur quod etiã in eo agro,

qui donabatur, fuiſſet, cum epiſtola mitteretur, quæ res ſufficiebat ad traditam poſſeſsionem, licet conductio non interueniſſet, ff. de rei uindic. l. quædam mulier, lxxvii.

Vnde, qui alienam rem precario rogauit, ſi eandem rem à domino conduxerit poſſeſsio ad dominum reuertitur, ff. de acquiren. poſſeſsio. l. interdum, xxi. in princ. & §. fin.

Re pignoris nomine data, & poſſeſsione tradita, deinde à creditore conducta, conuenit, ut is, qui hypothecam dedit, pro colono in agro, in ædibus pro inquilino fit, & per eos creditor poſsidere uideatur, ff. eod. l. re pignoris, xxxvii.

Generaliter quiſquis omnino noſtro nomine ſit in poſſeſsionem, ueluti procurator, hoſpes, amicus, nos poſsidere uidemur, ff. eod. l. generaliter, ix.

Si quis ante conduxerit, poſtea precario rogauerit, uidebitur receſsiſſe à conductione. Quod ſi ante rogauit, poſtea conduxit, conduxiſſe uidebitur, potius enim hoc procedere uidebitur, quod nouiſsimè factum eſt, niſi cõduxiſſet numo uno, quia nunc nulla dubitatio eſt, quin ei precarium ſolum teneat, quia conductio nulla eſt, quæ eſt in numo uno, ff. de acquir. poſſ. l. ſi quis, x.

Eum, qui præcario rogauerit, ut ſibi poſsideri liceat, nanciſci poſſeſsionem, non eſt dubium. Et placet poſsidere etiam eum, qui rogatus ſit, ff. de precario. l. & habet is. §. eum qui.

Qui precario dedit, poſsidet, & qui precario accepit, ff. de acquirend. poſſeſſ. l. tertia, §. ex contrario.

Item meminiſſe nos oportet, eum, qui precario poſsidet, habere poſſeſsionem, ff. de precario. l. in rebus, quarta. §. primo.

Qui pignoris cauſa fundum tradiderit creditori: intelligitur poſsidere, ff. de acquir. poſſ. l. qui pignoris, xxxvi. in prin. Idem rei commodatæ poſſeſsionem, & proprietatem retinemus, ff. commodati. l. rei commodatæ, viii.

Interdum eius rei poſſeſsionem, cuius ipſi non habemus aliis tradere poſſumus, ueluti cum is, qui pro hærede poſsidebat, ante quàm dominus fieret, precario ab hærede eam rogauerit, ff. de acq. poſſ. l. interdum, xxi. in prin.

Species inducendi in poſſeſsionem alicuius rei eſt prohibere ingredienti uim fieri: ſtatim enim cedere aduerſarium, & uacuam relinquere poſſeſsionem iubet: quod multo eſt plus, quàm reſtituere, ff. de acquir. poſſ. l. pen. §. fi.

Poſsideri poſſunt, quæ ſunt corporalia, & adipiſcimur poſſeſsionem corpore, & animo, neque per ſe animo, neque per ſe corpore. Et quod diximus corpore, & animo acquirere nos poſſeſsionem, non utique ita accipiendnm eſt, ut qui fundum poſsidere uelit omnes glebas eius circumambulet. Sed ſufficit quãlibet partem eius fundi introire, dum mente, & cogitatione hac ſit, ut totum fundum uſque ad terminum uelit poſsidere, ff. de acq. poſſ. l. tertia, in prin.

Nulla dubitatio eſt, quin animo ſolo adipiſci poſſeſsionem nemo poſsit. Inſt. de interd. §. poſsidere.

Solo animo non poſſumus acquirere poſſeſsione, ſi non antecedat naturalis poſſeſsio. Ideoque ſi theſaurum in fundo meo poſitum ſciã, continuò non poſsideo, ſimul atq; poſsidendi affectũ habuero: nec capio longa poſſeſsione: quia ſcio alienum eſſe. nec aliàs is, qui ſcit, poſsidere pôt, niſi ſi loco motus ſit, quia non ſit ſub cuſtodia noſtra, ff. de acquir. poſſ. l. tertia. §. notarius.

Furioſus, & pupillus ſine tutoris auctoritate nõ poſsunt incipere poſsidere, quia affectionẽ tenẽdi nõ habẽt, licet maximè rẽ ſuo corpore cõtingãt, ſicuti, ſiquis dormiẽti aliqd in manu ponat, ſed pupillus tutore auctore incipiet poſsidere.

Ac

Ac poterit etiam sine tutoris auctoritate si eius ætatis sit, ut intellectũ capiat, ff. eod. l. prima. §. furiosus.

Quamuis pupillus sine tutoris auctoritate non obligetur, possessionem tamen per eum retinemus, ff. eod. l. quamuis, xxxii. in princ.

Infans possidere rectè potest, si tutore auctore cœpit: nam iudicium infantis suppletur auctoritate tutoris: utilitatis enim causa hoc receptum est: nam alioquin nullus sensus sit infantis accipiendi possessionem, pupillus tamen etiam sine tutoris auctoritate possessionem nancisci potest, dicta. l. quamuis, xxxii. §. infans.

Donatarum rerum à quacunque persona infanti uacua possessio tradita corpore quæritur: quamuis enim sint authorum sententiæ dissentientes, tamen cõsultius uidetur interim (licet animi plenus non fuisset affectus) possessionem esse quæsitam, alioquin sicuti Consultissimi Viri Papiniani responso continetur, ne quidem per tutorem infanti poterit acquiri, C. eod. l. tertia.

Si me in uacuam possessionem fundi Corneliani miseris, & ego cum putarem, me in fundum Sempronianum missum, in Cornelianum iero, non acquiram possessionem, nisi forte in nomine tantum errauerimus, & in corpore consenserimus, ff. de acquir. pos. l. si me in uacuam, xxxiiii. in princ.

Per procuratorem, tutorem, curatoremve possessio nobis acquiritur, cùm autẽ suo nomine nacti fuerint possessionem non cum ea mente, ut operam duntaxat suam accommodarent nobis, non possunt acquirere, alioquin si dicamus per eos non acquiri nobis possessionem, qui nostro nomine accipiunt: futurum est, ut neque is possideat, cui res tradita sit, quia non habeat animum possidentis, neque is qui tradiderit, quoniam cesserit possessionem, ff. eod. l. prima. §. per procuratorem.

Per procuratorem utilitatis causa possessionem, & si proprietas ab hoc separari non possit, Dominium etiam quæri placuit, C. de acquirenda pos. l. per procuratorem, viii.

Si non mihi, sed procuratori meo possessionem tradas, & ego errem, procurator non erret, acquiritur mihi possessio, quia ignoranti mihi, & errãti acquiritur, ff. eod. l. si me in vacuam, xxxiiii. §. si non mihi.

Per liberam personam ignoranti quoque acquiri possessionem, & postquam scientia interuenerit, usucapionis condictionem incoari posse, tàm ratione utilitatis, quàm iuris prudentia receptum est, C. de acquirenda possessione, l. prima.

Non debet esse solicitus, quasi in uacuam possessionem eius, quod per procuratorem emit, non sit inductus, cum ipse proponat diu in possessione fuisse, omniaque ut dominum egisse: licet enim instrumento non sit comprehensum, quod sibi tradita sit possessio, tamen rei ueritate id cõsequutus est, si sciẽte uenditore in possessione fuit, C. de acquir. pos. l. secunda.

Quidquid filius peculiari nomine apprehenderit, id statim pater eius possidet, ff. eod. l. quarta.

Per eum, qui iusto errore ductus filium meum, & in mea potestate esse existimo, neque possessio, neque dominium, nec quidquam aliud ex re mea mihi quæritur, ff. eod. l. per eum. 50.

Non uidetur possessionem adeptus is, qui ita natus est, ut eam retinere non possit, ff. eod. l. non uidetur, xxii.

Si quis ui de possessione deiectus sit, perinde haberi debet, ac si posside-

ret,cum interdicto de ui recuperandæ possesionis,facultatem habet, ff.de acquir.poss.l.si quis ui,xvii.in princ.

Si ex stipulatione tibi æquum debeam,& non tradam eum, tu autem natus fueris possesionem, prædo es,æquè si uendidero,nec tradam rem (si non uoluntate nactus sim possesionem) non pro emptore posides,sed prædo es, ff.eodem. l.quinta.

Clam posidere eum dicimus,qui furtiuè ingressus est possesionem, ignorante eo,quem sibi controuersiam facturam suspicabatur, & ne faceret timebat. is autem,qui cum posideret non clam se celauit,in ea causa est, ut non uideatur clam posidere. Non enim ratio retinendæ possesionis,sed origo nanciscendæ exquirenda est, nec quemquam clam posidere incipere, qui sciente, aut uolente eo,ad quem ea res pertinet,aut aliqua ratione bonæ fidei possesionē nanciscitur. Itaque clam nanciscitur possesionem, qui futuram controuersiam metuens ignorante eo, quem metuit furtiuè in possesionem ingreditur,ff.eod.l.sexta.

Fundi uenditor etiam si mandauerit alicui, ut emptorem in uacuam possesionem induceret:priusquam id fieret non recte emptor per se, in possesionem ueniet. Item si amicus uenditoris mortuo eo,priusquam id sciret,aut non prohibentibus hæredibus id fecerit,recte possesio tradita erit,sed si id fecerit,cū sciret dominum mortuum,aut cum sciret hæredes id facere nolle,contra erit, ff.eod.l.fundi,xxxiii.

Nec ex uera uenditione possesionem, quam non fuerat emptor adeptus, improbè retinere potest: ac multo minus is, qui ad feueratione falsa uelut emptor cum sine obligatione pignoris pecuniam mutuo dedisset, fundum irrumpens alienum retinendi iustam causam habet. C.eod.l.nec ex uera nona.

Improba possesio firmum titulum posidendi præstare nullum potest: unde ingredientem in uacuam possesionem alieni fundi, non cōsentiente domino, causam iustæ possesionis adipisci non potuisse,certum est,C.eod.l.vii.

Vitia possesionum a maioribus contracta perdurant,& successorem auctoris in culpa committantur, C.eo.l.pen.

Qui iure familiaritatis amici fundum ingreditur, non uidetur posidere, quia non eo animo ingressus est, ut posideat, licet corpore in fundo sit, ff.eod.l. qui iure, xli.

Si quis possesionem fundi ita tradiderit,ut ita demum cedere eam dicat, si ipsius fundus esset,non uidetur possesio tradita, si fundus alienus sit: hoc amplius existimandum est,possesionem sub conditione tradi posse,sicut res sub conditione traduntur: neque aliter,accipientis fiunt, quàm si conditio extiterit,ff.de acqu.poss.l.qui absenti,xxxviii.§.primo.

Pignus manente proprietate debitoris solam possesionem transfert ad creditorem: potest tamen,& precatio,& pro cōducto debitor re sua uti, ff. de pignoratitia actione,l.cum & sortis.§.pignus,xxxv.

Si quando iussu magistratus rei seruandæ causa, uel quia damni infecti non caueatur,possidemus: ista non est possesio: nam qui creditorem rei seruandæ causa,uel quia damni infecti non caueatur,uel uentris nomine mittit in possesionem: non possesionem,sed custodiam rerum,& obseruationem concedit; & ideo cum damni infecti non cauente uicino in possesionem missi sumus,si id longo tempore fiat: etiam posidere nos, & per longam possesionē

capere

capere causa cognita permittitur, ff. de acquir. poss. l. tertia. §. fin. & ff. ex quib. causis in possessionem. l. cum legatorum, xii.

Si uir uxori cedat possessionem donationis causa ipsa possidet, quia nihil attinet dicere, mulierem non possidere, cum maritus ubi noluerit possidere protinus amiserit possessionem, ff. de acquir. poss. l. prima. §. si uir uxori.

Quod uxor uiro, uel uir uxori donauit, pro possessore possidetur, ff. eod. l. quod uxor, xvi.

Municipes per se nihil possidere possunt, quia uniuersi consentire non possunt: Forum autem, & Basilicam, hisque similia non possident, sed promisiuè his utuntur, ff. de acq. poss. l. prima. §. fi.

Non possideri intelligitur ius incorporale, ff. de usucap. l. quarta. §. si uiam. Et incorporales res traditionem, & usucapionem non recipere manifestum est, ff. acquir. rer. dom. l. seruus, xliii. §. incorporales.

Locus certus ex fundo, & per longam possessionem usucapi potest, & certa pars pro indiuiso, quæ introducitur, uel ex emptione, uel ex donatione, uel qualibet alia ex causa; incerta autem pars, nec tradi, nec usucapi potest, ueluti si ita tibi tradam, quicquid mei iuris in eo fundo est. Nam qui ignorat, nec tradere, nec accipere id, quod incertum est, potest, ff. de acquir. poss. l. locus, xxvi.

Incertam partem rei possidere nemo potest, ueluti si hac mente sis, ut quidquid Titius possidet, tu quoque uelis possidere, ff. eod. l. iii. §. incertam.

Et si plures sint in fundo, qui ignorant, quotam quisque partem possideat, mera subtilitate nemo eorum possidet, ff. de usucap. l. si fur, xxxii. §. fi.

Illud à ueteribus receptum est, neminem sibi ipsi causam possessionis mutare posse, Sed si is, qui apud me deposuit, uel commodauit eam rem mihi uendiderit: non uideor mihi causam possessionis mutare, qui nec possideam quidem, ff. de adquir. poss. l. tertia. §. Illud.

Quod vulgo respondetur causam possessionis neminem sibi mutare posse, sic accipiendum est, ut possessio non solum ciuilis, sed etiam naturalis intelligatur. Et propterea responsum est, nec colonum, nec eum, apud quem res est deposita, aut cui commodata est lucri faciendi causa, pro hærede usucapere posse, ff. pro hærede, l. secunda. §. quod vulgo.

Quod vulgo respōdetur ipsum sibi causam possessionis mutare neminem posse, toties uerum est, quoties qui sciret, se bona fide non possidere, & lucri faciendi causa inciperet possidere. Idque perhæc probari potest, si quis emerit fundum sciens ab eo, cuius non erat: possidebit pro possessore, sed si eundem à domino emerit: incipiet pro emptore possidere, nec uidebitur sibi ipsi causam possessionis mutasse. Idemque iuris est, etiam si à non domino emerit, cū existimaret eum dominum esse. Idem hic si à domino hæres institutus fuerit: incipiet fundum pro hærede possidere. hoc amplius si iustam causam habuerit existimandi se hæredem domino extitisse fundum pro hærede possidebit, nec causam possessionis sibi mutare uidebitur. cum hæc igitur recipiantur in eius persona, qui possessionem habet: quanto magis in colono recipienda sunt, qui nec uiuo, nec mortuo domino ullam possessionem habet, & certe si colonus mortuo domino emerit fundum ab eo, qui existimabat se hæredem eius esse: incipiet pro emptore possidere, ff. de usucap. l. non solum, xxxiii. §. quod uulgo.

Cum nemo causam sibi possessionis mutare posit, proponaturque colonum nulla extrinsecus accedente causa excolendi occasione ad iniquæ uenditio-

nis

nis uitium prolapsum præses prouinciæ ius Dominii locatoris con uelli nõ sinet, C.de acquir.pos.l.quinta.

Is, qui ui alterum deiecit, & ab eodem precario rogauit, desinit ui possidere, & incipit precario, neque mutat sibi causam possessionis, cum uoluntate eius, quem deiecit cœperit precario possidere, nam si ab eodem emisset, inciperet etiã pro emptore posse dominiũ capere, ff.de precario.l. certè, vi.§. Iulianus.

Quod scriptum est, apud veteres neminem sibi causam possessionis posse mutare: Credibile est de eo cogitatum, qui & animo, & corpore, possessioni incumbens, hoc solum statuit, ut alia ex causa, id possideret, non si quis dimissa possessione prima, eiusdem rei, denuo ex alia causa possessionem nancisci uelit, ff.de acquir.pos.l.qui bona, xix.§. quod scriptum.

Quod meo nomine possideo, possum, & alieno nomine possidere: nec enim muto mihi causam possessionis, sed desino possidere, & alium possessorem ministerio meo facio: nec idem est possidere, & alieno nomine possidere, nam is possidet, cuius nomine possidetur, ff. de acquiren d.possess.l.quod meo, xviii. in prin.

Ex pluribus causis possidere eandem rem possumus, & eum, qui vsu cœperit, & pro emptore, & pro suo possidet: Sic enim & si ei, qui pro emptore possidebat hæres sim: eandem rem, & pro emptore, & pro hærede possideo. Nec enim sicut dominium non potest, nisi ex vna causa contingere, ita, & possidere ex una dun taxat, causa possumus, ff.eod.l.iii.§.ex pluribus.

Plures eandem rem insolidum possidere non possunt, contra naturam quippe est, ut cum aliquid ego teneam, tu quoque id uidearis tenere. Sabinus tamen scribit eum, qui precario dederit, & ipsum possidere, & eum, qui precario acceperit. Idem Trebatius probabat, posse alium iustè, alium iniustè possidere. duos iustè, uel duos iniustè non posse. quem labeo reprehendit: quoniam in summa possessionis non multum intersit, iustè quis, an iniustè possideat, quod uerius est. Non enim magis eadẽ possessio apud duos esse potest, quàm ut tu stare uidearis in eo loco, in quo ego sto: uel in quo ego sedeo, tu sedere uidearis, ff.de acquir.pos.l.tertia.§.ex contrario.

Itẽ duo insolidum precario habere, non magis possunt, quàm duo insolidum ve possidere, aut clam: nam neque iustè, neque iniustè possessiones duæ concurrere possunt, ff.de precario, l.duo, xix. in princ.

Duorum insolidum dominium, uel possessio esse non potest, nec quisquam potest partis corporis dominus esse, sed totius corporis pro indiuiso, pro parte Dominiũ habere potest. Vtrum autem & balinei, uel porticus, uel campi uniuscuiusque insolidum esse potest, nec enim minus ego utar, quod & alius utatur: Vsum in uehiculo commodato, uel locato pro parte quidẽ effectu usum habeo, quia non omnia loca uehiculi teneam, ff. commodati, l. quinta.§.fi.

Qui uniuersas ædes possidet singulas res, quæ in ædificio sunt, non uidetur possedisse. Idem debet dici, & de naue, & de armario, ff.de acquir.poss.l. qui uniuersas, xxx. in prin.

Is qui ædes mercatus est, aliud, quàm ipsas ædes non possidet: nam si singulas res possidere intelligeretur ipsas ædes non possidebit: separatis enim corporibus, ex quibus ædes constat, uniuersitas ædium intelligi non poterit. Accedit eò, quod si quis singulas res possidere se dixerit, necesse erit dicat in possessione superficiei, temporibus de mobilibus statutis locum esse: solum se capturum esse ampliori, quod absurdum, & minimè iuri ciuili

conue-

conueniens eſt, ut una res diuerſis temporibus capiatur, ut puta cum ædes ex duabus rebus conſtent, ex ſolo, & ſuperficie, & uniuerſitas earum poſſeſsionem temporis immobilium rerum omnium mutet. ¶ Si autem columna euicta fuerit, exempto cum uenditore recte agetur, & eo genere res ſalua habebitur. ¶ Si autem demolita domus eſt, ex integro res mobiles poſsidendæ ſunt: ut tempore, quod in uſucapione rerum mobilium conſtitutum eſt, uſucapiantur: & non poteſt rectè uti eo tempore, quo in ædificio fuerũt; nam quemadmodum eas ſolas, & ſeparatas ab ædificio non poſsediſti, ſic nec penes te ſingulæ, aut ſeparatæ fuerunt, & cohærentibus his in ædificio, depoſitis ædibus, quæ hoc quoque ipſum continent: neque enim recipi poteſt, ut eadẽ res, & uti res ſoli, & tanquam mobilis ſit poſseſsa, ff. de uſucap. l. eum, qui ædes, xxiii. Nec enim ſingula cœmenta uſucapiuntur, & ſi domus per temporis ſpatium noſtra fiat, ff. de rei uend. l. in rem, xxiiii. in fine.

Vniuerſitas fundi poſsidetur non ſingulæ partes, ff. pro emptore. l. ſecunda. §. cũ Stichum in fine.

Et qui uniuerſas ædes poſsidet, ſingulas res, quæ in ædificio ſunt, nõ uidetur poſſediſſe, ff. de acquiren. poſſeſsio. l. qui uniuerſas, xxx. in princ. Vnde ſi quis ex alienis cæmentis in ſuo ſolo ædificauerit, domum quidem uendicare poterit, cæmenta autem reſoluta, prior dominus uindicabit, etiamſi poſt tempus uſucapionis diſſolutum ſit ædificium, poſtquam à bonæ fidei emptore poſſeſſum ſit: nec enim ſingula cæmenta uſucapiuntur, ſi domus per temporis ſpatium noſtra fiat, ff. de rei uindic. l. in rem, xxiii. §. fi. & ff. de acquir. rer. domi. l. adeo, vii. §. illud rectè. Item per ſe ſolæ tegulæ non poſsidentur, ſed cum uniuerſitate ædificii, nec ad rem pertinet affixæ ſint, an tantum appoſitæ, ff. quod ui, aut clam, l. nam origo, viii.

De amittenda poſſeſsione.

In amittenda poſſeſsione affectio eius, qui poſsidet intuenda eſt, itaque ſi in fundo ſis, & tamen nolis eum poſsidere protinus amittis poſſeſsionem. Igitur amitti, & animo ſolo poteſt, quamuis acquiri non poteſt: ſed & ſi animo ſolo poſsideas, licet alius in fundo ſit adhuc tamen poſsides, ff. de acquir. poſſeſ. l. tertia. §. in amittenda.

Eius quidem, quod corpore teneremus poſſeſsio amittitur, uel animo, uel etiam corpore, ſi modo eo animo inde digreſsi fuerimus, ne poſsideremus, ff. de acquir. poſſ. l. peregrè, xliiii. §. fi.

Quemadmodum nulla poſſeſsio acquiri, niſi animo, & corpore poteſt, ita nulla amittitur, niſi in qua, utrũq; in contrarium actum eſt, ff. eod. l. quemadmodũ, viii. & ff. de regu. iur. l. ferè, cliii. in fi.

Hæ duæ leges uidentur eſſe contrariæ primis duobus, & maximè contrariæ à doctoribus allegantur, & Matthæus Gribaldus poſt tres libros de ratione ſtudendi reprobat communem ſolutionem, & nouam ponit, quæ fundatur in uerbis quæ addit ad dictam legem quemadmodũ, videlicet NON ENIM quemadmodum, ſed quia illa uerba addita non ſunt, nec etiam in Pandectis Florentinis, eius ſolutio caret fundamento. At cum nec ſolutio communis placeat, abſque dubio credendum eſt: paulum iuris, C. in d. l. quemadmodum habuiſſe intentionem utrunque requiri in amittenda poſſeſsione, quando corpore non poſsidetur: quia donec animus ſit poſsidendi, ipſe poſsidet, quare ut amittatur poſſeſsio iſto caſu requiritur, quod adſit animus non poſsidendi. Et ita procedit lex quemadmodum. Quando autem quis poſsidet corpore, & animo, tunc ſufficit animus ſolus pro amittenda poſſeſsione, & ita procedit lex tertia. §. in amittenda. Ratio diſtinctionis eſt, quia corpus ſine anima nihil agit, & ideo actus corporeus non requiritur, in d. §. in amittenda ſed requiritur in d. l. quemadmodum, quia dubitabatur

batur an amissio corporalis sufficeret. & deciditur, quod non sufficit, nisi etiam concurrat animus: sed non præsupponit. l. C. quod semper corporalis amissio requiratur una cum animo: nam aliquo casu solus animus sufficit, in d. §. in amittenda.

Saltus hybernos æstiuosque animo possidemus, quamuis certis temporibus eos relinquamus. cæterum animo nostro, corpore etiam alieno per colonum possidemus, ff. de acquir. poss. l. tertia. §. saltus, & l. peregrè, xliiii. §. fi. cum l. seq. & quod dicitur æstiuorum hybernorumque saltuum nos possessiones animo retinere, id exempli causa dictum est. Nam ex omnibus prædiis, ex quib. non hac mente recedimus, ut amisisse possessionem uelimus, idem est, ff. de ui, & ui armata. l. prima. §. quod vulgo.

Licet possessio nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest, si ergo prædiorum desertam possessionem non relinquendi affectione transacto tempore non coluisti, sed metus necessitate culturam eorum distulisti, præiudicium tibi ex transmissi temporis iniuria generari non potest, C. de acquir. poss. l. quarta.

Is qui animo possessionem saltus retineret furere cœpisset: non potest dum fureret, eius saltus possessionem amittere: quia furiosus non potest desinere animo possidere, ff. eod. l. si is qui, xxvii.

Si dum in alia parte fundi sim alius, quis clam animo possessoris intrauerit nō desiisse illico possidere existimandus sum, facile expulsurus finibus simul sciuero. Rursus si cum magna ui ingressus est exercitus, eam tantummodo partem, quam intrauerit obtinet, ff. de acquir. poss. l. quod meo, xviii. §. fi.

Quia ad nundinas profectus neminem reliquit, & dum ille à nundinis redit aliquis occupauit possessionem uidetur is clam possidere. Retinet ergo possessionem is, qui ad nundinas abiit. Verum si reuertentem dominum non admiserit ui magis intelligitur possidere non clam, ff. eod. l. clam, vi. §. fi.

Quod solo animo possidemus, eò usque possidemus, donec reuertentes, nos, aliquis repellet, aut nos ita animo desinamus possidere, quod suspicamur repelli nos posse ab eo, qui ingressus sit possessionem, ff. eod. l. si id quod, xxv. §. fi.

Possessionem pupillum sine tutoris auctoritate amittere posse constat, non ut animo, sed ut corpore desineat possidere, quod enim facti est amittere potest, ff. de acquir. posses. l. possessionem, xxix. Alia causa est, si fortè animo, possessionem uelit amittere pupillus, hoc enim non potest. d. l. possessionem in fi.

Si id quod possidemus, ita perdiderimus, ut ignoremus ubi sit: desinibus possidere, ff. eod. l. si id, xxv.

Interest qua mente apud sequestrum deponatur res: nam si amittendæ possessionis causa, & hoc aperte fuerit approbatum: ad usucapionē possessio eius partibus non procedet. At si custodiæ causa deponatur ad usucapionem procedere eam possessionem uictori constet, ff. de acquir. poss. l. interesse, xxxix.

Generaliter quisquis omnino nostro nomine nobis uolentibus sit in possessione, ueluti procurator hospes amicus, nos possidere uidemus, ff. de acqui. poss. l. generaliter, ix. Et procurator alienæ possessionis præstet ministerium, ff. eo. l. quod meo, §. procurator, xviii.

Quamuis pupillus sine tutoris auctoritate non obligetur possessionem tamē per eum retinemus, ff. eod. l. quamuis, xxxii. in prin.

Si me in uacuam possessionem fundi Corneliani miseris ego cum putarem, me in fundum Sempronianum, missum in Cornelianum iero non acquiram possessionem, nisi forte in nomine tantum errauerimus: Quando autem in corpore

pore non consenserimus, quia errans non acquirit, nec etiam amittet possessionem, qui quodammodo sub conditione recessit de possessione, ff. de acq. pos. l. si me in uacuam, xxxiiii. in prin.

Si furioso, quem sanæ mentis existimasti rem tradideris, licet ille non erit adeptus possessionem tu possidere desinis; sufficit quippe dimittere possessionẽ etiam si non transferas, illud enim ridiculum est dicere, quod non aliter vult quis dimittere, quam si transferat, immo vult dimittere, quia se existimat trãsferre, ff. de acq. pos. l. quod meo, xviii. §. si furioso.

Differentia inter dominium, & possessionem hæc est: quod dominium nihilominus eius manet, qui dominus esse nõ uult, possessio autem recedit, ut quisque constituit nolle possidere. Si quis igitur ea mente possessionem tradiderit, ut postea ei restituatur desinit possidere, ff. de acq. pos. l. si quis, xvii. §. fi.

Possessionem amittimus multis modis: Nam cum Prætor idcirco in possessionem rei ire iussit, quod damni infecti non promitteretur possessionem inuitus dominus amittit. Item quod a mari, uel à flumine occupatum sit, possidere nos desinimus, aut si is, qui possidet in alterius potestatem peruenerit. Item quod mobile est, desinimus possidere, si id, quod possidemus in aliam speciẽ translatum sit, ueluti uestimentum ex lana factum, ff. de acquir. pos. l. qui uniuersas, xxx. §. Possessionem.

Qui bona fide fundum alienum emerit, eundem à domino conduxerit in promptu est, ut desierit possidere, ff. eod. l. qui bona, xix. in prin.

Qui alienam rem precario rogauit, si eandem rem à domino conduxerit, possessio ad dominum reuertitur, ff. de acqui. pos. l. interdum, xxi. in fi.

Si aliquam rem possideam, & eandem postea conducam, dubitatur an possessionem amittam, & distinguitur utrum sciam me possidere, an ignorem, & utrũ quasi non meam rem conducam, an quasi meam. Etsi sciens meam esse, utrum quasi proprietatis respectu, an possessionis tantum. Nam etsi rem meã tu possideas, & ego emam a te possessionèm eius rei, uel stipulet: utilis erit, & emptio, & stipulatio, & sequitur, ut & precarium, & conductio si specialiter possessionis solius conducendæ, uel precario rogandæ animus interueniat, ff. de acq. pos. l. si aliquam rem, xxviii.

Si is, qui pro hærede possidebat, domino fundum locauit, nullius momenti est locatio, quia dominus rem suam conduxit, sequitur ergo, ut nec possessionem locator quidem retinuerit, ff. de usucap. l. ei à quo, xxi. §. respondi.

Si pignus mihi traditum locassem domino; per locationem retineo possessionem: quia antequam conduceret debitor, nõ fuerit eius possessio: cum & animus mihi retinendi sit, & conducenti non sit animus possessionem adipiscendi, ff. de pig. act. l. si pignus, xxxvii.

Si colonus per quem corpore possidebam decesserit, discesseritue animo retineo possessionem: & si alii tradidero amitto possessionem. Nam constat possidere, nos donec aut nostra uoluntate discesserimus, aut ui deiecti fuerimus, ff. de acq. pos. l. tertia. §. quod si seruus in fi.

Rem, quæ nobis subrepta est, perinde intelligimur desinere possidere, atque eã quæ ui nobis subrepta est, sed si is, qui in potestate nostra est surripuerit, quãdiu apud ipsum sit, res tamdiu nõ amittimus possessionem, quia per huiusmodi personas acquiritur nobis possessio, ff. de acq. poss. l. rem quæ nobis, xv.

Si quis ui de possessione deiectus sit perinde haberi debet, ac si possideret, cum interdicto de ui recuperandæ possessionis facultatem habeat. ff. eod. l. si quis ui, xvii.

ui,xvii.in princ.Nam qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur. ff.de reg. iur. l.qui actionem.xv.

Si quis nuntiet domum à canonibus occupatam,& dominus timore cõterritus noluerit accedere, amiſiſſe eum poſſeſsionem placet.ff.de acqu.poſſ.l.tertia. §.ſi quis nuntiet. ſed ſi nolit in fundum reuerti, quod vim maiorem vereatur, amiſit poſſeſsionem.ff.eod.l.ſi ſi nolit, vii.

Peregrè profectus pecuniam in terram cuſtodiæ cauſa condiderat, cum reuerſus locum theſauri memoria non repeteret,quoniam cuſtodiæ cauſa pecunia condita proponitur, ius poſſeſsionis ei,qui condidiſſet, non videtur peremptum,nec infirmitas memoriæ damnũ affert poſſeſsionis,quàm alius non inuaſit: & nihil intereſt pecuniam in meo,an in alieno condidiſſem,cùm ſi alius in meo condidiſſet non aliàs poſsiderem,quàm ſi ipſius rei poſſeſsionem ſupra terram adeptus fuiſſem. itaque nec alienus locus meã propriam aufert poſſeſsionem,cùm ſupra terram, an infra terram poſsideam nihil interſit. ff. de acquir. poſſeſ. l.peregrè.xliiii. in princ.

In iis,qui in hoſtium poteſtatem peruenerpnt in retinendo iure rerum ſuarum ſingulare ius eſt, corporalem tamen poſſeſsionem amittunt, neq;.n.poſſunt uideri aliquid poſsidere, cùm ipſi ab alio poſsideantur, ſequitur ergo ut reuerſis his,noua poſſeſsione opus ſit,etiam ſi nemo medio tempore res eorum poſſederit.ff.eod.l.cum hæredes.xxiii.§.in iis.

Si vi,aut clam,aut precario poſſeſsionem nactus quis poſtea furere cœperit, & poſſeſsio ex eadem cauſa durat de hoc,quod precario furioſus habet, quemadmodum interdicto quoque VTI POSSIDETIS furioſi nomine rectè experitur eius poſſeſsionis nomine,quàm ante furorem per ſe,vel poſt furorem per alium nactus eſt.ff.de vſucapio.l.nunquam.xxxi.§.ſi vi.

Eius quod coloni corpore poſsidetur non aliter amittitur poſſeſsio,quàm ſi eã alius ingreſſus fuerit,eaq; amittitur, nobis quoque ignorantibus.ff.de acqu. poſſ.l.peregrè.xliiii.§.fin.

Si fortè colonus per quem dominus poſsideret deceſsiſſet,propter vtilitatem receptum eſt,vt ꝑ colonum poſſeſsio & retineret, & contineret quo mortuo dicendum eſt non ſtatim eam interpellari, ſed tũc demum cùm dñs poſſeſsionẽ adipiſci neglexerit. Idem exiſtimandum eſt, ſi ſponte colonus poſſeſsione diſceſserit,ſed hæc ita vera ſunt,si nemo extraneus eã rẽ interim poſsederit, ſed ſꝑ in hęreditate coloni manſerit,ff.de acq.poſ.l.ſi de fundo.xl.§.si fortè.

Legitur in Pãdectis Florẽt. Aliud. Sed quòd idẽ legendum ſit oſtendi in Libro noſtro primo de Conciliatione legũ & digeſtorum Codicis.nu.x.

Si colonus non deſerendæ poſseſsionis cauſa exiiſset de fundo, & eò rediiſset, eundem locatorem poſsidere placet.ff.eod.ſi colonus,xxxi.

Si procurator,vel colonus,vel inquilinus,vel quiſpiam alius,per quem licentia eſt nobis poſsidere corporaliter nactam poſseſsionem cuiuſcunque rei dereliquerit,vel alii prodiderit deſidia fortè,vel dolo,vt locus aperiatur alii,eandem poſseſsionem deſinere nihil penitus domino pręiudicii generatur,ne ex aliena malignitate alienum damnum emergat,ſed competentibus actionibus ſubiugatur: omni iactura reſtitnente domino rei,vel ei circa quem negligenter,vel doloſè verſatus eſt.C.de acqu.poſ. l.fin.

Sin autem nec dum ſub manibus procuratoris,vel coloni, vel inquilini poſseſſio facta eſt,ſed ipſe eam accipere deſidia,vel dolo ſuperſedit,tunc & ipſe, qui eam tranſmiſit ex mala ſua electione, præiudicium circa eam poſseſsionem patitur ex memoratarum perſonarum,vel machinatione,vel negligentia accedens. Nam ſancitũ eſt,vt dominus nullo modo aliquid diſcrimen ſuſtineat

ab

ab iis, quos transmiserit, non ut etiam lucrum sibi per eos aliquod acquiratur salua in hoc casu domino rei vel ei, qui ad eam detinendam præfactas transmiserit personas aduersus eas omni actione (si qua ex legibus ei competit) seruata d.l.fin.§.fin.

Si colonus, per quē corpore possidebam, decesseritue, vel animo retineo possessionem, sed si alii tradiderit, amitto possessionem, nam constat possidere nos donec aut nostra voluntate discesserimus, aut vi deiecti fuerimus. ff. de acqu. poss. l. tertia. §. quod si seruus.

Si ego tibi commodauero, tu Titio, qui putat, tuū esse, nihil omnino ego id possideo. Idem erit si colonus meus fundum locauerit, aut is, apud quem deposuerat apud alium rursus deposuerit, & id per quemlibet plurium personam factum obseruandum ita erit. ff. eod. l. qui vniuersas, xxx. §. si.

Si conductor vendiderit, & eam ab emptore conduxerit, & vtriq; mercedes præstiterit, prior locator per conductorem possessionem rectissimè retinet. ff. eo. l. quamuis, xxxii. §. primo.

Et per colonos, & inquilinos nostros possidemus, sed & si moriantur, aut furere incipiant, aut alii locent, intelligimur nos per eos retinere possessionem. ff. de acqu. poss. l. si id quod. xxv. §. primo.

Hæres coloni quamuis colonus non sit nihilominus dominus possidere existimatur. ff. locat. l. Labeo, lx. §. heredem.

Si rem mobilem apud se depositam, aut ex commodato tibi, possidere, neq; reddere constitueris; confestim amitto possessionem, vel ignorans, cuius rei illa ratio est, quod rerum mobilium neglecta, atque dimissa custodia (quamuis eas nemo alius inuaserit) veteris possessionis damnum adferre cōsueuit. ff. de acqu. poss. l. si rem mobilem, xlvii. in prin. & l. tertia. §. si rem. Item si rem apud te depositam furti faciendi causa contractaueris, desino possidere, sed si eam loco non moueris, etiam si inficiandi animum habeas ego possessionem habeo, quia furtum sine contrectatione fieri non potest, nec animo solo furtum committitur. ff. eod. l. tertia. §. si rem.

Si quis rem, quam vtendam dederat, vendiderit, emptoriq; tradi iusserit, nec ille tradiderit: aliàs videbitur possessionem domini interuertisse, aliàs contrà: nam ne tunc quidem semper dominus amittit possessionem, cum reposcenti ei commodatum non redditur. Quid enim si alia quæpiam fuit iusta, & rationalis causa non reddendi, non vtiq; vt possessionem eius interuerteret. ff. de acqu. poss. l. si quis rem, xx.

Res mobiles, quatenus sub custodia nostra sunt eatenus possidentur, idest, quatenus si velimus eorum naturalem possessionem nancisci possumus, nam pecus simul atq; aberrauerit, aut vas ita exciderit, vt non inueniatur: protinus desinunt à nobis possideri, licet à nullo possideantur dissimiliter, atq; si sub custodia mea sit, nec inueniatur, quia in præsentia eius sit, & tantum cesset interim diligens inquisitio. ff. de acqu. poss. l. tertia. §. nerua filius. Item desinimus possidere eum locum, quē flumen, aut mare occupauit. d. l. tertia. §. Labeo.

Cùm lapides in Tyberim demersit essent naufragio, & post tempus extracti dominium ego retineo; possessionem nō. ff. eod. l. Pomponius, xiii. in princ.

Quāuis saltus proposito possidendi fuerit alius ingressus, tamen tandiu priorem possidere dictum est, quamdiu possessionem ab alio occupatam ignoratur. ut enim eodem modo vinculum obligationis soluitur quo quæri solet: ita non debet ignoranti tolli possessio, quę solo animo tenetur. ff. eo. l. quamuis, xlvi.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis, iis quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Secundus.

DE REBVS CORPORALIBVS, ET INCORPORALIBVS.

Titulus I.

QVAEDAM præterea res corporales sunt, quędam incorporales. Corporales hæ sunt, quæ tangi possunt, ueluti fundus, uestis, aurum, argentum, & denique aliæ res innumerabiles. Incorporales autem sunt, quæ tangi non possunt: qualia sunt, quæ in iure consistunt, sicut hæreditas, vsusfructus, vsus, & obligationes quoquo modo contractæ. Nec ad rem pertinet, quòd in hæreditate res corporales continentur; nam & fructus, qui ex fundo percipiuntur, corporales sunt, & id, quod ex aliqua obligatione nobis debetur: plerunque incorporale est, ueluti fundus, pecunia, nam & ipsum ius hæreditatis, & ipsum ius utendi, fruendi, & ipsum ius obligationis incorporale est. Eodem numero sunt iura prædiorum urbanorum, & rusticorum, quæ etiam seruitutes uocantur. Inst. de rebus corpo. & incorp.

DE SERVITVTIBVS.

Titulus II.

SEruitutes, aut personarum sunt, ut usus, & vsusfructus, aut rerum, ut seruitutes rusticorum prædiorum, & vrbanorum, ff. de seruitu. l. prima. Nam quoties, nec hominum, nec prædiorum sunt, quia nihil uicinorum interest non ualet, ueluti ne per fundum tuũ eas, vt ibi consistas, & ideo si mihi concedas ius tibi non esse fundo tuo uti frui, nihil agitur, aliter atque si concedas mihi ius tibi non esse in fundo

do tuo aquam quærere, minuendæ aquæ meę gratia, ff. eodem.l. quoties, xv. in princ.

Seruitutum non ea natura est, ut aliquid faciat quis ueluti, viridia tollat, aut amæniorem prospectum præstet, aut in hoc vt in suo pingat, sed ut aliquid patiatur, aut non faciat, d.l. quoties, §.fi.

Rusticorum prædiorum iura sunt hæc: iter, actus, via, aquæ ductus. iter est ius eundi ambulandi hominis non etiam iumentum agendi, vel vehiculum. Actus est ius eundi, ambulandi hominis, agendi iumentum, vel vehiculum, itaque qui habet iter, actum non habet, qui habet actum, & iter habet, eoq; uti potest etiã sine iumento. Via est, ius eundi, & agendi, & ambulandi: nam & iter, & actũ, via in se continet. Aquæ ductus est ius aquæ ducendæ per fundum alienum. Instit. de seruit. prædior. in princip. & ff. de seruitut. rusticor. prædio. l. prima, in princip.

Inter rusticorum prædiorum seruitutes recte computantur aquæ haustum, pecoris ad aquam appulsum, ius pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ. Insti. eod. §. inter, & ff. de seruit. rustic. præd. l. prima. §. in rusticis. De his autem ius non potest esse in alieno, nisi fundum uicinum habeat quis, ff. de seruit. rustic. præd. l. quinta.

Prædiorum Vrbanorum seruitutes, sunt hæ, quæ ædificiis inhærent: ideo prædiorum vrbanorum dictæ: quoniam ædificia omnia Vrbana pręedia appellamus, & si in villa ædificata sint. Item vrbanorum prædiorum seruitutes sunt hæ, vt vicinus onera vicini sustineat, vt in parietem eius liceat vicino tignum immittere, vt stillicidium, vel flumen recipiat quis, in ædes suas, uel in aream, uel in cloacam, uel non recipiat: & ne altius quis tollat ædes suas, ne luminibus vicini officiant. Institut. de seruitu. prædior. §. prædiorum.

Si quis velit vicino aliquod ius constituere: pactionibus, atque stipulationibus, id efficere debet. Potest etiam testamento quis, hæredem suum damnare, ne altius tollat ædes suas, ne luminibus ędium uicini officiat, vel vt patiatur eum tignum in parietem suum immittere, stillicidiumve aduersus eum habere, vel vt patiatur eum, per fundum, ire agere, aquamve ex eo ducere. Institut. eod. §. fin.

Maritus neque seruitutes fundo debitas potest amittere, neque alias ei imponere, ff. de fundo dotal. l. quinta.

Qui per certum locum iter, aut actum alius cessit, eum pluribus per eundem locum, vel iter, uel actum cedere posse verum est: quemadmodum si quis uicino suas ædes seruas fecisset, nihilominus aliis, quot uolet eas ædes seruas facere potest, ff. communia præd. l. qui per certum, xv.

Seruitutes rusticorum prædiorum, & si corporibus accedunt, incorporales tamẽ sunt, & ideo vsu non capiuntur, vel ideo quia tales sunt seruitutes, & non habent certam, continuamque possessionem: nemo enim tam perpetuo, tam cõtinenter ire potest, vt nullo momento possessio eius interpellari videatur: idẽque & in seruitutibus prædiorum vrbanorum obseruatur, ff. de seru. l. seruitutes, xiiii. in princ.

Refectionis gratia accedendi ad ea loca, quę non seruiant, facultas tributa est his, quibus seruitus debetur: quà tamen accedere eis sit necesse, nisi in cessione seruitutis nominatim pręfinitum sit, quà accederetur, sed & depressurum, vel alleuaturum riuum, per quem aqua iure ducitur pote-

ſtatem habet: niſi ſi ne id faceret cautum ſit, ff. communi præd. l. refectionis, xi. in princ.

Si propè tuum fundum ius eſt mihi aquam Riuo ducere, tacita hæc iura ſequuntur, ut reficere mihi riuum liceat, ut adire, quà proximè poſsim ad reficiendum eum ego, fabriq; mei, item ut ſpacium relinquat mihi dominus fundi, quò dextra, & ſiniſtra ad riuum adeam, & quò terram, limum, lapidem, Harænam, calcem iacere poſsim, d. l. refectionis. §. fi.

Seruitus naturaliter non manu facto lædere poteſt fundum ſeruientem, quemadmodum ſi imbri creſcat aqua in riuo, aut ex agris in eum confluant, aut aquæ fons ſecundum riuum, uel in ipſo riuo inuentus poſtea fuerit, ff. de ſeru. præd. ruſt. l. ſi mihi, xx. §. ſeruitus.

Loci corpus non eſt dominii ipſius, cui ſeruitus debetur, ſed ius eundi habet, qui iter ſine actu, uel actum ſine itinere habet, actione de ſeruitute utetur, ff. ſi ſeruitus uindicetur. l. loci corpus, iiii. in princ.

Viæ, itineris, actus, aquæ ductus pars in obligationem deduci non poteſt, quia uſus eorum indiuiſus eſt, & ideo ſi ſtipulator deceſſerit pluribus hæredibus relictis ſinguli ſolidam uiam petent, & ſi promiſſor deceſſerit pluribus hæredibus relictis, à ſingulis hæredibus ſolida petitio eſt, ff. de ſeruit. l. viæ, xvii.

Pro parte Dominii ſeruitus non poteſt acquiri, & ideo ſi quis fundum habens, uiam ſtipuletur, & partem fundi ſui poſtea alienet, corrumpit ſtipulationem in eum caſum inducendo, à quo incipere non poſsit, pro parte quoque neque legari, neque adimi uia poteſt, & ſi id factum eſt, neque legatum, neque ademptio ualet, ff. de ſeru. l. pro parte, xi.

Cum fundo, quem ex duobus retinuit uenditor, aquæ ducendæ ſeruitus impoſita ſit, empto prædio quæſita ſeruitus diſtractum denuo prædium ſequitur, nec ad rem pertinet, quod ſtipulatio, qua pœnam promitti placuit, ad perſonam emptoris (ſi forte ei frui non licuiſsit) relata eſt, ff. de ſeru. ruſt. præd. l. cum fundo, xxxvi.

Proprium ſolum uendendo ſi iniungam, ut mihi, & uicino ſeruiat, & ſimiliter ſi commune ſolum uendo, ut mihi, & ſocio ſeruiat, quia ſeruitutem recipere, niſi ſibi nemo poteſt, adiectio uicini pro ſuperuacuo habenda eſt, ita ut tota ſeruitus ad eum, qui recipit pertineat, idem in ſocio, quia per unum ſocium communi ſolo ſeruitus acquiri non poteſt, ff. communia præd. l. proprium, v.

Via, iter, actus, ductus aquæ, iiſdem ferè modis conſtituitur, quibus, & uſusfructus conſtitui ſolet, ff. de ſeru. l. quinta, in prin.

Vſus ſeruitutis temporibus ſecerni poteſt, fortè ut quis poſt horam tertiam, uſque ad horam decimam eo iure utatur, uel ut alternis diebus utatur, d. l. quinta, in fi.

Seruitutes ipſo quidem iure, neque ex tempore, neque ad tempus, neque ſub conditione, nec ad certam conditionem, uerbi gratia, QVAMDIV VOLAM, conſtitui poſſunt, ſed tamen ſi hæc adiiciantur, pacti, uel per doli exceptionem occurretur, contra placita ſeruitutem uendicāti, ff. de ſeru. l. quarta, in princ.

Modus adiici ſeruitutibus poteſt, ueluti quo genere uehiculi agatur, uel non agatur, ueluti ut æquo duntaxat, uel ut certum pondus uehatur, uel grex ille tranſducatur, aut carbo portetur, d. l. quarta. §. modus.

Interualla

Interuala dierum, & horarum non ad temporis causam, sed ad modum pertinent iure constitutę seruitutis d.l.quarta.§.fi.

Ad certam partem fundi seruitus, tam remitti, quam constitui potest, ff. de seru l. sexta.

Si prædium tuum mihi seruiat, siue ego partis prædii tui dominus esse cœpero, siue tu mei, per partes seruitus retinetur, licet per partes acquiri non possit, ff. de seru.l.viii.§.fi.

Si quis partem ædium tradat, uel partem fundi, non potest seruitutem imponere, quia per partes seruitus imponi non potest, sed nec acquiri, ff. communia præd.l.sexta.§.si quis.

Planè si diuisit fundum regionibus, & sic partem tradidit pro diuiso, potest alterutri seruitutem imponere, quia non est pars fundi, sed fundus. Quod & in ædibus potest dici si dominus pariete medio ædificato unam domum in duas diuiserit, vt pleriq; faciunt, nam & hic pro duabus domibus accipi debet, d.l. sexta, & d.§.si quis, vers. planè.

Qui duo prædia habebat, in unius uenditione aquam quæ in fundo nascebatur, & circa eam aquam, latè decem pedes exceperat. non dominium loci ad eum pertinet, sed iter duntaxat uidetur uenditoris esse, ff. de seru. præd. rust. l. qui duo, xxx.

Ductus aquæ, cuius origo memoriam excesserit, iure constituti loco habetur, ff. de aqua quotidiana.l.tertia.§.ductus.

De aqua per rotam tollenda ex flumine, uel haurienda, uel si quis seruitutem castello imposuerit, licet seruitus iure nõ ualuit, si tamẽ hac lege cõparauit, seu alii quocunque legitimo modo sibi hoc ius acquisiit, tuendus est, qui hoc ius possedit, ff. communia præd.l.secunda.

Lucio Titio ex fonte meo, ut aquam duceret concessi, possum & Mæuio concedere: nam sicut iter, actus, uia pluribus cedi, uel simul, uel separatim potest, ita aquæ ducendæ ius rectè cedetur. sed si inter eos, quibus aqua concessa est, non conuenit, quemadmodum utantur, non erit iniquum, utile iudicium reddi, sicut inter eos, ad quos ususfructus pertinet, utile communi diuidundo iudicium reddi placuit, ff. de aqua quotidiana, & æsti. l.quarta.

Venditor fundi Geroniani fundo Botroiano, quem retinebat, legem dederat, ne contra eum piscatio Tynnaria exerceatur: quamuis mari (quod natura omnibus patet) seruitus imponi priuata lege non potest, quia tamen bona fides contractus legem seruari uenditionis exposcit personæ possidentium, aut in ius eorum succedentium per stipulationis, uel uenditionis legem obligantur, ff. communia præd.l.uenditor, xiii. in prin.

Ei fundo, quem quis uendat, seruitus imponi potest, & si non utilis sit, ueluti si aquam alicui dedere deducere non expediret, nihilominus constitui ea seruitus potest, quædam enim debere habere possumus, quamuis ea nobis utilia nõ sunt, ff. de seru.l.ei fundo, xix.

Ius cloacæ mittendæ seruitus est, ff. eod.l. septima.

Vt pomum decerpere liceat, & ut spatiari, & cęnare in alieno possemus, seruitus imponi non potest, ff. eod.l.octaua.

In omnibus seruitutibus, quæ additione confusæ sunt, doli exceptio nocebit legatario, si non patiatur eas iterum imponi, ff. de seru.l.in omnibus, xviii.

Si ei, cuius prædium mihi seruiebat, hęres extiti, & eam tibi hæreditatem uen-

didi, restitui in pristinum statum seruitus debet, quia id agitur, ut quasi tu hæres uidearis extitisse, ff. communia præd. l. si ei, ix.

Si partem prædii nactus sim, quod mihi, aut uti ego seruiebam non confundi seruitutem placuit: quia pro parte seruitus retineretur: itaque si prædia mea prædiis tuis seruiant, & tuorum partem mihi, & ego meorum partem tibi tradidero, manebit seruitus, ff. de seru. urb. præd. l. si quis ædes, xxix. §. si partem.

In tradendis unis ædibus ab eo, qui binas habet, species seruitutis exprimenda est, ne si generaliter dictum sit, aut nihil ualeat, quia incertum sit, quæ seruitus excepta sit, aut omnis seruitus imponi debeat, ff. communia præd. l. in tradendis, septima in prin.

Quidquid uenditor seruitutis nomine sibi recipere uult, nominatim recipi oportet, nam illa generalis receptio, QVIBVS EST SERVITVS VTIQVE EST: ad extraneos pertinet ipsi nihil prospicie uenditori ad iura eius conseruanda, nullam enim habuit, quia nemo ipse sibi seruitutem debet, quinimo, etsi debita fuit seruitus, deinde Dominium rei seruientis rei peruenit ad me, consequenter dicitur extingui seruitutem, ff. communia præd. l. quicquid, x.

Si in uenditione dixerit seruas fore ædes, quas uendidit necesse non habet liberas tradere, quare uel suis ędibus, eas seruas facere potest, uel uicino concedere seruitutem, scilicet ante traditionem. Planè si Titio seruas fore dixit, siquidem Titio seruitutem concesserit, absolutus est, si uero alii concesserit exempto tenebitur, ff. eod. l. si quis duas, vi. §. si in uenditione.

Hæres cum legatus esset fundus, sub conditione imposuit ei seruitutes, si legati conditio existat, non extinguentur seruitutes ei impositæ, sed legatariũ sequẽtur, ff. quemadmodum seruit. amit. l. is cui, xi. §. fi.

Si per alienum fundum mihi uiam constitueris, euictionis nomine tu obligaris, etenim quo casu si per proprium constituentis fundum concessa esset uia, recte constitueretur eo casu, si per alienum concederetur, euictionis obligatio contrahitur, ff. de euictionibus. l. fundum, xlvi. §. si per alienum.

Viam promittere, & is potest, qui fundum non habet, ff. familiæ herciscundæ. l. hæredes, xxv. §. an ea.

Plerunque fit, ut etiam ea, quæ à nobis possunt abire, perinde in eo statu sint, atque si non essent eius conditionis, ut abire possint, & ideo, quod fisco obligamus, & uendicare interdum, & alienare, & seruitutem prædio imponere possumus, ff. de reg. iur. l. Plerunque, cvi. aliàs, ccv. in P. F.

Sed receptum est, ut plures domini, & non pariter cedentes seruitutem imponant, uel acquirant, ut tamen ex nouissimo actu etiam superiores confirmentur, perindeque sit, atque si eodem tempore omnes cessissent, ff. communia Prædiorum, l. ultima in princ.

Si is, qui prius cessit, uel defunctus sit, uel alio genere, uel alio modo partem suã alienauerit: post deinde socius cesserit, nihil agetur: cum enim postremus cedat, tum retro acquiri seruitus uidetur, sed perinde habetur, atque si post, cum postremus cedat, omnes cessissent. Igitur rursus hic actus pendebit, donec nouus socius cedat. Idem iuris est, & si uni ex dominis cedatur, deinde in persona socii aliquid horum acciderit. Ergo & ex diuerso si ei, qui non cessit aliquid tale eorum contigerit, ex integro omnes cedere debebunt. Tantum enim tempus eis remissum est, quo dare, facere possunt, uel diuersis temporibus possint, & ideo non potest uni, uel unus cedere. Idemque dicendum est,

etsi

etsi alter cedat, alter leget seruitutes, nam si omnes socii legent seruitutes, & pariter eorum adeatur hæreditas; potest dici utile esse legatum, si diuersis temporibus inutiliter dies legati cedit, nec enim sicuti uiuentium, ita & defunctorum actus suspendi receptum est, d.l.vlt.§.& ideo.

Perfundum, qui plurium est, ius mihi esse eundi agendi potest separatim cedi, & subtili ratione nouissima demum cessione superiores omnes confirmabuntur, benignius tamen dicetur, & antequàm nouissimus cesserit eos, qui ante cessere, uetare uti cesso iure non posse, ff. de seru. præd. rust. l. per fundum, xi.

Id quod meum est sub conditione stipulari possum. Item uiam ad fundũ possum, quamquam interim fundus non sit meus, aut si hoc uerum non est, & aliorum fundum sub conditione stipulatus fuero, isque ex lucratiua causa meus esse cęperit, confestim perimetur stipulatio, & si fundi dominus sub conditione uiã stipulatus fuerit, statim fundo alienato, euanescit stipulatio, cum in eum casum reciderit, à quo non potuisset consistere, ff. de verbor. obliga. l. existimo, xcviii. in princ.

Si ædes meæ à tuis ædibus tantum distent, ut prospici non possint, aut medius mons earum conspectum auferat, seruitus imponi non potest, nemo enim pro priis ædificiis seruitutem imponere potest, nisi & is, qui cedit, & is, cui ceditur in conspectu habeant ea ædificia, ita ut officere alterum alteri possit, ff. de seruitu. vrb. præd. l. si ædes, xxxviii. & l. seq.

Et in rusticis prædiis impedit seruitutem medium prædium, quod non seruit, ff. de seru. rust. præd. l. qui sella, vii. §. fi.

Si quis duas ædes habeat, & alteras tradat, potest legem traditioni dicere, ut uel iste, quæ non traduntur, seruæ sint his quæ traduntur: uel contra, ut traditæ retentis ædibus seruiant: paruique refert uicine sint ambæ ædes, an non. Idem erit in prædiis rusticis, nam & si quis duos fundos habeat, alium alii potest seruum facere tradendo: duas autem ædes simul tradendo non potest efficere alteras alteris seruas, quia neque adquirere alienis ædibus seruitutem, nec imponere potest, ff. communia præd. l. si quis duas, vi. in prin.

Hæ seruitutes altius non tollendi, & ei qui ulteriores ædes habet deberi poterit, & ideo si inter meas, & Titii ædes tuę intercedant, possum Titii ædibus seruitutem imponere, ne liceat ei altius tollere, licet tuis non imponatur, quia donec tu non extollis, est utilis seruitus, ff. si seruitus uind. l. quarta. §. fin. cum lege sequenti.

Interpositis quoque alienis ædibus seruitus imponi potest, ut altius tollere, uel non tollere liceat, uel etiam si iter debeatur; ut ita conualescat si mediis ædibus seruitus postea imposita fuerit, sicut per plurium prædia seruitus imponi etiam diuersis temporibus potest. Quamquã dici potest si tria prædia continua habeam, & extremum tibi tradam, uel tuo, uel meis prædiis seruitutem acquiri posse, si vero extremo, quod retineam, quia & medium meum sit seruitutem consistere, sed si rursus, aut id cui acquisita sit seruitus, aut mediũ alienauero, interpellari eum, donec medio prædio seruitus imponatur, ff. communia præd. l. in tradendis, vii. §. interpositis.

Si fundus medius alterius inter me, & te intercedit, haustus seruitutem fundo tuo imponere potero, si mihi medius dominus iter ad transeundum cesserit, quemadmodum si ex flumine publico perenni haustu uelim uti, cui flumini ager tuus proximus sit, iter mihi ad flumen cedi potest, ff. de aqu. pluu. arc. l. si prius, xvii. §. fi.

Licet

Licet non proximo meo prædio ſeruitutem uicinus debeat, ſed ulteriori agere potero, ius eſſe mihi ire, agere ad illum fundum ſuperiorem: quamuis ſeruitutem ipſe per fundum meum non habeam, ſicut interueniente uia publica, uel flumine, quod uado, uel ponte tranſiri poteſt. d. l. ſi prius, §. licet.

Item flumine interueniente uia conſtitui poteſt, ſi aut uadi tranſiri poteſt, aut põtem habeat. Diuerſum ſi pontonibus traiiciatur: Hæc ita ſi per unius prædia flumen currat: alioquin ſi tua prædia mihi uicina ſint, deinde flumen, deinde Titii prædia, deinde uia publica, in quà iter mihi acquiri uolo nihil uetat, à te mihi uiam dari uſque ad flumen, deinde à Titio, uſque ad uiam publicam. Nam etſi tu eorum prædiorum dominus ſis, quæ transflumen intra uiam publicam ſint, idem iuris erit, quia uia conſumari ſolet, uel ciuitate tenus, uel uſque ad uiam publicam, uel uſque ad flumen, in quo pontonibus traiiciatur, uel uſque ad proprium aliud eiuſdem domini prædium, ff. de ſeru. præd. ruſtic. l. ultima.

Diuus Pius Aucupibus ita ſcripſit. non eſt conſentaneum rationi, ut per aliena prædia inuitis dominis aucupium faciatis, ff. de ſeru. ruſt. præd. l. Diuus, xvi.

Via publica intercedẽte hauſtus ſeruitutem conſtitui poteſt, ſed non ſolum ſi uia publica interueniat, ſed etiam ſi flumen publicum. eodem caſu, quo interueniente flumine publico uiæ itineris, actus, ſeruitus imponi poteſt, idẽ ſi nõ ſit impedimẽto trãſeundi magnitudo fluminis, ff. de aqu. plu. arcen. l. ſi prius, xvii. §. via publica.

Loco ſacro, uel ſancto interueniente, quo fas non ſit uti, nulla eorum ſeruitus imponi poterit, ff. de aqua pluuiali arcend. l. ſi prius, xvii. §. ſed loco. Et etiam itineris ſeruitutem impedit, cum ſeruitus per ea loca nulli deberi poſsit, ff. de ſeruit. l. ſeruitutes, xiiii. in fi.

Si intercedat ſolum publicum, uel uia publica, neque itineris, actuſve, neque altius tollendi ſeruitutes impedit, ſed immittendi, protegendi, proiiciendi: Itẽ fluminum, & ſtellicidiorum ſeruitutem impedit, quia cœlum, quod ſupra id ſolum intercedit liberum eſſe debet, ff. de ſeruit. l. ſi interueniat, xxi. in P. F. de ſeru. pręd. vrb. l. prima.

Publico loco interueniente, uel uia publica, hauſtus ſeruitus imponi poteſt, aquæ ductus non poteſt, nam à principe peti ſolet, ut per uiam publicam aquam ducere ſine incommodo publico liceat, ff. de ſerui. l. ſeruitutes, xiiii. §. publico loco.

Certo generi agrorum adquiri ſeruitus poteſt, ueluti uineis: quòd ea ad ſolum magis, quàm ad ſuperficiem pertinet. Ideo ſublatis uineis ſeruitus manebit. ſed ſi in contrahenda ſeruitute aliud actum erit. doli mali exceptio erit neceſſaria, ff. de ſeru. ruſt. præd. l. certo generi, xiii. in prin.

Si fundus ſeruiens, uel is, cui ſeruitus debetur, publicaretur: utroque caſu durãt ſeruitutes: quia cum ſua conditione quiſque fundus publicaretur, ff. eod. l. uia conſtitui, xxiii. §. ſi fundus.

Quæcunque ſeruitus fundo debetur, omnibus eius partibus debetur, & ideo quãuis particulatim uenierit omnes partes ſeruitus ſequitur; & ita ut ſinguli recte agant ius ſibi eſſe fundi, ſi tamen fundus cui ſeruitus debetur, certis regionibus inter plures dominos diuiſus eſt, quamuis omnibus partib. ſeruitus debeatur tamẽ opus eſt, ut hi qui non proximas partes ſeruienti fundo habebũt, tranſitum per reliquas partes fundi diuiſi iure habeant, aut ſi proximi patiantur, tranſeant. d. l. uia conſtitui, xxxiii. §. quæcunque.

Si communi fundo meo, & tuo ſeruiat fundus Sempronianus, & eundem in commune redegerimus ſeruitus eſtinguitur: quia pars utriuſque domini ius in utroque fundo eſſe incipit, at ſi proprio meo, & proprio tuo idem ſeruiat, manebit ſeruitus: quia proprio fundo per communem ſeruitus deberi poteſt, ff. eod. l. ſi communi, xxvii.

Fundus mihi tecum communis eſt, partem tuam mihi tradidiſti, & ad eundẽ uiã per uicinum tuum proprium: rectè eo modo ſeruitus eſt conſtituta: neque quod dici ſoleat per partes nec adquiri, nec imponi ſeruitutes poſſe, iſto caſu locum habet. Hic enim non per partem ſeruitus adquiritur, ut pote cum in id tempus adquiratur, quo proprius meus fundus futurus ſit, ff. eod. l. fundus, xxxii.

Vnus ex dominis communium ædium ſeruitutem imponere non poteſt, ff. de ſeruit. l. ſecunda.

Vnus ex ſociis fundi communis permittẽdo ius eſſe ire, agere, nihil agit, & ideo ſi duo prædia, quæ mutuo ſeruiebant inter eoſdem fuerint communicata, quoniam ſeruitutes pro parte retineri placet ab altero ſeruitus alteri remitti non poteſt, quamuis enim unuſquiſque ſociorum ſolus ſit, cui ſeruitus debetur, tamen quoniam non perſona, ſed prædia deberent, neque adquiri libertas, neq; remitti ſeruitus per partem poterit, ff. eod. l. unus, xxxiiii.

Si unus ex ſociis ſtipuletur, iter ad communem fundum inutilis eſt ſtipulatio, quia nec ei dari poteſt. ſed ſi omnes ſtipulentur ſinguli ex ſociis ſibi dari oportere petere poſſunt, quia ita dari eis poteſt, ne ſi ſtipulator uiæ plures hæredes reliquerit, inutiliter ſtipulatio fiat, ff. eod. l. ſi unus, xix.

DE SERVITVTIBVS PRAEDIORVM RVSTICORVM.

Titulus III.

RVſticorum prædiorum ſeruitutes ſunt, licere altius tollere, & officere prætorio uicini, uel cloacam habere, licere per uicini domũ, uel prætorium, uel protectum habere licere, ff. de ſeru. præd. ruſt. l. ſecunda, in princ.

Item ſic poſſunt ſeruitutes imponi, ut et boues, per quos fundus colitur in uicino agro paſcantur. Item ut fructus in uicini uilla cogantur, coactique habeantur, & ut pedamenta ad uineam, ex uicini prædio ſumantur. Itẽ uicino, cuius lapidicinæ fundo tuo immineant, potes tu cedere ius ei eſſe, terram rudus ſaxa iacere poſita habere, & ut in tuum lapides prouoluantur, ibiq; poſiti habeantur, idemq; exportentur, ff. eod. l. tertia, in prin.

Pecoris paſcendi ſeruitutes, item ad aquam appellendi, ſi prædii fructus maximè in pecore conſiſtat, prędii magis quàm perſonæ uidetur. Si tamen teſtator perſonam demonſtrauit cui ſeruitutem præſtare uoluit, emptori, uel hæredi non eadem præſtabitur ſeruitus, ergo & uindicari poterit, ff. eod. l. quarta, & quinta, in princ.

Nec hauſtus pecoris, nec apulſus, nec cretæ eximendæ, calciſque quoquendæ ius poteſt eſſe in alieno, niſi fundum uicinum habeat quis. Et quamuis calcis coquendæ & cretæ eximendæ ſeruitus conſtitui poſsit, non ultra poterit, q̃ quatenus ad eum ipſum fundum opus ſit. Veluti ſi figulinas haberet, in quibus ea uaſa fierent quibus fructus eius fundi aſportarentur, ſicut in quibuſdam

dam fit, ut amphoris uinum euehatur, aut ex dolia fiant, uel tegulæ, uel ad uillam ædificandam. Sed si ut uasa uenirent figlinę exercerentur vsus fructus erit. Item longe recedit ab usufructu ius calcis coquendæ, & lapidis eximendi, & harenæ fœdiendæ ædificandi eius gratia, quod in fundo est. Itẽ Siluæ ceduæ, ut pedamenta in uineas non desint. ergo si prædiorum meliorem causam hæc faciunt non est dubitandum quin seruitutis sit. Et hoc in tantum probat Mæcianus, ut putet & talem seruitutem constitui posse, ut tugurium mihi habere liceret in tuo. scilicet si habeam pascui seruitutem, aut pecoris appellendi: ut si hiemps ingruerit, habeam quò me recipiam, ff. eod. l. quinta, & sexta.

Qui habet haustam, iter quoque habere uidetur ad auriendum, siue ei ius auriẽdi, & adeundi cessum sit, utrumque habebit: siue tantum auriendi, inesse & aditum: siue tantum adeundi ad fontem, inesse & haustum. Hæc de haustu & fonte priuato. Ad flumen autem publicum iter cedi debere haustum nõ oportebit. & si quis tantum haustum cesserit, is nihil agit, ff. eodem l. tertia, §. qui habet.

Si lacus perpetuus in fundo tuo est, nauigandi quoque seruitus, vt perueniatur ad fundum uicinum imponi potest, ff. de seru. prædio. rustic. l. via constitui, xxiii. §. si lacus.

De itinere, actu, & uia.

Inter iter, & actum nonnulla est differentia: iter est enim quà quis pedes, uel æques commeare potest: actus uero ubi, & armenta traiicere, & uehiculum ducere liceat, ff. de seru. præd. rust. l. inter actum, xii. vnde si tam angusti loci demonstratione facta uia concessa fuerit, ut neque uehiculum, neque iumentum ea inire posit, iter magis, quã uia, aut actus acquisitum uidebitur, sed si iumentum per eà alicui poterit, non etiam uehiculum, actus uidebitur acquisitus, ff. de seru. l. si tam Angusti, xiii.

Et nunquam actus sine itinere esse potest, quamquam Vlpianus dicat, qui iter sine actu, uel actum sine itinere habet, actione de seruitute utetur. ff. de adimendis leg. l. prima, in fine.

Qui sella aut lectica uehitur, ire non agere dicitur, iumentum uero ducere non potest, qui iter tantum habet. Qui actum habet, & plaustrum ducere, & iumenta agere potest, sed trahendi lapidem, aut tignum, neutri eorum ius est. quidã nec hastam rectam ei ferre licere: quia neque eundi, neque agendi gratia id faceret, & possent fructus eo modo lœdi. Qui uiam habet, eundi agendi ius habent. Plerique & trahendi quoque, & rectam hastam ferendi fas esse, si modo fructus non lædat, ff. de seru. præd. rust. l. qui scella, vii.

Viarum quædam publicæ sunt, quædam priuatæ, quędam uicinales. publicas uias dicimus, quæ etiam prætoriæ, vel consulares appellantur, priuatæ sunt, quas agrarias quidam dicunt, uicinales uiæ sunt, quæ in vicis sunt, vel quæ in vicos ducunt, & aliquando hæ vicinales publicæ dicuntur, si non ex collatione priuatorum hoc iter constitutum sit: nam si ex collatione priuatorum reficiatur, nõ utique priuata est: refectio enim id circo de communi fit, quia usum utilitatemque communem habet. Priuatæ uiæ dupliciter accipi possunt uel hæ, quæ sunt in agris, quibus imposita est seruitus, vt ad agrum alterius ducant, uel hæ, quæ ad agros ducunt, per quas omnibus commeare liceat, in quas exitur de uia consulari, & sic post illam excipi via, vel iter, vel actus ad villam ducens.

Hæ

Hę ergo, quæ post consularem excipiunt in uillas, uel in aliàs colonias ducentes, publicæ sunt, ff. ne quid in loco, uel itin. pub. fiat, l. prima. §. viarum.

Vicinales, quæ ex agris priuatorum collatis factæ sunt, quarum memoria non extat, publicarum uiarum numero sunt. sed inter eas, & cæteras uias militares hoc interest, quod uiæ militares exitum ad mare, aut in vrbes, aut ad flumina publica, aut ad aliam uiam militarem habent, harum autem uicinalium. uiarum dissimilis est conditio, nam pars earum in militares uias exitum habet, pars sine ullo exitu intermoritur, ff. de locis, & itin. pub l. vlt.

Viæ latitudo in porrectum octo pedes habet, in anfractum. i. ubi flexum est sedecim, ff. de seru. præd. rust. l. octaua.

Latitudo actus itinerisq; ea est, quæ demonstrata est, quod si nihil dictũ est, hoc ab arbitro statuendum est, in uia aliud iuris est, nam si latitusto non est legitima, debetur, ff. eo. l. certo, xiii. §. latitudo.

Si locus non adiecta latitudine nominatus est, per eum qualibet iri poterit. Sinautem prætermissus est, æquæ latitudine non adiecta, per totum fundum, unà poterit eligi uia, duntaxat eius latitudinis, quæ lege compræhensa est, pro quo ipso, si dubitatur arbitri officium inuocandum est, d. l. certo, xiii. §. si locus.

Via constitui, uel latior octo pedibus, uel angustior potest, ut tamen eam latitudinem habeat, quà uehiculum ire potest, alioquin iter erit non uia, ff. de seru. præd. rust. l. via constitui, xxiii. in prin.

Si cui simpliciter via per fundum cuiuspiam cedatur, uel relinquatur in infinito, per quamlibet eius partem ire agere licebit, ciuiliter modo, nam quædam in seruitute tacite excipiuntur: non enim per villam ipsam, nec per medias uineas ire agere sinendus est, cum id æquè commodè per aliam partem facere possit, & minori seruientis fundi detrimento, uerum constitit, ut qua primum uiam direxisset, eà demum ire agere deberet: nec amplius mutãdæ eius potestatem haberet. sicuti Sabino quoque uidebatur, qui argumento riui utebatur, quem primo qualibet ducere licuisset: posteaquam ductus esset, transferre non liceret. quod & in via seruandum esse, verum est, ff. de seru. l. si cui, ix. sed facultas est hæredi, per quam partem fundi uelit cõstituere seruitutem si modo nulla captio legatario in seruitute sit, ff. de seru. prædio. rustico. l. si via, xxvi.

Si totus ager itineri, aut actui seruit dominus in eo agro nihil facere potest, quo seruitus impediatur quæ ita diffusa est, ut omnes glebæ seruiant. At si iter actusve sine vlla determinatione legatus est, modo determinabitur, & qua primum iter determinatum est, eà seruitus constitit, cæteræ partes agri liberæ sunt. Igitur arbiter dandus est, qui utroq; casu uiam determinare debet, ff. de seru. præd. rust. l. certo generi, xiii. §. si totus.

Si domo mea altior area tua esset, tuque mihi per aream tuam in domum meam ire agere cessisti, nec ex plano aditus ad domum meam per aream tuam esset, uel gradus, vel cliuos propius ianuam meam iure facere possum, dum ne quid vltra, quàm necesse est itineris causa demoliar, ff. de seru. vrban. prædio. l. seruitutes, xx. §. si domo.

Si in itinere, quod per fundum tibi debeo ædifices rectè intendam ius tibi non esse ædificare, vel ædificatum habere, quemadmodum si in area mea quid ædifices, ff. si seruitus vend. l. si eo loco, ix.

Supra iter alienum arcus aquæ ducendæ causa non iure fiet, nec is, cui iter, uel actus iure debetur, pontem, quà possit ire agere iure extruet, at si specus non

cuniculum

cuniculum sub riuo aget, aqua corrumpetur, quia suffosso eo, aqua manabit, & riuus siccabitur, ff. de aqu. plu. arcen. l. supra, xi. in princ.

Item itinere ad prędium commune duorum legato, nisi vterque de loco itineris consentiat seruitus, neque acquiritur, neque deperit, ff. de seru. præd. rustic. l. itinere, xxviii.

Si mihi eodem tempore concesseris, & ire, & agere, & per tuum locum, & uti frui eo ius esse, deinde ego, tibi concessero ius mihi, vti frui non esse non aliter eo loco vteris frueris, quàm vt ire agere mihi, rectè liceat, ff. de seru. præd. rust. l. si mihi, xx. in prin.

Vna est uia, & si per plures fundos imponeretur, cum una seruitus sit, denique si per eum fundũ iero, per aliũ non per tantũ tẽpus quanto seruitus amittitur, seruitus retinetur, quia aut tota amittatur, aut tota retineatur, ideoque si nullo vsus sum tota amittitur, si vel vno, tota seruatur, ff. de seruit. præd. rust. l. vna est via, xviii.

Qui latiore via, vel angustiore vsus est, retinet seruitutem, sicuti, qui aqua ex qua ius habet utendi, alia mixta vsus est, ff. si seru. vind. l. si eo loco, viii. §. fi.

Si cui via, vel actus debebatur, vt vehiculi certo genere vteretur, alio genere usus fuerit, non amittit seruitutem, quia eadem est conditio eius, qui amplius oneris, quàm licuit uexit, sicut si latiore via vsus sit, aut si plura iumenta egerit, quàm licuerit, aut aquæ admiscuerit aliam, nam in omnibus istis quæstionibus seruitus quidem non amittitur, non autem conceditur plus, quàm pactum est, in seruitute habere, ff. quemadmodum seruitus amittitur, l. is cui, xi. in princip.

Vsu retinetur seruitus, cum ipse, cui debetur utitur, quive in possessione eius nomine est, aut mercenarius, aut hospes, aut amicus, vel medicus, qui ad visitandum dominum venit, vel colonus, vel fructuarius, licet suo nomine; denique quicunque quasi debita via vsus fuerit, siue ad fundum nostrum facit, vel ex fundo licet mala fide possessor sit, retinebitur seruitus, ff. quẽadmodum seru. amitt. l. vsu, xx. cum ll. seq. & l. quinta, cum l. seq. in prin.

Qui fundum alienum bona fide emit, si itinere, quod ei fundo debetur, usus est, retinet id ius itineris. Idemq; & si precario, aut ui deiecto domino posidet, fundus enim qualiter se habens cum in suo habitu possessus est, ius non deterit, neque refert, iustè nec ne, posideat, qui talem eum posidet, ff. quemadmodum seru. amitt. l. qui fundum, xii.

Is cuius colonus, aut hospes, aut aliquis alius iter ad fundum fecit, usus uidetur itinere, uel actu, vel uia, etiam si ignorauerit, cuius fundus esset, per quem iretur, nam is retinet seruitutem, ff. de itin. actuque priuato. l. prima.

Qui iter, & actum habet si statuto tempore tantum ierit nõ periit seruitus actus, nam ire, quoque per se is potest, qui actum haberet, ff. quemadm. serui. amitt. l. secunda.

Is qui per partem itineritis it, & totum ius usurpare uidetur, ff. quemadmo. seru. amitt. l. si stillicidii, viii. in fi.

Iter nihil prohibeat sic constitui, vt quis interdiu duntaxat eat, quod ferè circa prędia vrbana etiam necessarium est, ff. commu. præd. l. iter, xiiii.

Si quis ex fundo, cui uiam vicinus deberet, vendidisset locum proximũ seruienti fundo non imposita seruitute, & infra legitimum tempus, quo seruitutes pereunt, rursus eum locum acquisiisset habiturus est seruitutem, quam vicinus debuisset. ff. quemad. seruit. amitt. l. si quis, xiii.

Si quis

Si quis uiam ad fundum suũ dari stipulatus fuerit, postea fundum partemve eius ante constitutam seruitutem alienauerit, euanescit stipulatio, ff. de verb.obli. l.si sub vna, cxxxvi. §.fi.

Si cum seruitus mihi per plures fundos deberetur, medium fundum acquisiui manet seruitus, quia toties confunditur seruitus, quoties vti ea is, ad quẽ pertinet, non potest, medio autem fundo acquisito potest consistere, ut per primum, & ultimum iter debeatur, ff. quemadmodum seruit. amitt. l. si cum seruitus, xv.

Duorum prædiorum dominus si alterum ea lege tibi dederit, ut id prædiũ quod datur, seruiat ei, quod ipse retinet, uel contra iure imposita seruitus intelligitur, ff. comm. præd. l. tertia.

De aquæ ductu.

Aquæ ductus est ius aquæ ducendę per fundum alienum, traditio planè, & patientia seruitutum inducet officium prætoris. Inst. de seru. præd. §. aquæductus, & ff. de seru. præd. rust. l. prima, §. aquæductus.

Aquæductus & haustus aquæ per eundem locum, ut ducatur, etiam pluribus concedi potest: Potest etiam ut diuersis diebus, uel horis ducatur, ff. eod. l. secunda, §. aquęductus.

Si aquæductus, vel haustus aquæ sufficiens est, potest & pluribus per eũdem locũ concedi, vt & isdem diebus, uel horis ducatur, d. l. secunda. §. fi.

Vsus seruitutum temporibus secerni potest forte, vt quis post horam tertiam, vsque in horam decimam eo iure utatur, uel vt alternis diebus vtatur, ff. de seru. l. quinta. §. fi.

In concedendo iure aquæ ducendæ non tantum eorum, in quorum loco aqua oritur, verum etiam eorum, ad quos eius aquæ vsus pertinet, voluntas exquiritur, idest & eorum, quibus seruitus aquæ debebatur, nec immerito. cum enim minuitur ius eorum, consequens fuit exquiri, an consentiant & generaliter, siue in corpore, si iure loci, ubi aqua oritur, uel in ipsa aqua habeat quis ius uoluntatem eius esse spectandam placet, ff. de aqu. pluu. arcend. l. in concedendo, viii.

Labeo ait talem seruitutem constitui posse, vt aquam quærere, & inuentam ducere liceat, nam si liceat nondum ædificato ædificio seruitutem constituere; quare non æquè liceat, nondum inuenta aqua eandem constituere seruitutem: & si vt quærere liceat cedere possumus, etiam vt inuenta ducatur cedi potest, ff. de seruit. rusticor. prædior. l. labeo decima, & ff. si seruitus uindicetur. l. fin.

Seruitus aquæ ducendæ, uel hauriendæ, nisi ex capite, uel ex fonte constitui non potest, hodie tamen ex quocunque loco constitui solet, ff. de seru. præd. rust. l. seruitus, ix. sed quia omnes seruitutes prædiorum perpetuas causas habere debent, neque ex lacu, neque ex stagno concedi aquæductus potest, ff. de seru. urb. præd. l. foramen, xxviii. §. omnes autem.

Per quem locum uiam alii cessero, per eundem alii aquæ ductum cedere non potero. sed & si aquæductum alii concessero, alii iter per eũdẽ locum uẽdere, uel alias cœdere non potero, ff. eod. l. per quem, xiiii. in princ.

Per plurium prædia aquam ducis, quoquomodo imposita seruitute, nisi pactum uel stipulatio etiam de hoc subsecuta est, nec earum, cui ius, nec alii uicino poteris haustum ex riuo concedere, pacto enim uel stipulatione interuenientibus, & hoc concedi solet, quamuis nullum prædium ipsum sibi seruire, neque seruitutis fructus constitui potest, ff. de seru. pręd. rust. l. cum essent, xxxiii. §. finali.

Si qua aqua ducatur, & supra eam aqua alia per pontem, qui supra riuum factus sit iure ducitur, dum inferiori riuo non noceatur, ff. de aqua quotidia. l. tertia, §. fina.

Si diurnarum, aut nocturnarum horarum aquæ ductum habeam, non possum alia hora ducere, quàm quauis habeam ducendi, ff. de aqua quotidia. l. secunda.

Si partem fundi mei tibi certam uendidero, aquæ ductus eius etiam si alterius partis causa plerunque ducatur, te quoque sequetur, neque tibi, aut bonitatis agri, aut usus eius aquæ ratio habenda est, ita ut eam solam partem fundi, quæ preciosissima sit, aut quæ maximè usum eius, aquæ desiderat ius eius ducendæ sequatur, sed pro modo agri detenti, & alienati fiat eius aquæ diuisio, ff. de seru. præd. rust. l. si partem, xxv.

Ex meo aquæ ductu uicinum non possum commodare, ut ne in meam partem fundi aliam, quam ad quam seruitus acquisita sit, uti ęa possum, ff. eod. l. ex meo, xxiii.

Non modus prædiorum, sed seruitus aquæ ducendæ terminum facit, C. de seruit. l. non modus, xi.

Vsu aquæ, quę ex fonte iuris tui profluit contra statutam consuetudinis formam carere te non permittitur; cum sit durum, & crudelitati proximum ex tuis prædiis aquæ agmen ortum sitientibus agris tuis ad aliorum usum uicinorum iniuria propagari, C. de seruit. l. præses, vi.

Aquam de flumine publico pro modo possessionum ad irrigandos agros diuidi oportet, nisi proprio quis iure plus sibi datum ostenderit. Item aquam ita demum permittitur duci, si sine iniuria alterius id fiat, ff. de seru. rustic. prædio. l. imperatores, xvii.

Si mihi concesseris iter aquæ per fundum tuum non destinata parte, per quam aquam ducerem, totus fundus tuus seruiet, ff. de seru. præd. rust. l. si mihi, xxi. & ff. de aqu. quotid. l. ult.

Riuum primo quà libet ducere licet, postquam ductus est, transferre non licet, ff. de seru. l. si cui. nona. §. fin.

Si quæ loca fundi eius tunc, cum ea fieret cessi, ædificiis arboribus, uineis, uacua fuerint, ea sola eo nomine seruient, ff. de seruitut. prædio. rustic. l. sed quæ, xxii.

Placuit non alias per lapidem aquam duci posse, nisi hoc in seruitute constituenda comprehensum sit, non enim consuetudinis est, ut qui aquam habeat per lapidem stratum ducat. Illa autem, quæ ferè in consuetudine esse solent, ut per fistulas aqua ducatur, etiam si nihil sit comprehensum in seruitute constituenda, fieri possunt, ita tamen, ut nullum damnum domino fundi ex iis detur, ff. de aqu. plau. l. si prius, xvii. §. Recto.

Cum iter aquæ, uel quotidianæ, uel æstiuæ, vel quæ longiora interualla habeat, per alienum fundum erit, licitum est fistulam suam, uel fictilem, vel cuiuslibet generis in riuo ponere, quæ aquam latius exprimeret,

per alienum fundum erit, licitum est fistulam suam, uel fictilem, uel cuiuslibet generis in riuo ponere, quæ aquam latius exprimeret, & quod uellet in riuo facere licet, dum ne domino prędii, aquarium faceret deterius, ff. de seru. præd. rust. l. Quintus, xv.

Is, qui ius aquæ quotidianæ habet, uel fistulam in riuo ponere, uel aliud quodlibet facere potest, dummodo ne fundum domino, aut aquarium riualibus deterius faciat, ff. de aqu. quoti. l. tertia, §. is qui ius.

Si aquam per possessionem Martialis eo sciente duxisti seruitutem exemplo rerum immobilium tempore quæsiuisti, C. de seruit. l. secunda.

Item si manifeste doceri posit ius, aquæ ex uetere more per certa loca profluentis utilitatem certis fundis irrigandi causa exhibere, ne quid contra veterem formam, & solemnem morem innouetur prouidebitur, C. eod. l. septima.

Si ducere per tuum fundum aquam iure potero, & in eo tibi ædificare inuito me ius non fuerit, & tibi concessero ius esse ædificare, nihilominus hanc seruitutem mihi præstare debebis, ne aliter ædifices, quàm ut ductus aquæ meæ maneant, totiusque rei conditio talis esse debet, qualis esset, si una duntaxat in initio concesio facta esset, ff. de seruit. prædio. rustic. l. si mihi, xx. §. item si ducere.

Si fons exaruerit ex quo ductum aquæ habeo, isque post constitutum tempus ad suas uenas redierit, aquæductus amisi ius, quod habueram, tunc cum primũ aqua ad me peruenire non potuit, id mihi restitui placuit, ff. de seru. præd. rust. l. vnus, xiiii. §. fi. cum l. seq. & l. & atilicinus, xxxv.

Si aqua per riuum sua sponte profluxit ius aquę ducendæ retinetur, ff. quemad. seru. amitt. l. qui fundum, xii. §. fi.

Si in partem aquarii aqua influxit etiam si non ad ultima loca peruenit, omnibus tamen partibus usurpatur, ff. eod. l. si in partem, ix.

Tria prædia continua trium dominorum obiecta erant, unius prædii dominus ex summo fundo in imum fundum seruitutem aquæ acquisierat, & per medium fundum, domino concedente, in suum agrum ducebat. postea idem summum fundum emit, deinde imum fundum in quem aquam induxerat uendidit: imus fundus non amisit seruitutem, quia prædium per quod aqua ducebatur alterius fuisset, & quemadmodum seruitus summo fundo, ut in imum fundum aqua ueniret, imponi aliter non potuisset, quàm ut per medium quoque fundum duceretur: sic eadem seruitus eiusdem fundi amitti aliter non posset, nisi eodem tempore etiam per medium fundum aqua duci desiiisset, aut omnium tria simul prædia unius domini facta essent, ff. de seruit. præd. rust. l. tria, xxxi.

Si fundo seiano confinis fuerit fons, ex quo per fundum Seianum aquam iure ducebam, meo facto fundo Seiano, manet seruitus, ff. eodem l. si mihi, xx. §. penultim.

Si seruitus aquæ debetur, nec temporis spatio ex non usu non est amissa: non prohibitum est proprio iure uti: nam loco proprio facto opere, dominus fundi continere aquam, & facere quominus ager irrigari posit, non prohibetur, C. de seruit. l. si tibi, x.

Ex hac scriptura, L. TITIVS CAIO SEIO FRATRI DE AQVA FLVENTE IN FONTEM QVEM PATER MEVS INSTRVXIT DO, CONCEDOQVE SIVE AD DOMVM, SIVE QVOCVNQVE

TANDEM VOLVERIS: Vſus aquæ ad hæredes Caii, Seii, quaſi uſuarii tranſmitti non oportet, ff. de ſeruit. præd. ruſt. l. pen.

Cum fundus fundo ſeruit, uendito quoque fundo ſeruitutes ſequuntur. ædificia quoque fundis, & fundi ædificiis eadem conditione ſeruiunt, ff. comm. præd. l. cum fundus, xii.

Si priores poſſeſſores aquam duci per prædia prohibere iure non potuerunt, nõ ignoratur, cum eodem onere perferendæ ſeruitutis trãſire ad emptores eadẽ prædia poſſe, C. de ſeru. l. tertia, in fi.

Aquam, quæ in alieno loco oritur, ſine uoluntate eius ad quem uſus eiuſdem aquæ pertinet prætoris ædictum non permittit ducere, C. eod. l. quarta.

Cum eſſent mihi, & tibi fundi duo communes, Titianus, & Seianus, & in diuiſione conueniſſet, ut mihi Titianus, tibi Seianus cederet, inuicem partes eorum tradidimus: & in tradendo dictum eſt, ut alteri per alterum aquam ducere liceret. rectè ſeruitus impoſita erit; maximè, ſi pacto ſtipulatio ſubdita ſit, ff. de ſeru. ruſt. præd. l. cum eſſent, xxxiii. in princ.

Cum fundo, quem ex duobus retinuit uenditor aquæ ducendæ ſeruitus impoſita ſit; empto prædio, quęſita ſeruitus, diſtractum denuo prædium, ſequitur, nec ad rem pertinet, quòd ſtipulatio, qua pœnam promitti placuit ad perſonã emptoris, ſi ei forte frui non licuiſſet relata eſt, ff. eod. l. cum fundo, xxxvi.

Lutius Titius Gaio, Seio fratri ſalutẽ DE AQVA FLVENTE IN FONTEM, QVEM PATER MEVS IN ISTHMO INSTRVXIT DO, CONCEDOQVE TIBI GRATVITO DIGITVM, SIVE AD DOMVM, QVAM IN ISTHMO TENES, SIVE QVOCVNQVE TANDEM VOLVERIS, ex hac ſcriptura, vſus aquæ perſonalis ad hæredem Seii, quaſi uſuarii tranſmitti non oportet, ff. eo. l. penult.

DE SERVITVTIBVS VRBANORVM PRAEDIORVM.

Titulus LIII.

POteſt teſtamento quis hæredem ſuum damnare, ne altius tollat ædes ſuas, ne luminibus ędium uicini officiant, uel ut patiatur eum tignum in parietem ſuum immittere, uel ſtillicidium habere, uel ut patiatur eum per fundum ire agere, acquamve ex eo ducere. Inſtit. de ſeruit. §. fi. & ff. comm. pręd. l. poteſt, xvi.

Prædiorum vrbanorum ſunt ſeruitutes hæ, quæ ædificiis inhærent; ideo vrbanorum prędiorum dictę, quoniam ædificia omnia urbana prædia appellamus: & ſi in uilla ædificata ſint, item hæ ſeruitutes prædiorum appellantur, quoniã ſine prædiis conſtitui non poſſunt: nemo enim poteſt ſeruitutem adquirere, uel vrbani, vel ruſtici prædii, niſi qui habet prædium. Inſtit. de ſeru. præd. §. prædiorum, & ff. comm. præd. l. prima, in princ.

Stabula, quæ non ſunt in continentibus ædificiis prædiorum numero habenda non ſunt, cum à cæteris ædificiis ſeparata ſint, quod ad cauſam tamen taciti pignoris pertinet, non multum ab vrbanis prædiis differunt, ff. ex quib. cauſis pig. contrah. l. quarta. §. ſtabula.

De seruitute oneris ferendi.

Eum debere columnam restituere, quæ onus uicinarum ædium ferat, cuius essent ædes, quæ seruirent, non eum, qui uellet imponere, nam cum in lege ædium ita scriptum esset: PARIES ONERI FERVNDO VTI NVNC EST, ITA SIT: satis aperte significari in perpetuum parietem esse debere; non enim his uerbis in PERPETVVM hoc dicitur, ut idem paries æternus esset, (quod ne fieri quidem posset) sed uti eiusdem modi paries in perpetuum esset, qui onus sustineret, quemadmodum siquis alicui cauisset, ut seruitutem præberet, quæ suum onus sustineret, si ea res, quę seruiret, & tuum onus ferret, periisset, alia in locum eius dari debeat, ff. de seruitut. vrb. prædior. l. eum debere, xxxiii.

De seruitute tigni immittendi.

Binas: qui sedes habebat una contignatione tectas, utrasque diuersis legauit, quia magis placet posse duorum tignum esse, ita ut certæ partes cuiusque sint contignationis, ex regione cuiusque domini tigna fore, nec ullam inuicē habituros actionem, ius non esse immissum habere, nec interest purè utrisque, an sub conditione alteri ædes legatæ sint, idemque est, & si duobus ædes cesserint, ff. de seru. vrb. præd. l. binas, xxxvi. cum l. seq.

Si cum meus proprius paries esset, passus sim te immittere tigna, quæ antea habueris, si noua uelles immittere, prohiberi à me potes, imo etiam agere tecū potero, ut ea, quæ noua immiseris, tollas, ff. si seru. uendi. l. si cum meus, xiiii. in princip.

Et hoc, quod dictum est, de immissis, locum habet ex ædificio alio in aliud: aliter enim supra alienum ædificium superius habere nemo potest, ff. de seru. urba. præd. l. hoc quod, xxiiii, aliàs, xxv. in prin.

Si ex tribus ędibus in loco impari positis ædes mediæ superioribus seruiant Aedibus, inferiores autem nulli seruiant, & paries communis, qui sit inter ædes inferiores, & medias, altius à domino inferiorum ædium sublatus sit, iure eum altius habiturum sabinus ait, ff. eod. l. hoc quod, xxv. §. fi.

De seruitute stillicidii.

Hæc lex traditionis. STILLICIDIA VTI NVNC SVNT, VT ITA SINT, hoc significat impositam uicinis necessitatem stillicidiorum excipiendorum: non illud, ut etiam emptor stillicidia suscipiat, ędificiorum uicinorum. Hoc igitur pollicetur uenditor, sibi quidem stillicidiorum seruitutem deberi, se autem nulli debere, quæ de stillicidio scripta sunt, etiam in cæteris seruitutibus accipienda sunt, si in contrarium nihil nominatim actum est, ff. eod. l. si arborem, xvii. §. fi.

Si seruitus stillicidii imposita sit, non licet domino seruientis areæ ibi ædificare, ubi cassitare cœpit stillicidiū, si antea ex tegula cassitauerit stillicidiū, postea extabulato, uel alia materia casitare non potest, ff. de seruit. urb. præd. l. seruitutes, xx. §. si seruitus.

Stillicidium, quoquo modo acquisitum fit, altius tolli potest: lenior enim fit eo pacto seruitus: cum quod ex alto cadit, lenius, & interdum direptum, nec perueniat ad locum seruientem, inferius demitti non pōt: quia fit grauior seruitus, i. pro stillicidio flumen. Eadē causa retro duci potest stillicidiū, quia in no

ſtro magis incipit cadere,produci non poteſt: ne alio loco cadet ſtillicidiũ, q̃ in quo poſita ſeruitus eſt. Lenius facere poterimus, acrius non; & omnino ſciendum eſt,meliorem uicini conditionem fieri poſſe, deteriorem non poſſe,niſi aliquid nominatim in ſeruitute imponenda immutatum fuerit, d.l. ſeruitutes,xx.§. ſtillicidium.

Qui in area, in qua ſtillicidium cadit, ædificat uſque ad eum locum, producere ædificium poteſt. unde ſtillicidium cadit rectè. ſed & ſi in ædificio cadit ſtillicidium ſupra ædificare ei conceditur: dum tamen ſtillicidium rectè recipiatur,d.l. ſeruitutes.§. ſi.

Si ſublatum ſit ædificium,ex quo ſtillicidium cadit,& eadem ſpecie, & qualitate reponatur,vtilitas exigit,vt idem intelligatur, nam alioqui ſi quid ſtrictius interpretetur aliud eſt,quod ſequenti loco imponitur, & ideo ſublato ædificio, uſusfructus interiit, quamuis area, pars ſit ædificii, dicta l. ſeruitutes,xx.§. ſi ſublatum.

Ne luminibus officiatur.

Eſt & hæc ſeruitus ne proſpectui officiatur,ff. de ſeru.vrb.præd.l.tertia.

Luminum ſeruitute conſtituta id acquiſitum uidetur, & uicinus lumina noſtra excipiat, cum autem ſeruitus imponitur, ne luminibus officiatur, hoc maxime adepti uidemur, ne ius ſit uicino inuitis nobis altius ædificare, atque ita minuere lumina noſtrorum ædificiorum,ff. de ſeru.vrb.præd.l. quarta.

Inuitum autem in ſeruitutibus accipere debemus non eum,qui contradicit, ſed eum,qui non conſentit ideo,& infantem, & furioſum inuitos rectè dicimus, non enim ad factum,ſed ad ius ſeruitutis,hæc uerba referuntur, ff. de ſeruitu. præd.vrb.l.quinta.

Inter ſeruitutes ne luminibus officiatur, & ne proſpectui offendatur, aliud & aliud obſeruatur: quod in proſpectu plus quis habet, ne quid ei officiatur ad gratiorem proſpectum, & liberum in luminibus non officere, ne lumina cuiuſquam obſcuriora fiant, opuſque ei nouum nunciari poteſt, ſi modo ſic faciat,ut lumini noceat,ff. eod.l.inter,xv.

Lumen ideſt,ut cœlum uideretur,& intereſt inter lumen,& proſpectum: nã proſpectus etiam ex inferioribus locis: lumen ex inferiore loco eſſe non poteſt,ff. eod.l. lumen.xvi.

Si arborem ponat, quis ut lumini officiat,æquè dicendũ eſt, contra impoſitã ſeruitutem eum facere,nam & arbor efficit,quo minus cœlum uideri poſſit, Si tamen id quod ponitur lumen quidem nihil impediat, ſolem autem auferat, ſi quidem eo loci,quo gratum erat eum non eſſe,poteſt dici nihil contra ſeruitutem facere,ſui uero helio camino,uel ſolario, dicendum erit, quia vmbrã facit in loco,cui ſol fuit neceſſarius contra ſeruitutem impoſitam fieri, ff. eod.l. ſi arborem,xvii. in princ.

Per contrarium ſi deponat ædificium,uel arboris ramos, quo facto locus opacus quondam cœpit eſſe ſolis plenus,non facit contra ſeruitutem, hanc enim debuit ne luminibus officiat, nunc non luminibus officit, ſed plus æquo lumen facit,d.l. ſi arborem,xvii.§. per contrarium.

Interdum tamen dici poteſt,cum quoque,qui tollit ædificium, uel deprimit luminibus officere, ne forte per repercutionẽ lumen in ædes meas deuoluatur, d.l. ſi arborem.§. interdum.

Qui luminibus uicinorum officere aliudve quid facere contra commodum eorum

rum uolet, sciat se formam, & statutum antiquorum ædificiorum custodire debere, ff. de seru. vrb. præd. l. qui luminibus, xi. in prin.

Nam is, qui iudex erit longi temporis consuetudinem uicem seruitutis obtinere sciet modo si is, qui pulsatur, nec ui, nec clam, nec præcario possidet, C. de seruitu. l. prima.

Qui ædificium habet, potest seruitutem uicino imponere, ut non solum de his luminibus, quę in præsentia erunt, sed etiam de his, quæ postea fuerint caueat, ff. de seru. vrb. præd. l. qui ædificium, xxii.

Si seruitus imposita fuerit, lumina, quæ nunc sunt, ut ita sint de futuris luminibus nihil caueri uidetur. Quod si ita sit cautum, ne luminibus efficiatur, ambigua est scriptura, utrum ne luminibus his efficiantur, quæ nome sunt, an his quæ postea quoque fuerint, & humanius est. uerbo generali omne lumen significari, siue quod in præsenti, siue quod post tempus conuentionis contigerit: Futuro quoque ædificio, quod nondum est, uel imponi, uel adquiri seruitus potest, ff. eod. l. si seruitus, xxiii.

Eos qui ius luminis immittendi non habuerunt, aperto pariete communi nullo iure fenestras incisisse responsum est, ff. eod. l. pen.

Cuius ædificium iure superius est, ei ius est, in infimo supra suum ædificium imponere, dummodo inferiora ædificia non grauiore seruitute onerent, quam pati debent, ff. de seru. urb. præd. l. cuius, xxiiii.

Præses prouinciæ curabit reuocare ad pristinam formam extructa contra seruitutem ædibus debitam damni etiam ratione habita, C. de seruit. l. quinta.

Altius quidem ædificia tollere, si domus seruitutem non debeat, dominus eius minime prohibetur, in pariete vero tuo si fenestra ui, vel clam facta est, qui fecit sumptibus suis opus tollere, & integrum parietem restituere compellitur, C. eod. l. altius, viii.

Binas ædes habeo, alteras tibi lego, hæres alteras ædes altius tollit, & luminibus tuis officit, non dubium est, quin hæres possit altius tollendo obscurare lumina legatarum ædium, idem dicendum, si alteri ædes, alteri aliarum ędiū usumfructum legauerit, & non est simile itineris argumentum, quia sine accessu nullum est fructus legatum habitari autem potest, etiam ædibus obscuratis. Cæterum usufructu loci legato etiam accessus dandus est, quia & haustu aquæ relicto, iter quoque ad hauriendum præstatur. sed ita officere luminibus, & obscurare legatas ædes conceditur, ut non pœnitus lumen recludatur, sed tātum relinquatur, quantum sufficit habitantibus in vsus diurni moderationem, ff. de seru. vrb. præd. l. Binas, x.

Duorum prædiorum dominus si alterum ea lege tibi dederit: ut id prædiū, quod datur seruiat ei, quod ipse retinet, uel è contra iure imposita seruitus intelligitur, ff. communia præd. l. tertia, & ff. de vrb. præd. l. & qui, xxxiii. Paruiq; refert uicinæ sint ambæ ædes, an non, idemque erit, & in prædiis rusticis, nam & si quis duos fundos habeat, alium alii potest seruum facere tradendo, ff. communia præd. l. si quis duas, vi. in prin.

Insula ita potest legari, ut ei seruitus imponatur, quæ alteri insulæ hæreditariæ debeatur hoc modo, SI ILLE HAEREDI MEO PROMISERIT PER SE NON FORE QVOMINVS ALTIVS EA AEDIFICIA TOLLANTVR, TVNC EI EORVM AEDIFICIORVM VSVMFRVCTVM DO LEGO, uel sic AEDIVM ILLARVM QVOAD ALTIVS, QVA'M VTI NVNC SVNT AEDIFICA-

DIFICATAE NON ERVNT, ILLI VSVMFRVCTVM DO, LEGO, ff. de vsufruct. & quemad. l. proculus, xxiii. in prin.

Si quis duas ædes habeat, & alteras tradat potest legem traditioni dicere, ut vel ille, quæ non traduntur, seruæ sint his, quæ traduntur, uel contra, ut traditæ retentis ædibus seruiant, paruique refert, uicinæ sint ambæ ædes, an non. idem erit, & in prædiis rusticis. nam & siquis duos fundos habeat, alium alii potest seruum facere tradendo. duas autem ædes simul tradendo non potest efficere alteras alteris seruas, quia neque adquirere alienis ædibus seruitutem, neque imponere potest, ff. comm. præd. l. sexta, in princ.

Si quis partem ędium tradat, uel partem fundi, non potest seruitutem imponere, quia per partes seruitus imponi non potest; sed nec acquiri; planè si diuisit fundum regionibus, & sic partem tradidit, potest pro diuiso alterutri seruitutem imponere; quia non est pars fundi, sed fundus. Quod & in ædibus potest dici; si dominus pariete medio ædificato, unam domum in duas diuiserit, ut plerique faciunt, nam & hic pro duabus domibus accipi debet, d. l. si quis duas, §. si quis partem.

Item si duo homines binas ædes communes habeamus, simul tradendo: id enim efficere possumus, ac si ego solus proprias binas ædes haberem; sed si separatim tradiderimus, idem fiet: sic tamen ut nouissima traditio efficiat etiam præcedentem traditionem efficacem. si tamen alteræ unius propriæ sint ædes alteræ communes: neutris seruitutem, uel acquirere, uel imponere possum, ff. communia præd. l. si quis duas, vi. §. fi.

Sed cum duas haberem insulas, duobus eodem momento tradidero, & alterius seruitutem imposuero, quia ante traditionem peractam is, qui tradidit suis magis acquirit, uel imponit seruitutem, ualebit seruitus, ff. commun. præd. l. si cum duas, ix.

Si testamento damnatus hæres, ne officeret vicini luminibus, seruitutem præstaret, deposuit ædificium; concedenda erit legatario actio utilis, qua prohibeatur hæres, si postea extollere supra priorem modum ædificium conabitur, ff. de seru. urb. præd. l. si testamento, xxxi.

Si ædes meæ seruiāt ædibus L. Titii, & ædibus P. Mæuii, ne altius mihi ædificare liceat, & alteræ ex iis seruitutem mihi remiserit, ab eo solo liberarer, alteri nihilominus seruitutem deberem, ff. eod. l. si ædes, xxxii. in prin.

Aedificia, quæ seruitutem patiuntur, ne quid altius tollantur, uiridaria supra eam altitudinem habere possunt, ff. de seru. vrb. præd. l. ædificia, xii.

Si inter te, & uicinum tuum non conuenit, ad quam altitudinem extolli ædificia oporteat, arbitrum accipere poteris, ff. eod. l. qui luminibus, xi. §. fi.

Et si forte, qui medius est (quia seruitutem non debebat) altius extulerit ædificia sua, ut iam ego non uidear luminibus suis obstaturus, si ædificauero, frustra intendes ius mihi non esse ita ædificatum habere inuito te. Sed si intrà statutū tempus rursus ædificium suum deposuerit uicinus, renascetur tibi uindicatio, ff. si seru. uind. l. & si fortè, vi. in princ.

Si ex tribus ędibus in loco impari positis ædes mediæ superioribus seruiāt; inferiores autem nulli seruiant, & paries communis, qui sit inter ædes inferiores, & medias, altius a domino inferiorum ædiū sublatus sit, iure is habiturus est, ff. de seru. urb. præd. l. hoc quod, xxv. §. fi.

Quidam hyberus nomine, qui habet post horrea mea insulam, balnearia fecit secundum parietem communem, non licet autem tubulos habere admotos ad

parietem

parietem communem, sicuti ne parietem quidem suum per parietem communem. De tubulis eo amplius hoc iuris est, quod per eos flãma torretur paries, qua de re uolo cum hybero loquaris, ne rem illicitam faciat. Proculus respondit, nec hyberum pro ea re dubitare puto, quod rem non permissam facit. Tubulos secundum parietem communem extruendo, ff. eod. l. quidam, xxiii. in princip.

Parietẽ cõem incrustare licet, secundũ capitonis sentẽtiam: sicut licet mihi prætiosissimas picturas habere in pariete communi. cæterum si demolitus sit uicinus, & ex stipulatu actione damni infecti agatur, non pluris, quàm vulgaria tectoria æstimari debent. quod obseruari, & in incrustatione oportet, ff. eodem d. l. quidam, §. fin.

In area quę nulli seruitutem debet potest dominus, uel alius voluntate eius ædificare, intermisso legitimo spacio, à vicina insula, ff. eod. l. imperatores, xiiii.

Fistulam iunctam parieti communi, quæ aut ex castello, aut ex cœlo aquã capit, non iure haberi proculus ait, sed non posse prohiberi uicinum, quominus Baliereum habeat secundum parietem communem, quamuis humorem capiat paries: non magis, quàm si uel in triclinio suo, uel in cubiculo aquam effunderet, sed Neratius ait, si talis sit vsus tepidarii, ut assiduum humorẽ habeat, & id noceat vicino, posse prohiberi eum, ff. de seru. urb. præd. l. fistulam, xix. in princip.

Iuxta communem parietem cameram ex figlino opere factam, si ita retineatur, ut etiam sublato pariete maneat, si modo non impediat refectionem communis parietis iure haberi licet, d. l. fistulam. §. iuxta.

Scalas posse me ad parietem communem habere. Sabinus rectè scribit, quia remoueri hæ possunt, d. l. fistulam, §. fi.

Si domus tua ędificiis meis utramque seruitutem deberet, ne altius tolleretur, & ut stillicidium ædificiorum meorum recipere deberet, & tibi concessero ius esse, inuito me altius tollere ædificia tua, quod stillicidium meum attinet, sic statui debebit, ut si altius sublatis ædificiis tuis stillicidia mea cadere in ea non possint, ea ratione altius tibi ædificiare non liceat: si non impediantur stillicidia mea, liceat tibi altius tollere, ff. eod. l. si domus, xxi.

Foramen in meo pariete conclauis, uel triclinii, quod esset proluendi pauimenti causa, id neque flumen esse, neque tempore adquiri placuit. hoc ita uerum est, si in eum locum nihil ex cœlo aquæ ueniat. neque enim perpetuam causam habet, quod manu fit, at quod ex cœlo cadit, & si non assiduè fit ex naturali tamen causa fit, & id perpetuo fieri existimatur. Omnes autem seruitutes prædiorum perpetuas causas habere debent, & ideo neque ex lacu, neque ex stagno concedi aquæductus potest: stillicidii quoque mittendi naturalis & perpetua causa esse debet. Si quid igitur ex foramine, ex quo seruitus non cõsistit damnum vicinus sensisset, dicendum est damni infecti stipulationem locum habere, ff. eod. l. foramen, xxviii. cum l. seq.

Et qui duas areas habet alteram tradendo seruam alteri efficere potest, ff. eod. l. & qui, xxxiiii.

Si binarum ædium dominus dixisset eas, quas uenderet seruas fore, sed in traditione non fecisset mentionem seruitutis, uel ex uendito agere potest, uel incertum condicere, ut seruitus imponatur, ff. eod. l. si sabinarum, xxxv.

Fructus aridi conculcatione, quæ in area fit suam naturam, & utilitatem ostendunt. Vicinus cum extolleret ædificium iuxta aream suam, ita vt uentus exclu

deretur,& paleæ ex huiusmodi obstaculo secerni à frugibus non possent,statutum est nemini licere sic ædificare,uel alio modo uersari, ut idoneum uentum, & sufficientem ad præfatum opus infringat,& inutilem domino aream, & fructuum inutilitatem faciat,C.de seruit.l.fi.§.fi.

Olympio habitationem,& horreum,quod in ea domo erat,quoad uiueret testator legauit: iuxta eandem domum hortus,& cœnaculum,quod olympio legatum non est,factum est: ad hortum autem, & cœnaculum semper per domum cuius habitatio relicta erat,aditus fuit.Ista quidem non est seruitus, sed hæres potest transire per domum ad ea,quę commemorata sunt: dum non noceat legatario,ff.de seru.urb.præd.l.fi.

QVEMADMODVM SERVITVS AMITTATVR.
Titulus V.

SEruitutes prædiorum confunduntur, si idem utriusque prædii dominus esse cœperit,ff.quemadm.seru.amitt.l.prima.

Si ego uia,quæ nobis per uicini fundum debebatur, usus fuero, tu autem constituto tempore cessaueris, an ius tuum amiseris? & è contrario,si uicinus,cui uia per fundum nostrum debebatur, per meam partem ierit,egerit,tuam partem ingressus non fuerit, an partem tuam liberauerit? Celsus respondit, si diuisus est fundus inter socios regionibus, quod ad seruitutem attinet, quæ ei fundo debebatur perinde est. atque si ab initio duobus fundis debita sit: & sibi quisque dominorum usurpat seruitutem, sibi non utendo deperdit: nec amplius in ea re causæ eorum fundorum miscentur.nec fit ulla iniuria ei cuius fundus seruit,immo si quo melior: quoniam alter dominorum utendo,sibi,non toto fundo proficit. Sed si is fundus, qui seruierit, ita diuisus est, plusculum dubitationis ea res habet: nam si certus,ac finitus uiæ locus est, tunc si per longitudinem eius fundus diuisus est, eadem omnia seruanda erunt,quæ si initio constituendæ eius seruitutis similiter hic duo fundi fuissent. Si uerò per latitudinẽ uiæ fundus diuisus est, (nec multum refert æqualiter id factum est, an inæqualiter) tunc manet idem ius seruitutis,quod fundo indiuiso fuerat. Nec aut usu detineri, aut non utendo deperire,nisi tota uia poterit.nec si fortè inciderit,ut semita,quæ per alterum duntaxat fundum erit,uteretur, idcirco alter fundus liberabitur: Quoniam unum,atque eo modo indiuiduam uiæ ius est. possunt tamen alterutrum fundum liberare,si modo hoc specialiter conuenit. Certè si is cui seruitus debebatur,alterum ex ea diuisione fundum redemerit, num ideo minus ea re fundi alterius seruitus permanebit? nec uidetur quid absurdè cõsecuturum sit eam sententiam, fundo altero manente seruo: Si modo, & ab initio potuit angustior constitui uia, quàm lege finita est, & adhuc id loci superest in eo fundo, cui remissa seruitus non est,ut sufficiat uiæ,quòd si minus loci superest, quàm uiæ sufficiat,uterque fundus liberabitur, Alter propter redemptionem: alter quia per eum locum,qui superest via constitui non potest. Cæterum si ita constitutum est ius uiæ,ut per quamlibet partem fundi ire,agere liceat, idque uel subinde mutare,nihil prohibet: atque ita diuisus est fundus,si per quamlibet eius partem æquè ire,atque agi posſit. tunc perinde obseruabimus,atque si ab initio duobus fundis,duæ seruitutes iniunctæ fuissent: ut altera retineri, altera non utendo posſit deperire. Nec fallit alieno facto ius alterius immutatu

iri:

iri: quoniam ante satius fuerat per alteram partem ire, agere, ut idem ius ei in altera parte fundi retineretur. contra illud commodum accessisse ei cui uia debebatur, quòd per duas pariter uias ire agere possit, bisq; octonos in porrectum, & senos denos in anfractum, ff. si seru. vind. l. sexta.

Si locus, per quem via, aut iter, aut actus debebatur, impetu fluminis occupatus esset, & intra tempus, quod ad amittendam seruitutem sufficit alluuione facta, restitutus est, seruitus quoque in pristinum statum restituitur. Quòd si id tempus præterierit, ut seruitus amittatur, renouare eam cogendus est, ff. eod. l. si locus, xiiii.

Si per fundum meum viam tibi legauero, & addita mea hæreditate per constitutum tempus ad amittendam seruitutem ignoraueris eam tibi legatam esse, ammittis eam non utendo, ff. quemadmod. seru. amitt. l. si partem, xix. §. si per fundum.

Si viam habeam per tuum fundum, & tu me ab ea ui expuleris: per longum tempus non utendo, amittam uiam, quia nec possidere ius corporale, nec de uia quis mero iure etruditur, ff. de usucap. l. quarta, §. si uiam.

Quidam pactus erat cum uicino suo, ut liceret ei, uel per se, uel per suos homines per agrum uicini transitum facere, iterque habere uno die, tantummodo per quinquennium, quatenus ei licentia esset in suam syluam inde transire, & arbores excidere, uel facere quicquid uisum esset. Quærebatur quando huiusmodi seruitus non utendo amitteretur, & decisum fuit, si per quatuor quinquennia, nec uno die, uel ipse, uel homines eius eadem seruitute usi sunt, tunc eam pœnitus amitti uiginti annorum desidia. Qui enim in tam longo, prolixoque spatio suum ius minime consecutus est, sera pœnitentia ad pristinã seruitutem reuerti desiderat, C. de seru. l. vlt.

Viam publicam populus non utendo amittere non potest, ff. de via public. l. secunda.

Si communem fundum ego, & pupillus haberemus, licet uterque non uteretur, tamen propter pupillum, & ego uiam retineo, ff. quemad. seru. amitt. l. si communem, x. in princ.

Si sic constituta sit aqua, vt vel æstate tantum ducatur, uel vno mense, quia non est continuum tempus, quo cum uti non potest, non sit usus, duplicato constituto tempore amittitur: idemque si alternis annis, uel mensibus quis habeat aquam, & idem in itinere custoditur. Si uero alternis diebus, aut die tantum, aut nocte tantum statuto legibus tempore amittitur, quia una seruitus est, nã & si alternis horis, uel una hora quotidie seruitutẽ habeat non utendo seruitutem perdit, quia id quod habet quotidianum sit, ff. quem. ser. amitt. l. si sic, vii.

Aquam, quæ oriebatur in fundo uicini plures per eundem riuum iure ducere soliti sunt: ita ut suo quisque die à capite duceret, primo per eundem riuũ, eumque communem, deinde ut quisque inferior erat suo quisque proprio riuo: unus statuto tempore, quo seruitus amittitur nõ duxit, hic ius ducendæ aquæ amisit, nec per cęteros, qui duxerunt eius ius usurpatum est. Proprium enim cuiusque eorum ius fuit nec per alium usurpari potuit. Item si quis eorum quibus aquæ ductus seruitus debebatur, & per eundem riuum aquam ducebant, ius aquæ ducendæ non ducendo eum amiserit, nihil iuris eo nomine cæteris, qui riuo utebantur accreuit: idque commodum eius est per cuius fundum id iter aquæ non utendo pro parte unius amissum est. libertate enim huius partis seruitutis fruitur, ff. quemad. seru. amitt. l. aquam, xvi.

Si

Si is, qui nocturnam aquam habet interdiu per constitutum ad amisionem tempus usus fuerit amisit nocturnam seruitutem, qua usus non est. Idem est in eo, qui certis horis aquæductum habens aliis usus fuerit, nec vlla parte earum horarum vsus est, ff. quemad. seru. amitt. l. si communem, x. §. si is qui.

Si prius nocturnæ aquæ seruitus mihi concessa fuerit, deinde postea alia concessione diurnæ quoque ductus aquæ concessus mihi fuerit, & per constitutum tempus duntaxat aqua usus fuerim, amitto seruitutem aquæ ducendæ, quia hoc casu plures sunt seruitutes diuersarum causarum factæ, ff. de aqu. plu. arc. l. si prius, xvii. in princ.

Inter duos, qui eodem riuo aquam certis horis separatim ducebant, conuenit, ut permutatis inter se temporibus aqua uterentur: non amiserunt seruitutem, quamuis amplius tempore seruitutibus præfinito ita duxissent, ut neuter eorum suo tempore usus esset, ff. de aqu. quotid. l. cum constet, v. §. fi.

Si is, qui haustū habet per tēpus, quo seruitus amittitur, non ierit ad fontem, nec aquam hauserit, iter quoque amisit, ff. quemad. seru. amitt. l. labeo, xvii.

Si quis alia aqua usus fuerit, quam de qua in seruitute imponenda actum est, seruitus amittitur, ff. eod. l. si quis alia, xviii. in prin.

Si stillicidii immittendi ius habeam in aream tuam, & permisero ius tibi in ea area ædificandi, stillicidii immittendi ius amitto. Et similiter si per tuum fundum mihi uia debeatur, & permisero tibi in eo loco, per quem mihi uia debetur aliquid facere, amitto ius uiæ, ff. quemad. seru. amitt. l. si stillicidii, viii.

Si cum ius haberet immittendi uicinus statuto tempore ædificium non habuerit, ideoque nec tu immittere potueris; non ideo magis seruitutem amittis, quia non potest uideri vsucœpisse uicinus tuus libertatem suarum ædium, qui ius suum non interpellauit, ff. quemadmod. seruit. amitt. l. si quis alia, xviii. §. fina.

Si intra tempus, antequàm scires tibi legatam seruitutem fundum tuum uendideris, ad emptorem uia pertinebit si reliquo tempore ea usus fuerit, scilicet, quia tua esse cœperat, vt iam nec ius repudiandi legatum tibi posit contingere, ff. quemad. seru. amitt. l. si partem, xix. §. fi.

Libertatem seruitutum vsucapi verius est: itaque si cum tibi seruitutem deberē, ne mihi puta liceret altius ædificare per statutum tempus altius ædificatum habuero, sublata est seruitus, ff. de vsucap. l. quarta. §. fi.

Sed & libertas seruitutis vsucapitur si ędes posideantur: quia si is, qui altius ędificatum habet ante statutum tempus ædes posidere desiit interpellata vsucapio est, is autem, qui postea easdem ædes posidere cœperit integro statuto tē pore libertatem vsucapiet. natura enim seruitutum ea est, ut posideri nō possint, sed intelligatur possesionem earum habere, qui eas posidet, ff. de seru. vrb. præd. l. si ædes, xxxii. §. libertas.

Iura urbanorum prædiorum similiter, ut rusticorum quoque prædiorum certo tē pore non vtendo pereunt, nisi quod hæc disimilitudo est, quòd non omnimodo pereunt: non vtendo: sed ita si vicinus simul libertatem vsucapiat: ueluti si ædes tuæ ædibus meis seruiant, ne luminibus mearum ædium officiant, ut ego per statutum tempus fenestras meas perfixas habuero, vel obstruxero, ita demum ius meum amitto, si tu per hoc tempus ædes tuas altius sublatas habueris alioquin, si nihil noui feceris retineo seruitutem. Item si tigni immisi ædes tuæ seruitutem debent, & ego exemero tignum, ita demum amitto vis meum, si tu foramen vnde exemptum est tignum obturbaueris, & per constitu

tum

tum tempus ita habueris alioquin ſi nihil noui feceris, integrum ius ſuũ permanet,ff.de ſeru.urb.prę d.l.ſexta.

Quod ædificio meo me poſſe conſequi, vt libertatem vſucaperem,dicitur, idem me non conſecuturum ſi arborem eodem loco ſitam habuiſſem, rectè dicitur quia non ita in ſuo ſtatu,& loco maneret arbor, quemadmodũ paries propter motum naturalem arboris, ff.de ſeru.vrb.præd.l.quod autem,vii.

Sicut non utendo vſumfructum decennii,vel viginti annorum datur ſpatium in amittendo, ita & in cœteris ſeruitutibus obſeruatur,vt omnes ſeruitutes non vtendo amittantur,decennio contra præſentes,vel viginti annorum ſpatio cõtra abſentes, C.de ſeru.l.pen.

Seruitute uſus non uidetur,niſi is, qui ſuo iure vti ſe credit, ideoque ſi quis pro uia publica,vel pro alterius ſeruitute vſus ſit,nec interdictum, nec actio vtilis competit,ff.quemadm.ſeru.amitt.l. vlti.

Secundum ordinem Pandectarum titulus ſi ſeruitus uindicetur ſequi præcedentem titulum deberet, ſed quia ſeruitus uindicatur actione confeſſoria omittitur,ut materia omnium actionũ ſit in Sexta Parte.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis, iis quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Tertius.

DE VSVFRVCTV, ET QVEMADMODVM QVIS VTATVR FRVATVR.

Titulus I.

VSVSFRVCTVS est ius alienis rebus utendi, fruendi, salua rerum substantia, Inst. de vsufructu, in princ. & ff. eod. l. prima; Est enim ius in corpore, quo sublato, & ipsum tolli necesse est, ff. eod. l. secunda.

Vsusfructus non dominii pars, sed seruitus est, ut uia, & iter, ff. de uerb. signif. l. rectè, xxv.

Vsusfructus in multis casibus pars dominii est, & extat quod uel præsens, uel ex die dari potest, ff. de usufr. l. quarta.

Quod diximus vitulum fructum esse vacæ, non ius, sed corpus demonstramus, sicuti prediorum frumenta, & vinum fructum recte dicimus, cum constet eadē, hæc non rectè vsumfructum appellari, ff. de euic. l. vacæ, xxxiii.

Vsusfructus à proprietate separationem recipit, idque pluribus modis accidit, ut ecce, siquis vsumfructum alicui legauerit, nam hæres nudam habet proprietatem, legatarius vero vsumfructum, Et è contra si fundum legauerit, deducto usufructu, legatarius nudam habet proprietatem, hæres vero vsumfructum, item alii usumfructum alii deducto eo, fundum legare potest, Instit. de usufr. §. primo.

Omnium prædiorum iure legati potest constitui usufructus, ut hæres iubeatur dare alicui usumfructum, dare autem intelligitur, si induxerit in fundum legatarium, eumve patiatur uti frui, nisi excedat dedrantis æstimationem, ff. de vsufructu. l. tertia, in princ. & l. omnium, xxix.

Etiam partis bonorum usufructus legari potest, si tamen non sit specialiter facta partis mentio, dimidia pars bonorum continetur, ff. eodem l. etiam, xliii,

Vsus-

Vsusfructus pluribus modis constituitur, ut ecce si legatus fuerit, sed & proprietas deducto vsufructu legari potest, vt apud hæredem maneat vsusfructus, ff. eod. l. sexta, in princ.

Sine testamento, vero siquis velit vsumfructum alii constituere, pactionibus id efficere debet. Instit. de vsufructu. §. sine testamento, & ff. eod. l. tertia, §. & sine testamento.

Constituitur adhuc vsusfructus, & in iuditio familiæ herciscundę, & communi diuidundo, si iudex alii proprietatem adiudicauerit, alii vsumfructum, ff. eo. l. sexta. §. constituitur, & ff. comm. diuid. l. sexta, §. officio.

Nauis vsufructu legato ad nauigandum mittenda est, licet naufragii periculum immineat: nauis etenim ad hoc paratur, vt nauiget, ff. de vsufructu. l. arborib. xii. §. nauis.

Si quis ita legauerit: FRVCTVS ANNVOS FVNDI CORNELIANI GAIO MAEVIO DO, LEGO: perinde accipi debet, hic sermo, ac si vsusfructus fundi legatus esset, ff. eod. l. si quis, xx.

Vsusfructus an fructus legetur nihil interest: nam fructus, & vsus inest. vsui fructus deest, & fructus quidem sine vsu esse non potest. Denique si tibi fructus deducto vsu legatus sit, inutile est legatum, & si fortè vsufructu legato, fructus adimatur, totum videtur ademptum, sed si fructus sine vsu uidetur constitutus, qui & ab initio constitui potest. sed si fructu legato vsus adimatur, ademptio nulla est, ff. de usu, & habit. l. per seruum. §. vsusfructus.

Vsu legato, si eidem fructus legetur confunditur cum vsu, & si tibi vsus, mihi fructus legetur concurremus in vsu, ego solus fructum habiturus sum, veluti si is, qui habet fundum, legauerit Titio vsum: mox hæres eius tibi fundum legauerit, uel alio modo constituerit, d. l. per seruum. §. si.

Nomismatum aureorum, vel argenteorum veterum, quibus pro gemis vti solent, vsusfructus legari potest, ff. eod. l. nomismatum, xxviii.

Si Titio fructus, Mæuio proprietas legata sit, & viuo testatore Titius decedat, nihil apud scriptum hæredem relinquetur, ff. eodem l. si Titio, xxxiii. in princip.

Vsumfructum in quibusdam casibus non partis effectum obtinere conuenit: Vnde si fundi, vel fructus portio petatur, & absolutione sequuta, postea pars altera, quæ adcreuit uindicetur, in lite quidem proprietatis iudicatæ rei exceptio obstabit, in fructu vero non obstare, scribit Iulianus, quoniam portio fundi velut alluuio, portioni personæ fructus adcresceret, d. l. si Titio. §. vsumfructum.

Quoties duobus vsufructus legatur, ita, vt alternis annis utantur, fruantur, siquidem ita legatus fuerit TITIO, ET MAEVIO, potest dici priori Titio, deinde Mæuio legatum datum. Si vero duo eiusdem nominis fuerint, & ita scriptum fuerit: TITIIS VSVMFRVCTVM ALTERNIS ANNIS DO, nisi consenserit, vter eorum prior vtatur, inuicem sibi impedient. Quod si Titius eo anno, quo frueretur, proprietatem accepisset, interim legatum non habebit, sed ad Mæuium alternis annis vsusfructus pertinebit. Et si Titius proprietatem alienasset habebit eum vsumfructum, quia, & si sub conditione usufructus mihi legatus fuerit, & interim proprietatem ab hærede accepero, pendente autem condicione, eandem alienauero, ad legatum admittar, ff. eodem l. quoties, xxxiiii. in princip.

Si colono tuo vſumfructum fundi legaueris: vſumfructum vendicabit, & cum hærede tuo aget ex conducto. Et conſequetur, ut neque mercedes præſtet, & impenſas, quas in culturam fecerat, recipiat, dicta lege quoties, §. ſi colono.

Vniuerſorum bonorum, an ſingularum rerum uſusfructus legetur, hactenus intereſt, quòd ſi ædes incenſæ fuerint uſusfructus ſpecialiter ædium, legatus peti non poteſt, bonorum autem vſufructu legato, Areæ uſusfructus peti poterit, quoniam qui bonorum ſuorum vſumfructum legat, non ſolum eorum, quæ in ſpecie ſunt, ſed & ſubſtantiæ omnis uſumfructum legare uidetur: in ſubſtantia autem bonorum, etiam area eſt, d. l. quoties, §. vniuerſorum.

Si vſusfructus legatus eſt, ſed hæres ſcriptus ob hoc tardius adiit hæreditatem vt tardius ad legatum perueniretur, hoc quoque præſtabitur, vt ſabino placuit, ff. eod. l. ſi vſusfructus, xxxv. in princ.

Stipulatus ſum de Titio fundum Cornelianum, detracto vſufructu: Titius deceſsit, refert qua mente vſusfructus exceptus ſit, nam ſiquidem hoc actum eſt, vt in cuiuslibet perſona vſusfructus conſtitueretur ſola proprietas hæredi debebitur, ſin autem id actum ſit, vt promiſſori duntaxat vſusfructus reciperetur, plenam proprietatem hæres eius debebit, hoc ita ſe habere in cauſa legatorum apparet, etenim ſi hæres à quo detracto uſufructu proprietas legata ſit, priuſquàm ex teſtamento ageretur, deceſſerit minus dubitandum eſt, quin hæres eius plenam proprietatem ſit habiturus. Idemque & ſi ſub conditione ſimiliter legatus ſit, & pendente conditione hæres deceſsit, ff. eod. l. qui vſumfructum, xxxvi. §. ſtipulatus.

Si cum in annos decem proximos vſumfructum de te dari ſtipulatus eſſem, per te ſteterit, quominus dares, & quinquennium tranſierit, eius temporis vſusfructus rectè petetur, quod per te tranſactum eſt, quominus daretur, ff. eod. l. quæſitum, xxxvii.

Statuæ, & imaginis vſumfructum poſſe relinqui, magis eſt: quia, & ipſæ habent aliquam vtilitatem. ſi quo loco opportuno ponantur, licet prædia quædã talia ſint, vt magis in ea impendamus, quàm de illis acquiramus, tamen vſusfructus eorum relinqui poteſt, ff. eod. l. ſtatuæ, xli.

Si alii vſus, alii fructus eiuſdem rei legetur, id percipiet fructuarius, quod vſuario ſupererit. nec minus, & ipſe fruendi cauſa, & uſum habebit, ff. eod. l. ſi alii, xlii. in princ.

Rerum an æſtimationis vſusfructus legetur intereſt, nam ſiquidem rerum legetur, deducto eo, quod præterea tibi legatum eſt, ex reliquis bonis vſumfructum feres, ſin autem æſtimationis vſusfructus legatus eſt, id quoque extimabitur, quod præterea legatum eſt, nam ſæpius idem legando non ampliat teſtator legatum, re autem legata, etiam ęſtimationem eius legando, ampliare legatum poſſumus, d. l. ſi alii. §. rerum.

Si mihi, & tibi a Sempronio, & Mutio hæredibus, vſusfructus legatus ſit, ego in partem Sempronii quadrantem, in partem Mutii alterum quadrantem habebo, tu idem in vtriuſque parte eorum, quadrantes partes, ff. eodem. l. ſi mihi, xlix.

Sub conditione vſusfructus fundi, a te hærede Titio legatus eſt. Tu fundum vendidiſti, & tradidiſti detracto vſufructu. Quæritur ſi non extiterit conditio, aut extiterit, & interiit vſusfructus, ad quem pertineat: & reſpon

ſum

sum est, si conditio eius legati extiterit, dubium non esse: quin ad legatarium is usus fructus pertineat, & si aliquo casu amissus fuerit ad proprietatem fundi reuertatur, quòd si conditio non extiterit, vsusfructus ad hæredem pertinebit. ita vt in eius persona omnia eadem seruentur, quæ ad amittendum vsumfructum pertinent, & seruari solent. Cœterum in huiusmodi uenditione spectandum id erit, quod inter ementem, uendentemque conuenerit: ut si apparuerit legati causa eum vsumfructum exceptum esse, etiam si conditio non extiterit, restitui à uenditore emptori debeat, ff. de vsufructu. l. sub conditione, liiii.

Vsusfructus nomine actio municipibus dari debet, quamuis periculum uideatur, ne perpetuus fieret, & inutilis esset proprietas semper absedente usufructu. sed extinguitur præteritis centum annis, qui finis vitæ longissimus est, ff. eod. l. an vsusfructus, lvi.

Dominus fructuario prædium, quod ei per vsumfructum seruiebat, legauit, idq; prædium aliquandiu possessum legatarius restituere filio coactus est: quia testamentum patris, qui legauerat inofficiosum fuit, mansisse fructus ius integrũ ex postfacto apparuit, ff. eod. l. dominus, lvii.

Quod nostrum non est, transferrimus ad alios, veluti is, qui fundum habet, quãquã usumfructum non habeat, tamen vsumfructum cedere potest, ff. eodem l. quod nostrum, lxiii.

Constituitur non tantum in fundo, sed etiam in ædibus, & iumentis, cœterisque rebus, ff. eod. l. tertia. §. constituitur.

Fœtus pecorum ad fructuarium pertinet, planè si gregis, uel Armenti, sit vsusfructus legatus, debebit, ex agnatis gregem supplere. idest in locum capitum defunctorum, uel inutilium alia submittere, vt post substituta fiant propria fructuarii, ne lucro ea res cedat domino, & sicut substituta statim domini fiunt, ita priora quoque ex natura fructus desinunt eius esse. nam alioquin, quod nascitur fructuarii est. & cum substituit desinit eius esse: Quid ergo si non faciat, nec suppleat? tenetur proprietario. interim tamen quandiu submittantur capita, quæ demortua sunt, quæritur cuius sit fœtus, & pendet eorum dominiũ, ut si submittantur, sint proprietarii, si non submittantur, fructuarii. secundum quæ si decesserit fœtus, periculum erit fructuarii, non proprietarii, & necesse habebit alios fœtus submittere, vnde caro fœtus demortui ad fructuariũ pertinet, sed quod dicitur debere eum submittere toties verũ est, quotiens gregis, uel armenti, vel æquitii, idest vniuersitatis vsusfructus legatus est. Cæterũ si singulorum capitum, nihil supplebit. Item si fortè eo tempore, quò fœtus ęditi sunt, nihil fuit, quod submitti deberet, nunc & post æditionem, utrum ex his, quæ ædentur submittere debebit, an ex his, quæ ædita sunt, videndum est, sed verius est ea, quæ pleno grege ædita sunt ad furtuarium pertinere, sed posteriorem gregis casum nocere debere fructuario. submittere autem facti est, & Iulianus propriè dicit dispertire, & diuidere, & diuisionem quandam facere, quod dominium erit submissorum proprietarii, ff. de usufructu. l. vetus fuit quæstio, lxviii. §. fi. cum duabus, ll. seq.

Si ædium vsusfructus legatus sit, & lumina immittere potest, sed & colores, & picturas, & marmora poterit, & sigilla, & siquid ad domus ornatum. sed neque diætas transformare, uel coniungere, aut separare ei permittetur, vel aditus, postichasve vertere, uel refugia apperire, vel atrium mutare, vel uiridaria ad alium modum conuertere: excolere enim

Sigilla: paruæ statuæ, Diætas: loca in quib. ocoisè uersamur. Posticas: ostia in posteriora parte domus. Refugia: loca in quib. cõfugimus.

Meritoria: stabula in quibus uiatores diuertunt a mercede quã soluunt sic dicta.

Carrucis: vehiculum genus.

quod inuenit potest, qualitate ædium non immutata. item is cui ædium vsusfructus legatus sit altius tollere non potest, quamuis lumina non obscurentur, quia tectum magis turbatur, quod, & in proprietatis domino scriptum est. ac nec obstruere is poterit, item si domus usus fructus legatus sit, meritoria illi facere fructuarius non debet, nec per cœnacula diuidere domum, atquin locare potest. sed oportebit quasi domum locare: nec Balienum ibi faciendum est: quod autem dicitur meritoria non facturum, ita accipe, quæ vulgo deuersoria uel fullonica appellant, sed & si Balienum sit in domo usibus dominicis solitũ vacare in intima parte domus, vel inter dietas amœnas, non rectè, nec ex boni viri arbitratu facturus est, si id locare cœperit, vt publice lauet: non magis quã si domum ad stationem iumentorum locauerit, aut si stabulum, quod erat domus iumentis, & carrucis uacans pistrino locauerit: licet multo minus ex ea re fructum percipiat, ff. de vsufructu. l. si cuius, xiii. §. sed si ædium cum l. seq.

Sed siquid inædificauerit postea, neque tollere hoc, nec reficere potest: refixa planè potest uindicare, ff. eod. l. sed si is, xv. in princ.

Insula potest ita legari, vt ei seruitus imponatur, quæ alteri insulæ hæreditariæ debeatur, hoc modo, SI ILLE HAEREDI MEO PROMISERIT PER SE NON FORE, QVO ALTIVS EA AEDIFICIA TOLLANTVR, TVM EI EORVM AEDIFICIORVM VSVMFRVCTVM DO LEGO, vel sic AEDIVM ILLARVM QVOAD ALTIVS, QVA'M VTI NVNC SVNT AEDIFICATA NON ERVNT ILLI VSVMFRVCTVM DO, LEGO. ff. eod. l. proculus, xix.

Si is qui binas ædes habeat, aliarum vsumfructum legauerit, posse hæredẽ Marcellus scribit, alteras altius tollendo obscuratis luminibus: quoniam habitari potest, etiam obscuratis ædibus, quod vsque adeo temperandum est, ut non in totum ædes obscurentur, sed modicum lumen, quod habitantibus sufficit, habeant, ff. eod. l. si is qui, xxx.

Si quis unas ædes, quas solas habet, vel fundum tradit excipere potest id, quod personæ non prædii est: veluti vsum, & vsumfructum: sed & si excipiat, vt pascere sibi, vel inhabitare liceat, ualet exceptio: cum ex multis saltibus pastione fructus perciperetur, & habitationis exceptione, siue temporali, siue vsque ad mortem eius, qui excipit, vsus videtur exceptus, ff. eod. l. siquis, xxxii.

Qui vsumfructum areæ legauerat, insulam ibi ędificauit, ea uiuo eo decidit, uel deusta est, vsusfructus debetur. sed contra, si insulæ vsusfructus legetur, & area inde insula facta sit, idemque est, si scyphorum usus fructus legatus sit, deinde massa facta, & iterum scyphi: licet enim pristina qualitas scyphorum restituta sit, non tamen illi sunt, quorum usus fructus legatus est, ff. eod. l. qui vsumfructum, xxxvi. in princ.

Si cui insulæ usus fructus legatus est, quandiu quęlibet portio eius insulæ remanet, totius soli vsumfructum retinet, ff. eod. l. si cui, liii.

Vsufructuarius nouum tectorium parietibus, qui rudes fuissent, imponere non potest: quia tametsi meliorem excolendo ædificium dominii causam facturus esset, non tamen id iure suo facere potest, aliudque est tueri, quod accepisset, an nouum faceret, ff. eod. l. vsufructuarius, xliiii.

Si testator iusserit, vt hæres reficeret insulam, cuius usumfructum legauit, potest fructuarius ex testamento agere, ut hæres reficeret, quòd si hæres hoc non fecisset, & ob id fructuarius frui non potuisset, hæres etiam fructuarii eo nomine

ne

ne habebit actionem, quanti frnctuarii interfuisset non cessasse hæredem: licet vsusfructus morte eius interiisset, ff. eodem l. si extraneo, xlvi. §. fin. cum l. sequenti.

Si absente fructuario, hæres quasi negotium eius gerens reficiat, negotiorum gestorum actionem aduersus fructuarium habet, tametsi sibi in futurum hæres prospiceret: sed si paratus sit recedere ab usufructu, fructuarius non est cogendus reficere: sed actione negotiorum gestorum liberatur, ff. eodem l. si absente, xlviii. in princ.

Vsufructuarius nouum riuum parietibus non potest imponere, ædificium incoatum fructuarium consumare non posse placet, etiamsi eo loco aliter vti nō possit, sed nec eius quidem usumfructum esse: nisi in constituendo, uel legando vsufructu hoc specialiter adiectum sit, vt vtrumque ei liceat, ff. eod. l. usufructuarius, lxi.

Cum fructuarius paratus est vsumfructum derelinquere, non est cogendus domum reficere, in quibus casibus, & vsufructuario hoc onus incūbit; sed & post acceptum contra eum iuditium, parato fructuario derelinquere vsumfructum dicendum est, absolui eum debere à iudice, sed cum fructuarius debeat, quod suo, suorumque facto deterius factum sit reficere, non est absoluendus, licet vsumfructum derelinquere paratus sit, debet enim omne, quod diligens pater familias in sua domo facit, & ipse facere. Nō magis hæres reficere debet, quod uetustate iam deterius factum reliquisset testator, quàm si proprietatem alicui testator legasset, ff. de usufructu, l. cum fructuarius, lxiiii. cum l. seq.

Si areæ vsusfructus legatus sit, mihi possum casam ibi ædificare custodiæ causa earum rerum, quæ in area sint, ff. eod. l. penult.

Acquiritur nobis usufructus non solum per nosmetipsos, sed etiam per eas quoque personas, quas iuri nostro subiectas habemus, ff. eod. l. sexta. §. fin.

Vsufructu legato omnis fructus rei ad fructuarium pertinet, & aut rei soli, aut rei mobilis vsusfructus legatur. rei soli, ut puta ædium vsufructu legato quicūque reditus est ad usufructuarium pertinet, quæque obuentiones sunt ex ædificiis, & areis, & cæteris, quęcunque ædium sunt. Vnde etiam mitti eum in possessionem vicinarum ædium causa damni infecti placuit, & iure Dominii possessurū eas ædes, si perseueretur, non caueri nec quidquā amittere finito usufructu, hac ratione nec ædificium altius tollere dominus potest inuito vsufructuario, sicut nec areæ vsufructu legato potest in area ædificium poni. Quoniā igitur omnis fructus ad eum pertinet, reficere quoque ædes per arbitrum cogi potest: hactenus tamen ut sarta tecta habeat, si qua tamen uetustate corruissent, neutrum reficere cogitur, sed si hæres refecerit pati debet fructuarium uti. Modica igitur refectio cum ad eum pertineat, & alia onera agnoscenda sunt vsufructu legato: vtputa stipendium, uel tributum, uel salarium, uel alimēta à re legata relicta. Item fructuarius per arbitrum cogi potest reficere, quemadmodum adserere cogitur arbores, sed non potest prohiberi quominus reficiat: quia nec arare prohiberi potest, aut colere. Nec solum necessarias refectiones facturus est, sed etiam uoluptatis causa, vt tectoria, & pauimenta, & similia, neque autem ampliare, nec utile detrahere potest, quamuis melius repositurus sit, ff. de vsufructu. l. septima, cum l. seq.

Fructuarius, si quid ultra, quàm impendi debeat, erogatum esse potest docere, solenniter reposcet, C. de vsufructu. l. septima.

Si fundi vsusfructus legatus sit, quicquid in fundo nascitur, quicquid inde perci

pi poteſt ipſius fructus eſt, ſic tamen vt boni uiri arbitratum fruatur, nam etiã cogi poteſt rectè colere, & ſi apes in eo fundo ſint, earum quoque vſusfructus ad eum pertinet. Sed ſi lapidicinas habeat, & lapidem cœdere uelit, uel cretifodinas, uel arenas omnibus his vſurus eſt, quaſi bonus paterfamilias. Sed ſi hæc metalla poſt uſumfructum legatum ſint inuenta, cum totius agri relinquatur vſusfructus, non partium, continebuntur legato. Huic uicinus tractatus eſt, qui ſolet in eo, quod acceſsit tractari, & placuit alluuionis quoque uſumfructum ad fructuarium pertinere. Sed ſi inſula iuxta fundum in flumine nata ſit, eius vſusfructus ad fructuarium non pertinebit, licet proprietati accedat, eſt enim ueluti proprium fundum, cuius vſusfructus ad fructuarium non pertinet. Nam ubi lactitat incrementum, & vſusfructus augetur, vbi autem apparet ſeparatum, fructuario non accedit. Aucupiorum quoque, & uenationum reditus ad fructuarium non pertinet, Ergo nec piſcationum, ſeminarii autem fructus ad fructuarium pertinent, ita tamen vt, & uendere ei, & ſeminare liceat, debet tamen conſerendi agri cauſa ſeminarium paratum ſemper renouare. quaſi inſtrumentum agri: vt finito vſufructu domino reſtituatur. Inſtrumenti autem fructum habere debet, uendendi tamen facultatem non habet. Nam & ſi fundi vſusfructus fuerit legatus, & ſit ager vnde palo in fundum cuius vſuſfructus legatus eſt, ſolebat paterfamilias vti, vel ſalice, uel Arundine fructuarius hactenus vti poteſt: nec ex eo vendat, niſi forte ſalicti ei, vel ſiluæ palaris, vel arundineti vſusfructus ſit legatus. Tunc enim & uendere pôteſt. Nam fructuarius ſyluam cæduam, & Arundinetum poteſt cœdere, ſicut paterfamilias cœdebat: & uendere licet pater familias non ſolebat vendere, ſed ipſe uti, ad modum enim referendum eſt, non ad qualitatem vtendi, ff. de vſufructu. l. itẽ ſi fundi nona.

Ex ſylua cœdua pedamenta, & ramos ex arbore vſufructuarium ſumpturum, non ex cœdua in vineam ſumpturum, dum ne fundum deteriorem faciat, ſed ſi grandes arbores eſſent, non poteſt eas cœdere, ff. eod. l. ex ſylua decima, cum l. ſequen.

Arboribus æuulſis, vel ui ventorum deiectis, uſque ad vſum ſuum, & villæ poteſt uſusfructuarius ferre, nec materia pro ligno is vſurus eſt, ſi habeat vnde vtatur ligno, alioquin, & ſi totus ager ſit hunc caſum paſſus omnes arbores auferret fructuarius. Materiam tamen ipſe poteſt ſuccidere, quantum ad villę refectionem ſufficit, quemadmodum calcẽ coquere, vel arenam fodere, aliudve quid ædificio neceſſarium ſumere poteſt, ff. eod. l. arboribus, xii. in princ.

Agri vſufructu legato, in locum demortuarum arborum, aliæ ſubmittendæ ſunt, & priores ad fructuarium pertinent, ff. eod. l. agri, xviii.

Arbores vi tempeſtatis, non culpa fructuarii euerſas ab eo ſubſtitui non placet, ff. eod. l. arbores, lix. in princ.

Syluam cœduam etiam ſi intempeſtiuè cœſa ſit, in fructu eſſe conſtat, ſicut olea in matura lecta, item fenum immaturũ cœſum in fruſta eſt, ff. eodem l. ſi abſente, xlviii. §. fin.

Vſufructuarius, vel ipſe frui ea re, vel alii fruendam concedere, vel locare, vel uẽdere poteſt, nam, & qui locat vtitur, & qui uendit utitur, ſed & ſi alii præcario concedat, uel donet is vtitur, atque ideo retinet uſumfructum. Non ſolum autem ſi ego locauero, retineo vſumfructum, ſed & ſi alius negotium meum gerens locauerit vſumfructum, ego retineo vſumfructum. quid tamen ſi non locauero, ſed abſente, & ignorante me, negotium meum gerens utatur quis, & fruatur?

fruatur? nihilominus retineo vsumfructum, quia negotiorũ gestorũ actionem acquisiui, ff. eod. l. arboribus, xii. §. vsufructuarius.

Si fur decerpserit, vel deseruerit fructos maturos pendentes: quoniam fructus non fiunt fructuarii, nisi ab eo percipiantur, licet ab alio terra separentur, proprietario condictio competit. Nam si postea fructus illos nactus fuerit fructuarius, fortassis fient eius, nam si fiunt, qua ratione hoc euenit, nisi ea, vt interim fuerint proprietarii: mox apprehensi fructuarii efficientur, exemplo rei sub condictione legatæ, quæ interim hęredis est: existente autem condictione ad legatarium transit, verum est enim condictionem competere proprietario. Cum aut in pendenti est Dominium, in fœtu, qui submittitur, condictio pendet, magisque in pendenti est Dominium, ff. eodem l. arboribus, xii. §. Iulianus.

Si cuius rei vsusfructus legatus erit, Dominus potest in ea re satisdationem desiderare, vt officio iudicis hoc fiat: nam sicuti debet fructuarius vti frui, ita & proprietatis dominus securus esse debet de proprietate. Hęc autem ad omnẽ vsumfructum pertinent. Si vsusfructus legatus sit, non prius datur actio fructuario, quàm satisdederit se boni viri arbitratu, vsurum, fruiturum. Sed & si plures sint, à quibus vsusfructus relictus est, singulis satisdari oportet. Cum igitur de vsufructu agitur, non solum, quod factum est arbitratur, sed etiam quem ad modum in futurum vti frui debet. De præteritis autem damnis fructuarius etiam lege Aquilia tenetur, & interdicto quod ui, aut clam. Nam fructuarium teneri, his actionibus certum est: sicut quemlibet alium, qui in aliena re tale, quid commiserit, denique bonum fuit actionem polliceri Prætorẽ, quamuis competat legis Aquilinæ actio, quia sunt casus, quibus cessat Aquiliæ actio: nam qui agrum non proscindit, qui uites non subserit, item aquarum ductus corrumpi patitur lege Aquilia non tenetur. eadem & in fructuario dicenda sunt, ff. de vsufructu. l. si cuius, xiii. in princ. & §. de præteritis.

Si inter duos fructuarios sit controuersia, æquissimum est, quasi communi diuidundo iudicium dari: uel stipulatione inter se cauere debent, qualiter fruantur: Cur enim ad arma, & rixa procedere patietur Prætor, quos potest sua iurisdictione compescere? d. l. si cuius. §. sed si inter,

Fructuarius causam proprietatis deteriorem facere non debet, meliorem facere potest; & aut fundi est usus fructus legatus, & non debet, nec arbores fructiferas excidere, neque uillã diruere, nec quidquàm facere in perniciem proprietatis, & si forte uoluptate fuit prædium uiridaria, uel gestationes, uel deambulationes arboribus infructuosis opacas, atque amœnas habens, non debebit deiicere, ut forte hortos olitorios faciat, uel aliud quid, quod ad redditum spectat, ff. eod. l. si cuius, xiii. §. fructuarius.

Proprietatis dominus non debebit impedire fructuarium ita utentem, ne deteriorem eius condictionem faciat. De quibusdam planè dubitatur. si eum uti prohibeat, an iure id faciat, ut puta doleis, si fortè fundi usus fructus sit legatus, sed nisi sit contraria uoluntas etiam instrumentum fundi, uel domus continetur. Sed nec seruitutem imponere fundo potest proprietarius, nec amittere seruitutem & consequenter fructuarius quidem adquirere fundo seruitutem non potest: retinere autem potest. Et si fortè fuerint non utente fructuario amissæ, hoc quoque nomine tenebitur. Item proprietatis dominus, nec quidem consentiente fructuario, seruitutem imponere potest, nisi qua deterior fructuarii conditio non fiat, ueluti si talem seruitutem uicino concesserit

ius

ius sibi non esse altius tollere, ff. eodem l. sed siquid, xv. §. proprietatis, cum l. sequen.

Si arbores uento deiectas Dominus non tollat, per quod incommodior is sit vsusfructus, vel iter suis actionibus vsufructuarius cum eo experibit, ff. eod. l. Proculus, xix. §. fin.

Si pendētes fructus iam maturos reliquisset testator fructuarius eos ferret, si die legati cœdente adhuc pendentes deprahendisset, Nam & stantes fructus ad fructuarium pertinent, ff. eod. l. si pendentes, xxvii. in princ.

Si dominus solitus fuit tabernis ad merces suas vti, vel ad negotiationem vtique permittetur fructuario locare eas, & ad alias merces, & illud solum obseruandum ne vel abutatur vsufructuarius, vel contumeliosè iniuriosève vtatur vsufructu. d. l. si pendentes. §. si Dominus.

Non vtitur fructuarius, si nec ipse vtatur, nec nominé eius alius, puta, qui emit, vel qui conduxit, vel cui donatum est, vel qui negotium eius gerit, planè illud interest, quòd si vendidero vsumfructum, etiam si emptor non vtatur videor vsumfructum retinere: quia qui præcio fruitur non minus habere intelligitur, quam qui principali re vtitur fruitur, quòd si donauero non alias retineo, nisi ille vtatur, ff. eod. l. non vtitur, xxxviii, cum duabus. ll. seq.

Defuncta fructuaria Mense Decembri, iā omnibus fructibus, qui in his agris nascuntur Mense Octobri per colonos sublatis, quæsitum est. utrum pensio hære di fructuariæ solui deberet, quamuis fructuaria ante Kalendas Martias, quibus pensiones inferri debeant, decesserit, an diuidi debeat inter hæredē fructuariæ, & rempublicam, cui proprietas legata est: & responsum est. Rempublicam quidem cum colono nullam actionem habere, fructuariæ vero hæredem sua die integram pensionem percepturum, ff. eodem l. defuncta, lviii. in principio.

Quidquid in fundo nascitur, uel quidquid inde percipitur ad fructuarium pertinet, pensiones quoque iam antea locatorum agrorum, si ipsæ quoque specialiter comprehensæ sint, sed ad exemplum venditionis, nisi fuerint specialiter exceptæ: potest usufructuarius conductorem repellere. Cæsæ harundinis, uel pali compendium, si in eo quoque fundi vectigal esse consueuit, ad fructuarium pertinet, ff. eod. l. arbores, l. ix. §. quidquid.

Vsufructuarius venari in saltibus, uel montibus possessionis probè dicitur, nec aprum, aut ceruum quem cœperit, proprium domini capit, sed fructus aut iure ciuili, aut gentium suos facit. Si uiuariis inclusæ feræ in ea possessione custodiebantur, quando usufructus cœpit: num exercere eas fructuarius possit oc cidere non possit? aliàs si quas initio incluserit operis suis, uel post sibimet ipsę inciderint, delapsæue fuerint hæ fructuarii iuris sint? commodissimè tamen, ne per singula animalia facultatis fructuarii, propter discretionem difficilem ius incertum sit, sufficit eundem numerum per singula quoque genera ferarum finito usufructu domino proprietatis assignare, qui fuit cœpti ususfructus tempore, ff. eod. l. usufructuarius, lxii.

Cui ususfructus legatus est, etiam inuito hærede eum extraneo uendere potest, ff. eod. l. cui ususfructus, lxvii.

Cuiuscunque fundi usufructuarius prohibitus, aut deiectus, de restitutione omnium rerum simul occupatarum agit. sed & si medio tempore alio casu interci derit usufructus, æquè de perceptis antea fructibus utilis actio tribuitur. Si fundus cuius ususfructus petitur non a domino possideatur, actio redditur.

Et

Et ideo ſi de fundi proprietate inter duos quæſtio ſit, fructuarius nihilominus in poſſeſsione eſſe debet, ſatiſque ei à poſſeſſore cauendum eſt, quòd non ſit prohibiturus frui eum, cui vſusfructus relictus eſt, quandiu de iure ſuo probet, ſed ſi ipſi fructuario quæſtio moueatur, interim vſusfructus eius offertur, ſed caueri de reſtituendo eo, quod ex his fructibus percepturus eſt, vel ſi ſatis non detur ipſe frui permittitur, ff. eod. l. cuiuſcunque, lx.

Vſufructu relicto ſi tributa eius rei præſtentur, ea vſufructuarium præſtare debere dubium non eſt: niſi ſpecialiter nomine fideicommiſsi teſtatori placuiſſe probetur, hæc quoque ab hærede dari, ff. eod. l. vſufructu, lii.

Legato vſufructu Dominus proprietatis non impeditur obligare creditori proprietatem, manente ſcilicet integro vſufructu in iure ſuo, C. de vſufructu. l. ſecunda.

Cum quibuſdam vſus ſyluæ legatus eſſet ſtatutum eſt, fructum quoque eis legatum uideri: quia niſi liceret legatariis cœdere ſyluam, & uendere, quemadmodum fructuariis licet, nihil habituri eſſent ex eo legato, ff. de vſu & habitatione: l. penul. in princ.

DE VSVFRVCTV ADCRESCENDO.

Titulus II.

Quoties vſusfructus legatus eſt, ita inter fructuarios eſt ius adcreſcẽdi, ſi coniunctim ſit vſusfructus relictus. Cæterum ſi ſeparatim, vnicuique partis rei vſusfructus ſit relictus, ſine dubio ius adcreſcendi ceſſat, ff. de vſufructu adcreſcendo. l. prima, in princ.

Interdum tamen, & ſi non ſint coniuncti, tamen vſusfructus legatus alteri adcreſcit, vt puta, ſi mihi fundi vſusfructus ſeparatim totius, & tibi ſimiliter fuerit relictus: nam concurſu partes habemus: quod & in proprietate contingeret, nam altero repudiante, alter totum fundum haberet. Sed in vſufructu hoc plus eſt: quia & conſtitutus, & poſtea amiſſus nihilominus ius adcreſcendi admittit, & vſusfructus quotidie cõſtituitur, & legatur, nõ ut proprietas eo ſolo tempore, quo vindicatur. Cum primum itaque non inueniet alterum, qui ſibi concurrat; ſolus vtetur in totum: nec refert coniunctim, an ſeparatim relinquatur. item ſi duobus hæredibus inſtitutis deducto vſufructu proprietas legetur, ius adcreſcendi hæredes non habebunt, nam videtur vſusfructus conſtitutus, non per cõcurſum diuiſus. ideoq; amiſsa pars uſusfructus ad legatarium eundemq́ue proprietarium redibit, ff. eod. l. prima. §. interdum uſque ad finem, cum l. ſeq.

Toties ius adcreſcendi eſt, quotiens in duobus, qui in ſolidum habuerunt, concurſu diuiſus eſt. unde ſi duo fundi Domini, deducto uſufructu, proprietatem tradiderint vter eorum amiſerit uſumfructum, ad proprietatem redibit, ſed non ad totum, ſed cuiuſque vſusfructus ei parti accedet, quam ipſe tradiderit, ad eam enim partem redire debet, à qua initio diuiſus eſt, ff. eod. l. tertia, in principio.

Non ſolum autem ſi duobus vſusfructus legetur, eſt ius adcreſcendi: verum & ſi alteri vſusfructus, alteri fundus legatus eſt: nam amittente uſumfructum altero, cui erat legatus, magis iure adcreſcendi ad alterum pertinet, quam redit ad proprietatem, nec nouum. nam ſi duobus vſusfructus legetur, & apud alterum ſit conſolidatus, ius adcreſcendi non perit, neque ei apud quem conſolidatus

datus eſt, neque ab eo, & ipſe quibus modis amitteret ante conſolidationem, iſdem & nunc amittet, ff. eod. l. tertia. §. non ſolum.

Si tibi proprietas fundi legata fuerit, mihi autem, & Mæuio, & tibi eiuſdem fundi vſus fructus: habebimus ego, & Mæuius trientes in vſufructu, unus triens proprietate miſcebitur. ſiue autem ego, ſiue Mæuius capite minuti fuerimus triens inter te, & alterutrum noſtrum diuidetur: ita vt ſemiſſem in vſufructu habeat is, qui ex nobis capite minutus non fuerat, ad te proprietas cum parte dimidia vſusfructus pertineat. Et ſi tradideris alicui proprietatem deducto vſufructu, nihilominus adcreſcet, nec uidetur nouum tibi adquiri vſumfructum. Idemq; eſt ſi apud vnum ex tribus fructuariis cõſolidatus ſit vſusfructus, ff. eod. l. quarta, & quinta, & ſexta, in princ.

Si cui proprietas, deducto vſufructu, legata ſit, & mihi pars vſusfructus: uerum eſt, vt quiſque amiſerit ad proprietatem reuertatur, ff. eod. l. ſexta. §. ſed ſi cui.

Si mihi vſusfructus fundi purè, tibi ſub conditione legatus ſit: poteſt dici totius fundi vſumfructum ad me pertinere, interim, & ſi capite minutus fuero, totũ amittere, ſed ſi extiterit conditio, totum uſumfructum ad te pertinere, ſi forte capite deminutus ſum. Cæterum cum in meo ſtatu maneo, communicandum uſumfructum, d. l. ſexta. §. fi.

Si quis Attio, & hæredibus ſuis vſumfructum legauerit dimidiam Attius, dimidiam hæredes habebunt, quod ſi ita ſcriptum ſit. ATTIO, ET SEIO CVM HAEREDIBVS MEIS. Tres partes fient, ut vnã habeant hæredes, tertiam Attius, tertiam Seius, nec enim intereſt ita legetur: ILLI, ET ILLI CVM MAEVIO. an ita. ILLI ET ILLI ET MAEVIO, ff. eod. l. ſiquis ſeptima.

Si mulieri cum liberis ſuis vſusfructus legetur, amiſsis liberis ea vſumfructum habet, ſed, & matre mortua liberi eius nihilominus vſumfructum habent iure adcreſcendi, & idem intelligendum eſt in eo, qui ſolos liberos hæredes ſcripſerit, licet non vt legatarios eos nominauerit, ſed vt oſtenderet magis velle ſe matrem ita frui, ut liberos ſecum habeat fruentes. Sed & Pomponius quærit, quid ſi mixti fuerint liberi, & extranei hæredes, & ait, filios legatarios eſſe intelligendos, & per contrarium: ſi uoluerit eos liberos ſimul cum matre frui, debere dici matrem legatariam eſſe intelligendam, & per omnia ſimilem eſſe, & in hoc caſu iuris euentum, ff. eod. l. ſi mulieri, viii.

Si proprietas fundi duobus uſusfruuctus uni legatus ſit, non trientes in uſufructu habent, ſed ſemiſſem duo. ſemiſſem fructuarius, item cõtra, ſi duo fructuarii, & unus fundi legatarius ſit, ff. eod. l. ſi proprietas, ix.

Interdum pars uſusfructus, & non habenti partem ſuam, ſed amittenti adcreſcit, nam ſi uſusfructus duobus fuerit legatus, & alter lite cõteſtata amiſerit uſumfructum, mox, & collegatarius, qui litem conteſtatus non erat, uſumfructum amiſit, partem dimidiam duntaxat, quam amiſit, qui litem conteſtatus eſt, aduerſus eum, qui ſe liti obtulit, à poſſeſſore conſequitur, pars enim collegatarii, ipſi adcreſcit, non domino proprietatis: uſusfructus enim perſonæ adcreſcit, & ſi fuerit amiſſus, ff. eod. l. interdum, x.

Cum ſingulis ab hæredibus ſingulis eiuſdem rei fructus legatur, fructuarii ſeparati uidentur, non minus, quam ſi æquis portionibus duobus eiuſdem rei fructus legatus fuiſſet. Vnde fit, ut inter eos ius adcreſcendi non ſit, cum alius ab alio hærede uſumfructum uindicat, ff. eodem l. pen. & fi.

Si Dominus nudæ proprietatis uſumfructum legauerit, uerum eſt legatum ualere,

re,& si forte in uita testatoris, uel ante aditam hæreditatem proprietati accesserit,ad legatarium pertinere. Plus admittit Metianus: etiam si post aditam hæreditatem accepisset usus fructus utiliter diem cedere,& ad legatarium pertinere, ff. de vsufructu, & quemadmodum,l. si dominus,lxxii.

DE VSVFRVCTV EARVM RERVM, QVAE VSU CONSVMVNTVR.

Titulus III.

Constituitur vsusfructus non tantum in fundo, & ædibus,& iumentis,& cæteris rebus, exceptis iis, quæ ipso usu consumuntur: nam hę res, neque naturali ratione,neque ciuili recipiunt usumfructū, quo in numero sunt uinū,oleum,frumentum, vestimenta: quibus proxima est pecunia numerata,namque ipso vsu assidua permutatione quodammodo extinguitur. Sed vtilitatis causa senatus censuit, posse etiam earum rerum usumfructum constitui: ut tamen eo nomine hæredi utiliter caueatur. Itaque si pecuniæ usus fructus legatus sit,ita datur legatario, ut eius fiat,& legatarius satisdet hæredi,de tanta pecunia restituenda, si moriatur, aut capite minuetur, tanta pecunia restituatur,quanti hæ fuerint extimatæ. Ergo senatus non fecit quidem earum rerum vsumfructum (nec enim poterat) sed per cautionem quasi vsumfructum constituit: Inst. de usufruct. §. constituitur.

Senatus censuit,vt omnium rerum quas in cuiusque patrimonio esse constaret, usus fructus legari posit, quo senatusconsulto inductum videtur, vt earum rerum,quæ vsu tolluntur,vel minuūtur,posit usus fructus legari, ff. de usufr. earum rerum,&c.l. prima.

Nominum vsus fructus legari poterit,ac ipsi quoque debitori potest vsus fructus legari,ac etiam vt remittetur interesse,ergo cautio etiam ad hoc exigenda erit, ff. eod. l. tertia,& quarta.

Hoc Senatusconsultum non solum ad eū pertinet,qui pecuniæ usumfructū, uel cæterarū rerū,quas habuit,legauit,uerū & si fuerint alienæ, ff. eo. l. v. in princ.

Sed de pecunia recte caueri oportet his,à quibus eius pecuniæ usus fructus legatus erit, ff. eod. l. secunda, in prin.

Si pecuniæ sit vsus fructus legatus, uel aliarū rerum, quæ in abusu consistunt,nec cautio interueniat: uidendum finito vsufructu,an pecunia quæ data sit,vel cæteræ res,quæ in absuntione sunt,condici posint. sed siquidem adhuc constante vsufructu cautionem,quis uelit condicere dici potest, omissam cautionem posse condici incerta condicione. Sed finito vsufructu ipsa quantitas pōt condici, ff. eod. l. quinta. §. si pecuniæ.

Si tibi decem millia legata fuerint,mihi eorundem decem millium usus fructus, fient quidem tua tota decemmillia,sed mihi quinque numerari debebunt,ita ut tibi caueam tempore mortis meæ,aut capitis deminutionis restitu iri, nam & si fundus tibi legatus fuisset,& mihi eiusdem fundi vsus fructus, haberes tu quidem totius fundi proprietatem: sed partem cum vsufructu, partē sine vsufructu.& nom hæredi,sed tibi cauerē boni uiri arbitratu. sed si duobus eorundem decemmillium vsus fructus legatus fuerit, quina millia accipient,& inuicem,& hæredi satisdabunt, ff. eod l. sexta.

Tribus heredibus institutis usumfructum, quindecim millium Titio legauit,

& duos ex hæredibus iuſsit pro legatario ſatiſdare. Placebat utile eſſe cautionis, quoque legatum: nec refragari SENATVSCONSVLTVM, quia cautio non impediretur, & eſſe alterum legatum, uelut certi alterũ incerti. Vſusfructus itaq; nomine pars pecuniæ peteda eit, ab eo, qui ſatis accepit à cohærede: incertique cum eo agendum eſt, ſi ſatis non dediſſet. Is vero, qui ſatis præſtitit, ac propter moram cohæredis ſatis non accepit, neque fructus nomine interim tenetur propter ſenatuſconſultum, neque actione incerti, quia cohæredi ſatiſdedit, illud etiam placet legatarium cogendum promittere. Finito autem uſufructu, ſi cohæredes ex cauſa fideiuſſoria conuenirentur, eos mandati non acturos: non enim ſuſcepiſſe mandatum, ſed uoluntati paruiſſe, denique cautionis legato liberatos. De illo nec diu tractandum fuit, ſecundum legatum ideſt cautionis, non hæredum uideri, ſed eius cui pecuniæ vſusfructus relictus eſt, cuique teſtator proſpicere uoluit, & cuius intereſſe credidit fideiuſſores, non ſuo periculo quærere, ff. eodem l. tribus, viii.

In ſtipulatione de reddendo vſufructu pecuniæ duo ſoli caſus interponũtur, mortis, & capitis diminutionis, ff. eod. l. in ſtipulatione, ix.

Quoniam pecuniæ vſus aliter ammitti non poteſt, quàm his caſibus, ſi vſus tamen pecuniæ legatus ſit, quia in hac ſpecie vſus appellatione etiam fructus continetur, ſtipulatio iſta erit interponenda, & ſiue ante ſtipulationem, ſiue poſtea ea pecunia data ſit, tenet ſtipulatio, ff. eod. l. quoniam, x.

Cum pecunia erat relicta Titio ita, vt poſt mortem legatarii ad Mæuium rediret, quamquam adſcriptum ſit, vt vſum eius Titius haberet: proprietatem tamen ei legatam, & vſus mentionem factam, quia erat reſtituẽda ab eo pecunia poſt mortem eius Diui Seuerus, & Antoninus reſcripſerunt, ff. eod. l. fi.

Si vini, olei, frumenti vſusfructus legatus erit, proprietas ad legatarium transferri debet, & ab eo cautio deſideranda eſt, vt quandoque is mortuus, aut capite deminutus ſit eiuſdẽ qualitatis res reſtituatur, aut æſtimatis rebus certæ pecuniæ nomine cauendum eſt, quòd & commodius eſt. Idem ſcilicet de cæteris quoque rebus, quæ vſu continentur, intelligemus, ff. eod. l. ſi uini, vii.

Si lanæ alicui vſusfructus legatus ſit, vel Odorum, vel Aromathum nullus videtur vſusfructus in iſtis iure conſtitutus, ſed ad SENATVSCONSVLTVM erit deſcendendum, quod de cautione eorum loquitur, ff. eodem l. penultim.

Si ueſtimentorum vſusfructus legatus ſit, non ſicut quantitatis vſusfructus legetur, dicendum eſt, ita vti eum debere, ne abutatur. Nec tamen locaturum quia vir bonus ita non uteretur. Proinde & ſi ſcænicæ veſtis uſusfructus legetur, uel aulei, uel alterius apparatus, alibi quàm in ſcæna non vtetur. Sed an & locare poſsit videndum eſt, & dicitur locaturum, & licet teſtator commodare, non locare fuerit ſolitus, tamen ipſum fructuarium locaturum, tàm ſcænicam quàm funebrem ueſtem, ff. de vſufructu, & quemadmodum. l. & ſi veſtimentorum, xv. in princ.

Si ueſtis uſusfructus legatus ſit, ſcripſit Pomponius, quamquàm hæres ſtipulatus ſit finito vſufructu ueſtem reddi, attamen non obligari promiſſorem, ſi eam ſine dolo malo adtritam reddiderit, ff. vſufructuarius quemadmodum caueat, l. ſi uſusfructus, ix. §. ſi veſtis.

VSV-

VSVFRVCTVARIVS QVEMADMODVM CAVEAT.

Titulus IIII.

SI cuius rei vſusfructus legatus ſit: æquiſsimum Prætori uiſum eſt, de utroque legatarium cauere,& vſurum ſe boni uiri arbitratu, & cum vſusfructus ad eum pertinere deſinet,reſtituturũ, quod inde ſtabit: Hæc ſtipulatio ſiue mobilis res ſit, ſiue ſoli interponi debet. illud ſciendum eſt,ad fideicommiſsi etiam aptari eam debere. Planè & ſi ex mortis cauſa donatione vſusfructus conſtituatur exemplo legatorum debebit hæc cautio præſtari; Sed & ſi ex alia quacunque cauſa conſtitutus fuerit vſusfructus idem dicendum eſt. Cauere autem debet, boni viri arbitratu perceptu iri uſumfructum,hoc eſt, non deteriorem ſe cauſam uſuſfructus facturum. Cæteraque facturum, quæ in re ſua faceret, Rectè autem facient,& hęredes,& legatarius,qualis res ſit cum frui incipit legatarius,ſi in teſtatum redegerit,ut inde poſsit apparere an,& quatenus rem peiorem legatarius fecerit. Vtilius autem viſum eſt ſtipulatione de hoc caueri, ut ſiquis non viri boni arbitratu vtatur,committetur ſtipulatio ſtatim.nec expectabimus,vt amittatur vſusfructus.Habet autem ſtipulatio iſta duas cauſas: Vnam ſi aliter quis utatur,quàm uir bonus arbitrabitur: aliã de uſufructu reſtituendo. Quarum prior ſtatim committetur,quàm aliter fuerit uſus,& ſępius committetur; ſequens committetur finito uſufructu. Sed quod diximus, id quod inde extabit, reſtitu iri, non ipſam rem ſtipulatur proprietarius: inutiliter enim rem ſuam ſtipulari uideretur: ſed ſtipulatur reſtitu iri, quod inde extabit. Interdum autem inerit proprietatis æſtimatio,ſi fortè fructuarius cum poſsit uſucapionẽ interpellare,neglexit,omnem enim rei curam ſuſcipit:nam fructuarius cuſtodiam præſtare debet,ff.de vſufruc.quemad.caueat.l.prima,& ſecunda,& C.de vſufructu:l.quarta.

Omnes autem caſus cõtinentur huic ſtipulationi, quibus uſusfructus amittitur: deſinere pertinere vſumfructum accipiemus, etiamſi nec cœperit pertinere, quamuis legatus ſit,& committetur nihilominus ſtipulatio, quaſi deſinat pertinere,quod nec cœpit,ff.eod.l.tertia, in princ.

Si vſusfructus repetitus erit legato, quotienſcunque amiſſus fuerit, niſi utiliter fuerit cautum, committetur iſta ſtipulatio: ſed exceptione opus erit, ſed & ſi quis uſumfructum tibi legauerit, & ſub condicione SI LIBEROS HABVERIS proprietatem,amiſſo uſufructu committetur quidem ſtipulatio, ſed exceptio locum habebit,d.l.tertia.§.ſi uſusfructus.

Si hæres alienauerit proprietatem,& poſtea amittatur uſusfructus,an ex ſtipulatu agere poſsit uideamus,& fortius dici poteſt ipſo iure non committi ſtipulationem,quia neque hęredi ſucceſſoribuſve eius reſtitui poteſt,neque is cui poteſt, ideſt ad quem peruenit proprietas, pertinet ad ſtipulationem, ſed is ad quem peruenit tempore quæſiti Dominii, ſibi proſpicere alia cautione debet, quòd, & ſi non fecerit: nihilominus in rem actione uti poteſt,dicta l. tertia. §. fin.

Si fructuarius proprietatem adſequutus fuerit, deſinit quidem vſusfructus ad eum pertinere propter confuſionem; ſed ſi ex ſtipulatu,cum eo agitur, aut

ipso iure inutiliter agi dicendum est, si boni uiri arbitrio hucusque porrigitur, aut in factum excipere debebit, ff. eod. l. quarta.

Huic stipulationi, DOLVM MALVM ABESSE: absfuturumq; esse continetur, & cum in rem sit doli mali mentio concepta, omnium dolum comprehendere videtur successorum & adoptiui patris, ff. eodem. l. quinta, in prin.

Si vsus sine fructu legatus erit, adempta fructus causa, satisdari iubet Prætor: hoc meritò: vt de solo vsu non etiam de usufructu caueatur. Ergo, & si fructus sine vsu obtigerit, stipulatio locum habebit: Et si habitatio, vel operæ animalis relictæ fuerint, stipulatio locum habebit: licet per omnia hæc usumfructum non imitantur: Idem est, & in reditu prædii, sicuti, si vindemia legata esset, uel messis; quamuis ex usufructu ea percipiantur, quæ legata morte legatarii, ad hæredem redeunt, ff. eod. l. quinta. §. fin. cum l. seq.

Et si usufructus nomine re tradita satisdatum non fuerit, proculus ait, posse hæredem rem vindicare, & si obiiciatur exceptio de re vsusfructus nomine tradita, replicandum erit, quæ sententia habet rationem, sed & ipsa stipulatio condici poterit, ff. eod. l. septima, in princ.

Cum vsusfructus pecuniæ legatus esset, exprimi debent hi duo casus in stipulatione: CVM MORIERIS, AVT CAPITE MINVERIS DARI, idcirco hi duo soli casus, quoniam pecuniæ vsus aliter amitti non potest, quàm his casibus. dicta. l. septima. §. fi.

Si tibi vsusfructus, & mihi proprietas legata sit, mihi cauendum est. Sed & si mihi sub condicione proprietas legata sit, & mihi, & hæredi cauendum est. Item si mihi legata sit, & cum ad me pertinere desierit, alii, & hic vtrisque cauendum, vt supra placuit. Quod si duobus coniũctim vsusfructus legatus sit, & inuicem sibi cauere debebunt, & hæredi in casum illum: SI AD SOCIVM NON PERTINEAT VSVSFRVCTVS HAEREDI REDDI, ff. eo. l. si tibi octaua.

Si usufructus mihi legatus sit, eumque restituere sim Titio rogatus, uidendum est, quis debeat cauere: vtrum Titius, an ego qui legatarius sum: an illud dicimus mecum hæredem Acturum, cum fideicommissario me agere debere, & est espeditius hoc dicere, si mihi spes aliqua durat usufructus, & cum tu amiseris, potest ad me reccidere, hoc est ad legatarium, ita res expediri ut tu mihi, ego Domino proprietatis caueam; quod si fideicommissarii causa usufructus mihi relictus est, nec est vlla spes ad me reuertendi fructus, recta uia fideicommissarium cauere oportet, domino proprietatis, ff. eodem l. si usufructus, ix. in princ.

Illud sciendum est, siue ipso iure, quis usumfructum habet, siue etiam per tuitionem Prætoris, nihilominus cogendum esse fructuarium cauere, aut actiones suscipere, planè si ex die proprietas alicui legata sit, usufructus purè, dicendum est, remittendam esse hanc cautionem fructuario: quia certum sit, ad eum proprietatem, uel ad hæredem eius peruenturam, ff. eodem l. si usufructus, ix. §. illud.

Si plures Domini sint proprietatis, vnusquisque pro sua parte stipulabitur, d. l. si vsusfructus. §. fi.

Vsu quoque domus relicto boni uiri arbitratu cautionem interponi oportet. Nec mutat, si pater hæredes filios simul habitare cum vxore legataria, uoluit, ff. eod. l. penult.

Si uasorum

Si uaſorum ipſorum uſusfructus relictus ſit, non erit cautio ſenatuſconſulti neceſſaria, ſed illa ſola, BONI VIRI ARBITRATV VSVRVM FRVITVRVM. Si igitur tradita ſunt fruendi cauſa, nemo dubitat, non fieri eius, qui accipit: non enim ideo traduntur, ut dominium recedat ab eo, qui tradit, ſed ut utatur, fruatur legatarius. Ergo cum non fiant fructuarii uaſa, uindicari à proprietario poſſunt, cautione non data. Videndum eſt de condictione an poſsit locum habere. & proditum eſt, neminem rem ſuam, niſi furti condicere poſſe, ff. eod. l. fi.

Si vſusfructus omnium bonorum teſtamẽto uxoris marito relictus eſt, quamuis cautionem ab eo prohibuerit exigi, tamen non aliter à debitoribus ſolutã pecuniam recipere poterit, quam oblata ſecũdum formam SENATVSCONSVLTI CAVTIONE. C. de uſufr. l. prima.

QVIBVS MODIS VSVSFRVCTVS AMITTATVR,

Titulus V,

NE in uniuerſum inutiles eſſent proprietates ſemper abſcedẽte uſufructu placuit certis modis extingui uſumfructum, & ad proprietatem reuerti. Inſtit. de uſufructu. §. uſusfructus, uerſ. ne tamen, & ff. eo. l. tertia, §. ne tamen.

Fundum cuius vſuſfructus Attii erat mihi uendidiſti, nec dixiſti uſumfructum Attii eſſe: hunc ego Mæuio detracto uſufructu tradidi, Attio capite minuto, non ad me, ſed ad proprietatem redit, neque enim potuit conſtitui vſusfructus eo tempore, quo alienus eſſet, ſed ego poſſum te uenditorem de euictione conuenire, quia æquum ſit eandem cauſam meam eſſe, quæ futura eſſet, ſi tunc uſusfructus alienus non fuiſſet, ff. de euict. l. fundum, xxxxvi.

Finitur uſusfructus morte fructuarii, & non vtendo per modum, & tempus. Inſt. de vſufructu. §. finitur.

Si patri vſusfructus legatus ſit defuncto eo: nihil ad filium pertinet: cum morte eius cui legatus fuerat, uel alio modo acquiſitus ad proprietatem regredi ſoleat. Vſufructuario autem ſuperſtite, licet dominus proprietatis rebus humanis eximatur, ius vtendi fruendi non tollitur, C. de vſufr. l. tertia.

Si domina proprietatis vſumfructum vxori Pomponii locauit ſub certa annua præſtatione. morte condutricis ei, quæ locauit etiam utendi fruendi cauſa nõ eſt deneganda, C. eod. l. ſi domina, x.

Morte amitti uſumfructum non recipit dubitationem, cum ius fruendi extinguatur, ſicuti ſiquid aliud quod perſonæ cohæret, ff. quib. mod. uſufruc. amitt. l. tertia. §. fin.

Caro, & corium mortui pecoris in fructu non eſt, quia mortuo eo vſusfructus extinguitur, ff. eod. l. pen.

Cum gregis vſusfructus legatus eſt, & vſque eo numerus peruenit gregis, ut grex non intelligatur, perit vſusfructus, ff. eod. l. fi.

Quadrigæ uſufructu legato, & unus ex ęquis deceſſerit extinguitur vſusfructus: quoniam quadriga eſſe deſiit, niſi alius ante diem legati cedentem ſubſtitutus ſit. ſi vero vſusfructus equorum legatus ſit, in reſiduis ſupererit, ff. eo. l. qui tamen, x. §. fi. cum l. ſeq.

Placet, uel certæ partis, vel pro indiuiso vsumfructum, non vtendo, amitti, ff. eod. l. placet, xxv.

Non solum vsumfructum amitti capitis minutione constat, sed & actionem de vsufructu, & parui refert vtrum iure sit constitutus vsusfructus, an vero tuitione Prætoris. Proinde traditus quoque vsusfructus. item in fundo vectigali, vel superficie non iure constitutus capite minutione amittitur. Sed ita demũ amittitur capitis diminutione vsusfructus, si iam constitutus est, cæterum si ante aditam hæreditatem. ante diem cedentem, quis capite minutus est, constat non amitti, ff. eod. l. prima, in princ.

Si tibi fundus ex die legatus est, & vsumfructum mihi rogatus es restituere uidẽdum erit, si capite minutus fuero intra diem legato tuo incertum, ne forte saluus sit vsusfructus, quasi ante diem cedentem capitis minutio interueniet, quod benigne dici poterit. Vsque adeo autem capitis minutio eum demum vsumfructum peremit, qui iam constitutus est, vt in singulos annos, uel mẽses, uel dies legatus sit, is demum amittitur, qui iam processit, & si forte in annos singulos legatus est, illuis duntaxat anni vsusfructus amittetur, & si mẽses, eius mensis, si in dies, eius diei, d. l. prima. §. si tibi.

Si legatum vsumfructum legatarius alii restituere rogatus est, id agere Prætor debet, vt ex fideicommissarii persona magis, quàm ex legatarii pereat vsusfructus, ff. eod. l. quarta.

Si vsusfructus alternis annis legetur, non potest, non utendo amitti, quia plura sunt legata, ff. eod. l. si vsusfructus, xxviii.

Si duobus separatim alternis annis vsusfructus relinquatur continuis annis proprietas nuda est: cum si legatarium unum substituas, cui alternis annis legatus sit vsusfructus plena sit apud hæredem proprietas eo tempore, quo ius fruendi legatario non est, quod si ex duobus illis alter decedat, per uices temporum plena proprietas erit: neque enim adcrescere alteri, quidquã potest: quoniam propria quisque tempora, non concurrente altero, fructus integri habuit, ff. eodem l. secunda, in prin.

Si non mors, sed capitis deminutio intercesserit, quia plura legata sunt illius anni tantum, si modo ius fruendi habuit, fructus amissus erit, quod & in uno legatario, qui fundum per singulos annos accipit, deffendendum est, vt commemoratio temporum repetitionis potestatem habeat, d. l. secunda. §. si nõ mors.

Sicuti in annos singulos vsusfructus legari potest, ita & capitis minutione amissus legari potest, vt adiiciatur. QVOTIENSQVE CAPITE MINVTVS ERIT EI LEGO: vel sic. QVOTIENS AMISSVS ERIT, & tunc si capitis minutione amittatur repetitus videbitur, vnde si cui, quandiu viuat, vsusfructus legatus sit, quotiens amissus est, repetitus videtur, & si ad tempus sit legatus, vtputa vsque ad decennium, idem erit dicendum, ff. eo. l. tertia, in princ.

Hæc repetitio fit, quæ post amissum capitis minutione vsumfructum ius adcrescẽdi secum habebit, vtputa Titio, & Mæuio vsusfructus legatus est, & si Titius capite minutus esset, eidem vsusfructus legatus est, ius adcrescendi saluum erit perinde ac si alius esset Titio in vsufructu substitutus. hi enim tametsi non verbis, re tamen coniuncti videntur, d. l. tertia, §. hæc autem repetitio.

Si Titio, & Mæuio vsufructu legato, in repetitione vsusfructus, non totum, sed partem Titio relegasset, in hoc videntur coniuncti, vt siquidem Titius amiserit totum socio adcrescat, quos si Mæuius amisisset non totum adcreuit, sed

pars

pars ad Titium,pars ad proprietatem redit, neque enim potest dici eo momẽto,quo quis amittit vsumfructum,& resumit, etiam ipsi quidquam ex vsufructu adcrescere,placet enim ei qui amittit vsumfructum ex eo, quod amittit nihil adcrescere,d.l.tertia.§.idem Papinianus.

Repeti potest legatus vsusfructus amissus qualicunque ratione, dummodo non morte,nisi forte hæredibus legauerit,ff.eod.l.quinta,in prin.

Item finitur vsusfructus si domino proprietatis ab vsufructuario cedatur (nam cedendo extraneo nihil agitur)uel è contrario,si vsufructuarius proprietatem rei acquisierit, quæ res consolidatio appellatur: Instit. de usufructu. §. item finitur.

Si tibi fundi vsusfructus pure,proprietas autem sub conditione Titio legata fuerit,pendente conditione dominium proprietatis adquisieris; deinde conditio extiterit,pleno iure fundum Titius habebit,neque interest,quod detracto vsufructu proprietas legata sit: Enim dum proprietatem acquiris ius omne legati vsusfructus amisisti,ff.eod.l.si tibi fundi,xvii.

Eo amplius constat,si ædes incendio consumptæ fuerint, vel etiã terremotu, vel vicio suo corruerint,extingui vsumfructum, & ne areæ quidem vsumfructum deberi. Inst.de vsufr.§.eo amplius.

Rei mutatione interire vsumfructum placet,veluti vsumfructum ædium mihi legatus est: Aedes corruerunt,vel exustæ sunt: sine dubio extinguitur vsusfructus,& nec areæ,nec cœmentorum vsumfructum deberi placet. nisi sublato ædificio vsumfructũ areæ mihi cesserit tempore, scilicet quo vsusfructus perit, transacto,ff.eod.l.quinta.§.rei mutatione,cum l.vii.

Si areæ sit vsusfructus legatus,& in ea ædificium sit positum,rem mutari,& vsumfructũ extingui constat.Planè si proprietarius hoc fecit ex testamento,uel dolo tenebitur.Sed & interdictum. QVOD VI, AVT CLAM fructuario competit,ff.eod.l.quinta.§.si,cum l.seq.

Si in area cuius usus fructus alienus esset,quis ædificasset intrà tempus, quo usus fructus perit,superficie sublata, restitui usumfructum, ueteres responderunt, ff.de usufr. & quemad.quis utatur,l.si in area,lxi.

Fundi usufructu legato,si uilla dirupta sit,usus fructus non extinguetur,quia uilla fundi accessio est:non magis,quàm si arbores deciderint, sed & eo quoque solo,in quo fuit uilla uti frui potero,ff quib.mod.usus fruc.amitt.l. fundi, octaua,cum l.seq.

Non tantum si ædes ad aream redactæ sint usus fructus extinguitur,uerum etiam si demolitis ædibus testator alias nouas restituerit. Planè si per partes reficiat, licet omnis noua facta sit, aliud erit dicendum, ff. eod.l.quid tamen,x. §. non tantum.

Agri,uel loci usus fructus legatus si fuerit inundatus, ut stagnum iam sit, aut palus,procul dubio extinguetur, sed & si stagni usus fructus legetur, & exaruerit sic,ut ager sit factus,mutata re,usus fructus extinguitur. Non tamen si arui usus fructus legetur,& ibi uineæ sint positæ,uel contra,extinguitur. Certè syluæ usufructu legato,si sylua cæsa,illic sationes fuerint factæ, sine dubio usus fructus extinguitur,ff.eod.l.quid tamen,§.agri.

Si Massæ vsusfructus legetur,& ex ea uasa sint facta,interire usumfruc tum uerũ est,d.l. quid tamen,§.si massæ.

In nauis vsufructu: siquidem per partes refecta sit,vsus fructus non interiit, si autem dissoluta sit,licet iisdem tabulis,nulla præterea adiecta,restaurata sit, vsus

fructus

fructus extinguitur, nam & si domus fuerit restituta, vsusfructus extinguitur, d.l. quid tamen. §. in nauis.

Si cui Balinei vsusfructus legatus sit, & testator habitationem hoc fecerit, vel si tabernæ, & diætam fecerit, dicendum est, vsumfructum extinctum, ff. eodem l. si cui, xii.

Si fructuarius messem fecit, & decesit, stipula, quæ in messe iacet, hæredis eius erit spica, quæ terra tenetur domini fundi est, fructusque percipitur spica, aut fœno cæso, aut vua adempta, aut excussa olea, quamuis nondũ tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta sit. sed vt verum est, quod scriptũ est de olea excussa, ita aliter obseruandum est, de ea olea, quæ per se deciderit. sed Iulianus ait fructuarii fructus tunc fieri, cum eos perceperit: bonæ fidei autem possessoris mox, quàm a solo separati sint, ff. eod. l. si fructuarius, xiii.

Excepta capitis diminutione, vel morte: reliquæ causæ, vel pro parte, interi tum vsusfructus recipiunt, ff. eod. l. excepta, xiiii.

Si sub condicione mihi legatus sit vsusfructus, medioque tempore sit penes hæredem: potest hæres vsumfructũ alii legare, quæ res facit, vt si condicio extiterit mei legati, vsusfructus ab hærede relictus finiatur, quòd si ego vsumfructũ amisero, non reuertetur ad legatarium, cui ab hærede purè legatus fuerat: quia ex diuersis testamentis ius coniunctionis non contingit, ff. eod. l. si sub conditione, xvi.

Neque vsusfructus, neque iter, actusve Dominii mutatione amittitur, ff. eod. l. neque vsusfructus, xix.

Is qui vsumfructum habet, si tantum utatur, quia existimet se vsum tantum habere, fructum amittit, non enim ex eo quod habet, vtitur, sed eo quod putat se habere. Si vero sciens se vsumfructum habere, tantum vti velit, nihilominus & frui uidetur, ff. eod. l. is qui, xx.

Si vsusfructus ciuitati legetur, & aratrũ in ea inducatur, ciuitas esse desinit (ut passa est Chartago) ideoque quasi morte desinit habere vsumfructum, ff. eod. l. si vsusfructus, xxi.

Si ager, cuius vsusfructus noster sit, flumine, vel mari inundatus fuerit, amittitur vsusfructus, cum etiam ipsa proprietas eo casu amittatur, ac ne piscando quidem, retinere poterimus vsumfructum, sed quemadmodum si eodem impetu discesserit aqua, quò venit restituitur proprietas, ita & vsumfructum restituendum, dicendum est, ff. eod. l. si ager, xxiii.

Cum vsumfructum horti haberem: flumen hortum occupauit, deinde ab eo recesit, ius quoque vsusfructus restitutum esse labeoni uidetur: quia id solum perpetuò eiusdem iuris mansisset, & id verum esse putatur, si flumen inundatione hortum occupauit. Nam si alueo mutato inde manare cœperit, amittitur vsusfructus: cum is locus aluei publicus esse cœperit. Neque in pristinum statum restitui posit. Idem iuris itinere, & actu custodiendum est, ff. eod. l. cũ usumfructum, xxiiii.

Si summa terra sublata ex fundo meo, & alia regesta esset, idcirco solum meum non esse desinit, non magis quàm stercorato agro, d.l. cum usumfructum, §. fi.

Si fundum a me proprietarius conduxerit, cumque fundum uendiderit, Seio nõ deducto usufructu, licet proprietarius mihi pensionem soluerit, usus fructus tamen amittitur, qui non meo nomine, sed suo, fruitus est emptor. Tenetur planè mihi ex locato proprietarius, quanti mea interfuit id factum non esse, quamquam si à me conductum usumfructum, quis alii locauerit, retinetur

tur vsusfructus. Quod si proprietarius eum locasset suo nomine, dicendum est,eum amitti: non enim meo nomine, fruitur colonus. sed si emptum a me vsumfructum proprietarius vendidisset, amittitur vsusfructus, quoniã & hic non,vt à me empto fruitur fundi emptor,ff.eod.l. Pomponius,xxix.in princ.

Si legatum mihi vsumfructum rogatus sim tibi restituere,quamuis dubitari possit,an fideicommissarius per hæredem possidere videatur,tamen verum est,nihil hanc rem fideicommissario nocere: suo enim nomine vtilem actionem habiturus est,d.l. Pomponius.§.fi.

Si pater vsumfructum prædiorum in tempus pubertatis filiorum matri eorum reliquit.finito vsufructu, postquàm adolauerunt, posterioris temporis fructus perceptos ab ea repetere filii poterunt,quos nulla ratione sciens mater de alieno percepit,C.de vsufructu.l.quinta.

Siquis vxori suæ,siue alicuicunque vsumfructum reliquerit sub certo tempore, in quod vel filius eius,vel quisquã alius peruenerit, vsusfructus stat in annos, in quos testator statuit,siue persona de cuius ætate compositum est, ad eũ peruenerit,siue non,neque enim ad vitam hominis prospexit, sed ad certa curricula: nisi ipse cui vsusfructus legatus sit,ab hac luce fuerit subtractus: tunc enim in posteritatem vsusfructus transmitti non est possibilis: cũ morte vsumfructum pœnitus extingui iuris indubitati sit.si autem talis fuerit incerta conditio,donec in furore filius,vel alius,quisquam remanserit, vel in aliis similibus casibus,quorum euẽtus in incerto sit,siquidem resipuerit filius, uel alius, pro quo hoc dictum est,vel conditio extiterit, vsusfructus finitur,si autem adhuc in furore constitutus decesserit, tunc quasi in vsufructuarii vitam eo relicto, manet vsusfructus apud eum.Cum enim possibile erat,vsque ad omne vitæ tempus vsufructuarii,non ad suam mentem venire furentem,vel condicionem impleri humanissimum est:ad uitam eorum vsumfructum extendi.Quẽadmodum enim si decesserit vsufructuarius, iure impletam conditionem, vel furorem finitum extinguitur vsusfructus, ita humanum est extendi ad usufructuarii vitam,& si ante decesserit furiosus, vel alia conditio defecerit,C.de vsufruc.l.ambiguitatem,xii.

Si quis fundum,vel aliam rem cuidam testamento reliquerit, quatenus vsusfructus apud hæredem maneret.huiusmodi legatum finitum est,& talis vsusfructus una cum primo hærede finitur. Nam illo moriente,vel aliis legitimis modis amittente expirat,C.de vsufructu.l.antiquitas,xiiii.

Tam actio,quæ de vsufructu nascitur, quàm ipse vsusfructus, non vtendo,cadit, nisi tantummodo morte vsufructuarii, & ipsius rei interitu: & vsumfructum, quem sibi aliquis acquiuit,habebit,dum viuit, intactum,cum multæ, & innumerabiles causæ rebus incidant mortalibus,per quas homines iugiter retinere,quod habent,non possunt: nisi talis exceptio fructuario opponatur, quæ etiam si dominium vendicaret posset eum præsentem,vel absentem excludere, C.eod.l.pen.in princ.

Sed nec per omnem capitis diminutionem detrimentum imminet, quare enim si filiusfamilias fuerit is,qui vsumfructum habet,forte ex castrensi peculio,vbi nec patri vsusfructus acquiritur,ei possessum, per emancipationem eum amittat? sed tunc finitur cum vsufructuarius,vel res pereat,& tantummodo cũ anima, vel rei substantia expirat, d.l.penult.§.fi.

DE VSV, ET HABITATIONE.

Titulus V.

Iisdem illis modis, quibus ususfructus constituitur etiam nudus usus constitui solet, iisdemque illis modis finitur, quibus ususfructus desinit: minus autem iuris est in usu, quàm in usufructu: nam is, qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius habere intelligitur, quàm ut oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis, & lignis ad usum quotidianum utatur, Inst. de usu, & habit. in princ. & ff. eod. l. prima, & ff. de usufructu, & quemad. quis utatur. l. tertia. §. fi.

Quæ in usufructu pecuniæ dicta sunt Titulo tertio, uel cæterarũ rerum, quæ sunt in abusu, eadem, & in usu dicenda sunt, nam idem continet usus pecuniæ, & ususfructus, ff. de usufructu earum rerum, quæ usu cons. l. quinta. §. fi.

Cum usus relictus est, uti potest, frui non potest, ff. de usu, & habitatio. l. secunda, in princip.

Nam si usus fundi sit relictus minus, utique est, quàm fructum & habitare quidẽ in fundo poterit, dominumque prohibiturus est illò uenire, sed colonum non prohibebit, nec familiam, quia eiusdem rationis est. Item & celauinaria, & olearia is solus usurus est, Dominus uero inuito eo non utetur, ff. eod. l. si habitatio, x. §. fin.

Venire planè proprietarium posse ad fructus percipiendos, & per tempora fructuum colligendorum etiam habitare illic posse, admittendum est. ff. eod. l. plenum, xii. §. uenire.

Præter habitationem, quam habet cui vsus datus est, deambulandi quoque, & gestandi ius habebit lignis ad usum quotidianum, & horto, & pomis, & oleribus, & floribus, & aqua usurus est. non usque ad Compendium, sed usum scilicet, non usq; ad abusum, stramentis etiam usurus est, sed neque foliis, neque oleo, neque frumento, neque frugibus usurus est: & amplius ex his, quæ in fundo nascuntur, quod ad uictum sibi, suisque sufficiat, sumpturus est, & ex his etiam cum conuiuiis, & hospitibus uti poterit, aliquo enim largius cum usuario agẽdum est, pro dignitate eius cui relictus est usus, sed utetur duntaxat in uilla. pomis autem, & oleribus, & floribus, & lignis, & in oppidum deferre poterit, neque enim graue onus est, horum si abundent in fundo, dicta l. plenum. §. pręter.

In fundo cuius, quis habet usum, hactenus ei morari decet, ut neque domino fundi molestus sit, neque iis per quos opera rustica fiunt impedimento, nec ulli alii ius quod habet, aut locare, aut uendere, aut gratis concedere potest, cum is, qui usumfructum habet: possit hæc omnia facere: Instit. eod. §. in eoque, & ff. eod. l. in eo, xi.

Sed sicut is, cui vsus fundi legatus est, quominus Dominus agri collendi causa ibi uersetur, prohibere non potest, alioquin, & frui dominum prohibebit, ita nec hæres quidquam facere debet, quominus is, cui vsus legatus est, vtatur ut bonus paterfam. uti debet, ff. eod. l. fundi, xv. §. sicut.

Fundi vsu legato licebit vsuario, & ex penu quod in annum duntaxat sufficiet capere, licet mediocris prædii eo modo fructus consummantur, quia & domo ita uteretur, ut nihil alii fructuum nominẽ superesset, d. l. fundi, in princ.

Si ita legatus esset, vsus fundi, ut instructus esset earum rerum, quæ instrumento

fundi

fundi eſſent. perinde ad legatarium vſus pertinet, ac ſi nominatim ei earum rerum vſus legatus fuiſſet, ff. eod. l. ſi ita, xvi. in princ.

Item is, qui ædium vſum habet, hactenus ius habere intelligitur, vt ipſe tantum inhabitet, nec hoc ius ad alium tranferre poteſt: & uix receptum eſſe uidetur, vt hoſpitem ei recipere liceat, & cum vxore liberiſque ſuis, nec non perſonis aliis, quibus vtitur, habitandi ius habeat: & conuenienter ſi ad mulierem vſus ædium pertineat cum marito ei habitare liceat, Inſtit. de vſu, & habit. §. item is.

Domus vſus relictus eſt, aut marito, aut mulieri: ſi marito poteſt illic habitare non ſolus, uerum quoque cum familia ſua, ſed & inquilinum recipere poterit, item & Hoſpites, & clientes. Cæterum ſine eo, ne hi quidem habitare poterũt & inquillinus dicitur, qui cum vſuario habitat. Secundum quæ, & ſi penſionẽ percipiat, dum ipſe quoque inhabitat, non erit ei inuidendum: quid enim ſi tam ſpacioſæ domus uſus ſit relictus homini mediocri, vt particula contentus ſit? Mulieri autem ſi vſus relictus ſit poteſt ea, & cum marito habitare, nam per contrarium quin vxor cum marito poſsit habitare, nec fuit dubitatum, ff. eod. l. ſecunda, tertia, & quarta, in princ. & §. mulieri.

Non ſolum autem cum marito, ſed & cum liberis, & cum parentibus habitare poterit, & hoc uſque erit procedendum, vt eoſdem quos maſculi recipere, & mulieres poſsint: Non aliter autem mulier hoſpitem recipere poteſt, quàm is ſit, qui honeſte cum ea, quæ uſum habet, habitaturus ſit, ff. eo. l. ſexta, & ſeptima.

Si viduæ domus uſus legatus ſit, ſecundis nuptiis contractis, poterit cum uiro habitare. Item & cum ſocero habitatura eſt, ff. eod. l. quarta. §. fi.

Immo, & ſocer cum Nuru habitabit, utique cum vir vna ſit, ff. eod. l. quinta.

Cæterarum quoque rerum uſu legato, dicendum eſt, vxorem cum viro in promiſcuo uſu eas res habere poſſe, ff. eod. l. cæterarum, ix.

Sed neque locabunt ſeorſum, neque concedent habitationem ſine ſe, nec uendẽt uſum, ff. eod. l. ſed neque, viii. in princ.

Filiofamilias ædium vſu legato, & utile legatum eſt, & eodem modo perſecutio eius competitura eſt, quo cõpeteret, ſi fructus quoq; legatus eſſet, itaq; non minus abſente, ꝗ̃ præſente filio pater in his ædibus habitabit, ff. eod. l. filio, xvii.

Licet tam Anguſtus eſt legatarius, cui domus vſus legatus eſt, ut non poſsit occupare totius domus uſum, tamen eis, quæ vacabunt, proprietarius non utetur, quia licebit uſuario aliis, & aliis temporibus tota domo uti, cum interdum domini quoque ædium prout temporis conditio exigit quibuſdam utantur, quibuſdam non utantur, ff. eod. l. pen. §. licet.

Si domus uſus legatus ſit ſine fructu, communis refectio eſt, in ſartis tectis, tàm hæredis, quàm vſuarii, ſed ſi fructus hæres accipiet, ipſe reficere debet. ſi uerò talis ſit res, cuius uſus relegatus eſt, ut hæres fructum percipere non poſsit, legatarius reficere cogendus eſt, ff. eod. l, ſi domus, xviii.

Vſus pars legari non poteſt, nam frui quidquam pro parte poſſumus, ff. eod. l. uſus, xix.

Vſus aquæ perſonalis eſt, & ideo ad hæredem uſuarii tranſmitti non poteſt, ff. eodem l. vſus aquæ, xxi.

Vſu legato, ſi plus uſus ſit legatarius, quàm oportet, officio iudicis continetur, ne aliter, quam debet utatur, ff. eod. l. pen. §. fi.

Vſuariæ rei ſpeciem is, cuius proprietas eſt, nullo modo commutare poteſt, deteriorem. n. cauſam vſuarii facere non poteſt, facit autem deteriorem etiam in

meliorem

meliorem statum commutata, ff. eod. l. fi.

Plenum autem usum debet habere vsuarius, si & uillæ, & Prætorii ei relictus est, ff. eod. l. plenum, xii. in princ.

Dominus proprietatis etiam inuito fructuario, vel vsuario fundum, uel ædes per saltuarium, vel insularium custodire potest, interest enim eius fines prædii tueri: eaque omnia dicenda sunt quolibet modo constitutus ususfructus, uel usus fuerit, ff. de vsu, & habit. l. si ita, xvi. §. dominus.

Item is ad quem iumenti vsus pertinet, ipse tantum eo uti pôt, ad alium uerò nullo modo ius suum transferre ei concessum est, Inst. de vsu, & habit. §. itē is qui.

Si bouum armenti vsus relinquatur, omnem usum habebit, & ad arandum, & ad cætera, ad quæ boues apti sunt, ff. eod. l. plenum, xii. §. si bouum.

Equitii quoque legato usu, equos domare poterit, & aduchendum sub iugo vti, & si forte Auriga fuit is, cui vsus æquorum relictus est, non circensibus his vsurus est: quia quasi locare eos uidetur. sed si testator sciens eum huius esse instituti, & vitæ, reliquit, videtur etiam de hoc vsu sensisse, d. l. plenum. §. æquitii.

Sed etsi pecorum, uel ouium vsus legatus sit, neque lacte, neque agnis, neque lana vtetur vsuarius: quia ea in fructu sunt, modico tamen lacte vsurus est, neq; enim tam strictè interpretandæ sunt voluntates defunctorum. Planè ad stercorandum agrum suum vti potest, Inst. de vsu, & hab. §. sed etsi pecorum, & ff. eo. l. plenum, xii. §. sed si pecoris.

Si cui habitatio legata, siue aliquo modo constituta sit, neque vsus videtur, nec vsusfructus, sed proprium aliquod ius. Quamquam habitationem habentibus propter rerum utilitatem permittatur, non solum in ea degere, sed etiam aliis locare, Inst. de vsu, & habit. §. sed si cui.

Si habitatio legetur, effectu quidē idem penè est, legatum vsus, & habitationis. Denique donare non poterit. sed eas personas recipiet quas, & vsuarius. ad hęredem tamen non transit, nec non vtendo amittitur, nec capitis deminutione, ff. eod. l. si habitatio, x. in prin.

Si sic relictum sit. ILLI DOMVS VSVSFRVCTVS HABITANDI CAVSA, sola habitatio relicta uidetur. non vsusfructus, & in tantum habitatio valet, vt non antecedat vsumfructum, nec dominium habitationis speret legatarius, nisi specialiter euidentibus probationibus legatarius possit ostendere, & dominium ei domus esse relictum. Planè si dixisset testator. VSVM HABITANDI CAVSA, non dubitaremus quin valeret, & non unius anni habitatio, sed donec viuat legatarius, habitatio competit, d. l. si habitatio, §. sed si sic coniuncta, l. cum antiquitas, xiii. C. de usu, & hab.

Habitatio morte finitur nec proprietatem, qui habitationem habuit, legando dominii uendicatione excludit, C. eod. l. habitatio, xi.

Si mulieri vsus domus legatus sit, & illa transmare profecta sit, & constituto tempore ad amittendum vsum abfuerit, maritus vero domo vsus fuerit, retinetur nihilominus vsus: quemadmodum si familiam suam in domo reliquisset, eaq; peregrinaretur, & hoc magis dicendum est, si vxorem in domo reliquerit maritus, cū ipsi marito usu domus legatus sit, ff. quib. mod. ususfr. amit. l. si mulieri.

Epilogus.

Hæc de seruitutibus, & usufructu, & vsu, & habitatione dixisse sufficiāt. de hæreditatibus aūt, & obligationib. suis, locis, proponemus, Insti. de vs. & habit. §. pen.

Exposuimus summatim quib. modis iure gentium res adquiruntur: modo videamus quibus modis legitimo, & ciuili iure adquirantur. Inst. eod. §. fi.

COM-

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI.

Omiſsis iis,quibus à iure Canonico,Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione, contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Quartus.

DE VSVCAPIONIBVS.

Titulus I.

IVRE ciuili conſtitutum fuerat in vſucapionibus tempus anni vnius in mobilibus, Biẽnii vero in immobilibus,ſed pro meliore ſententia cautum eſt, vt res quidem mobiles per triennium, immobiles uero per lõgi temporis poſſeſsionẽ, ideſt inter præſentes decennio,inter abſentes viginti annis vſucapiantur. Inſt. de vſucap. in princ. & C. de vſucap. transfor. l. vnica.

Bono publico vſucapio introducta eſt, ne ſcilicet quarũdam rerum diu, & ferè ſemper incerta dominia eſſent, cum ſufficeret dominis ad inquirendas res ſuas,ſtatuti temporis ſpatium,ff. de vſucap. l. prima.

Vſurpatio eſt vſucapionis interruptio,Oratores autem vſurpationem frequẽter vſum uocant,ff. eod. l. ſecunda.

Vſucapio eſt adiectio Dominii per continuationem poſſeſsionis temporis lege definiti,ff. eod. l. tertia.

Sequitur de vſucapione dicere,& hoc ordine eundum eſt,ut uideamus quis poteſt vſucapere,& quas res,& quo tempore. Vſucapere poteſt, ſcilicet paterfamilias,filiusfam. & maxime miles in caſtris adquiſitum vſucapiet. Pupillus ſi ſine tutore auctore cœperit poſsidere, uſucapit, ſi non tutore auctore poſsideat,& animum poſsidendi habeat: dicemus poſſe eum uſucapere. Furioſus, quod ante furorem poſsidere cœpit,uſucapit. Sed hæc perſona ita demũ uſucapere poteſt,ſi ex ea cauſa poſsideat,ex qua uſucapio ſequitur,ff. eod. l. quarta,in princip.

In vſucapionibus non à momento, ad momentum, ſed totum poſtremum diem computamus, Ideoque qui hora ſexta Kalendarum Ianuariarum poſsidere

cœpit, hora ſexta noctis Pridie Klendas Ianuarias implet vſucapionem, ff. eo. l. ſexta, & ſeptima.

In vſucapionibus mobilium continuum tempus numeratur, ff. eod. l. nunquam, xxxi. §. primo.

In vſucapionibus ita ſeruatur, vt & ſi minimo momento nouiſsimi diei poſſeſſa ſit res, nihilominus repleatur vſucapio, nec totus dies exigitur, ad explendum conſtitutum tempus, ff. de diuer. & temp. præſcriptio. l. penultima, in princip.

Si aliena res bona fide empta ſit, non emptionis initium, ſed venditionis ſpectamus, ff. eod. l. ſi aliena, x. in princ.

Eum, qui à furioſo bona fide emit, uſucapere poſſe reſponſum eſt. Si mandauero tibi, ut fundum emas, ex ea cauſa traditum tibi diutina poſſeſsione capis, quamuis poſsis uideri non pro tuo poſsidere: cum nihil interſit quod mandati iudicio tenearis, ff. eod. l. pignori, xiii. §. eum qui.

Eum, qui poſtquam vſucapere cœpit, in furorem incidit vtilitate ſuadente relictum eſt, ne languor animi damnum etiam in bonis afferat, ex omni cauſa impleri vſucapionem, ff. eod. l. iuſto, xliiii. §. eum qui.

Sine poſſeſsione vſucapio contingere non poteſt, ff. eodem. l. ſine poſſeſsione, xxv.

Rerum mixtura facta, an vſucapionem cuiuſque præcedẽtem interrumpit, quæritur. Tria autem genera ſunt corporum unum, quod continetur vno ſpiritu, & appellatur vnitum, vt tignum lapis, & ſimilia. Alterum, quod ex contingentibus, hoc eſt, pluribus inter ſe cohærentibus conſtat, quod connexum uocatur, vt ædificium, nauis armarium. Tertium, quod ex diſtantibus conſtat: ut corpora plura nõ ſoluta, ſed uni nomini ſubiecta, ueluti, Populus, Legio, Grex. Primum genus vſucapione quæſtionem non habet, ſecundum & tertium habet. Labeo libris Epiſtolarum ait. Si is cui ad tegulorum, uel columnarũ uſucapionem decem dies ſupereſſent, in ædificium eas conieciſſet: nihilominus eum uſucapturum, ſi ædificiũ poſſediſſet. Quid ergo in his, quæ non quidẽ implicantur rebus ſoli, ſed mobilia permanent, vt in annulo, gemma? in quo verum eſt, & aurum, & gemmam poſsideri, & uſucapi, cum utrunque maneat integrum. De tertio genere, quoque videndum eſt, non autem Grex vniuerſus ſic capiatut vſu, quomodo ſingulæ res, nec ſic quomodo cohærentes. Quid ergo eſt? & ſi ea natura eius eſt, vt adiectionibus corporum maneat: non idem tamen vniuerſi Gregis vlla eſt vſucapio: ſed ſingulorum animalium ſicuti poſſeſsio, ita & vſucapio. Nec ſiquid emptum immixtum fuerit Gregi augendi eius gratia, idcirco poſſeſsionis cauſa mutabitur: vt ſi reliquus Grex dominii mei ſit, hæc quoque ouis: ſed ſingulæ ſuam cauſam habebunt, ita ut, ſi quæ furtiuæ erunt, ſint quidem ex grege, non tamen vſucapiantur, ff. eod. l. rerum mixtura, xxx.

Si Dominus fundi, homines armatos venientes exiſtimauerit, atque ita profugerit, quamuis nemo eorum fundum ingreſſus fuerit, ui deiectus videtur, ſed nihilominus id prædium, etiam antequam in poteſtate domini redeat, à bonæ ſidei poſſeſſore vſucapitur: quia lex Plautia, & Iulia ea demum vetuit longa poſſeſsione capi quæ ui poſſeſſa fuiſſent, nõ etiam ex quibus vi quis deiectus fuiſſet, ff. eod. l. non ſolum, xxxiii. §. ſi dominus.

Si mihi Titius, à quo fundũ petere uolebã, poſſeſsione ceſſerit, uſucapionis cauſam iuſtã habebo. ſed etſi is, à quo ex ſtipulatu fundum petere uolebam, ceden

do mihi poſſeſsione, ſi ſoluendi cauſa id fecerit, eo ipſo efficiet, ut fundū longo tempore capiam, ff. eod. l. non ſolum, xxxiii. §. ſi mihi.

Qui pignori rem dat, vſucapit, quandiu res apud creditorum eſt. ſi creditor eius poſſeſsionem alii tradiderit, interpellabitur vſucapio. Et quantum ad vſucapionem attinet, ſimilis eſt ei, qui quid depoſuit, vel commodauit, quos palam eſt deſinere vſucapere, ſi commodata, vel depoſita res alii tradita fuerit ab eo, qui commodatum, vel depoſitum accepit. Planè ſi creditor nuda conuentione hypotecam contraxerit, vſucapere debitor perſeuerabit, d. l. non ſolum, xxxiii. §. qui pignori.

Rei depoſitæ proprietas apud deponentem manet; ſed & poſſeſsio, niſi apud ſequeſtrem depoſita eſt: nam tunc demum ſequeſter poſsidet. Id enim agitur ea depoſitione, vt neutrius poſſeſsioni id tempus procedat, ff. depoſiti, l. licet, xvii. §. fin.

Creditor, qui præſcriptione longæ poſſeſsionis à poſſeſſore pignoris ſubmoueri poſsit, pignus diſtraxit, poſſeſſori aduerſus emptorem eadem exceptio competit, ff. de diu. & temp. præſcri. l. creditor, xii.

Si rem ſurreptam mihi procurator meus appræhendit, quamuis per procuratorē poſſeſsionem adipiſci nos iam ferè conueniat: nihilomagis eam in poteſtatē meam rediiſſe, uſuq; capi poſſe exiſtimandum eſt: quia contra ſtatui captioſū erit, ff. de vſucap. l. ſi rem, xli.

Quod autem ad eas res, quæ ſolo continentur, expedit ius ita procedit, ut ſi quis loci uacantis, vel fundi alieni poſſeſsionem propter abſentiam, aut negligentiam Domini, aut quia ſine ſucceſſore deceſſerit, vel longo tempore abfuerit, ſiue vi nanciſcatur: quamuis ipſe mala fide poſsideat, quia intelligit ſe alienum fundum occupaſſe, tamen ſi alii bona fide accipienti tradiderit, poterit ei longa poſſeſsione res adquiri, quia neque furtum, neque ui poſſeſſum acceperit: abolita eſt enim quorundam veterum ſententia exiſtimantium, etiam fundi, locive furtum fieri, & eorum utilitati, qui res ſoli poſsident principalibus conſtitutionibus proſpicitur: ne cui longa, & indubitata poſſeſsio debeat auferri, Inſt. de vſucap. §. quod autem, & ff. eod. l. fundi, xxxvii. & l. ſeq.

Mala fide res poſsidens, aut per uenditionem, aut per donationem, aut aliter eas alienet, alius autem qui eas res ad ſe pertinere putet ſciens, prudenſque intra decem annos inter præſentes, & uiginti inter abſentes, ſecundum leges emptorem, aut qui donationem acceptauit, aut in quem alio quocunque modo res translatæ fuerint. ſi teſtatorum conueniat, iis qui huiuſmodi res adeptus fuerit firmiter ea obtinebit poſt decennii, videlicet inter præſentes, inter abſentes verò vicennii decurſum. Cæterum ſi verus rerum dominus ignoret, ſimul quòd hæ res ad ipſum pertineant, ſimul quòd alienatio interceſſerit iubetur, vt non aliter, quàm tricennii præſcriptione excludatur, eo, qui res hoc modo poſsidet, dicere nequeunte, quòd ipſe bona fide poſsideat, quando à malæfidei poſſeſſore haſce perceperit. Quantum vero ad præſcriptionem decenni, & hæc decernere viſum eſt, vt ſi vnquàm in prædicta aliquis temporali decennii præſcriptione per aliquot annos præſens, ſit, per aliquot rurſum abſit, totidem illi ad decennium alii anni apponantur, quot ex ipſo decennio abſens fuit. Nouell. conſt. cxix. §. ultra hæc.

Si quis aliqua exiſtimatione deceptus crediderit, ad ſe hæreditatem per-

tinere, quæ ad eum non pertineat, & rem hæreditariam alienauerit, furtum non committit, & fundi quoque alieni potest aliquis sine vi nancisci possessionem, quæ vel ex negligentia Domini vacet, vel quia Dominus sine successore decesserit, vel longo tēpore abfuerit, ff. de vsucap. l. potest, xxxvi. §. item si duis, cum l. seq.

Cum post moram, & omissam quæstionem res ad noua Dominia bona fide transierint, & ex inde noui viginti anni intercesserint sine interpellatione, non est inquietanda, quæ nunc posidet persona, quæ sicut accesione prioris domini, non vtitur, qui est inquietatus, ita nec impedienda est, quod ei mota controuersia sit, quòd si prior possessor inquietatus est, & si postea per longum tempus sine aliqua interpellatione in possessione remansit, tamē nō potest vti longi temporis præscriptione, quod etiam in republi. seruari oportet, C. de præscrip. lon. temp. l. prima.

Longi temporis præscriptio iis, qui bona fide acceptam possessionem, & continuatam, nec interruptam inquietudine litis tenuerunt, solet patrocinari, C. eod. l. secunda.

Si vineæ, quas mater, vitrico in dotem dedit, proprietatis filii sunt, nec vlla præscriptio transacti temporis prolixitate aboleuit, Præses Prouinciæ ipsi restitui eas efficiet, C. eod. l. tertia.

Longi temporis possessione munitis instrumentorum amissio nihil iuris aufert. nec diuturnitate possessionis, paratam securitatem, maleficium alterius turbare potest, C. eod. l. septima.

Emptor bona fide contra præsentem, decennii præscriptione in cuius initio contestationem haberi sufficit, posteaquàm suam impleuerit intentionem petitor adhibita probatione iustæ possessionis defensus absolui rectè postulat, C. eod. l. nona.

Nec bona fide possessionem adeptis longi temporis præscriptio, post moram litis contestatæ, complecta proficit: cum post motam controuersiam in præteritum extimetur, C. eod. l. x.

Si per errorem de alienis fundis, quasi de communibus iuditio communi diuidundo accepto exadiudicatione posidere cœperim: longo tempore capere capere possum, ff. de vsucap. l. si per errorem, xvii.

Neque superficies sine solo capi longo tempore potest, ff. eodem, l. neque, xxvi.

Si filius meus peculiari, vel etiam meo nomine, quid tenet, & ego per eum ignorans posideam, vel etiam vsucapiam: si is furere cœperit, donec in eadē causa res fuerit, intelligendum est, & possessionem apud me remanere. & vsucapionem procedere: sicuti per dormientes quoque eos idem nobis contingeret. Idemque in colono, & inquilino, per quos posidemus, dicendum est, ff. de vsucap. l. nunquam, xxxi. §. si seruus.

Si cum apud hostes pater agat, filius emat, siquidem ex causa peculii, possedit vsucapio inchoatur, nec impedimento captiuitas patris est, cuius scientia in ciuitate non esset necessaria, Si uerò non ex causa peculiari comparetur, vsu non capitur, nec iure postliminii quæsitum intelligitur. Sin autem pater ibi decesserit, quia tempora captiuitatis ex die, quo capitur, morti iungerentur, potest filium dici, & possedisse sibi, & vsucœpisse intelligi, ff. de vsucap. l. iusto, xliiii. § si cum apud hostes.

Cum in longi temporis præscriptione tres essent ambiguitates: prima propter

res

res vbi positæ sint, secunda propter personas, siue vtriusq; siue alterutrius præsentiam exigimus, & tertia si in eadem prouincia, vel in eadem ciuitate, debent esse personæ, tã petentis, quàm possidentis, & res pro quibus certatur, sancitum est debere, vtriusque personæ, tàm petentis, quàm possidentis spectari domicilium, vt an is, qui dominii, vel hypotecæ quæstionẽ inducit, quàm is, qui res possidet, & domicilium habeat in uno loco, idest in una prouincia. hoc enim magis eligendum videtur, vt non ciuitate concludatur domicilium, sed magis prouincia: & si uterque domicilia in eadem habeat prouincia, causam inter præsentes esse videri, & decennii magis præscriptione agentem excludi. De rebus autem de quibus dubitatio est, nulla erit differentia, siue in eadem prouincia sint, siue in vicina, uel trans mare positæ, vel longo spatio separatæ. Sin autem non in eadem prouincia, vterque domicilium habeat, sed alter in alia, alius in altera: tunc vt inter absentes causa disceptabitur, & locus erit viginti annorum exceptioni. Eadem obseruando, & si res nõ soli sint, sed incorporales, quæ in iure consistũt, veluti vsusfructus, & cæteræ seruitutes, C. de præscr. longi temp. l. fin.

Diutina possessio, quæ prodesse cœperat defuncto, & hæredi continuatur, quod similiter, & in vsucapionibus obseruari constitutum est, vt tempora continuẽtur, Inst. de vsucap. §. diutina.

Possessio testatoris ita hæredi procedit, si medio tempore, a nullo possessa est, ff. eod. l. possessio, xx.

Hæres, & hæreditas tametsi duas appellationes recipiunt, unius tamen personæ vice funguntur, ff. eod. l. hæres, xxii.

Vacuum tempus, quod ante aditam hæreditatem, vel post aditam intercessit, ad vsucapionem hæredi procedit, ff. eod. l. nunquam, xxxi. §. vacuum.

Et cœptam vsucapionem à defuncto posse, & ante aditam hæreditatem, impleri constitutum est, ff. eod. l. cœptam, xl.

Quod iure singulari receptum est, ff. eodem. l. iusto, xliiii. §. nondum aditæ.

Si defunctus emit, hæres autem putat eum ex donationis causa possedisse, is usu capiet, ff. eod. l. nunquam, xxxi. §. fi.

Interdum etiam si nõ fuerit inchoata vsucapio à defuncto, procedit hæredi eius, veluti si vitium, quod obstabat, non ex persona, sed ex re purgatum fuerit: Ex re, ut puta si fisci res esse desierit, aut furtiua, aut ui possessa, ff. eod. l. vbi lex, xxiiii. §. interdum.

Cùm hęres in omne ius defuncti succedit, ignoratione sua, defuncti vitia, non excludit, veluti cum sciens alienum illum, illo, vel precario possedit: quamuis enim precarium hæredem ignorantem non teneat, nec interdicto rectè conueniatur: tamen vsucapere non poterit, quod defunctus non potuit. Idem iuris est, cum de longa possessione quæritur: neque enim rectè defendetur, cum exordium ei bonæfidei ratio non tueatur, ff. de diuer. temp. pręscript. l. cum hæres, xi.

In re legata in accessione temporis, qua testator possedit, legatarius quasi hæres est, ff. de vsucap. l. id tempus, xiiii. §. fi. & ff. de acq. poss. l. Pomponius. §. sed & legatarius.

Vitium auctoris, vel donatoris, eiusque qui mihi rem legauit, mihi non nocet, neque prodest, si fortè ipse iustum initium possidendi non habuit. nam denique & vsucapere possum, quod auctor meus, vsucapere non potuit, ff. de diu. temp. præscr. l. quinta, in princ.

Ex facto propositum est, quendam cum rem pignori dedisset, eandem distraxisse, hæredemque eius redemisse, quæritur an hæres aduersus pignoris persecutionem, exceptione longæ possessionis, uti posit, & responsum est: hunc hæredem qui pignus ab extraneo redemit posse exceptione uti, quia in extranei locum successit, non in eius qui pignori dederat, quemadmodum si ante redemisset sic deinde hęres extitisset, d.l. quinta. §. ex facto.

Inter uenditorem quoque & emptorem coniungi tempora Diui Seuerus, & Antoninus rescripserunt, Inst. de usucap. §. inter uenditorem.

Si duobus eandem rem separatim uendiderim, ea possessio, quæ utramque uenditionem præcesserit, soli priori emptori, cui & tradita sit, proficit: Denique & si quam tibi uendiderim, rursus à te emam, & Titio uendam, & mea omnis, & tua possessio Titio accessura est, uidelicet, quòd & tu mihi, & ego ei possessionem præstare debemus, ff. eod. l. sexta in princ.

Siue ex donatione, siue ex alia lucratiua causa bona fide, quis per decem, uel uiginti annos, rem possedisse probetur, adiecto scilicet etiam tempore prioris possessionis, longi temporis exceptio, ei cōpetit, nec occasione lucratiuæ causæ repellitur, C. de præscrip. longi temp. l. penult.

Id tempus uenditoris prodest emptori, quo antequàm uenderet possedit, nam si postea nactus est possessionem, uenditor, hæc possessio emptori non proficiet, ff. de vsucap. l. id tempus, xiiii. in princ.

Si æquum emisti, vt si aliqua condicio extitisset inemptus fieret, & is tibi traditus est, & postea condicio emptionem resoluit, tempus quo apud emptorem fuit, accedere uenditori debet, quoniam eo genere retroacta uenditio esset redibitioni similis, in qua non dubitatur, tempus eius, qui redibuerit uenditori accessurum, quoniam ea uenditio propriè dici non potest, ff. eod. l. si hominem, xix.

De accessionibus possessionum, nihil in perpetuum neque generaliter, definire possumus: consistunt enim in sola æquitate. Planè tribuunt his, qui in locum aliorom succedunt, siue ex contractu, siue ex uoluntate. hæredibus enim, & his qui successorum loco habentur, datur accesio testatoris. Itaque si mihi uendideris æquum, vtar accessione tua; & si mihi pignori dederis, & ego eandem rem alii pignoraui: meus creditor utetur accessione tui temporis, tam aduersus extraneum, quàm aduersus teipsum, quamdiu pecuniam mihi non exsolueris, nam qui me potior est, cum ego te superaturus sum: multo magis aduersus te obtinere debet, sed si pecuniam mihi solueris, hoc casu accessione tua non utetur. Item si absente te, is, qui negotia tua uidebatur administrare equum mihi vendiderit, tuque reuersus ratum habueris, omnimodo accessione vtar. Item si mihi pignori dederis, & conueneris, nisi pecuniam soluisses, licere ex pacto pignus uendere: idque vendiderim, emptori accessio tui temporis dari debebit: licet inuiro te pignora distracta sint, iam enim illo in tempore, quo contrahebas, videris cōscesisse venditioni, si pecuniam non intulisses, ff. de diuers. temp. præscrip. l. de accessionibus, xiiii.

Accessio possessionis fit non solum temporis, quo apud eum fuit, vnde is emit: sed & qui ei vēdidit, vnde tu emisti. sed si medius aliquis ex auctoribus nō possederit, præcedentium auctorum possessio non proderit: quia coniuncta non est, sicut nec ei, qui non possidet, auctoris possessio accedere potest. Item adiciendum est, unde emisti, aut vnde is emit, cui tu emendum mandaueras: & quòd apud eum, qui vendendam mandauit. quod si is quoque cui mandatum

erat

erat alii vendendum mandauerit: non aliter huius, qui poſtea mandauerat, acceſsio datur, quàm ſi id ipſum dominus ei permiſerit. ſed etſi à filio rem emero acceſsio temporis, & quo apud patrem fuit, ita danda eſt mihi, ſi aut voluntate patris, aut cum adminiſtrationem peculii haberet, uendidit. Item danda eſt acceſsio cum eo, quòd apud pupillum fuit à cuius tutore, cum is tutelam eius adminiſtraret, emiſti. Idemque & in eo qui à curatore pupilli furioſive emerit, ſeruandum eſt, & ſi ventris nomine aut eius quę rei ſeruandæ cauſa in poſſeſsione eſſet dotis ſuæ nomine deminutio facta ſit. nam id quoque temporis accedit. Hæ autem acceſsiones non tam latè accipiendæ ſunt, quàm verba earum patent: vt etiam ſi poſt venditionem traditionemque rei traditæ apud venditorem res fuerit, proficiat id tempus emptori, ſed illud ſolum quod ante fuit, licet venditionis tempore eam rem venditor non habuerit. Ei cui hæres rem hæreditariam uendidit, & hæredis tempus, & defuncti debet accedere. Acceſsio vero ſine noſtro tempore nobis prodeſſe non poteſt, ff. de diuerſ. tempor. præſcript. l. pen. §. fi.

Cum quis adminiculo vtitur, ex perſona Auctoris vti debet, cum ſua cauſa ſuiſq; vitiis: denique addimus in acceſsione de vi, & clam, & præcario uenditoris. Præterea quæritur, ſi quis equum venditori redhibuerit an acceſsione vti poſſit ex perſona eius, & ſunt qui putent non poſſo, quia venditionis eſt reſolutio, redhibitio. alii emptorem venditoris acceſsione vſurum, & vẽditorem emptoris, quod magis probandum eſt, ff. de acquir. poſſeſſ. l. Pomponius, xiii. §. cum quis.

Quæſitum eſt, ſi hæres prius non poſsederat, an teſtatoris poſſeſsio ei accedat, & quidem in emptoribus poſſeſsio interrumpitur, ſed non idem in hæredibus. plerique probant: quoniam plenius eſt ius ſucceſsionis, quàm emptionis: ſed ſubtilius eſt, quod in emptorem, & in hæredem id quoque probari, d. l. Pomponius. §. quæſitum.

Non autem ea tantum poſſeſsio teſtatoris hæredi procedit, quæ morti fuit iniuncta: verum ea quoque, quæ unquam teſtatoris fuit, d. l. Pomponius. § non aut.

In dote quoque ſi data res fuerit, uel ex dote: recepta acceſsio dabitur, uel marito, vel vxori, d. l. Pomponius. §. in dotem.

Si is, qui præcario conceſsit, acceſsione velit vti ex perſona eius cui conceſsit: quandiu manet præcarium acceſsione vti non poteſt, ſi tamen receperit poſſeſsionem rupto præcario dicendum eſt, accedere poſſeſsionem eius temporis, quo precario poſsidebatur, d. l. Pomponius. §. ſi is qui.

Si iuſſu iudicis res mihi reſtituta ſit, acceſsionem eſſe mihi dandam placuit, d. l. Pomponius. §. ſi iuſſu.

Bonæfidei autem emptor eſſe videtur, qui aut ignorauit eam rem alienam eſſe, aut eum qui vendidit ius putauit vendendi habere, ff. de verbor. ſignific. l. bonæ fidei, cix.

Qui à quolibet rem emit, quam putat ipſius eſſe bona fide emit, at qui ſine tutoris authoritate a pupillo emit, vel falſo tutore authore quem ſcit tutorem non eſſe: non videtur bona fide emere, ff. de contrahen. emptio. l. qui à quolibet, xxvii.

Acceſsiones in eorum perſona locum habent, qui habent propriam poſſeſsionem. Cæterum acceſsio nemini proficit, niſi ei qui ipſe poſſedit. Præterea ne uitioſę quidem poſſeſsioni ulla poteſt accedere, ſed ne vicioſa ei, quæ vicioſa

non

non eſt, ff. de acqu. poſſ. l. Pomponius, xiii. §. acceſsiones.

Si filiusfamiliàs vendiderit dabitur acceſsio eius, quod penes me fuit, ſcilicet, ſi volente me, aut de peculio cuius liberam peculii adminiſtrationem habuerit. Tutore quoque, uel curatore vendente dabitur acceſsio eius temporis, quo pupillus, vel furioſus poſſedit, d. l. Pomponius. §. fin.

Non mutat vſucapio ſuperueniens pro emptore, vel pro hærede, quominus pignoris perſequutio ſalua ſit: vt enim vſusfructus vſucapi non poteſt, ita perſequutio pignoris, quæ nulla ſocietate dominii coniungitur, ſed ſola conuentione conſtituitur, vſucapione rei non peremitur, ff. de vſucapio. l. iuſto, xliiii. §. non mutat.

Poteſt pluribus modis accidere, vt quis rem alienam aliquo errore deceptus, tanquam ſuam vendat fortè, aut donet, & ob id à bonæfidei poſſeſſore res vſucapi poſsit, veluti ſi hæres rem defuncto commodatam, aut locatam, vel apud eã depoſitam exiſtimans hęreditariã eſſe alienauerit, ff. de vſucap. l. poteſt, xxxvi. in princ. & Inſt. eod. §. ſed tamen.

Aliis quoque modis accidere poteſt, vt quis ſine vitio furti, rem alienam ad aliquem transferat, & efficiat, ut à poſſeſſore vſucapiatur, Inſt. eod. §. aliis quoq;.

Siquis aliqua exiſtimatione deceptus crediderit, ad ſe hæreditatem pertinere, quæ ad eum non pertineat, & rem hæreditariam alienauerit, furtum non committit: furtum enim ſine affectu furandi non committitur, d. l. poteſt, xxxvi. §. fi. & l. ſeq. in princ.

Filiusfamiliàs emptor alienæ rei, cum patremfam. ſe factum ignoraret cœpit rẽ ſibi traditam poſsidere, vſucapiet; cum bona fide initio poſſeſsionis adſit, quã uis is qui per errorem eſſe arbitretur, rem ex cauſa peculiaria quæſitã, nec poſſidere poſsit. idem dicendum erit, & ſi ex patris hæreditate ad ſe perueniſſe, rem emptam non læui præſumptione credat, ff. de vſucap. l. iuſto, xliiii. §. filiuſ familiàs.

Si exiſtimans debere tibi tradam, ita demum uſucapio ſequitur, ſi & tu putes debitum eſſe. Aliud ſi putem me ex cauſa vẽditi teneri, & ideo tradam. Hic enim niſi actio præcedat pro emptore vſucapio locum non habet. Diuerſitatis cauſa in illo eſt, quod in cæteris cauſis ſolutionis tempus inſpicitur, neque intereſt cum ſtipulor ſciam alienum eſſe, nec ne, ſufficit enim me putare meum eſſe, cũ ſoluis. in emptione autem, & contractus tempus inſpicitur, & quod ſoluitur. nec poteſt pro emptore vſucapere, qui non emit, nec pro ſoluto ſicuti in cæteris contractibus, ff. eod. l. penult.

Aliquando etiam furtiua, vel vi poſſeſſa res vſucapi poteſt, veluti ſi in domini poteſtatem reuerſa fuerit, tũc enim uitio rei purgato procedit eius uſucapio. Inſtit. de vſucap. §. aliquando.

Quod autem ait lex Atinia, ut res furtiua nõ uſucapiatur, niſi in poteſtatem eius, cui ſubrepta eſſet reuertatur; ſic acceptum eſt, vt in Domini poteſtate debeat reuerti, non in eius vtique, cui ſubreptum eſt, igitur creditori ſubrepta, & ei cui commodata eſt, in poteſtatem Domini redire debet, ff. de vſucap. l. quarta. §. quod autem.

Si rem, quam apud te depoſueram, lucrifaciendi cauſæ uendideris: deinde ex pęnitentia redemeris, & eodem ſtatu habeas, ſiue ignorante me, ſiue ſciente, ea geſta ſint videntur in poteſtatem meam rediſſe, d. l. quarta. §. item Labeo.

Tunc in poteſtate domini rediiſſe dicendum eſt, cum poſſeſsionem ei nactus ſit iuſtè, vt auelli non poſsit, ſed & tanquam ſuę rei, nam ſi ignorans rẽ mihi ſub-

reptam

reptam emam,non videtur in potestatem meam reuersam, sed etsi uindicauero rem mihi subreptam,& litis extimationem accepero,licet corporaliter eius non sit nactus possesione,vsucapietur. Idem dicendum est,etiam si voluntate mea alii tradita sit,d.l.quarta.§.tunc.

Si pupilli res subrepta sit sufficere dicendum est, si tutor eius sciat redisse eam in domum pupilli,& si furioso,sufficere curatorem scire,d. l. quarta, §. si pupilli res.

Qui tutelam gerit transigere cū fure potest, & si in potestatem suam redegerit, res furtiua desinit furtiua esse,quia tutor domini loco habetur, sed & circa curatorem furiosi eadem dicenda sunt: qui adeo personam domini sustinet, ut etiam tradendo rem furiosi alienare existimetur, condicere autem rem furtiuam tutor,& curator furiosi eorum nomine possunt, ff.de furtis,l.interdū,lvi. §.qui tutelam.

Si ad Dominum ignorantem perueniret res furtiua, vel vi possessa, non videtur in potestatem domini reuersa. ideoque nec si post talem domini possesionē bona fide emēti venierit,vsucapio sequitur,ff.de furtis,l.si ad dominū, lxxxvi.

Si bona fide rem meam emeris,eamque ego surripuero, vel etiam tuus vsusfructus sit,& eam contractauero,tenebor tibi pro furto,& si dominus rei sim, sed his casibus vsucapio quasi furtiuæ rei non impedietur: quoniam, & si alius surripiat,& in mea potestate reuersa res fuerit, vsucapiebatur, ff. eod. l. cum æs, xx.§.si bona fide.

Cum vir Prædium dotale vendidit scienti, vel ignoranti rem dotis esse; uenditio non ualet,quam defuncta postea muliere in matrimnnio confirmari conuenit,si tota dos lucro mariti cesit. Idem iuris est,cum is,qui rem furtiuā uendidit,postea domino hæres extitit,ff.de vsucap.l.cum vir,xlii.

Si quid est surreptum vsucapi non potest, antequàm in domini potestatem peruenerit. Item si id quod mihi pignori dederis surripueris erit res furtiua facta: sed simulatque in meam potestatem uenerit, usucapi poterit, ff. de vsucap.l.fin.

Res fisci usucapi non potest,sed Papinianus scripsit bonis uacantibus nondum fisco nuntiantis bonæfidei emptorem traditam sibi rem ex his bonis usucapere pose. Instit.de usucap.§.res fisci.

Quamuis aduersus fiscum vsucapio non procedat,tamen ex bonis vacantib. non dum tamen nuutiatis emptor prædii ex iisdem bonis extiterit recte diutina posesione capiet,ff.eod.l.quamuis,xviii.

In omnibus quæstionibus exceptis causis,in quibus minora tempora seruari specialiter constitutum est, uiginti annorum,præscriptio custoditur. Reipublicæ rationes,& expuntæ aduersus eum quidem, qui administrauit ultra uiginti, aduersus hæredem vero vltra decem annos tractari non posunt,ff.de diu.tempo.præscrip.l in omnibus, xiii.

Si quisquam iu fluminis publici diuerticulo solus pluribus annis piscatus sit,alterum eodem iure uti prohibet,ff.eod.l.si quisquam,septima.

DE

DE QVADRIENNALI PRAESCRIPTIONE.
Titulus II.

Notum est à fisco quæstionem post quadriennium continuum super bonis vacantibus inchoandam non esse: ac à iditum est, & eos qui largitate Principis nituntur nulla inquietudine lacessendos esse: nec iis à fisco controuersiam commouendam, qui quoquo modo, aut titulo easdem res possederint, C. de quadr. præscr. l. prima.

Intra quatuor annos vacantium bonorum delator facta denuntiatione destitit post quatuor annos secundi delatori venienti, prior nunciatio, quo minus præscriptione temporis submoueatur non proderit, nisi prioris præuaricatio detegetur. quo declarato, præscriptio, sed & negotii quæstio peremetur. Quadriennii tempus, quod bonis vacantibus nunciandis præscriptum est, non ex opinione hominum, sed ex substantia vacantia bonorum dinumeratur. Quatuor autem anni post iritum testamentum factum, & intestati possessionem ab omnibus repudiatam, qui gradatim petere potuerunt, uel temporis finem, quod singulis præstitutum est, computabuntur, ff. de diuers. tempo. præscri. l. intra, x.

Edicto Diui Marci cauetur, eum qui à fisco rem alienam emit, si post uenditionẽ quinquennium præterierit posse Dominum rei exceptione repellere. Constitutio autem Diuæ memoriæ Zenonis bene prospexit iis, qui à fisco per uenditionem, aut donationem, uel alium titulum accipiunt aliquid, vt ipsi quidem securi statim fiant, & victores existant, siue experiantur, siue conueniantur: aduersus autem Sacratissimum Erarium, vsque ad quadriennium liceat iis intẽdere, qui pro dominio, vel hypoteca earum rerum, quæ alienatæ sunt, putauerint sibi quasdam competere actiones. ita tamen, vt post elapsum quadriennium, nec sacratissimum fiscum licere sibimet quibuslibet actionibus pulsare cognoscant. Inst. de vsucap. §. fi. & C. de quadr. præscr. l. secunda.

Dum dicitur in textu statim securi fiant allegatur pro contraria lex. nec ullã. xiii. § itẽ. siquis. ff. de hæreditatis petitione, hæc uerba legis (utilem actionẽ aduersus eũ dari) intelligi debẽt, pro uera solutione aduersus fiscũ nõ emptorẽ, quia cõtra emptorem daretur directa, utilis uero datur contra fiscum, quia directa conueniri non potest.

Cum in fiscalibus alienationibus obseruaretur dispositio Zenonis Imperatoris, & non simili modo circa eas res, quæ à Sacratissimis Imperatoribus non à fiscalibus rebus, sed ex priuata eorum substantia procedunt, sancitum est omnes alienationes de aula procedentes sine omni inquietudine permanere, siue per Imperatorem, siue per procuratorem Cæsaris fuerint assignatæ, & siue mobiles, siue immobiles, seu se mouentes, vel iura incorporalia sint, & nemo audebit possessores iudiciis afficere, sed aduersus domos Imperatoris habent inter quadriennium, secundum imitationem fisci, quas existimant posse sibi competere actiones in rem, vel hypotecariam. Quod si quadriennium præterierit, nec aduersus domos prædictas habebit, quis quamcũque actionem, C. de quadr. pręscr. l. fi.

DE VSVCAPIONE PRO EMPTORE.
Titulus III.

Possessor, qui litis æstimationem obtulit, pro emptore incipit possidere, ff. pro empt. l. prima.

Pro emptore possidet, qui re vera emit, nec sufficit tantum in ea opinione esse eum, vt putet se pro emptore possidere: sed debet etiam subesse causa emptionis. si tamen existimans me debere tibi ignoranti tradam, vsucapies quare ergo, & si putem me vendidisse, & tradam: non

non capies usu? scilicet quia in cæteris contractibus sufficit traditionis tempus. Sic denique si sciens stipulem rem alienam vsucapiam; Si cum traditur mihi existimem illius esse. at in emptione, & illud tempus inspicitur quo contrahitur. Igitur, & bona fide emisse debet, & possessionem bona fide adeptus esse, ff. eod. l. secunda, in princ.

Quod uulgò traditum est eum, qui existimat se quid emisse, nec emerit, non posse pro emptore vsucapere hactenus verum est. si nullam iustam causam eius erroris emptor habeat, nam si fortè procurator cui emendam rem mādasset persuaserit ei se emisse, atque ita tradiderit: magis est, vt usucapio sequatur, ff. eodem. l. quod vulgo, xi.

Separata est causa possessionis, & usucapionis. nam verè dicitur quis emisse, sed mala fide. quemadmodū quis sciēs alienam rem emit, pro emptore possidet, licet usu non capiat, ff. eod. l. secunda. §. separata.

Si sub conditione emptio facta sit, pendente conditione, emptor vsu non capit, Idemque est, & si patet conditionem extitisse, quæ nondum extitit. Similis est enim ei, qui putat se emisse. Contra si extitit, & ignoret: potest dici secundum Sabinum, qui potius substantiam intuetur quàm opinionem vsucapere eum. est tamen nonnulla diuersitas, quod ibi cum rem putat alienam, quæ sit uenditoris affectionem emptoris habeat: at cum nondum putat conditionem extitisse, quasi nondum putat sibi emisse. Quod apertius quæri potest, si cum defunctus emisset hæredi eius tradatur, qui nesciat defunctum emisse, sed ex alia causa sibi tradi: an vsucapio cesset? Sabinus, si sic empta sit, ut nisi pecunia intra diem certum soluta esset, inempta res fieret non vsucapturum nisi persoluta pecunia. Sed uidendum est, vtrum conditio sit hoc, an conuentio, si conuentio est; magis resoluetur, quàm implebitur: si in diem addictio facta sit, idest nisi siquis meliorem conditionem attulerit, perfectam esse emptionem, & fructus emptoris effici, & vsucapionem procedere Iulianus putabat. Alii, & hanc sub conditione esse contractam, ille non contrahi, sed resolui dicebat, quę sententia vera est, sed & illa emptio vna est, vbi conuenit, vt si displicuerit intra diem certum inempta sit, ff. eod. l. secunda. §. si sub conditione.

Si pendente conditione emptor, vel venditor decesserit constat, si extiterit conditio hæredes, quoque obligatos esse, quasi iam contracta obligatione in præteritum, quòd si pendente conditione res tradita sit emptor non poterit eam vsucapere pro emptore, & quod præcii solutum est, repetetur, & fructus medii temporis venditoris sunt, ff. de periculo, & com. rei venditæ, l. octaua. §. quod si pendente.

Cùm Equum emissem, bos per ignorantiam mihi pro eo traditus est, eum nō vsucapiam, quia id quod emptum non sit, pro emptore vsucapi non potest, d. l. secunda. §. cum stichum.

Si fundus emptus sit, & ampliores fines positi sint totum longo tempore capiam, quoniam vniuersitas eius possideatur, non singulæ partes, d. l. secunda. §. sed si fundus.

Eius bona emisti, apud quem animalia deposita erant, tu non vsucapies, quia empta non sunt, d. l. secunda. §. eius bona.

Tutor ex pupilli actione rem quam eius putabat esse emit, potest is usucapere eo, quod deterior causa pupilli non sit. Si proprius habeat emptorem, & si minoris emerit tutelæ iudicio tenebitur, ac si alii minoris addixisset, d. l. secunda. §. tutor.

Procuratorem

Procuratorem, quoque qui ex actione, quam mandatu domini fecit, emerit plerique putant. vtilitatis causa pro emptore vsucapturum. idem potest dici, & si negotia Domini gerens ignorantis emerit, propter eandem vtilitatem, d. l. secunda. §. Procuratorem.

Si filius tuus peculiari nomine emat rem, quam scit alienam, licet tu ignores alienam esse, tamen vsu non capies, d. l. secunda. §. si seruus.

Procurator tuus si fundum, quem centum aureis uendere poterat, addixerit triginta aureis, in hoc solum, ut te damno afficeret, ignorante emptore dubitari non oportet, quin emptor longo tempore capiat: nam & cum sciens quis alienum fundum vendidit ignoranti, non interpellatur longa possesio, quòd si emptor cum procuratore collusit, & cum præmio corrupit, quo vilius mercaretur: non intelligetur bonæfidei emptor, nec longo tempore capiet, & si aduersus petentem dominum vti cœperit exceptione rei voluntate eius venditæ: replicatio doli utilis futura est, ff. eod. l. septima. §. Procurator.

Si à pupillo emero sine tutoris auctoritate, quem puberem esse putem, dicimus vsucapionem sequi, vt hic plus sit in rem, quàm in existimationẽ, quod si scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine tutoris auctoritate administrare, non capies usu: quia iuris error nulli prodest, ff. eod. l. secunda. §. si à pupillo.

Si à furioso, quem putem sanæ mentis, emero: constitit vsucapere vtilitatis causa me posse, quamuis nulla esset emptio, & ideo nec de euictione actio nascitur mihi, nec publiciana competit, nec accesio possesionis, d. l. secunda. §. si à furioso.

Si eam rem, quam pro emptore vsucapiebas scienti mihi alienam esse uẽdideris: non capiam vsu, d. l. secunda. §. si eam rem.

Emptori tempus uenditoris ad vsucapionem procedit, dicta. l. secunda. §. emptori.

Post mortem, qui æquum emerit explecto tempore, quod defuisset ad vsucapionem quamuis eum æquum hæres posidere non cœpisset: fiet tamen eius. sed ita hoc si nemo eum possedisset, ff. eod. l. sexta. §. si.

Intestatæ sororis hæreditas obuenit duobus fratribus, quorum alter absens erat, alter præsens, præsens etiam absentis causam agebat, ex qua hæreditate suo, & fratris sui nomine, fundum insolidum vendidit Lucio Titio bonafide ementi, si credidisset mandato fratris venisse totum fundum longa possesione cœpit, ff. eod. l. fin.

Si rem alienam emero, & cum vsucaperem eandem rem Dominus à me petierit, non interpelletur vsucapio mea litis contestatione, sed si litis æstimationẽ sufferre maluerim, causa possesionis mutatur ei, qui litis æstimationem sustulerit. idemque erit si Dominus ei, qui rem emisset à non domino, donasset. nam litis æstimatio similis est emptioni, d. l. secunda. §. fi. cum l. seq.

Emptor fundi partem eius alienam non esse ignorauerat, responsum est. nihil eũ ex eo fundo longa possesione capturum, quod ita uerum est, si quæ pars aliena esset in eo fundo emptor ignorauerat. Quod si certum locum esse sciret reliquas partes longa possesione potest capere. idem iuris est si is, qui totũ fundum emebat, pro indiuiso partem aliquam alienam esse scit. eam enim duntaxat non capiet cœterarum partium non impedietur longa possesionẽ capio, ff. pro empt. l. quarta.

Si quis fundum emerit cuius particulam sciebat esse alienam: Iulianus ait, si

pro

pro diuiſo ſciat alienam eſſe: poſſe eum reliquas partes longa poſſeſsione capere. Sed ſi pro indiuiſo licet ignoret quis ſit locus æquè is capere poteſt, quod ſine ullius damno pars deputatur eſſe uendentis per longam poſſeſsionem ad emptorem tranſit. Sed ſi ſciat, vel putet alienum eſſe uſumfructum: bona fide diutina poſſeſsione capere poteſt. idem & ſi emero rem quam ſciā pignori obligatam, ff. de acqu. poſſ. l. ſi quis fundum, xliiii.

Si rem quam tibi pignoraui ſurripuero, eamque diſtraxero de vſucapione dubitatum eſt, & uerius eſt utiliter cedere tempora vſucapionis, ff. pro empto. l. quinta.

Qui cum pro hærede, uel pro emptore vſucaperet precario rogauit vſucapere nō poteſt. Quid porrò inter eas res intereſt, cum utrobique deſinat ex prima cauſa poſsidere, qui precario uult habere: ff. eod. l. ſexta, in princ.

Qui fundum poſsidebat pro emptore, antequàm diutinam poſſeſsionem impleret deceſsit quamuis coloni qui in poſſeſsione relicti fuerant. diſceſſerunt relinquendæ eius gratia, nihilominus hæredi eius tempus longæ poſſeſsionis procedit, ff. eod. l. vii. in princ.

Si fundum Cornelianum pro emptore longa poſſeſsione capiam, & partem ex vicini fundo ei addiciam partes, quæ empto fundo addiciuntur propriam ac ſeparatam conditionem habent, & ideo poſſeſsionem quoque earū ſeparatim nanciſci oportet, & longam poſſeſsionem earum integro ſtatuto tempore impleri, d. l. vii. §. ſi fundum.

Si tutor rem pupilli ſurripuerit, & uendiderit vſucapio non contingit, priuſquā res in poteſtatem pupilli redeat. Nam tutor in re pupilli, tunc domini loco habetur, cum tutelam adminiſtrat, non cum pupillum ſpoliat, d. l. ſeptima. §. ſi tutor.

Furtiua res non intelligitur rediſſe in domini poteſtatem, quamuis poſsideret eam: ſi modo ignorauerit ſurreptam ſibi eſſe, d. l. ſeptima. §. furtiua.

Qui bona fide alienum fundum emit, & poſſeſsionem amiſit, deinde eo tempore apprehendiſſet, quo ſcit rem alienam eſſe non capiet longo tempore: quia initium ſecundæ poſſeſsionis uitio non carebit, nec ſimilis eſt ei, qui emptionis quidem tempore putat fundum uendentis eſſe, ſed cum traditur ſcit alienum eſſe, cum enim ſemel amiſſa fuerit poſſeſsio, initium rurſus recuperatæ poſseſsionis ſpectari oportet. quare ſi eo tempore redhibeatur fundus, quo emptor ſcit alienum eſſe vſucapio non contingit, quamuis antequā uenderet in ea cauſa fuerit, vt vſucaperet. Idem iuris eſt in eo, qui de fundo deiectus poſseſsionem per interdictum recuperauit ſciens iā alienam eſſe, ff. eod. l. ſeptima. §. qui bona fide.

Si quis, cum ſciret venditorem pecuniam ſtatim conſumpturū, equos ab eo emiſſet, plerique reſponderunt eum nihilominus bona fide emptorem eſſe, idque uerius eſt: quomodo enim mala fide emiſſe uidetur, qui à domino emit: niſi fortè & is, qui à luxurioſo, & protinus ſcorto daturo pecuniam equos emit, nō vſucapiet, ff. eod. l. ſi quis, viii.

Miſso legatario in poſſeſsionem, res pro emptore vſucapiuntur, ſalua prætorii pignoris cauſa, ff. eod. l. miſso, xii.

Alienam aream bona fide emit, & ante impletam diutinam poſſeſsionem ædificare cœpit, ei denuntiante Domino ſoli intra tempora diutinæ poſſeſsionis perſeuerauit, hoc non obſtante poſſeſsio non erit interpellata, ff. codem. l. penultima.

Ex causa transactionis habentes iustam causam possessionis, vsucapere possunt, C. de vsucap. pro emp. l. penult.

PRO HAEREDE, VEL PRO POSSESSORE.

Titulus IIII.

PRo hærede ex viui bonis nihil vsucapi potest, etiã si possessor mortui rem fuisse existimauerit, ff. pro hærede. l. prima.

Qui legatorum seruandorum causa in possessionem mittitur, non interpellat possessionem eius, qui pro hærede vsucapit: custodiæ enim causa rem tenet: sed etiam impleta vsucapione ius pignoris retinebit, ut non prius discedat, quam si solutum ei legatum fuerit, aut eo nomine satisdatum, ff. eod. l. secunda, in princ.

Pleriq; putauerunt si hæres sim, & putem rem aliquam ex hæreditate esse, quæ nõ sit, posse me vsucapere, ff. eod. l. tertia.

Constat eum, qui testamenti factionem habet, pro hærede vsucapere posse, ff. eodem. l. fin.

PRO DONATO.

Titulus V.

PRo donato is vsucapit, cui donationis causa res tradita est, nec sufficit opinari, sed & donatum esse oportet. Si pater filio, quẽ in potestate habet, donet, deinde decedat, filius pro donato non capiet vsum, quoniã nulla donatio fuit. Si inter uirum, & uxorẽ donatio facta sit, cessat vsucapio. Itẽ si uir vxori rẽ donauerit, & diuortium intercesserit, cessare usucapionem, Cassius respondit; quoniam nõ possit causam possessionis sibi ipsa mutare: aliàs ait, post diuortium ita usucapturam, si eam maritus concesserit, quasi nunc donasse intelligatur. Possidere autẽ uxorem rem à viro donatam Iulianus putat, ff. pro donato. l. prima.

Si vir vxori, vel vxor uiro donauerit, si aliena res donata fuerit, uerum est, quod Trebatius putabat, si pauperior is qui donasset, non fieret, vsucapionem possidenti procedere, ff. eod. l. tertia.

Si is qui alienam rem donauerit, reuocare constituerit donationem, etiam si iudicium ediderit, remque cœperit uindicare curret vsucapio, ff. eodem. l. secunda.

Si pater filiæ donauerit, quæ in potestate eius erat, & eam exhæredauerit, si id hæres eius ratum habeat, exinde ea vsucapiet donationem, qua ex die ratam hæres donationem habuerit, ff. eod. l. quarta.

Donationis causa facta uenditione, non pro emptore, sed pro donato res tradita usucapitur, ff. eod. l. fi.

Siue fuerit dominus, qui loca donauit, siue à non domino bona fide subscepta sunt, eaque donator usucapit, auferri sibi non possunt, C. pro donato. l. prima.

PRO

PRO DOTE.
Titulus VI.

RES mobiles in dotem datę, quāuis alienæ, si sine vitio tamē fuerint bonafide acceptæ, pro dote vsucapiuntur, C. pro dote, l. vnica. Titulus est vsucapionis, & quidem iustissimus, qui appellatur pro dote, vt qui in dotem rem accipiat, vsucapere posfit spacio solemni, quo solent, qui pro emptore vsucapiunt, & nihil refert singulæ res, an pariter vniuersæ in dotem darentur. Et primū de tempore uideamus, quando pro dote quis vsucapere posfit, vtrum post tempora nuptiarum, an vero, & ante nuptias. Est quæstio vulgata, an spōnsus posfit, hoc est, qui nondum maritus est, rem pro dote vsucapere, & Iulianus inquit, si spōsa sponso ea mente tradiderit res, ut non ante eius fieri uellet, quàm nuptiæ sequutæ sint, usus quoque capio cessabit, si tamen non euidenter, id actum fuerit, credendū est, id agi, Iulianus ait, vt statim res eius fiant, & si alienæ sint usucapi posfint, quę sententia probabilis videtur, ante nuptias autem non pro dote vsucapit, sed pro suo. Constante autem matrimonio pro dote vsucapio inter eos locum habet, inter quos est matrimonium. Cæterum si cesset matrimonium: Casfius ait cessare vsucapionem: quia ei dos nulla sit. ff. pro dote. l. prima.

Si ęstimata res ante nuptias tradita sit, nec pro emptore, nec pro suo ante nuptias usucapiet, ff. eod. l. secunda.

Duæ filiæ intestato patri hæredes extiterunt, & animalia communia singulæ in dotem dederunt, & post aliquod annos morte patris; familiæ ærciscundæ iuditium inter eas dictatum est, quæsitum est, cum mariti bona fide animalia in dotem accepta, ut dotalia multis annis posfiderunt, an usucępisse uideantur, si qui accipiebant dantis credidissent esse, responsum est: nihil proponi, cur non vsucępissent, ff. eod. l. fi.

PRO DERELICTO.
Titulus VII.

SI res pro derelicto habita sit statim nostra esse desinit, & occupantis statim fit, quia iisdem modis res desinunt esse nostræ, quibus adquiruntur, ff. pro derelicto. l. prima.

Pro derelicto rem a domino habitam, si sciamus, possumus adquirere: sed proculus non desinere eam rem domini esse, nisi ab alio possessa fuerit. Iulianus desinere quidem omittentis esse, non fieri autem alterius, nisi possessa fuerit, & rectè, ff. eod. l. secunda.

An pars pro derelicto haberi posfit, quęri solet, & quidem si in re cōmuni socius partem suam reliquerit, eius esse desinit, ut hoc sit in parte, quod in toto, atquin totius rei Dominus efficere non potest, ut partem retineat, partem pro derelicto habeat, ff. eod. l. tertia.

Id quod pro derelicto habitum est, & haberi putamus vsucapere possumus, etiā si ignoramus à quo derelictnm sit, ff. eod. l. quarta.

Si id, quod pro derelicto habitum posfidebas, ego sciens in ea causa esse abs te emerim, me vsucapturum constat, nec obstare, quod in bonis tuis nō fuerit: nam & si tibi rē ab vxore donatam sciens emero, quia quasi uolēte, & cōcedēte domino id faceres, idem iuris est. id quod quis pro derelicto habuerit conti-

nuo meum fit, sicuti cum quis æs sparserit, aut aues amiserit, quamuis incertæ personæ uoluerit eas esse, tamen eius fierent, qui eas sustulerit, eaque cum quis pro derelicto habeat, simul intelligitur uoluisse alicuius fieri, ff. eodem. l. quinta.

Nemo potest pro derelicto usucapere, qui falso existimauerit rem pro derelicto habitam esse, ff. eo. l. nemo, vi.

Si quis merces ex naue iactatas inuenisset, num ideo vsucapere non posit, quia non uiderentur derelictæ, quæritur. sed uerius est eum pro derelicto usucapere non posse, ff, eod. l. penult.

PRO LEGATO.

Titulus VIII.

LEgatorum nomine is uidetur posidere, cui legatum est, pro legato enim possessio, & usucapio nulli alii, quàm cui legatum est, compe tit, ff. pro legato. l. prima.

Pro legato vsucapi potest, si res aliena legata sit, aut testatoris quidem sit, sed adempta codicillis ignoratur. in horum enim persona iubeit iusta causa, quæ sufficit ad vsucapionem. idem potest dici, & si in nomine erit dubitatio, veluti si Titio legatum sit, cum sint duo Titii, vt alter eorum de se cogitatum existimauerit, ff. eod. l. quarta.

Ea res, quæ legati nomine tradita est, quamuis dominus eius uiuat, legatorum ta men nomine usucapietur, si is, cui tradita est, mortui esse existimauerit, ff. eo. l. ea res quinta, cum l. seq.

Si non traditam possessionem ingrediatur, sine uitio legatarius legatæ rei vsuca pio competit, ff. eod. l. penultim.

Nemo potest legatorum nomine vsucapere, nisi is cũ quo testamenti factio est, quia ea possessio ex iure testamenti proficiscitur, ff. eod. l. nemo, vii.

Si posideam aliquam rem, quam putabam mihi legatam, cum non esset, pro lega to non vsucapiam, non magis, quàm siquis emptum existimat, quod non eme rit, ff. eod. l. secunda, & tertia.

Pro legato usucapit, cui rectè legatum relictum est, sed & si non iure legatum relinquatur, vel legatum ademptum est, pro legato vsucapi post magnas varietates obtinuit, ff. eod. l. fin.

PRO SVO.

Titulus IX.

PRo suo possessio talis est, cum dominium nobis adquiri putamus, & ex ea causa posidemus, ex qua adquiritur. & propterea pro suo, utputa, ex causa emptionis, & pro emptore, & pro suo posideo, sed si res mihi ex causa iusta, puta emptionis, tradita sit, & usucapiam, incipio quidem, & ante vsucapionem pro meo posidere, sed an desinam ex causa emptionis post usucapionem dubitatur, & Mauricianus dicitur existimasse non desinere, ff. pro suo. l. prima.

Est possessio, quæ uocatur pro suo, hoc enim modo posidemus omnia, quæ mari terra cœlo capimus, aut quæ alluuione fluminũ nostra fiunt. Item quæ ex re-

bus

bus alieno nomine poſſeſsis nata poſsidemus, ueluti partum hæreditariæ, aut emptæ aquæ pro noſtro poſsidemus. ſimiliter fructus rei emptæ, aut donatæ, aut quæ in hæreditate inuenta eſt, ff. eod. l. ſecunda.

Equum, quem ex ſtipulatione te mihi debere falſo exiſtimabas, tradidiſti mihi, ſi ſciſſem mihi nihil debere uſu eum non capiam, quia ſi neſcio, uerius eſt, ut uſu capiam, quia ipſa traditio ex cauſa, quam ueram eſſe exiſtimo, ſufficit ad efficiendum, ut id quod mihi traditum eſt, pro meo poſsideam, ff. eodem. l. tertia.

Si pater cum filii bona, quæ habebat, partitus ſit, & ex ea cauſa poſt mortem patris, ea teneant, quòd inter eos conueniret, ut ea diuiſio rata eſſet, vſucapio his procedat pro ſuo in his rebus, quę alienæ in bonis patris inueniuntur, ff. eod. l. quarta. §. penult.

Quod legatum non ſit ab hærede, tamen perperam traditum ſit, placet à legatario vſucapi, quia pro ſuo poſsidet, ff. eod. l. quarta. §. fi.

Vſucapio rerum etiam ex aliis cauſis conceſſa, interim propter ea, quæ noſtra exiſtimantes poſsideremus, cóſtituta eſt, ut aliquis litium finis eſſet. ſed id quod quis, cum ſuum eſſe exiſtimaret, uſucapiet etiam ſi falſa fuerit eius exiſtimatio, quod tamen ita interpretandum eſt, ut probabilis error poſsidentis uſucapioni non obſtet, veluti ſi ob id aliquid poſsideam, quòd æquũ meũ, aut eius, cuius in locum hęreditario iure ſucceſsi, emiſſe id falſo exiſtimẽ, quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error eſt, ff. eod. l. fi.

Si quis rem furtiuam à domino emerit, & pro tradita habuerit deſinit eam pro furtiua poſsidere, & incipiet pro ſuo poſsidere, ff. de vſucapionibus. l. ſi fur, xxxii. in princ.

DE GLANDE, LEGENDA.

Titulus X.

AIT Prætor. GLANDEM, QVAE EX ILLIVS AGRO IN TVVM CADAT, QVOMINVS ILLI TERTIO QVOQVE DIE LEGERE AFFERRE LICEAT. VIN FIERI VETO glandis nomine omnes fructus continentur, ff. de glande legenda, l. vnica.

DE PRAESCRIPTIONE TRIGINTA, VEL QVADRAGINTA ANNORVM.

Titulus XI.

SI abſente Ariana ii, qui prædiis ſuis oculos impoſuerant operam dederint, ut annonariæ collationes prætextu uili precio ab offitio fiſcali prædia ſua diſtraherentur, ſi legitimi temporis ſpacium ex uenditionis die fluxit, qui prouinciam regit inter eos cognoſcet, & quod publico iuri præſcriptum eſt, ſtatuet, ſin autem nondum ex die publicæ venditionis legitimum tempus tranſmiſſum ſit, iudex examinatis allegationibus Arianæ, quod rei qualitas dictauerit, ſequetur, non ignarus ſi iniuſtam eſſe emptionem proſpexerit precium, quod pro uicioſo contractu datum eſt: malæ fidei

emptoribus restitui non oportere, C. de præscript. triginta, uel quadraginta ann. l. prima.

Sicut in rem speciales ita de uniuersitate, ac personales actiones, vltra xxx. annorum spatium minime protendantur, sed si qua res, vel ius aliquod postuletur, vel persona qualicunque actione, vel persequutione pulsetur, nihilominus erit agenti, xxx. annorum præscriptio metuenda. Eodem etiam iure in eius per sona ualente, qui pignus, uel hypothecam non à suo debitore, sed ab alio per longum tempus possidente nititur uindicare. Quæ ergo antea non sunt motę actiones triginta annorum iugi silentio, ex quo competere iure cœperunt, uiuendi ulterius non habent facultatem, nec sufficiat precibus oblatis speciale quondam, licet per adnotationem promeruisse responsum, uel etiam in iuditii allegasse, nisi allegato sacro rescripto, aut in iudicio postulatione deposita fuerit subsequuta per executorem conuentio: non sexus fragilitate, non absentia, non militia contra hanc legem defendenda, sed pupillari ætate duntaxat, (quamuis sub tutoris defensione consistat) huic eximenda sancioni, nam cum ad eos annos peruenerit, qui ad solicitudinem pertinent curatoris, necessariò ei similiter, ut aliis annorum, xxx. interualla seruanda sunt. Hæ aūt actiones annis triginta continuis extinguantur, quæ perpetuæ uidebantur, non illæ, quæ antiquis temporibus limitabantur. Post hanc uero temporis definitionem nulli mouēdi ulterius facultas patet etiam si se legis ignorantia excusare tentauerit, C. eod. l. tertia.

Nemo itaque audeat, nec actionis familiæ erciscundæ, neque cōmuni diuidundo, neque finium regēdorum, neque pro socio, neque vi bonorum raptorum, neque alterius cuiuscunque uis personalis actionis uitam longiorem esse triginta annis interpretari. sed ex quo ab initio competit, & semel nata, & post memoratum tempus finiri, C. de annali exceptio. l. prima. §. nemo itaque.

Omnes nocendi quibuslibet modis artes omnibus amputatis cunctas quidem temporales exceptiones: quæ ex uetere iure, uel principalibus decretis procedunt, tamquam si per hanc legem specialiter, ac nominatim fuissent numeratæ cum suo robore durare, & suum cunctis omnibus competunt, uel in posterum competere ualuerunt, pro sui tenore præsidium in perpetuum deferre decernitur, quidquid autem præteritarum præscriptionum, vel verbis, vel sensibus minus continetur, impleto, sancitum est, ut siquis contractus, uel si qua actio, quæ non esset expressim supradictis temporalibus præscriptionibus concepta, quorundam tamen, uel à fortuna, uel excogitata interpretatione sæpe dictatum exceptionum laqueos euadere posse, uideatur, sanctioni succumbat, vel quadraginta curriculis annorum proculdubio sopietur, nullumque ius priuatum, uel publicum in quacunque causa, uel in quacunque persona, quod prædictorum quadraginta annorum extinctum est, iugi silentio moueatur. sed quicunque super quolibet iure, quod per memoratum tempus inconcussum est, & sine ulla re ipsa illata iudiciaria contentione possedit, superque sua conditione, absque ulla iudiciali sententia simili munitione potitus est, liber sit, C. eod. l. quarta.

Sed hæc præscriptio quadraginta annorum non opponitur ab his, qui ad curialē conditionem vocantur, & lex quarta suprascripta de aliis loquitur conditionibus, cum constitutiones principum manifestissimę curiales, & liberos eorum explosis temporalibus pręscriptionibus patriis suis reddi præcipiunt, C. eod. l. quinta.

Ii qui

Ii qui rem aliquam per continuum annorum quadraginta curriculum ſine quadam legitima interpellatione poſſiderunt, de poſſeſsione quidem rei, ſeu dominio nequaquam moueri debent. functiones autem, ſeu ciuilem canonē, uel aliam quampiam publicam collationem impoſitam dependere compellūtur, nec huic parti cuiuſcunque temporis præſcriptio oppoſita admittitur, C. eod. l. ſexta.

Hypothecaria perſequutio, quæ rerum mouetur gratia, vel apud debitores conſiſtentium, vel apud debitorum hæredes, non ultra quadraginta annos ex quo competere cœpit prorogatur, niſi conuentio partium, aut ætas puberum intercesſerit, vt diuerſitas vtriuſque rerum perſequutionis, & in extraneos ſit in ſolo annorum numero: uerum in aliis omnibus ambæ ſimiles ſint in actione, ſcilicet perſonali, iis cuſtodiendis, quæ priſca conſtitutionum ſanxit iuſtitia; C. eod. l. ſeptima. §. quamobrem.

Si ſit primus creditor, & poſterior creditor hypothecam teneat, donec cōmunis debitor uiuit, non poteſt creditori anteriori triginta annorum exceptio opponi, ſed locus erit præſcriptioni quadraginta annorum, quia dum ille uiuit meritò anterior creditor confidit, ut puta apud debitorem eius poſſeſsione per poſteriorem creditorem conſtituta, ex quo in facta ſua debitor deceſſerit, ex eo quaſi ſuo nomine poſsidentem poſteriorem creditorem meritò poteſt triginta annorum opponere exceptionem, & ſecundum hanc diſtinctionem adhibenda eſt: vt ex perſona ſua quidem poſterior creditor triginta annos, quo ipſe poſt mortem debitoris poſſedit, opponat: ſin uero coniungere uoluerit ſuæ poſſeſsioni, quam poſt mortem debitoris habuit etiam tempus, quo uiuēte debitore, uel ipſe creditor, vel communis debitor detinuit: tunc quadraginta annorum exceptionis ius tractatur, & quantum deeſt ad quadraginta annorum poſſeſsionem per quam, & ipſe debitor credirorem repellere poterat hoc ſe poſſediſſe oſtendat. Eodem iure pro tempore computatione obſeruando, & ſi poſterior creditor anteriori creditori offerre debitum paratus eſt, & is creditor longæuam poſſeſsionem, poſſeſsionis ei opponere conatur, d. l. ſeptima. §. ſed cum illud.

Illud autem plus, quàm manifeſtum eſt, quod in omnibus contractibus, in quibus ſub aliqua conditione, vel ſub die certa, vel incerta ſtipulationes, & promiſsiones, vel pacta ponuntur poſt conditionis exitum, uel poſt inſtitutæ diei certæ, uel incertæ lapſum, præſcriptiones triginta, vel quadraginta annorum quæ perſonalibus, & hypothecariis actionibus opponūtur, initium accipiunt. Vnde euenit, vt in matrimoniis, in quibus redhibitio dotis, vel ante nuptias donationis in diem incertam mortis, vel repudii differri ſolet, poſt coniugii diſſolutionem earundem curricula præſcriptionum perſonalibus itidē actionibus, uel hypothecariis opponendarum initium accipiant, dicta. l. ſeptima. §. illud autem.

Immo, & illud procuidubio eſt, quod ſiquis eorum, quibus aliquid debetur, res ſibi ſuppoſitas ſine uiolentia tenuerit per hanc detentionem interruptio fit præteriti temporis, ſi minus effluxit triginta, uel quadraginta annis, & multo magis, quàm ſi eſſet interruptio per conuentionem introducta, cum litis conteſtationem imitatur ea detentio. Sed & ſiquis debitorum ad cognoſcendum ſuum debitum ſecundam cautionem in creditorem expoſuerit, tempora memoratarum præſcriptionum interrupta eſſe uidebuntur, quantum ad priorem cautionem pertinet, quæ innouata permanſit, tàm in perſonalibus, quàm in

hypothecariis

hypothecariis actionibus: namque improbum est, debitorem hunc contradicere, qui ne sub accusatione creditoris more debitoris fiat, secundam in eum super priore debito cautionem exposuit, d.l. septima §. immo, & illud.

In his etiam promissionibus, vel legatis, vel aliis obligationibus quæ dationem per singulos annos, vel menses, vel aliquod singulare tempus continent, tempora memoratarum præscriptionum, non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cuiuscunque anni, vel mensis, vel alterius singularis temporis computari, manifestum est. Nulla scilicet danda licentia, uel ei, qui iure emphitheutico rem aliquam per quadraginta, uel per quoscunque alios annos detinuerit, dicendi ex transacto tempore dominium sibi in iisdem rebus quæsitum esse, cũ in eodem statu semper manere datas iure emphitheutico res oporteat, uel cõductori, seu procuratori rerum alienarum dicenti ex quocunque temporum curriculo non debere se domino uolenti post complecta conditionis tempora possessionem recipere, eandem reddere, d.l. septima. §. In his etiam.

Siquis emptionis, uel donationis, uel alterius cuiuscunque cõtractus titulo rem aliquam bona fide per decem, vel viginti annos possederit, & longi temporis exceptionem contra dominos eius, uel creditores hypothecam eius prætendẽtes, sibi adquisierit, posteaquam fortuito casu possessionem eius rei perdiderit: potest is etiam actionem ad uendicandam eandem rem habere, C. eod. l. siquis, octaua in prin.

Quòd siquis eandem rem desierit possidere, cuius dominus uel is, qui suppositã eam rem habebat, exceptione triginta, uel quadraginta annorum expulsus est: prædictum auxilium non indistinctè, sed cum moderata diuisione præstatur, ut siquidem bona fide ab initio eam rem tenuerit, simili possit uti præsidio. Sin vero mala fide eam adeptus est; indignus eo uideatur: ita tamen, ut nouus possessor, siquidem ipse rei dominus ab initio fuit, uel suppositam eã habebat, & memoratæ exceptionis necessitate expulsus est: commodum detentionis sibi adquirat. Sin uero nullum ius in ea re quocunque tempore habuit, tunc licentiam sit priori domino, vel creditori, qui nomine hypothecæ rẽ obligatam habuit, & hæredibus eorum ab iniusto detentore eam uendicare, non obstante ei, quòd prior possessor triginta, vel quadraginta annorum exceptione eum remouerat. nisi ipse iniustus possessor triginta, vel quadraginta annorum ex eo tempore computandorum, ex quo prior possessor, qui euicit, ea possessione cecidit, exceptione munitus est, d.l. si quis. §. quòd siquis.

Sed hæc super illis detentoribus, qui sine uiolentia eandem rem nacti sunt, locũ habent. nam siquis uiolenter eam abstulerit: omnimodo licebit priori possessori sine ulla distinctione eam uindicare, d.l. si quis. §. sed hæc.

Sed si quis non per uim, sed per sententiam iudicis eam obtinuerit, ea tantum occasione, quod absens priòr possessor ad litem uocatus, minime responderit: licebit ei, & ad instar cæterorum, qui rei dominium habent intra annum se offerenti, cautionemque suscipiendæ litis danti eandem rem recipere, superq; ea conditionalia subire certamina, d.l. si quis. §. sed & siquis.

Exceptio etiam triginta, uel quadraginta annorum in illis contractibus in quib. interesse promissum est ex illo tempore initium capit, ex quo debitor id minime persoluit, d.l. siquis. §. fi.

In iudicium uocantes suos obnoxios, & iudiciariis certaminibus uentilatis, non ad certum finem litis producebant: sed taciturnitate in medio tempore adhibita, propter potentiam forte fugientium, vel suam imbecillitatem, uel alios quoscun-

quoſcunque caſus (cum ſortes humanæ multæ ſunt) qui nec dici, nec numerari poſſunt in huiuſmodi caſu exceptio, quæ ex triginta annis oritur non opponitur: ſed licet perſonalis actio ab initio fuerit inſtituta, ea tamen in quadraginta annos extenditur, cum non ſimilis ſit, qui penitus ab initio tacuit, ei, qui & poſtulationem depoſuit, & in iudicium uenit, & ſubiit certamina, litem autem implere per quoſdam caſus præpeditus eſt. ſed licet ipſe actor defecerit, tamen ſuæ poſteritati huius cauſæ curſum is relinquere poteſt, vt eius hæredibus, uel ſucceſſoribus liceat eam adimplere nullo modo triginta annorũ exceptione ſublata. Quod tempus, ideſt quadraginta annorum ſpatium ex eo decernitur numerari, ex quo nouiſsima proceſsit cognitio, C. eod. l. fi. & C. de annali except. l. prima. §. exceptis.

Vt nemini abſentia, uel potentia, uel infantia aduerſarii noceat, ſed ſit aliqua inter deſides, & uigilantes differentia: Sancitum eſt, ut ſi quando abfuerit is, qui res alienas, uel creditori obnoxias dedit, & deſiderat dominus rei, uel creditor ſuam intentionem proponere, & nõ licentia ſit, abſente ſuo aduerſario, qui rem detinet, uel infantia, uel furore laborante, & neminẽ tutorem, vel curatorem habente, uel in magna poteſtate conſtituto, ſua authoritate eas res vſurpare: licentia ei datur adire Præſidem prouinciæ, vel libellum ei porrigere, & hoc in quærimoniam deducere intra ſtatuta tempora, & interruptionem temporis facere, & ſufficere hoc ad pleniſsimam interruptionem. Sin autem nullo poterit modo Præſidem adire, ſaltem ad locorum Epiſcopum eat, uel defenſorem ciuitatis, & ſuam uoluntatem in ſcriptis manifeſtabit. Sin autem abfuerit, uel Præſes, vel Epiſcopus, vel defenſor ciuitatis: licebit ei proponere publice, vbi domicilium habet poſſeſſor, ſeu cum tabulariorum ſubſcriptione, vel ſi ciuitas tabularios non habet cum trium teſtium ſubſcriptione: & hoc ſufficit ad omnem temporalem interruptionem, ſiue triennii, ſiue longi temporis, ſiue triginta, uel quadraginta annorum ſit, omnibus aliis, quæ de lõgi temporis præſcriptione, uel triginta, vel quadraginta annorum conſtituta ſunt, in ſuo robore ualituris, C. de ann. excep. l. ſecunda.

Qui obnoxium ſuum in iudicium clamauerit, & libellum conuentionis ei tranſmiſerit, licet generaliter nullius cauſæ mentionem habentem, vel vnius quidem ſpecialiter tantummodo, aut perſonales actiones, vel hypothecarias cõtinentem, nihilominus videri ius ſuum omne eum in iudicium deduxiſſe, & eſſe interrupta temporum curricula; cum contra deſides homines, & ſui iuris contemptores odioſæ exceptiones oppoſitæ ſunt, C. de ann. exceptio. l. fin. §. ſancimus.

Male agitur cum Dominis prædiorum, ſi tanta precario poſsidentibus prærogatiua defertur, & eos poſt quadraginta annorum ſpacia qualibet ratione decurſa inquietare non liceat. cum lex conſtantiniana iubeat ab iis poſſeſſoribus initium non requiri, qui ſibi potius, quàm alteri poſſederunt. eos autem poſſeſſores non conuenit appellari, qui ita tenentur, ut ob hoc ipſum debeant pręſtare ſolitam mercedem. Nemo igitur, qui ad poſſeſsionem conductor accedit, diu alienas retinendo res ius ſibi proprietatis uſurpet, ne cogantur domini, aut amittere, quod locauerunt, aut conductores utiles ſibi fortaſsis excludere, aut annis omnibus ſuper dominio ſuo publice proteſtari, C. de præſcrip. xxx. vel xl. ann. l. ſecunda.

Filiisfamilias tam in maternis bonis, quàm in aliis, in omnibus caſibus, in quib. habent res minime patribus adquiſitas, nulla temporalis exceptio opponitur,

niſi

nisi ex quo sacris paternis absoluti sunt, in aliis autem, quæ minimè adquiri possunt, apertissima lege definitum est, nullam temporalem exceptionem opponi, nisi ex quo mouere actionem potuerunt: idest postquam manu paterna, uel eius, in cuius potestate erant constituti, fuerint liberati. Quis enim incusare eos poterit, si hoc non fecerint? quod & si maluerint minimè adimplere lege, obuiante ualebant, C. de ann. except. l. prima. §. fin. & C. de bonis, quæ lib. l. quarta. §. fin.

IN QVIBVS CAVSIS CESSAT VSVCAPIO, ET LONGI TEMPORIS PRAESCRIPTIO.

Titulus XII.

SED aliquando etiam si maximè, quis bona fide rem possederit, nõ tamen illi vsucapio vllo tempore procedit, ueluti si quis rem sacrã possideat; Inst. de vsucap. §. sed aliquando.

Vsucapionem recipiunt, maximè res corporales, exceptis rebus sacris sanctis, publicis, ciuitatum, ff. eod. l. vsucapionem, ix.

Nouissimè sciendum est, rem talem esse debere, ut in se non habeat uitium, ut à bonæfidei emptore vsucapi posit, vel qui ex alia iusta causa posidet, Inst. eod. §. nouissimè.

Hoc iure utimur, vt seruitutes per se, nusquam longo tempore capi posint, cum ædificiis posint, ff. eod. l. si aliena res, x. §. hoc iure.

Si is, cui colendus fundus datus est, post instrumenta, quibus Dominium ad locatorem pertinere probari potest, subtraxit, hoc solo præscriptione longi temporis defendi non potest, C. in quib. caus. cess. long. temp. præscr. l. prima.

Si is, qui pro hærede fundum posidebat, domino cum locauit nullius momenti locatio est: quia dominus suam rem conduxisset, sequitur ergo, ut & possessionem quidem locator retinuerit: ideo longi temporis præscriptio non durabit, in ueditione idem iuris est, quod in locatione, ut emptio suæ rei consistere non posit, ff. eod. l. ei à quo, xxi.

Vnus indiuiduum commune pro solido posidens interuallo longi temporis, quominus socius portionem uindicare, uel cum communi diuidundo iudicio prouocare posit, non defenditur: cum neque familiæ ærciscundę iudiciũ, nec communi diuidundo actio excludatur longi temporis præscriptione, C. in quibus causis, &c. l. tertia.

Hæreditatem quidem petentibus longi temporis præscriptio nocere nõ potest. Verum his, qui nec pro hærede, nec pro possessore, sed pro empto, uel donato, seu alio titulo res, quæ ex hæreditate sunt, uel fuerunt posident, cum ab his succesio uindicari non posit, nihil hæc iuris definitio noceat, C. eodem. l. quarta.

Cum pro hærede vsucapio locum non habeat, filius intelligit, neq; matrẽ suam, cui hæres extitit, neque se vsu animalia ex ea causa capere posse, C. de usucap. pro hæredi. l. prima.

Nihil pro hærede posse vsucapi, suis hæredibus existentibus obtinuit, C. eod. l. nihil. secunda.

Opinione falsa mortis pro hærede possesio rerum absentis procedere non potest, C. eod. l. opinione, tertia.

Vsucapio non præcedente vero titulo, procedere non potest, neque prodesse, neque

que tenenti, neque hæredi eius poteſt, neque obtentu velut ex hæreditate, quod alienum fuit, domini intentio ullo temporis longi ſpatio abſumitur, C. eodem. l. fin.

Qui æquum non pro derelicto habitum, ſed ab hoſtibus vulneratum ſumptibus ſuis curauit, longi temporis præſcriptione, quominus dominus eius offerens errogata rectè vendicet, defendi non poteſt. C. in quib. cauſ. ceſſ. l. fi.

Diutina poſſeſsio tantum iure ſucceſsionis ſine iuſto titulo obtenta prodeſſe ad præſcriptionem hac ſola ratione non poteſt, C. de præſcrip. longi temp. l. diutina, iiii.

Nec petentem Dominium ab eo, cui petentis ſolus error cauſam poſſeſsionis ſine vero titulo præſtitit, ſilentii longi temporis præſcriptione depelli, iuris eui dentiſsimi eſt, C. de præſcr. lon. temp. l. quinta.

Furtiuæ quoque res, & quæ ui poſſeſſæ ſunt, nec ſi prædicto longo tempore bona fide poſſeſsæ fuerint, vſucapi poſſunt: nam furtiuarum rerum lex xii. tabul. & lex Attilia inhibent vſucapionem, ui poſſeſſarum lex Iulia, & Plautia. Inſtit. de uſucap. §. furtiuæ quoque.

Lana ouium furtiuarum, ſiquidem apud furem detonſa eſt, vſucapi non poteſt. Si vero apud bonæfidei emptorem, contra, quoniam in fructu eſt, nec vſucapi debet, ſed ſtatim emptoris fit. Idemque in agnis dicendum eſt, ſi conſumpti ſint, ff. de vſucap. l. quarta. §. lana, & ff. de furtis. l. qui vas, xlix. §. ex furtiuis.

Si ex lana furtiua veſtimentum feceris, verius eſt, vt ſubſtantiam ſpectemus, & ideo veſtis furtiua erit, d. l. quarta. §. ſi ex lana.

Animalia ſi ab iis diſtracta ſunt, qui uendendi ius non habuerunt, uindicari poſſunt à domino: nec enim vſucapi ab emptore potuerunt, cum illicita uēditione furtum contractum ſit, C. de vſucap. pro empt. l. prima.

Si contra defuncti voluntatē equos, quos hæredibus ſuis ſeruari teſtamento præcepit, tutores uendiderunt uſucapi non potuerunt, C. eod. l. ſecunda.

Si partem poſſeſsionis malæfidei poſſeſſor vendidit, id quod ab ipſo tenetur, omnimodo cum fructibus recipi poteſt. portio autem, quæ diſtracta eſt, ita demū rectè petitur à poſsidente, ſi ſciens alienam comparauit, vel bona fide emptor nondum impleuit vſucapionem. Violenter enim poſſeſsione amiſſa, priuſquā in domini poteſtatē perueniat vſucapio emptori (& ſi bona fide mercatus eſt) non competit, C. eod. l. quinta.

Cùm ſit probatum rem pignori fuiſſe obligatam, & poſtea à debitore diſtractam: palàm eſt, non potuiſſe eam quaſi furtiuam vſucapi, C. eod. l. ſexta.

Sciens equum alienum contra domini uoluntatem venundans, furtum committit: quod rei vitium prius, quàm ad dominum eius reuertatur poſſeſsio, non permittit vſucapionem fieri, licet bona fide poſsideatur, C. eod. l. ſeptima.

Donantem equam alienam nihil domino diminuere, non eſt ambigui iuris: furtum etiam contrahere citra voluntatem domini cōtrectantem, ut eius rei, nec vſucapio poſsit procedere, C. de vſucap. pro donato. l. ſecunda.

Naturaliter interrumpitur poſſeſsio, cum quis de poſſeſsione vi deiicitur, uel alicui res eripitur, quo caſu non aduerſus eum tantum, qui erripit interrumpitur poſſeſsio: ſed aduerſus omnes, nec eo caſu quidquam intereſt, is qui uſurpauerit, dominus ſit, nec ne, ac ne illud quidem intereſt, pro ſuo quiſque poſsideat, an ex lucratiua cauſa, ff. de vſucap. l. quinta.

Si tu me expuleris de poſſeſsione, nec adprehenderis poſſeſsionem, ſed Titius in uacuam poſſeſsionem intrauerit: poteſt longo tempore. capi res: Quam-

uis enim interdictum VNDE VI locum habet, quia uerum est me ui deiectum, non tamen uerum est, & ui possessum. Cæterum etiam, & si mala fide fundum me possidentem deieceris, & uendideris. non poterit capi, quoniam uerum est ui possessum esse, licet à non domino; Idem dicendum est in eo, qui eum expulit, qui pro hærede possidebat, quamuis sciat esse hæreditarium. Si fundum alienum bona fide possidentem, quis sciens esse alienum expulerit, vsucapere non potest, quoniam ui possidet, ff. eodem. l. quarta. §. si tu me ui.

Si ab eo emas, quem prætor vetuit alienare, idque tu scias, vsucapere non potes, ff. de vsucap. l. si ab eo, xii.

Pignori rem acceptam usu non capimus, quia pro alieno possidemus, ff. eod. l. pignori, xiii. in princ.

Vbi lex inhibet vsucapionem, bonafides possidenti nihil prodest, ff. eod. l. ubi lex, xxiiii. in princ.

Si rem tuam cum bona fide possiderem, pignori tibi dem ignoranti tuam esse, desino vsucapere, quia non intelligitur quis suæ rei pignus contrahere, at si nuda conuentione pignus contractum fuerit: nihilominus vsucapiam: quia hoc quoque modo nullum pignus contractum videtur, ff. eod. l. non solum, xxxiii. §. si rem tuam.

Si solum vsucapi non poterit, nec superficies vsucapietur, ff. eod. l. si solum, xlix.

Patrem vsu non capturum quod filius emit, propter suam, uel filii scientiam, certum est, ff. eod. l. hęres, xliii. §. patrem.

Præscriptio longæ possessionis ad obtinenda loca iurisgentium publica concedi non solet, quod ita procedit, siquis ædificio funditus diruto, quod in litore posuerat, aut derelinquerat ædificium: alterius postea eodem loco extructo occupantis datam exceptionem opponat, vel siquis, quòd in fluminis publici diuerticulo solus pluribus annis piscatus sit, alterum eodem iure prohibeat, ff. eod. l. præscriptio, xlv. in princ.

Si emptam rem mihi procurator ignorante me, meo nomine adprehenderit, quamuis possideam, eam non vsucapiam, quia vt ignorantes usucœperimus, in peculiaribus tantum rebus receptum est, ff. eod. l. si emptam, xlvii.

Quod autem dictum est furtiuarum, & vi possessarum rerum vsucapionem per leges prohibitam esse, non eo pertinet, ut ne ipse fur quive per uim possidet vsucapere possit (nam his alia ratione vsucapio non competit, quia scilicet mala fide possident) sed ne vllus alius, quamuis ab eis bonafide emerit, uel ex alia causa acceperit, vsucapiendi ius habeat. Vnde in rebus mobilibus non facile procedit, vt bonæfidei possessoribus usucapio competat: nã qui sciens alienam rem vendiderit, vel ex alia causa tradiderit furtum eius committit. Inst. de vsucap. §. quod autem dictum est.

Aliis quoque modis accidere potest, vt quis sine vitio furti rem alienam ad aliquem transferat, & efficiat, vt à possessore vsucapiatur. Instit. eodem. §. aliis quoque.

Error autem falsæ causæ vsucapionem non parit, veluti siquis, cum non emerit, emisse se existimans, possideat, vel cum ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat. Instit. de vsucap. §. error.

Celsus libro trigesimoquarto errare eos ait, qui existimarent, cuius rei quisque bonafide adeptus sit possessionem, pro suo vsucapere eum posse, nihil referre, emerit, nec ne, donatum sit, nec ne si modo emptum, uel donatum sibi existimauerit:

maucrit: quia neque pro legato, neque pro donato, neque pro dote vſucapio valeat ſi nulla donatio, nulla dos, nullum legatum ſit. Idem & in litis æſtimatione placet, ut niſi verè quis litis ęſtimationem ſubierit, vſucapere non poſſit, ff. de vſucap. l. Celſus, xxvii.

Cum ſolum hæres eſſem, exiſtimarem autem te quoque pro parte hæredem eſſe, res hæreditarias pro parte tibi tradidi, propius eſt, ut uſu eas capere non poſſis: quia neque pro hærede vſucapi poteſt, quod ab hærede poſſeſſum eſt: neque aliam ullam habes cauſam poſsidendi. ita tamen hoc uerum eſt, ſi non ex tranſactione id factum fuerit. Idem dicimus ſi tu quoque exiſtimes te hæredem eſſe, nam hic quoque poſſeſsio veri hæredis obſtabit tibi, ff. eod. l. cum ſolus, xxix.

Nunquam in vſucapionibus iuris error poſſeſſori prodeſt, & ideo Proculus ait, ſi per errorem initio uenditionis tutor pupillo auctor factus ſit, uel poſt longum tempus venditionis peractum, vſucapi non poſſe, quia iuris error eſt, ff. eod. l. nunquam, xxxi. in princ.

Si quis id quod poſsidet non putat ſibi per leges licere vſucapere, dicendum eſt. etiam ſi erret, non procedere tamen eius vſucapionem, vel quia non bonafide uideatur poſsidere, vel quia in iure erranti non procedat vſucapio, ff. eod. l. ſi fur, xxxii. §. ſi quis.

Incertam partem poſsidere nemo poteſt: ideo ſi plures ſint in fundo, qui ignorēt quotam quiſque pattem poſsideat, neminem eornm mera ſubtilitate poſsidere, Labeo ſcribit, ff. eod. l. ſi fur. §. incertam.

Si fraude, & dolo (licet inter maiores vigintiquinque annis) facta uenditio eſt, hanc confirmare non potuit conſequens tempus: cum longi temporis præſcriptio in malæfidei contractibus locum non habeat, C. de præſcri. lon. temp. l. ſexta.

Eum, qui à pupillo ſine tutoris authoritate diſtrahente comparauit, nullum temporis lōgi ſpacium defendit. Sed ſi locupleĉtior emptoris pecunia factus, poſt pubertatem occaſionem iuris ad iniquum trahat compendium, doli mali ſubmouebitur exceptione, C. de vſucap. pro empt. l. fi.

Irritam facere donationem perfectam nemini licet: utique hoc uerum eſt, ſi error falſæ cauſæ ratione bonæfidei nō defenditur, quod & in Dominio pro vſucapione quærendo ſeruatur, C. de vſucap. pro donato. l. fi.

Neque fructuarium ad obtinendam proprietatem rerum, quarum vſumfructum habet, neq; ſucceſſores eius vlla temporis ex ea cauſa tenentes præſcriptio munit, C. de vſufr. l. neque fructuarium, viii.

QVIBVS NON OBIICIATVR LONGI TEMPORIS PRAESCRIPTIO.

Titulus XIII.

TEmpus expeditionis aduerſus petitiones, ſi quæ competiſſe iuſtæ probari poſſunt, præſcriptionem non parit, C. quib. non ob. long. temp. præſcr. l. prima.

Sed his ſolis militibus qui expeditionibus occupati ſunt, ea tantūmodo tempora qua in eadem expeditione percurrunt in exceptionibus declinandis opitulantur. illis temporibus perque citra expeditionū ne-

ceſsitatem in aliis locis, vel in ſuis ædibus degunt, minimè eos ad uindicandum hoc priuilegium adiuuantibus, C.eod.l.fi.

Cum per abſentiam Aurelii aliqui in res iuris ſui irruerint, ipſumque ob medendi curam à comitatu principis diſcedere non poſſe, palam ſit. Præfectus prætorio accerſitis iis, quos cauſa contingit, inter eos cognoſcet. Non neceſſariò autem petitur ex longi temporis diuturnitate præſcriptionem non opponi, quando iuſtæ abſentiæ ratio, & neceſsitatis publicæ obſequium ab huiuſmodi præiudicio defendat, C.eod.l.ſecunda.

Si poſſeſsio inconcuſſa, ſine controuerſia perſeuerauit firmitatem ſuam teneat obiecta præſcriptio, quam contra abſentes, uel Reipublicæ cauſa, uel maximè fortuito caſu, nequaquam valere decernitur, C.eod.l.quarta.

Non eſt incognitum id temporis, quod in minore ætate tranſmiſſum eſt, longi temporis præſcriptioni non computari; Ea enim tunc currere incipit, quando ad maiorem ætatem dominus rei peruenerit, C.eod. l.tertia.

Neque mutui, neque commodati, aut depoſiti, ſeu legati, vel fideicõmiſsi, vel tutelæ, ſeu alii cuilibet perſonali actioni longi temporis præſcriptionem, obiici poſſe: certi iuris eſt, C.eod.l.neque, v.

Ab hoſtibus captus, ac poſtliminio reuerſus, actione in rem directa, vel qualibet alia dominium uendicando temporis aduerſarii poſſeſsionem fruſtra timet, cum aduerſus eos, qui reſtitutionis auxilio, quacunque ratione iuuantur, huiuſmodi factum non opituletur, C.eod.l.ab hoſtibus, ſexta.

Præſcriptione bonafide poſsidentes aduerſus præſentes annorum decem, abſentes autem viginti muniuntur. Quòd ſi ex alicuius perſona de petitorum parte, reſtitutionis prætendarur auxilium: deducto eo, quo ſiquid fuerit geſtum, ſuccurri ſolet, reſiduum tempus computari, rationis eſt, C. eodem. l. ſeptima.

SI ADVERSVS CREDITOREM.

Titulus XIIII.

Diuturnum ſilentium longi temporis pręſcriptione corroboratum creditoribus pignus perſequentibus inefficacem actionem conſtituit: præterquam ſi debitores, vel qui in eorum iura ſucceſſerunt, obligatæ rei poſſeſsioni incumbant, vbi autem creditor à poſſeſſore longi temporis præſcriptio obiicitur: perſonalis actio aduerſus debitorem ſalua ei competit, C.ſi aduer.cred.l.prima.

Qui debitor hæres non extitit, ſed iuſta viginti annorum poſſeſsione collata in ſe donatio corroborata eſt: neque perſonali actione (quia debitori non ſucceſsit) conueniri eum iuris ratio permittit: nec data prædia pignori poſt interuallum longi temporis illi auferenda ſunt: quando præſentibus creditoribus decem annorum præſcriptionem opponi poſſe ſtatutum ſit, C. eodem. l. fina.

NE REI DOMINICAE, VEL TEMPLORVM VINDICATIO TEMPORIS EXCEPTIONE SVBMOVEATVR.

Titulus XV.

VNniuersas terras, quæ à colonis, siue emphyteuticariis dominici iuris, Reipublicæ, vel iuris sacrorum templornm, in qualibet prouincia uenditæ, vel vllo alio pacto alienatæ sunt ab iis, qui perperam, atque contra leges eas detinent, nulla longi temporis pręscriptione officiente, iubetur restitui : ita vt nec precium quidem iniquis comparatoribus reposcere liceat, C. ne rei dom, l. secunda.

Si qua vnquam loca ad sacrum dominium pertinentia cuiuslibet temeritas occupauerit : secundum veteris censis fidem in sua iura retrahantur, atque ita omnia quę suo corpore sunt euulsa, restituet: neque enim incubatio diuturna, aut nouella possessio proprietatis dominicæ priuilegium obolere potuit, C. eodem. l. fin.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCELATI,

Omiſsis iis,quibus à iure Canonico, Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione, contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Quintus.

DE DONATIONIBVS CAVSA MORTIS.

Titulus I.

EST, & aliud genus adquiſitionis donatio: donationum autem ſunt duo genera, mortis cauſa, & non mortis cauſa. Inſt. de don. in princ.

Donatio ſiue directa ſit, ſiue mortis cauſa inſtituta, ſiue conditione faciendi, aut non faciendi ſuſpenſa, ſiue ex aliquo notato tempore promiſſa, ſiue animo dantium accipientiumve ſententiis (quantum ius ſinit) cognominata: ſub hac fieri debet obſeruatione, vt quas leges indulgent actiones, cõditiones, pactioneſque contineat: hiſque penitus cognitis, vel recipiantur, ſi complacitæ ſunt, vel reiiciantur ſi ſunt moleſtæ. In conſcribendis autem donationibus nomen donatoris ius, ac rem notari oportet: neque id occultè, aut priuatim, ſed aut tabula, aut quodcunque aliud materiæ genus dabit tempus, vel ab eo, quem ſors miniſtrauerit, perſcribatur: actis etiam adnectendis quæ apud iudicem, uel Magiſtratus conficienda ſunt, ubi hoc leges expoſtulant, C. de don. l. donatio, xxv.

Mortis cauſa donatio eſt, cum propter mortis ſit ſuſpicionẽ cum quis ita donat, ut ſiquid humanius ei contigiſſet, haberet is, qui accepit: ſi autem ſuperuixiſſet is, qui donauit reciperet, uel ſi eum donationis pœnituiſſet, aut prior deceſſerit is, cui donatum ſit. Et in ſumma mortis cauſa donatio eſt, cum magis ſe quis vellit habere, quàm cum cui donat, magiſque eum cui donat, quam hæredem ſuum: ſic, & apud Homerum Thelemacus donat Piræo. ¶Donatio dicta eſt à dono, quaſi dono datum, ſed mortis cauſa donatio longè differt ab illa uera, & abſoluta donatione, quæ ita proficiſcitur, ut nullo caſu reuocetur, & ibi qui donat, illum potius, quàm ſe habere mauult; at is qui mortis cauſa donat,

ſe

se cogitat: atque amore uitæ recepisse, potius quàm dedisse mauult. & hoc est, quare vulgo dicatur, se potius habere uult, quàm eum cui donat. illum deinde potius quàm hæredem suũ. ergo qui mortis causa donat, qua parte se cogitat, negotium gerit, s. vt cum conualuerit, reddatur sibi. nec dubitauerunt Cassiani, quin conditione repeti posſit, quasi re non secuta, propter hãc rationem, quod ea quæ dantur, ut aliquid facias, aut ut ego aliquid faciam, aut ut Lucius Titius, aut vt aliquid obtingat, & in istis cõditio sequitur. Inst. de don. §. mortis causa, & ff. de donat. cau. mor. l. senatus, xxxv. §. donatio, & l. prima, & octaua, in fine.

Tam is, qui testamentum facit, quàm qui non facit mortis causa donare potest, ff. eod. l. tam is, xxv. & ff. de donat. l. vii. §. pari ratione.

Sed meminisse oportebit. si cui donare quoque permissum est, nisi specialiter etiam mortis causa donare fuerit permissum, non posse mortis causa donare. hæc omnia locum habebunt in paganis. cæterum qui habent castrense peculium, vel quasi castrense, in ea conditione sunt, vt donare, & mortis causa, & non mortis causa posſint, cum testamenti factionem habeant, d. l. septima. §. sed meminisse.

Tres sunt species mortis causa donationum, una cùm aliquis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis donat, alia cum quis imminente periculo commotus ita donat, ut statim fiat accipientis, alia verò, cum quis periculo motus non sic dat, ut statim accipientis faciat, sed tunc demum, cum mors fuerit insecuta, ff. de donationib. causa mortis. l. secunda.

Mortis causa donare licet, non tantum infirmæ ualetudinis causa, sed periculi etiam propinquæ mortis, vel ab hoste, vel à prædonibus, vel ab hominis potentis crudelitate, aut odio, aut nauigationis ineundæ. aut per insidiosa loca iturus, aut ætate fessus. Hæc enim omnia instans periculum demonstrant, ff. eod. l. tertia, cum tribus sequentibus.

Mortis causa donatio fit multis modis, aliàs extra suspicionem ullius periculi à sano, & in bona valetudine posito, & cui ex humana sorte mortis cogitatio est, aliàs ex metu mortis, aut ex præsenti periculo, aut ex futuro. Siquidem terra, marique, tàm in pace, q̃ in bello, & tàm domi, quàm militiæ, multis generibus mortis periculum metui potest. Nam & sic potest donari, ut omnimodo ex ea ualetudine donatore mortuo, res non reddatur, & vt reddatur etiam si prior ex eadem valetudine decesserit, si tamen mutata voluntate restitui sibi uoluerit. Et sic donari potest, vt non aliter reddatur, quàm si prior ille, qui accepit decesserit, sic quoque potest donari mortis causa, vt nullo casu sit repetitio. idest ne si conualuerit quidem donator, ff. de donat. cau. mort. l. senatus, xxxv. §. mortis causa.

In mortis causa donationibus etiam facti quæstiones sunt, nam & sic potest donari, vt omnimodo ex ea valetudine donatore mortuo res non reddatur. & ut reddatur, etiam si prior ex eadem ualetudine donator decesserit: si iam mutata voluntate restitui sibi voluerit, sed & sic donari potest, vt nõ aliter reddatur, quàm si prior ille, qui acceperit, decesserit. Sic quoq; potest donari mortis causa, vt nullo casu sit eius repetitio, idest nec si conualuerit quidem donator, ff. eod. l. si alienam, xiii. §. Marcellus.

Si filio famil. mortis causa donatum sit, & uiuo donatore moriatur filius, pater uiuat morte filii conditio competeret, si modo ipse potius filio, quàm pa-

tri donaturus dederit. alioquin si quasi ministro eius pater vsus sit ipsius patris mors spectanda erit, ff. eod. l. si filiofam. xxiii.

Vbi ita donatur mortis causa, vt nullo casu reuocetur causa donandi magis est, quam mortis causa donatio, & ideo perinde haberi debet, atque alia quæuis inter uiuos donatio. Ideoque inter viros, & vxores non valet, & ideo nec Falcidia locum habet, quasi in mortis causa donatione, ff. eod. l. vbi ita, xxvii.

Mortis causa capitur, cum propter mortem alicuius capiendi occasio obuenit: exceptis his capiendi figuris, quę proprio nomine appellantur: certè enim & qui hæreditario, aut legati, aut fideicommissi iure capit, ex morte alterius nanciscitur capiendi occasionē, sed quia proprio nomine hæ species capiendi appellantur. Ideo ab hac definitione separantur, ff. eodem. l. mortis causa, xxxi. in prin.

Si iusseris mortis causa debitorem tuum mihi, aut creditori meo expromittere decem: quid iuris esset quæritur, si iste debitor soluendo non sit, & ait Iulianus. si ego stipulatus fuerim: tantam pecuniam videri me cepisse, in quātum debitor soluendo fuisset, nam etsi conualuisset, inquit, donator, obligationem duntaxat debitoris recipere deberet, si verò creditor meus stipulatus fuerit tantam videri me pecuniam accepisse in quantum à creditore meo liberatus essem. Per accepti quoque lationem egens debitor liberatus totam eā pecuniam, qua liberatus est, cœpisse videtur. d. l. mortis causa. §. si iusseris.

Qui precio accepto hæreditatem prætermisit, siue ad substitutum peruentura sit hæreditas, siue ab eo intestato successurus, mortis causa capere uidetur. nam quidquid propter alicuius mortem obuenit, mortis causa capitur. nā & quod à legatario capitur mortis causa accipitur, & quod pater propter mortē filii, uel cognati mortis causa capitur, ff. eod. l. qui precio, viii.

Mortis causa filii sui pater rectè donare poterit, etiam constante matrimonio filii, ff. eod. l. mortis, xi.

Si mulier uentris nomine per calumniam, ut in possessionem mitti desideret, pecuniā accepit, forte dum substituto patrocinatur, ut institutū aliqua ratione excludat, mortis causa eā capere Iulianus sæpius scribit, ff. eod. l. si mulier, xii.

Eum qui vt adiret hæreditatem pecuniam accepisset, plerique in quibus priscus quoque, responderunt mortis causa capere, ff. eod. l. eum qui, xxi.

Mortis causa capimus non tunc solum, cum quis suæ mortis causa nobis donat, sed & si propter alterius mortem id faciat: veluti siquis filio, uel fratre suo moriente, donet Mæuio ea condictione, ut si conualuerit, alteruter eorum reddatur sibi res, si decesserit maneat apud Mæuium, ff. eo. l. mortis causa, xviii. in princip.

Si donaturus mihi mortis causa debitorem tuum creditori meo delegaueris, omnimodo capere videbor tantam pecuniam, quanta à creditore meo liberatus fuero, quod si ab eodem ego stipulatus fuero, eatenus capere existimandus ero, quatenus debitor soluendo fuerit, nam etsi conualuisset creditor, idēque donator; conditione, aut in factum actione debitoris obligationem duntaxat reciperet, d. l. mortis causa. §. si donaturus.

Titia chirographa debitorum suorū Septicii, & Mæuii donatura illis Ageriæ dedit, & rogauit, ut ea si decessisset, illis daret: si conualuisset sibi redderet. morte secuta Mæuia Titiæ filia hæres extitit. Ageria autem ut rogata erat, chirographa Septicio, & Mæuio suprascriptis dedit, quæritur si Mæuia hæres summam quæ debebatur, ex chirographis suprascriptis petat, uel ipsa chirographa:

pha: an exceptione excludi posit. responsum est Mæuiam, uel pacti conuenti, uel doli mali exceptione submoueri posse, ff. eod. d. l. mortis causa. §. Titia.

Qui alienam rem usucepit, non ab eo uidetur cepisse cuius res fuisset, sed ab eo qui occasionem usucapionis præstitisset, ff. eodem. l. qui alienam, xxxiii.

Non uidetur perfecta donatio mortis causa facta, antequam mors insequatur, ff. eod. l. non uidetur, xxxii.

Mortis causa donatio etiam sic constitui potest, ut quid stipuletur in annos singulos quoad uiueret. scilicet ut post mortem promissoris incipiat exactio, ff. eo. l. mortis causa, xxxiiii.

Sed qui mortis causa in annos singulos pecuniam stipulatus est, non est similis ei, cui in annos singulos legatum est. nam licet multa essent legata stipulatio tamen una est, & conditio eius cui expromissum est, semel intuenda est, ff. eo. l. senatus, xxxv. §. fin.

Hæ mortis causa donationes ad exemplum legatorum redactæ sunt per omnia, Inst. de donat. §. hæ mortis.

Illud generaliter meminisse oportebit, donationes mortis causa factas legatis cōparatas, quodcunque igitur in legatis iuris est, in mortis causa donationibus erit accipiendum, ff. eod. l. illud, xxxvii. in princ.

Et si debitor consilium creditorum fraudandorum non habuisset, auelli res mortis causa ab eo donata debet. nam cum legata ex testamento eius, qui soluendo non fuit, omnimodo inutilia sint, possunt uideri etiam donationes mortis causa factæ rescindi debere: quia legatorum instar obtinent, ff. eodem. l. & si debitor, xvii.

Iustinianus constituit donationes causa mortis penitus legatum esse, neq; publicorum actorum indigere monumentis: sed licere hanc perficere, inq; eam certas inserere conditiones, quas vellet donator: & si hoc fecisset, licentiam quoque haberet renunciandi ne pœnitentia ob tales donationes ductus reuocare eas posit. Nouell. Constitu. lxxxvii. §. nam cum scirent.

Omnibus mortis causa capere permittitur, qui scilicet & legata accipere posſūt, ff. eod. l. omnibus, ix.

Senatus censuit, placere mortis causa donationes factas in eos, quos lex prohibet capere, in eadem causa haberi, in qua essent, quæ testamento his legata essent, quibus capere per legem non liceret, ff. eod. l. senatus, xxxv. in princip.

Si quis societatem per donationem mortis causa inierit dicendum est nullam societatem esse, ff. eod. l. senatus, xxx. §. siquis societatem.

Ei, qui non amplius parte capere poterat, legatus est fundus, si decem dedisset hæredi. non totam summam is dare debet, ut partem fundi haberet, sed partem duntaxat pro rata qua legatum consequitur, ff. eod. l. ei qui, xx.

In mortis causa donationibus, non tempus donationis, sed mortis intuendū est, an quis capere posit, ff. eod. l. in mortis, xxii.

Quod conditionis implendæ causa datur, licet non ex bonis mortui proficiscatur: capere tamen supra modum non poterit is, cui certum modum ad capiendum lex concesit, ff. eod. l. quod, xxxvi. in princ.

Inter mortis causa donationem, & omnia quæ mortis causa quis ceperit, est eorum rerum differentia: nam mortis causa donatur. quo pręsens præsenti datur à mortis causa capi intelligitur, & quod non cadit in speciem donationis. Etenim cum testamento, quis sit hæres institutus sub conditione, si mihi decem dederit, accipiendo ab eo, qui hæres institutus est, conditionis eius explendę

plendæ causa, mortis causa capio, ff. eod. l. inter, xxxviii.

Ei cui mortis causa donatum est, posse substitui constat in hunc modum, ut promittat alicui, si ipse capere non posit, uel sub alia conditione, ff. eodem. l. ei qui, x.

Si duobus debitoribus mortis causa donaturus creditor, uni acceptum tulit, & conualuerit eligere potest, vtri eorum condicat, ff. eodem. l. senatus, xxxv. §. si duobus.

Si mortis causa donatus fundus est, & in eum impensæ necessariæ, atque vtiles factę sint; fundum vindicantes exceptione doli mali submouentur, nisi precium earum restituant, ff. eod. l. si mortis, xiiii.

Si alienam rem mortis causa donauero, eaque vsucapta fuerit, uerus dominus eam condicere non potest, sed ego si conualuero, ff. eod. l. si alienam, xiii. in princip.

Si filiofamilias res mortis causa data fuerit, & conualuisset donator: actionem de peculio cum patre habet. at si paterfamilias cum mortis causa donationem accepisset, in adoptionem se dederit, res ipsa à donatore repetitur. nec huic similis est is, qui rem, quàm mortis causa acceperat, alii porrò dederit: nam donator huic non rem, sed precium eius condiceret, ff. eodem. l. si filiofamilias, xix.

Quod debitori acceptum factum est mortis causa, si conualuerit donator, etiam tempore liberato ei potest condici: namque acceptilatione interueniente habitum de iure pristinæ obligationis: eamque in huius conditionē trāsfusam, ff. eod. l. quod, xxiiii.

Si quindecim sibi mortis causa donauerunt, pariter decesserunt, neutrius hæres repetet: quia neuter alteri superuixit. Idem iuris est, si pariter maritus, & vxor sibi donauerunt, ff. eod. l. si quindecim, xxvi.

Auunculo suo debitori mortis causa donaturus quę debebat, ita scripsit. Tabulę, uel chirographum tot, ubicunque sunt, inanes esse, neque eum soluere debere, quæritur an hæredes, si pecuniam ab auunculo defuncti petant, exceptione doli mali tueri se posint, & Marcellus respondit, posse: nimirum enim contra uoluntatem defuncti hæres petit ab eo, ff. eod. l. auunculo, xxviii.

Si mortis causa res donata est, & conualuit, qui donauit, uidendum, an habeat in rem actionem, & siquidem quis sic donauit, ut si mors contigisset, tunc haberet, cui donatum est, sine dubio donator poterit rem uindicare. mortuo eo, tunc is cui donatum est. si uerò sic, & iam nunc haberet, redderet si conualuisset, uel de prælio, uel peregre redisset: potest defendi in rem competere donatori, ut siquid horum contigisset. interim autem ei cui donatum est. sed & si morte præuentus sit is, cui donatum est, adhuc quis dabit in rem donatori, ff. eod. l. si mortis, xxix.

Qui mortis causa donauit ipse ex pœnitentia conditionem, vel vtilem actionē habet, ff. eod. l. qui mortis, xxx.

DE

DE DONATIONIBVS INTER VIVOS.

Titulus II.

SVnt donationes, quæ ſine vlla mortis cogitatione fiunt quas inter viuos appellamus, quæ non omnimodo comparantur legatis, quæ ſi fuerint perfectę temere, reuocari non poſſunt, perficiuntur autē cum donator ſuam voluntatem ſcriptis aut ſine ſcriptis manifeſtauit: Inſt. de donationibus, §. aliæ autem donationes.

Mutus & ſurdus donare non prohibentur, ff. de donat. l. qui, xxxiiii. §. mutus.

Si aliquis dat ea mente, ut ſtatim uelit accipientis fieri, nec vllo caſu ad ſe reuerti, & propter nullam aliam cauſam facit, quàm vt liberalitatem, & munificentiam exerceat, hæc propriè donatio appellatur. Sed nuda ratio nō facit aliquē debitorem, vtputa quod donare volumus, licet referamus in rationes noſtras debere nos, puta, Titio, nulla donatio intelligitur, ff. de donationib. l. prima, in princ. & l. nuda, xxvi.

Donari uidetur quod nullo iure cogente conceditur, ff. eodem. l. donari, xxix. in princip.

Quidam in iure interrogatus, nihil ſibi debere tutoris hæredes reſpondit. eum actionem iure amiſiſſe reſponſum eſt: licet enim non tranſactionem, ſed donationis hæc uerba eſſe quis accipiat: attamen eum qui in iure confeſſus eſt, ſuā confeſsionem infirmare non poſſe, ff. eod. l. donari, xxix. §. quidam.

Nec ignorans, nec inuitus quiſque donat, unde qui de fundo non cogitauit, cuius uelit donationi conſenſiſſe continetur inſtrumento nihil perdidit, C. de don. l. nec ignorans, x.

Si Auia proprias res quacunque ratione factas titulo liberalitatis in aliquē contulit: quominus hæc rata maneant, quòd ex origine patris, vel aui nepotum deſcendant, nihil prodeſt, C. eod. l. ſi auia, xix.

Vice donatricis alio uoluntate eius ſubſcribente, iure facta donatio nō habetur irrita, C. eod. l. vice, xx.

Senectus ad donationem faciendam ſola non eſt impedimento, C. eodem. l. ſenectus, xvi.

Portionem propriam rebus necdum diuiſis nemo prohibetur titulo donationis in alium transferre, C. eod. l. portionem, xii.

Donari non poteſt niſi quod eius ſit cui donatur, ff. eod. l. in ædibus, ix. §. ſi.

Non poteſt liberalitas nolenti adquiri, ff. eod. l. hoc iure, xix. §. non poteſt.

Si aliquid per epiſtolam donatum probetur: breuitas chartulæ donationi, ſi hæc recte facta probetur, nihil quidquam derogat, C. de don. l. ſi aliquid, xii. & ff. eod. l. quarta.

Nec ambigi oportet, donationes etiam inter abſentes maximè ſi ex uoluntate donantium poſſeſsionem hi, quibus res donata eſt, nanciſcantur, C. eodem. l. ſexta.

Abſenti ſiue mittas qui ferat, ſiue quod ipſe habeat, ſibi habere eum iubeas, donari recte poteſt, ſed ſi neſcit rem quæ apud ſe eſt, ſibi eſſe donatam, uel miſſam ſibi non acceperit: donatæ rei dominus non fit, ff. de don. l. abſenti, x.

Animalium inſtrumentis donatis, & traditis, & ipſorum animalium donatio, & traditio facta intelligitur. Ideo poteſt aduerſus donatorem in rem actio exerceri, C. eod. l. prima.

Auia ſub nomine Labeonis nepotis ſuam mutuam pecuniam dedit, & intereſſe ſemper cepit; & inſtrumenta debitorum à Labeone recepit, quæ in hæreditate eius inuenta ſunt: quæſitum fuit, an donatio perfecta uideatur, & reſponſum eſt, cum debitor Labeoni obligatus eſt perfectam donationem eſſe, ff. eodem. l. fin. §. fina.

Affectionis gratia, neque honeſtæ, neque inhoneſtæ donationes ſunt prohibitæ. honeſtæ erga merentes amicos, uel neceſſarios. inhoneſtæ circa meretrices, ff. eod. l. affectionis, quinta.

Donationes in concubinam collatas non poſſe reuocari conuenit, nec ſi matrimonium inter eoſdem poſtea fuerit contractum, ad irritum recidere, quod ante iure ualuit, ff. eod. l. donationes, xxxi. in princ.

Milites tamen focariis ſuis donare non poſſunt, C. de dona. inter virum & vxo. l. ſecunda.

Filiusfamilias donare non poteſt, neque ſi liberam peculii adminiſtrationem habeat. non enim ad hoc ei conceditur libera peculii adminiſtratio. Quid ergo ſi iuſta ratione motus donet? nunquid poſsit dici locum eſſe donationi, quod magis probabitur. Item uideamus, ſi quis filiofamilias liberam peculii adminiſtrationem conceſſerit, ut nominatim adiiceret, ſic ſe ei concedere, ut donare quoque poſsit. an locum habeat donatio. nõ dubitatur donare, quoque eũ poſſe. Nonnunquam etiam ex perſona poterit hoc colligi. pone enim filium eſſe ſenatoriæ, uel cuius alterius dignitatis. quare non dicas, uideri patrem, niſi ei ſpecialiter donandi facultatem ademit, hoc quoque conceſsiſſe, dum libera dat peculii adminiſtrationem, ff. eod. l. filiusfam. vii. in princ.

Cenſualis quidẽ poſſeſsio domino præiudicare non ſolet. ſed ſi incenſum ueluti ſua animalia deferenti priuigno vitricus conſenſit, donationem in eum tranſtuliſſe uidetur, C. eod. l. ſeptima.

Si præſes prouinciæ matrem non donandi uoluntate filiorum ſuorum nomine, prædia in cenſum detuliſſe manifeſtis probationibus cognouerit, quod fides ueri ſuggerit, id ſtatuet, C. eod. l. viii.

Si functiones exactiones, uel tributa per eum, cui donata res non erat, uel ab actoribus ipſius nomine celebratæ ſunt domino obeſſe non poteſt, C. eod. l. functiones, quarta.

Si cum filiusfamilias pecuniam donare uellet, patris iuſſu eam promiſit: ualet donatio perinde ac ſi fideiuſſorem dediſſet. Si uero pater donaturus Titio pecuniam, iuſſerit filium ſuum eam promittere: poterit dici intereſſe, debitor filius patri ſuo fuerit, nec ne, nam ſi tantundem filius patri debuit, quantum promiſit: ualere donationem intelligitur, perinde ac ſi quemlibet alium debitorem pater iuiſſet pecuniam promittere. Cum verò ego Titio pecuniam donaturus te, qui mihi tantundem donare uolebas iuſſero Titio promittere: inter omnes perſonas donatio perfecta eſt, ff. eod. l. ſi cum filiusfamil. ſecunda, in princ.

Aliud iuris erit, ſi pecuniam, quam me tibi debere exiſtimabam, iuſſu tuo ſpopõderim ei, cui donare uolebas: exceptione enim doli mali tueri me potero, & præterea incerti condictione ſtipulatorem compellam, ut mihi acceptũ faciat ſtipulationem, d. l. ſecunda, §. aliud iuris.

Quod filiusfam. patris iuſſu, aut voluntate donauit, perinde eſt, ac ſi pater ipſe donauerit: aut ſi mea voluntate rem meam tu nomine tuo Titio dones, ff. eod. l. in ædibus ix. § penultim.

Si

Si filius res ad patrem pertinentes sponsæ suæ patre non consentiente donauit, ad eam, quod non habuit, transferre non potuit, C.eod.l.si filius, xiiii.

Etiam per interpositam personam donatio consummari potest, ff.eod.l. quarta.

Qui saxum mihi eximere de suo donationis causa permisit statim cum lapis exẽptus est, meus fit. neque prohibendo me euehere, efficit ut meus esse desinat, quia quodammodo traditione meus factus est: Planè si mercenarius meus exemit, mihi exemit. Sed siquis à me emerat, siue mercede conduxerat, ut pateret eum sibi iure eximere: si antequam eximat, me pœnituerit: meus lapis durat, si postea, ipsius factum auocare non possum, quasi traditio enim facta videtur cum eximitur domini volũtate, quod in saxo est, idem erit etiam si in arbore cœsa, vel adempta acciderit, ff.eod.l. qui saxum, sexta.

In ædibus alienis habitare gratis, donatio videtur: idem enim ipsum capere videtur qui habitat, quòd mercedem pro habitatione non soluit: potest enim & citrà corporis donationem ualere donatio, veluti si donationis causa cum debitore meo paciscar, ne ante certum tempus ab eo petam, ff.eod.l. in ędibus viii. in princip.

Ex rebus donatis fructus perceptus in ratione donationis non computatur, si vẽrò non fundum, sed fructus perceptionem tibi donẽ: fructus percepti ueniunt in computationem donationis, d.l.ix.§.ex rebus.

Cum de donatione quæritur, neque partus nomine, neque fructuu m, neque pensionum, neq; mercedũ, ulla donatio facta esse uidetur, ff.eo.l. cũ de mo do, xi.

Qui alienum fundum donationis causa excolit, nullam retentionem propter impensas faciet: quia domini res ab eo iniectas continuò efficit, ff. codem.l. qui alienum, xiiii.

Ex hac scriptura sciant hæredes mei me VESTEM VNIVERSAM, AC RES CAETERAS QVASCVNQVE IN DIEM MORTIS MEAE MECVM HABVI, ILLI ET ILLIS, PROPINQVIS MEIS VIVIS DONASSE, Dominium ad propinquos benigna interpretatione pertine. ff.eod.l.ex hac, xvi.

Si in stipulatum iudicatum nouationis causa deductum sit, & stipulatio donationis causa accepto lata: dicendum est, locum liberationem habere, ff.eod.l.si in stipulatum, xvii.

Cum mixtum sit negotium cum donatione obligatio non potest contrahi eo casu quo donatio est, ff.eod.l. aristo, xviii. in princ.

Si quis dederit pecuniam mutuam Titio reddendam Seio cui donatũ uolebat, deinde Titius mortuo donatore Seio dedisse proponatur: erit consequens dicere, pecuniam Seii fieri, siue mortuũ sciuit, siue ignorauit is, qui dabat: quia pecunia fuit dantis, sed siquidem ignorauit mortuum, erit liberatus, si sic mutuam pecuniam accepit soluendam Seio, si autem mandauero tibi, ut pecuniã Titio des, cui donare volebam, & tu ignorans me mortuum hoc feceris: habebis aduersus hæredes meos mandati actionem. si sciens non habebis, ff.eod.l. hoc iure, xix.§.si quis.

De illo dubitari potest, qui quod per Falcidiam retinere poterat, uoluntatem testatoris secutus spopondit se daturum: sed magis est, ut non possit suæ confessioni obuiare. Quemadmodum enim si soluisset, fidem testatori suo adimplesse uidebatur, & nulla ei repetitio concessa fuerat, ita & stipulatione procedente, contra fidem testatoris, quã agnouit, venienti ei meritò occurretur, ff. eod. l.si patronus, xx.§. de illo.

Vt

Vt mihi donares, creditori meo delegante me promisisti factum ualet, ille enim suum recepit, sed si debitorem meum tibi donationis immodicæ causa promittere iussi an summoueris donationis exceptione, nec ne tractabitur, & meus quidem debitor exceptione te agentem repellere non potest, quia perinde, quasi exactam à debitore meo summam tibi donauerim, & tu illam ei crediderις. sed ego, siquidem pecuniæ à debitore meo nondum solutæ sint, habeo aduersus debitorem meum recisoriam in id quod supra legis modum promisit: ita ut in reliquum tantummodo tibi maneat obligatus. sin autem pecunias à debitore meo exegisti, in hoc quod modum legis excedit, habeo contra te condictionem, ff. eod. l. ut mihi, xxi.

Qui ex donatione se obligauit ex rescripto Diui Pii in quantū facere potest, conuenitur: sed enim id quod creditoribus debetur, erit detrahendum. hæc verò de quibus ex eadem causa quis obstrictus est, non debebit detrahere, ff. eod. l. qui ex, xii.

Qui id quod ex causa donationis stipulanti spoponderat, solui constituit, actione constitutæ pecuniæ non in solidum, sed inquantum facere potest conuenitur: causam enim & originem constitutæ pecuniæ, non iudicii potestatem præualere placuit. Sed & condemnatus ex causa donationis, in actione iudicati non frustra desiderat, in quantum facere potest conueniri, ff. eodem. l. qui id, xxxiii. in princ.

Eum, qui donationis causa pecuniam, vel quid aliud promisit, de mora solutionis pecuniæ interesse non debere, summæ æquitatis est: maximè cum in bonæ fidei contractibus donationis species non deputetur, ff. eod. l. eum qui, xxii.

Labeo ait, si quis mihi rem alienam donauerit, inque eam magnos sumptus fecero, & sic euincatur nullam mihi actionem contra donatorem competere. planè de dolo posse me aduersus eum habere actionem, si dolo fecit, ff. eod. l. aristo, xviii. §. fi.

Si tibi dederim rem, vt Titio meo nomine dares, & tu eam tuo nomine dedisti, quantum ad iuris subtilitatem pecunia accipientis facta non est, & tu pro furto obligaris. sed benignius est, si agam contra eum, qui rem accepit, exceptione doli mali me submoueri, ff. eod. l. si tibi, xxv.

Ex lege donationis causa pecunia Titio numerata, vt statim donatori mutuo detur non impeditur dominii translatio, ac propterea iisdem numis donatori creditis, nouum dominium in his quæritur, ff. eodem. l. qui id, xxxiii. §. ex lege.

Si cum primus tibi donare vellet, & tu donandi secundum uoluntatem haberes, primus secundo ex tua voluntate stipulanti promiserit: perficitur donatio, & quia nihil primus secundo, à quo conuenitur donauit: & quidem insolidum, non in id quod facere potest condemnatur, idque custoditur, & si delegante eo, qui donationem erat accepturus creditori eius donator promiserit, & hoc enim casu creditor suum negotium gerit, ff. eodem. dicta l. qui id. §. si cum primus.

Quisquis rem aliquam donando, vel in dotem dando, uel uendendo usumfructum eius retinuerit, etiam si stipulatus non fuerit, eam continuò tradidisse credatur, nec quid amplius requiratur, quo magis uideatur facta traditio. sed omnimodo idem factum sit in his causis usumfructum retinere, quod tradere, C. de don. l. quisquis, xxviii.

Ad exemplum uenditionis donationes in se habent necessitatem traditionis, ac

ac etiam si non tradantur habent plenissimum, & perfectum robur, & traditionis necessitas incumbit donatori. Inst. de don. §. ad exemplum.

Si quis vniuersitatis faciat donationem, siue dimidiæ partis suæ substantiæ, siue tertiæ, siue quartæ, siue quantæcunque vel ẽt totius: si nõ de inofficiosis donationibus ratio in hoc reclamauerit coarctatur, donator tantum quantum donauit præstare. obseruatione, & hic monumentorum secundum quod iam sancitum est, omnimodo requirẽda, C. de don. l. si quis argentũ, xxxv. §. & si quis.

Sin autem hoc minime donator expresserit. siquidẽ stipulatio donationi incerta fit ex eius authoritate traditionem compellitur facere. Sin uero & hoc prætermissum sit, & usumfructum minime detinuerit: nihilominus necessitas ei imponitur etiam tradere hoc, quod donare existimauerit, ut non ex hoc inutilis sit donatio, quod res non traditæ sunt, ne confirmetur ex traditione donatio, sed liberalitatem plenam necessarius traditionis effectus sequatur, & necessitatem habeat donator, omnimodo, vel res, vel partem substantiæ, quam donauerit, vel totam substantiam tradere: cum enim in arbitrio cuiusque sit hoc facere, quod instituit oportet eum, vel minime ad hoc prosilire, vel eum ad hoc venire properauerit, non quibusdam excogitatis artibus suum propositum defraudare, tantamque in deuotionem quibusdam quasi legitimis protegere velamentis. Tantoque magis hæc firma erunt, si piis actibus, vel religiosis personis donatio deputata sit. monumentorum obseruatione in his modis secundum quod specialiter statutum est, obseruanda, ne in præfatis causis ex quibusdam machinationibus non solum indeuotus, sed etiam impius donator intelligatur, pœnasque non solum legitimas, sed etiam cœlestes expectet, resque donatas in omnibus supradictis casibus non solum eis dum supersunt, sed etiam eorum successoribus reddere compellitur, non tantum iis in quos donatio facta est, sed etiam eorum hæredibus, d. l. si quis argentum. §. fin.

Si pater emancipati filii nomine donationis animo pecuniam lucro dedit, eamque filius stipulatus. & ipso iure perfectam donationem, ambigi non potest, ff. eod. l. si pater, xxxiiii.

Si nominis persequutionem in filium emancipatum pater titulo donationis trãstulit, postea prætendit, qui debitori hæres extitit consensum fuisse debitoris necessarium, cum satisfuerit actiones eo nomine sibi translatas fuisse, C. de don. l. secunda.

Donationis titulo cessiones actionum accipientes eas transmittunt ad hęredes, & si lis de his contestata non sit, quod etiã in procuratore constituendo ad mouendas easdem cessas actiones obseruãdum erit, ut minime quis impediatur procuratorem cessarum sibi per donationem actionum dare, licet nulla contestatio litis facta, vel petita sit, C. eod. l. illam, xxxiii.

Spem futuræ actionis plena intercedente donatoris uoluntate posse transferri non immeritò placuit, C. eod. l. tertia.

Pater qui filiæ quam habuit in potestate animalia donauit, & peculium emancipatæ non ademit, ex postfacto donationem uidebatur perfecisse, ff. eo. l. donationes, xxxi. §. pater.

Cum de bonis suis partem quidem penes se pater retinuit, partem vero in eum quem in potestate filium habet, donationis titulo contulit: non est incerti iuris, in eum qui in sacris familiæ remanet destinationem, magis paternæ uoluntatis factam, quam perfectam donationem peruenisse. Delegationes autẽ

nominum in emancipatum collatæ perfectam donationem actione efficiunt, C.eod.l. cum de bonis,xi.

Siue emancipatis filiis,res pater donauit,siue in potestate constitutis, & sui iuris effectis,& tenentibus non sunt adempta: blandiri sibi non debet pater,veluti res donatas ex pœnitentia liceat auferre. Sane si ea quæ in sua positis potestate donauerat,post emancipationem contra suam venerint voluntatem horum penes se dominium remansit, siquidem nec tempore quo uolait propter vinculum potestatis,sibi quidquam quærere, nec post patre inuito de rebus eius potuerunt, C.eod.l.siue emancipatis,xvii.

Cum res filio emancipato ea conditione,vt creditoribus paternis solueret,pater donauerit,si stipulatione,vel in continenti habito pacto huic rei prospexit creditoribus quidem non contra filium ex placito,sed aduersus patrem competit actio,eum autem cui lata lege prædia donata sunt incerta ciuili actione ad placitum obsequia vrgeri secundum legem donationibus dictã conuenit,C.eod. l.cum res,xxii.

Si quis in emancipatum minorem,priusquam fari possit, aut habere rei, quæ sibi donatur,affectum,fundum crediderit conferendum: omne ius compleat instrumentis ante præmissis,C.eod.l.siquis,xxvi.

Hæreditatem pater sibi relictam filiæ sui iuris effectæ donauit,creditoribus hæreditariis filia satisfacere debet.vel si hoc minime faciat,& creditores contra patrem veniant: cogendam eam per actionem præscriptis verbis patrem aduersus eos defendere,ff.eod.l.hæreditatem,xxviii.

Si patri auo filius hæres non extitit, & facta ab eo liberalitate titulo donationis non pôsse iura ipsius filii lædi,manifestissimi iuris est,C.eod.l.si patri, xxiiii.

Lucius Titius fundum Mæuiæ donauit,& ante traditionem eundem fundũ post dies paucos Seio pignori obligauit, & intra dies triginta Mæuiam in vacuam possessionem eiusdem fundi induxit: Donatio perfecta est, verum creditor firmam obligationem habet,ff.eod.l.fi.§.Lucius Titius.

Hoc iure vtimur,vt in rebus publicis,cum de donatione quæritur,illud solũ spectetur,vtrum ob causam aliquam iustam Reipublicæ promittat quis, vel polliceatur,an non.ut si ob honorem aliquem promittat teneatur,si minus non, ff. eod.l.hoc iure,xix.in princ.

Labeo ait,extra causam donationis esse talium officiorum mercedes, vt puta si tibi adfuero: si satis pro te dedero: si qualibet in re opera,vel gratia mea vsus fueris,ff.eod.d.l.hoc iure.§.Labeo.

Sed & hæ stipulationes,quæ ob causam fiunt non habent donationem. Denique Pegasius putabat,si tibi centum spopondero hac conditione, si iurasses te nomen meum laturum: nõ esse donationem,quia ob rem facta est, res secuta est, ff.eod.d.l.hoc iure.§.fi.

Aquilius Regulus Iuuenis ad Nicostratũ ita scripsit, QVONIAM ET CVM PATRE MEO SEMPER FVISTI, ET ME ELOQVENTIA, ET DILIGENTIA TVA MELIOREM REDDIDISTI: DONO, ET PERMITTO TIBI HABITARE IN ILLO CAENACVLO, EOQ'VE VTI. defuncto Regulo controuersiam habitationis patiebatur Nicostratus, sed potest defendi non merã donationẽ esse, verum officium magistri quadã mercede remuneratum Regulum. Ideoq; non uidetur donatio sequẽtis tẽporis irrita esse,quòd si expulsus Nicostratus veniat ad iudicẽ,ad exemplum interdicti,quod fructuario proponitur, defen-

defendendus erit: quasi loco poſſeſſoris conſtitutus, qui vſum cœnaculi accepit, ff. eod. l. Aquilius, xxvii.

Species extra dotem à matre filiæ nomine viro traditæ, filię quæ pręſens erat, donatæ ſunt, & ab ea viro traditæ videntur, nec mater offenſa repetitionem habet, vel eas res vendicare poteſt, eo quod vir cauiſſet, extra dotem vſibus puellæ ſibi traditas, cum ea ſignificatione non modus donationis declaretur, nec ab vſu proprietas ſeparetur: ſed peculium à dote puellę diſtingueretur. iudex tamen æſtimabit, ſi mater iure contra filiam offenſa eas reuocare velit, & verecundiæ maternæ congruam, bonique viri arbitrio competentem ſententiam dabit, ff. eod. l. donationes, xxxi. §. ſpecies.

Eiuſmodi lege DEPOSITA MILLE DE ARCA, VT EAM IPSE SOLVS, QVI DEPOSVIT TOLLERET, AVT POST MORTEM DOMINI AELIVS SPERATVS non uideri donationem celebratam reſponſum eſt, ff. eod. d. l. donationes. §. pen.

Lucius Titius epiſtolam talem miſit. ILLE ILLI SALVTEM, HOSPICIO ILLO QVAMDIV VOLVERIS VTARIS. IN SVPERIORIBVS DIAETIS OMNIBVS GRATVITO. IDQVE TE EX VOLVNTATE MEA FACERE HAS EPISTOLA NOTVM TIBI FACIO. dubitatum fuit an hæredes eius habitationem prohibere poſsint, & reſponſum eſt, hæredes eius poſſe mutare voluntatem, ff. eodem. l. Lucius, xxxii.

Poſt contractum capitale crimen donationes factæ valent, niſi condemnatio ſecuta ſit, ff. eod. l. poſt contractum, xv.

Donationem quidem partis bonorum proximæ cognatæ viuentis nullam fuiſſe conſtabat. verum ei, qui donauit ac poſtea iure cognatæ ſucceſsit, quoniam aduerſus bonos mores, & ius gentiũ feſtinaſſet, actiones hæreditariæ in totũ denegãtur. Nã ei, vt indigno aufertur hæreditas, ff. eo. l. donari, xxix. §. fi. cũ l. ſeq.

Perfectæ donationes eſſe non poſſunt poſt crimen perduelionis contractũ, cum hæredes quoque teneat, & ſi nondum poſtulatus de vita deceſſerit, ff. eod. l. donationes, xxxi. §. fi.

Donator habet liberam facultatem donationes rerum ſuarum, vbicunque poſitarum, ſiue apud moderatorẽ cuiuslibet prouinciæ, ſiue apud magiſtratus, prout maluerit publicare, atque vt ipſa donatio ſita eſt in voluntate donantis, ita ei liceat donationem ſuam, apud quemcunque ex memoratis uoluerit, intimare. Et hæ donationes, quæ in diuerſis prouinciis, vel ciuitatibus apud quenlibet ex prædictis fuerint publicatæ, obtineant inconcuſſam, & perpetuam firmitatem, C. de don. l. in hac, xxx. §. donator.

In donationibus, quæ actis inſinuantur, non eſt neceſſarium vicinos, vel alios teſtes adhibere. Nam ſuperfluum eſt priuatum teſtimonium, cum publica monumenta ſufficiant, C. eod. l. in donationibus, xxxi. in princ.

In extraneos ſæpe ignotos donationem collatam valere receptum eſt, & ſi ſine ſcriptis donatum quid fuerit adhibitis aliis idoneis documentis, hoc quod geritur comprobatur, C. eod. l. in extraneos, xxix.

Illæ donationes, quas geſtis non eſt neceſſarium allegari, ſi fortè per tabellionẽ, vel alium ſcribantur, & ſine teſtium ſubnotatione valent: ita tamen ſi ipſe donator, vel alius voluntatem eius ſecundum ſolitam obſeruationem ſubſcripſerit donationibus, quæ ſine ſcriptis conficiuntur, C. eod. l. in donationibus, xxxi. §. verum.

Cum retro principum diſpoſitiones inſinuari donationes actis interuenientibus uolebant, ſi maiores fuerunt ducentorum ſolidorum, ea quantitas, vſque ad quingentos ſolidos ampliata eſt: Ac ſtatutum eſt eas ſtare etiam ſine inſinuatione. Inſt. de don. §. & cum retro.

Donationes, quę ad pietatem reſpiciunt, vſque ad quingentorum ſumma, & ſine monumentis validæ ſunt. Iis inſuper ante nuptias donationibus, quæ in adultas minores ſui iuris conſtitutas, cuiuſcunque ſummæ procedunt, ſecundum veterum legum ſcita, & niſi actis interuenientibus corroboratæ ſunt ſuam retinentibus firmitatem, C. eod. l. ſancimus, xxxiiii. §. alias verò.

Item cæteræ donationes, quæ geſtis interuenientibus minime ſunt inſinuatę ſine aliqua diſtinctione quingentos, uſque ad ſolidos valent, C. eodem. l. penultima. §. fin.

Sin autem non in auro res donationis fuerint datæ, ſed per res mobiles, uel immobiles, vel ſe mouentes quantitas rerum extimatur, & ſiquidem uſque ad legitimam ſolidorum erigitur, valida ea eſt, & ſine monumentis conſeruatur, ſi autem amplioris ſummæ inueniatur, & minime actis comprobata eſt ſuperfluum tantum vitiatur, d. l. ſancimus, xxxiiii. §. ſin autem.

Ne autem communione inducta donatori, & qui liberalitatem ſuſcepit aliqua oriatur contentio, electio datur ei, qui ampliorem ſummam in donatione habuerit reliquam æſtimationis quantitatem offerre ei, qui minorem cauſam habuit, & totum poſsidere. Sin autem hoc minime facere maluerit: tunc omnimodo res diuidetur ſecundum quantitatem, utrique parti competentem: ſi res diuidi ſine periculo poſsibilis eſt. Sin autem in huiuſmodi caſibus, in quibus partitio vtiliter celebrari minime poteſt, amplioris ſummæ dominus noluerit offerre æſtimationem: tunc licebit etiam ei, qui minoris ſummæ habet poteſtatem, offerre precium, & totum ſibi uindicare, C. eod. l. ſancimus. §. ne autem communione.

Siquis autem per diuerſa tempora in eandem perſonam multas faciat liberalitates, quarum ſingulæ quidem legitimam quantitatem non excedunt, in unum autem compoſitæ, & prædicto modo exaggeratę redundare uidentur, & maioris eſſe quantitatis, non oportet eas in unũ coadunare, & introducere modos, per quos non ualeant. Nam placuit, ut eæ multæ intelligantur, & omnes ualidæ, & hi qui liberalitates accipiunt, ſciant ueros non falſos ſuos eſſe donatores, d. l. ſancimus. §. ſiquis.

Si quis autem talem acceperit donationem, in qua ſtipulatus fuerit annuam quandam ſibi præſtare quantitatem, tantæ ſummæ, quæ non excedit legitimum donationis modum: ſiquidem fuerit donatio, ut intra vitam perſonarum ſtetur, vel dantis, vel accipientis, & multæ intelliguntur donationes, & liberæ a monumentorum obſeruatione. Sin autem hæredum ex vtraque parte fuerit mentio, vel adiiciatur tempus uitæ, uel donatoris, vel qui donationem accepit, tunc, quaſi perpetua donatione, & continuatione eius magnam, & opulentiorem eam efficiente, & vna intelligitur donatio, & quaſi denſioribus donationibus cumulata, excedit legitimum modum, & omnimodo acta depoſcit, & aliter minime conualeſcit, dicta lege ſancimus, §. finali.

Lata lege ſtatutum eſt, ut donationes interueniente actorum teſtificatione conficiantur, quod vel maxime inter neceſſarias coniunctiſsimaſque perſonas conuenit cuſtodiri, ſiquidem clandeſtinis, ac domeſticis fraudi-

fraudibus facile quiduis pro negocii opportunitate confingi potest, uel id quod verè gestum est, aboleri. Cum igitur ne liberos quidem ac parentes lex ab actorum confectione secernat, id quod necessariò super donationibus apud acta conficiendis iampridem statutum est vniuersos tenet: gesta autem confici super rebus etiam alibi collatis, vbicunque sufficit, C. eod. l. lata, xxvii.

Minoribus ætate fœminis etiam actorum testificatione in ante nuptias donatione ad eas facta ommissa, si patris auxilio destitutæ sint, iuste consulitur, ut firma donatio sit, C. de don. ante nupt. l. minoribus, xvii.

Sed & quædam donationes inuentæ sunt, quæ penitus insinuationem fieri minime desiderant, sed in se plenissimam habent firmitatem: quando videlicet donatur in redemptionem captiuorum, vel iis quorum domus incendio, uel ruina corruptæ sunt. Inst. de don. §. sed & quædam.

Si quis pro redemptione captiuorum pecunias dederit, siue per cautionem dare permiserit, cuiuscunque quantitatis, cognoscat se, neq; repetitionem habere, neque exactionem cautionis posse declinare, utpote gestis (sicut in donationibus) non subsecutis super insinuatione eiusdem quantitatis, eo videlicet, qui pecunias accepit, vel prima vice, vel post cautionem necessitatem habēte piissimam administralionem adimplere: nulla ei molestia, vel inquietudine inferenda, vel ab eo qui pecunias præbuit, vel ab aliis ex legum authoritate permissis hoc requirere) sed tantummodo sacramentum præstare, quod re vera omnem quantitatem sine dolo, vel aliqua deminutione ad redemptionem dederit captiuorum. Et idem indulgetur iis quorum incendio, uel ruina domus corruptæ sunt, quibusdam forte pecunias cuiuscunque quantitatis præbentibus, uel cautionem conficientibus, ut & ipsi nec repetitionem timeant, uerum etiam exactionem pecuniarum confessioni insertarum facere possint, licet gesta non fuerint subsecuta: nulla eis licentia danda, pecunias ad alias causas, nisi ad refectionem domorum, erogare. Quòd si aliqua dubitatio orta fuerit, vtrum tota quantitas, an pars eius in ædificiis expensę sit, hoc domini domus sacramento dirimetur, C. eod. l. penult.

DE DONATIONIBVS, QVAE SVB MODO, VEL SVB CONDITIONE, VEL EX CERTO TEMPORE CONFICIVNTVR.

Titulus III.

SI doceat Auus nepti suæ ea lege donasse, ut cum sibi alimenta præberet vendicatio vtilis habet, eo quod legi illa obtemperare noluerit, idest actionem quam dominium pristinum sibi restituatur, C. de don. quæ sub modo, &c. l. prima.

Qui rerum suarum proprietatem dono dedit, ita ut post mortem eius, qui accepit ad se rediret donatio valet: cum etiam ad certum tempus, vel incertum ea fieri possit lege scilicet, quæ ei imposita est obseruanda, C. eod. l. secunda.

Quoties donatio ita conficitur, ut post tempus id, quod donatum est, alii restituatur, & si is in quem liberalitatis compendium conferebatur stipulatus non sit, placiti fide non impleta, ei qui liberalitatis auctor fuit, uel hæredibus eius condititiæ actionis persecutio competit: cum Diui Principes ei qui

ſtipulatus non ſit, vtilem actionem iuxta donatoris voluntatem competere ad miſerint, C. eod. l. tertia.

Perfecta donatio conditiones poſtea non capit, quare ſi pater donatione facta quaſdam poſt aliquantum tempus perfeciſſe conditiones videtur: officere hoc nepotibus eius fratris ſui filiis minime poſſe non dubium eſt, C. eod. l. quarta.

Siquid mater filiæ ſuæ in poteſtate patris conſtitutæ ſub hac conditione, ſi fuerit intra biennium emancipata, donauerit: licet hoc matris voluntate ſui iuris effecta non tenuit: tamen prius marito defuncto, ſui iuris quocunque modo effecta ad ſimilitudinem legati ita relicti, rem donatam firmiter habere, vel vindicare poteſt, C. eod. l. fi.

Si pecuniam mihi Titius dederit, abſq; vlla ſtipulatione ea tamen conditione, vt tunc demũ mea fieret, cũ Seius cõſul factus eſſet: ſiue furente eo, ſiue mortuo, Seius conſulatũ adeptus fuerit, mea fiet. Sed ſiquis donaturus mihi pecuniam dederit alicui, ut ad me perferret, & ante mortuus erit, quàm ad me perferat, non fieri pecuniam dominii mei cõſtat, ff. de don. l. ſecunda. §. ſi pecuniam.

Titio decem donaui, vt inde equum ſibi emeret, cũ equus antequam emeretur mortuus ſit facti magis, quàm iuris quæſtio eſt: nam ſi decẽ Titio in hoc dedi, vt equum emeret aliter non daturus, mortuo equo condictione repetam. Si vero alias quoq; donaturus Titio decẽ: quia interim propoſuerat, dixerim in hac me dare, ut equum emeret, cauſa magis donationis, quàm cõditio dandæ pecuniæ exiſtimari debebit, Et mortuo equo pecunia apud Titiũ remanebit, & generaliter hoc in donationibus definitum eſt: multum intereſſe, cauſa donandi fuit, an conditio, ſi cauſa fuit ceſſare repetitionem. ſi cõditio, repetitioni locum fore, ff. de don. l. ſecunda. §. fi. cum l. ſeq.

Si pręſidii prouinciæ Attalus probauerit, ut Euthychiam vxorem duceret, munera ſe parẽtibus eius dediſſe, niſi Euthychia ſibi nupſerit reſtitui, quod dedit iubebit, C. de don. ante nup. l. ſecunda.

DE REVOCANDIS DONATIONIBVS.
Titulus IIII.

SCiendum eſt, tamen quòd & ſi pleniſsimæ ſint donationes, ſi tamẽ ingrati exiſtant homines, in quos beneficium cullatum eſt, ne illi, qui res ſuas in alios contulerint, ab his quandam patiatur iniuriã, uel iacturã donatoribus licentia pręſtatur eas reuocare, i. ſi donationis acceptatores iniurias atroces in eos effundant, vel manus impias inferant, uel iacturæ molem ex inſidiis ſuis ingerant, quę non leuẽ caſum ſubſtantiæ donatoris imponant, vel vitæ periculũ aliquod ei intulerint vel quaſdam conuentiones promiſſas non adimpleuerint. Sed hoc vſq; ad primas perſonas tantummodo locum habet, & nulla licentia conceditur donatorum ſucceſſoribus quærimoniam inſtituere, nam ſi ipſe, qui hoc paſſus eſt tacuerit, ſilentium eius ſemper manebit. Inſt. de don. §. ſciendum.

Si Auia quaſi pœnitentia ducta ſubtracta donationum inſtrumenta nepti factarum igne conſumpſerit, vereri non oportet, ne id quod iure uires acceperat, ex poſtfacto poſsit in dubium reuocari, C. de reuoc. don. l. ſecunda.

Poſſeſsionem quam in filios emancipatos per donationem mater cõtulit ex pœnitentia ſola alienare non potuit, C. eod. l. tertia.

Qui profitetur in fraudem alterius donaſſe profeſsionem inhoneſtã ſe cõtinere intelligit. Itaque ſi donationem perfecit reuocare eam non poteſt ſub obtentu pœnitentiæ, C. eod. l. quarta.

Vellet nec ne pater filio ſua prædia donare, fuit in initio ſibi liberũ: deſinet itaq; poſtulare, vt donatio quã perfecerat, reuocetur prætextu mariti ac liberorum abſentiæ: cum huius firmitas ipſorum præſentia uon indigeat, C. eod. l. ſexta.

Quod mater filio donat ex ingratitudine non reuocatur, poſtquam tranſit ad ſecundas nuptias niſi ex tribus cauſis, prima ſi uitę eius inſidiatur. item ſi manus impias in eam intulerit, tertia ſi totius ſubſtãtiæ molitus eſt iacturam. Nouel. Conſt. xxii. §. mater tamen, & C. de reuoc. don. auth. quod mater.

Quidquid is, qui à matre impietatis arguitur, ex titulo donationis tenet: eo die, quo controuerſiæ qualecunque principium iuſſu iudicantis datur, matri cogitur reddere. Cæterum quę ante adhuc matre pacifica iure perfecta ſunt, & ante incoatum cœptumq́ue iurgium uendita, donata, in dotem data, cœteriſq; cauſis legitime alienata minime reuocantur. Actionem vero matris ita perſonalem eſſe ſtatutum eſt, vt vindicationis tantum habeat effectum. nec in hæredem detur, nec tribuatur hæredi. De cæteris autem quæ portentoſæ vtilitatis ſunt obiectæ pudicitiæ ſunt, ſatis etiam tacitè cautum eſſe Intelligitur. Quis eſt enim qui iiſdem aliquid arbitretur tribuendum eſſe, cum etiam illis, quæ iure ſecundas tantum contraxerunt nuptias, nihil ex iis priuilegiis tributum eſt, C. eod. l. vii. §. quidquid.

Donationes circa filium, uel filiam, uel nepotem, neptemve pronepotem, pronepotemve emancipatos celebratas, pater ſeu auus, vel proauus reuocare non poterit. niſi edoctis manifeſtiſsimis cauſis, quibus eam perſonam, in quam collata donatio eſt, contra ipſam venire pietatem, & ex cauſis quæ legibus continẽtur, fuiſſe conſtabit ingratam, C. de reuoc. don. l. penult.

Si aliquis mortis cauſa donauerit, & pœna fuerit capitis affectus reuocatur donatio vt imperfecta: quamuis cæteræ donationes ſine ſuſpicione pœnæ factæ ualeant, ff. de don. cau. mort. l. vii.

Cum teſtamento relinquendi cui vellint, adepti ſint filiifamilias milites liberã facultatem: credi poteſt ea etiam remiſſa quæ donationis mortis cauſa fieri prohibentur. Paulus notat hoc, & conſtitutum, & ad exemplum legatorũ mortis cauſa donationes reuocatæ ſunt, ff. eod. l. Marcellus, xv.

Mortis cauſa donatio, etiam dum pendet an conualeſcere poſsit donator, reuocari poteſt, ff. eod. l. mortis, xvi.

DE DONATIONIBVS PROPTER NVPTIAS, ET SPONSALITIIS.

Titulus V.

EST, & aliud genus inter uiuos donationis, quæ antenuptias vocabatur, & tacitam in ſe conditionem habebat, vt tunc ratum eſſet, cùm matrimonium eſſet inſecutum, & nunquam poſt nuptias procedebat. Sed vt pleniſsimo fini ſanctiones traderentur, & conſequentia nomina rebus eſſent, conſtitutum eſt, ut tales donationes non augeantur tantum, ſed etiam conſtante matrimonio initium accipiant, & non ante nuptias, ſed propter nuptias uocentur, & dotibus in hoc exequentur, ut quemadmodum dotes conſtante matrimonio,

non ſolum augentur,ſed etiam fiunt: ita & iſtæ donationes, quæ propter nuptias introductæ ſunt, non ſolum antecedant matrimonium, ſed eo etiam contracto, augeantur, & conſtituantur. Inſtit. de donatio. §. fina. & C. eod. l. penult. & fin.

Statutum eſt,ut in dotibus,& nuptialibus donationibus,tàm oblationum,quàm ſtipulationum æqualia pacta ſint: & tam magnam quantitatem maritus conſcribat,quantam & vxor: tantundem quoque in ſtipulationem deducãt lucri, exque tam magna portione, quantam uoluerint, dum menſuræ æqualitatem obſeruent: alio enim pacto iuſtitiæ,& ęqualitatis ratio conſeruari nõ poterit: niſi forte(vt in promerciis ſolet fieri) mutuo ſe circumſcribant, & cum æquales ſtipulationes feciſſe uideantur,re ipſa inæqualis permaneat effectus, non eadem & conſimili prius quantitate in oblatis rebus conſtituta. aut ſanè lex vndique ridicula fuerit,ſi cum ille duo aureorum millia conſcribat, mulier verò ſex millia fortè in dotem offerat, ſtipuleturque quartam eius, quod inſtrumento comprehenſum eſt, lucrifacere,deinde ſub euentum lucri hæc quidem nihil aliud lucretur,quàm quingentos aureos ex quarta,ille vero ex eadẽ quarta mille quingentos,& veluti in ænigmate una quarta multo altera maior appareat: nam ex purulenta illa æqualitate ſuapte natura fœda quædam, & abſurditas inæqualitas perficietur. Nouell. Conſt. de æqualit. dotis, & don. ante nupt. xcvii. in prin.

Multum intereſt,ſi ea quæ donat vir futurus tradiderit vxori, & poſtea in dotem acceperit: an vero donandi animo dotem auxerit,vt videatur accepiſſe, quod non accepit: priore enim caſu donatio non impeditur,& res, quæ in ea cauſa ſunt dotis effectæ,iudicio de dote peti poſſunt. poſteriore autem caſu nihil actum eſt donatione. & quod in dotem datum non eſt,non poteſt repeti, C. de don. ante nupt. l. prima.

Sed ſi è contrario maritus,& vxor ad diminuendam dotem,& ante nuptias donationem conſenſerint licitum eſt eis, ad ſimilitudinem diminutionis, quæ in dote fit,etiam ante nuptias minuere donationem,ut pacta de amborum deminutionibus ineunda firma, & legitima eſſe intelligantur. Exceptis videlicet his caſibus,in quibus,aut maritus ex priore matrimonio liberos habens, ad ſecundas migrauerit nuptias: aut uxor ſimiliter ex anteriore matrimonio liberis extantibus ſecundo marito ſe iunxerit. in hoc enim ſecundo matrimonio, vel à parte mariti,uel à parte mulieris, vel ab utraque (ſi hoc etiam acciderit) interdictam eſſe deminutionẽ dotis,uel ante nuptias donationis; ne aliquid aduerſus filios prioris matrimonii machinari uideatur: cenſetur, C. de dona. ante nupt. l. ſi conſtante, xix. §. ſed ſi è contrario.

Donatio propter nuptias ſpecialis contractus eſt,neque aliis connumeratur donationibus,quandoquidem pro hac tantundem offertur dotis. Siue igitur apud actorum monumenta inſinuata fuerit, ſiue non, per omnia ipſa firmitatẽ obtinet,quantum ad mulierem ſiue ab ipſo marito, ſiue ab alio quopiam mulieri oblata ſit,aut conſcripta,ſiue etiam in perſonam viri,ea conditione inſtituatur donatio,ut eaſdem res in nuptialem donationem conſcribat atque hęc obtinent,cuiuſcunque quantitatis donatio ſit tametſi(ut dictum eſt)non inſinuetur,quantum ſcilicet ad mulierem. Nouell. Conſtit. ut donat. propter nup. cxix. in princ.

Verum eminuero, quia ex ipſa rerum experientia neceſſarium mulieribus eſſe deprehenditur,ut donatione ante nuptias apud acta publica inſinuentur, quo

magis

magis inſtrumentorum exemplaribus fortè deperditis, per actorum monumẽta præ manu ipſis ſint contractarum nuptiarum probationes: ſancitum eſt, vt ipſi mariti, aut qui donationes ante nuptias, ſeu propter nuptias pro ipſis conſcribunt, ſi quingentorum aureorum quãtitatem excedat, neceſſe habeant eã inſinuare apud actorum monumenta. Si minus eas inſinuauerint, quantũ quidem ad partem mulieris, & hoc caſu conualeſcent donationes. Et ſi per occaſionem donationis, aut partis eius exactio obueniat. mulieri non opponitur, quod donatio inſinuata non fuerit. Si uero dotalium inſtrumentorum pactiones, & horum euentus parti mariti præbeant, dotis, aut etiam patris eius exactionem: niſi donationem (ut dictum eſt) apud actorum monumenta inſinuauerit, nec ipſe actionem habet. Nam cum viri inſinuandarum donationum poteſtatem habeant, abſurdum eſſe uidetur, non inſinuandarum donationũ periculum mulieribus incumbere, d. Nouell. Conſt. cxix. §. uerum enimuero.

Quod ſponſæ ea lege donatur, vt tunc dominium eius adipiſcatur, cum nuptiæ fuerint ſecutæ, ſine effectu eſt donatio, C. de donatio. ante nupt. & ſponſa. l. quarta.

Si cum ante nuptias munera darentur, ita conuentum eſt, atque huiuſmodi conſcripta pactio eſt, ut ſi qua ſors extitiſſet contra uoluntatem eius, & matrimonium diſtraxiſſet, tunc quæ data erant apud eũ qui dediſſet, hæredemve eius remanerent: poteſt qui hæreditatem eius accepit, cui pacta puella munera lege prædicta ſuſceperat, eadem iure poſtulare, C. eod. l. ſeptima.

Si ante matrimonium, minor quinque, & viginti annis conſtitutus, ſponſæ ſuæ licet ante ſponſalia fundum donauit, eamq́ue in uacuam induxit poſſeſsionẽ, poſtea nullo titulo ſuperſtitem, vel teſtamento eundem relinquentem alienare potuiſſe, certi ac manifeſti iuris eſt, C. eod. l. viii.

Cum Iulianus ſponſæ filii ſui quædam donaſſe confiteatur perfectam donationẽ reſcindi non oportet, quam ſua voluntas, juriſq́ue auctoritas fecit ratam, C. eod. l. cum te nona.

Si res proprias liberalitatis cauſa ſponſus ſponſæ tradidit eo, quòd ab hoſtibus poſtea interfectus eſt. irrita donatio fieri non poteſt, C. eod. l. ſi tibi, xi.

Si mater filiæ ſuę ſponſo, uel marito prædia ſine ulla repetendi lege donauit, & cum in uacuam poſſeſsionem induxit nuptiis ſolutis perfecta non diſſoluitur donatio, C. eod. l. ſi mater, xii.

De rebus in ſponſam donationis gratia collatis creditores mariti facti, ſi non prius obligatas eas ſibi probent eam conuenire minime poſſunt, C. eodem. l. de rebus, xiii.

Si conſentiente matre ſua ſponſus ſponſæ ſuæ animalia donauit, & his acceptis in dotem non ęſtimatis in matrimonio poſtea deceſsit: mater eademq; hæres eius precium offerens reſtitutionem eorum nurus improbe recuſat, C. eod. l. ſi conſentiente, xiiii.

Siue adfinitatis coeundæ cauſa, ſiue non, vel in poteſtate patris degentes, uel vllo modo proprii iuris conſtituti, tamquam futuri cauſam matrimonii aliquid ſibi ipſi, uel conſenſu parentum largiantur: ſiquidem ſponſus, uel parentes eius ſortiri filium noluerint, vxor id quod ab eo donatum fuerit, nec repetet traditum, & ſi quid apud donatorem recedit ad ſponſam, & hæredes eius trãſfertur, quod ſi ſponſa, uel is, in cuius agit poteſtate cauſam non contrahendi matrimonii, præbuerit: tunc ſponſo eiuſq́ue hæredibus ſine aliqua deminutione per conditionem, aut per vtilem actionem, in rem redhibendę ſunt.

Quę

Quæ similiter obseruari oportet, & si ex parte sponsæ in sponsum donatio facta sit, C. eod. l. cum veterum, xv.

Si à sponso rebus sponsæ donatis interueniente osculo ante nuptias hunc, uel illam mori contigerit dimidiam partem rerum donatarum ad superstitem pertinere præcipitur, dimidiam ad defuncti, uel defunctæ hæredes cuiuslibet gradus sint, & quocunque iure susceperint, vt donatio stare pro parte dimidia, & resolui pro parte dimidia uideatur. Osculo vero non interueniente: siue sponsus, siue sponsa obierit, tota infirmatur donatio, & donatori sponso, uel hæredibus eius restituitur. Quod si sponsa interueniente, uel non interueniente osculo donationis titulo (quod raro accidit) fuerit aliquid sponso largita, & ante nuptias hunc, vel illam mori contigerit: omni donatione infirmata ad donatricem sponsam, siue eius successores donatarum rerum dominium trásfertur, C. eod. l. si à sponso. xvi.

COMPEN-

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omiſsis iis,quibus à iure Canonico, Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione, contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Sextus.

DE BONIS QVAE LIBERIS IN POTESTATE CONSTITVTIS EX MATERNO, VEL ALITER ADQVIRVNTVR, ET EORVM ADMINISTRATIONE.

Titulus vnicus.

ADQVIRITVR vobis non ſolum per voſmetipſos, ſed etiam per eos,quos in poteſtate habetis. Igitur liberi veſtri vtriuſque ſexus, quos in ptāte habetis olim quidē quidquid ad eos peruenerat (exceptis videlicet caſtrēſibus peculiis) hoc parētibus ſuis adquirebant ſine vlla diſtinctione, & hoc ita parentibus fiebat,vt eſſet etiam eis licentia,quod per unum vel vnam eorum adquiſitum eſſet,alii filio, vel extraneo donare, vel vendere, vel quoque modo voluerant applicare, quod inhumanum viſum eſt,& generalis conſtitutio eſt emiſſa, quæ & liberis pepercit,& parentibus honorem debitum reſeruauit. Sancitum eſt enim vt ſiquid ex re patris ei obueniat,hoc ſecundum antiquam obſeruationem totum parenti adquiratur: quæ enim inuidia eſt, quod ex patris occaſione profectū eſt, hoc ad eum reuerti? quod autem ex alia cauſa filiusfamilias ſibi adquiſiuit,huius vſumfructum patri quidem,Auo, vel Proauo adquirat, dominium autem apud eum remaneat,ne quod ei ſuis laboribus,vel proſpera fortuna acceſſerit,hoc in alium perueniens luctuoſum ei procedat: Et hoc ad exemplū, tam maternarū,quæ ex nuptialibus cauſis(exceptis caſtrenſibus peculiis,quorum nec vſusfructus patri, auo, proauo conceditur. Eadem obſeruādo etiam in his peculiis,quæ quaſi caſtrenſia peculia ad inſtar caſtrenſis peculii acceſſerunt. Inſt.per quas perſonas nobis adquirit:in princ.& C. de bo.quę lib.l.ſexta,in princ.& C.de bo.maternis.l.prima, in princ.

Non autem hypothecam filiifam. aduerſus res viuentis patris adhuc, ſeu iā mortui

tui ſperare audeant, nec ratiocinia eis ſuper adminiſtratione inferre. ſed tantummodo alienatione, uel hypoteca ſuo nomine patribus denegata rerum habet parens pleniſsimè poteſtatē, uti fruique iis rebus, quæ per filiosfamilias ſecundum prædictum modum adquiruntur: & gubernatio rerum earum eſt, penitus impunita: vt nullo modo audeat filiusfamilias, vel filia, uel deinceps perſonæ vetare eum, cuius in poteſtate ſunt eaſdem res tenere, vel quomodo voluerint gubernare, vel ſi hoc fecerint: patria poteſtas in eos exercenda eſt. Sed habet pater, vel aliæ perſonæ, quæ ſuperius enumeratæ ſunt, pleniſsimam poteſtatem vti, frui, gubernareque res, quæ prædicto modo adquiſitæ ſunt. Et ſiquid ex vſu earum pater, auus, uel proauus collegerit. habeat licentiam quemadmodum cupit. hoc diſponere, & in alios hæredes tranſmittere, vel ſi ex earū rerum fructibus res mobiles, uel immobiles, vel ſe mouentes comparauerit, eas etiam quomodo voluerit, habebit, & tranſmittet: & in alios transferret, ſiue extraneos, ſiue liberos ſuos, ſiue quamlibet perſonam. Sin autem res ſibi memorato modo adquiſitas parens noluerit tenere, ſed apud filium, vel filiā, vel deinceps perſonas reliquerit, nullam poſt obitum eius licentiam habent hæredes patris, aui, vel proaui, eundem vſumfructum, vel quod ex hoc ad filiosfamil. peruenit, vtpote patri debitum ſibi uindicare, ſed quaſi diuturna donatione in filium celebranda, qui vſumfructum detinuit quem patrē habere eius oportuerat, ita cauſa intelligitur, ut eundem vſumfructum poſt obitum patris ipſe lucretur: parente eius ius exactionis quaſi ſibi debitæ à filio, qui vſum fructum conſenſu eius poſsidebat, ſuæ poſteritati, vel ſucceſsioni minime tranſmittente: quatenus in omni pace inter ſe ſucceſsio eius permaneat, nec altercationis cuiuſdam maximæ inter fratres oriatur occaſio, d. l. ſexta. §. non autem.

Parentes autem, apud quos maternarum rerum utendi, fruendique tantum poteſtas eſt, omnem debent tuendæ rei diligentiam adhibere: & quod iure filiis debetur, in examine per ſe, vel per procuratorem poſcere, & ex fructibus ſumptus impigrè facere, & litem inferentibus reſiſtere, atque ita omnia agere, tanquam ſolidum perfectum dominium eis adquiſitum fuiſſet, & perſonā gerant legitimam: ita, ut, ſi quando res alienare voluerint, emptor, uel is, cui res donatur, obſeruet nequam partem earum rerum, quas alienari prohibitū eſt, ſciens accipiat, vel ignorans. Docere enim pater debet proprii iuris eam rem eſſe, quam donat, aut diſtrahit: & emptori (ſi vellit) fideiuſſorem licebit accipere: quia nullam poterit præſcriptionem opponere filiis quandoque rem ſuā uindicantibus, C. de bonis maternis. l. prima §. parentes.

Quidquid Auus, Auia, Proauus proauia ex materna linea uenientes, nepoti nepti pronepoti pronepti, teſtamento fideicommiſſo, legato, donatione, uel alio quolibet titulo largitionis, uel etiam inteſtato ſucceſsione contulerint: pater filio, filiæve integra illibataque cuſtodiat, vt uendere, donare, relinquere, alteri obligare, ſicut nec materna bona, non poſsit, vſufructu duntaxat ad eum pertinente: ita, ut quemadmodum ipſe ſuper his rebus licentiam totius poteſtatis amittit: defuncto eo, filio filiæve præcipue computentur, nec ab illis, qui ex parte ſunt cohæredes, uindicentur, C. eod. l. ſecunda.

In vſufructu maternarum rerum nulla eſt differentia, ſiue in priore matrimonio pater, ex quo filios habuit permanere uoluerit, ſiue nouercam filiis ſuper induxerit. Parentes igitur vſumfructum maternarum rerum etiam ſi ad ſecundas migrauerint nuptias, ſine dubio habere debebunt, C. eod. l. fi.

Cum

Cùm venerandæ leges vetuerint patribus iure potestatis adquiri, quidquid eorum filiis auus, auia, proauus, proauia à linea materna uenientes quocunque titulo contulissent, hoc quoque conuenit obseruari, ut, quidquid vel vxor marito non emancipato, vel vxori maritus in potestate positæ quocunque titulo, vel iure contulerit, seu transmiserit, & hoc patri nullatenus adquiratur, atque ideo in eius tantum, cui dilatum est, iure durabit, C. de bonis, quæ liberis. l. prima.

Et procedit hæc dispositio etiam in sponsis, quia tam sponsalitia largitas, quàm hæreditas, quàm sponsus suam sponsam lucrari uoluit nō adquiritur patri, sed ad eam peruenit, C. eod. l. quinta.

Constitutionis nouæ capitulum clariore interpretatione sancitum est, ut quę per filios, nepotes, pronepotes, itemq; filias, neptes, proneptes, quamuis in potestate sint, minimè adquiri, decernitur à marito, vel vxore quocunque titulo collata, siue vltima transmissa voluntate: nullus ad id quoque pertinere existimet, quod ab ipso parente datum dotis, uolante nuptias donationis causa pro vna ex memoratis personis præstitum fuerat, vt minimè ad eum si casus tulerit, reuertatur, prospiciendum est enim ne hac iniecta formidine, parentū circa liberos munificētia retardetur: Sed vt his potestatis iure ad parentes reuersis, cæterarum, quæ ex substantia speciali coniugis ad superstitē deuenerant, quamuis iidem in sacris sint: vsufructu tamen solo, atque vsu parentibus deputato, dominium ei, quæ a coniuge, vel qui à marito meriat, reseruetur, C. eod. l. secunda.

Quod scitis prioribus continetur, nec à filia, quæ in potestate est donationē ante nuptias patri, nec à filio dotem adquiri eo addito confirmatur, vt defunctis his adhuc in potestate patris, si liberis extantibus moriantur, ad liberos eorū eędem res iure hæreditatis, non ad patres iure peculii transmittantur, nec per nepotes auo, videlicet adquirendæ. Sin autem idem nepos superstitibus, tàm patre, quàm auo paterno diem suum sine liberis obierit: eorum dominiū, quæ ad ipsum ex matre, vel ab eius linea peruenerint, non ad auum, sed ad patrem eius perueniat, vsufructu, videlicet ex huiusmodi casibus auo, dum supererit, seruando, C. eod. l. tertia.

Hoc quoque dispositum est, & in ea specie, ubi parens emancipando liberum suum ex rebus, quæ adquisitionem effugiebant, sibi tertiam partem retinere (si uoluerit) licentiam ex anterioribus constitutionibus habebat, quasi pro precio quodammodo emancipationis. Ideoque statutum est, vt parens pro tertia parte dominii, quam retinere poterat, dimidiam non dominii rerum, sed vsufructus retineat. Ita enim res intactæ apud filium remanebunt, & pater amplio re summa fruitur pro tertia dimidia potiturus. Exceptis in hoc castrensibus, & quasi castrensibus peculiis, quibus nihil ex hac causa diminuitur, hoc obtinente, & si in emancipatione sibi parens, hoc sibi parentes minime seruauerint. Sed nisi specialiter, vel in emancipatione huius premio renuntiauerint, uel donatione facta sese ab huiusmodi beneficio alienauerint, & in liberos hoc transtulerint: manet apud eos etiam tacentes ius, & beneficium usus fructus retinendi, & post obitum eorum, & vsus fructus in omnibus memoratis causis ad eos perueniet quorum dominium est, Inst. per quas. nob. adq. §. hoc quoque, & C. de bon. quæ lib. l. cum oportet, vi. §. cum autem.

Siquid à Serenissimo Principe, vel à Piissima Augusta, siue masculus, siue fœmina donatione sit consecutus, uel consecuta, siue mobilium, siue immobilium,

siue

siue se mouentium rerum filiusfam. tamen constitutus, vel constituta: habent huiusmodi res omni adquisitione absolutas, & nemini eas adquirant: neque earum vsumfructum pater, uel auus, uel proauus sibi vindicet, sed ad similitudinem castrensis peculii omnem facultatem in eas, vel filii, vel filiæfamil. habēt. Vt enim imperialis fortuna omnes supereminet alias: ita oportet, & principales liberalitates culmen habere præcipuum, C. eod. l. cum multa, vii.

In omnibus rebus, quæ effugiunt quidem Dominii adquisitionem, sed vsusfructus tantum patri offertur, vel aliis parentibus à filiofamilias cuiuscunque gradus, siue sexus, siue pater adire filiumfamilias integræ ætatis compellit, & ille reclamandum existimat, siue filiusfam. adire cupit, & pater in contrarium inclinat: liberam habet licentiam pater, & sibi adquirit hæreditatem recusante filio, & omne siue damnum, siue lucrum in suam haberet fortunam: nullo ex hoc præiudicio filio generando. siue è contrario patre recusante filius hæreditatem adire voluerit. nulla adquisitio vsusfructus patri offertur, sed ipse filius sibi imputat, siquid ex hoc contigerit. nulla actione, neque contra patrem danda, vbi aduersus eius voluntatem, filius hæreditatem, vel legatum, vel fideicommissum, vel aliud quidquam ex quocunque titulo, siue donationis, siue contractus alterius sibi adquirere maluerit: neque aduersus filium simili modo actione extendenda, vbi recusante eo, sua pater authoritate hoc sibi vindicet, huiusmodi aditionis tramite ex præsenti lege patri competente: sed habeat pater omnem licentiam, & actiones mouere, & ab aliis pulsari, vbi ad eū totum commodum aduenit, & filius simili modo in agendo, & pulsando solus habeat detrimentum, & commodum: necessitate per officium iudicis patri imponenda, tantummodo filio consentire, vel agenti, vel fugienti, ne iudiciū sine patris voluntate videatur consistere. Et hæc quidem, si plenæ ætatis filius est, qui paternam sequi voluntatem non patiatur, C. eod. l. fi. in princ.

Sin autem in secunda ætate adhuc filius est, & hæreditate ei delata pater cōsentire adeunti noluerit, vel patre volente ipse reclamauerit: siquidem recusauerit filius licentia datur patri simili modo hæreditatem adire, & eam pleno iure habere: his omnibus quæ supradicta sunt locum habentibus. Sin autem patre recusante filius adire maluerit. datur quidem licentia ei hoc facere. nolente autem patre res filii gubernare propter causę necessitatem, habebit facultatem filius adire competentem iudicem, & ab eo petere curatorem hęreditati dari, per quem gubernatio rerum in eum delatarum procedat. In utroque casu in integrum restitutionis auxilio ei minime denegando, d. l. fina. §. sin autem.

Similique modo, & in milite filio familias, qui recusauerit aditionem hæreditatis, quę ei ex castrensibus actionibus prouenıat, patri licentia datur adire hæreditatem, vt ad ipsum perueniat pleno iure, tàm per vsumfructum, quàm per dominium. eandem hæreditatem possessurum, quasi ipse pater ab initio fuisset hæres institutus: eo videlicet subiacente omnibus oneribus hæreditatis, & omnia commoda habituro: & ad filium nullo periculo redundante. Et hæc quidem in his casibus obseruanda sunt, quibus discordia inter patrem, & filiū vertitur, d. l. fin. §. similiq; modo.

Vbi autem voluntas eorum in unum concurrit, & pater vsumfructum, & filius habebit proprietatem; & in agentibus, & fugientibus, pater quidem suscipiet actiones, & mouebit, cuiuscunque ętatis filius inueniatur adhibebitur autem etiam filiorum consensus, nisi adhuc in prima sunt ætate constituti, vel longè

gè

gè abſunt, ſumptibus videlicet à patre propter rerum incrementa faciendis: cum enim nuda proprietas apud filium inueniatur ex qua ſubſtantia poſsibile eſt eum ſumptus litis dependere? d.l.fi.§.ubi autem.

Sin autem æs alienum ex defuncti perſona deſcendit: cum etiã apud veteres hæc eſſe ſubſtantia intelligatur, quæ poſt detractum ęs alienum ſuperſederit: habet pater licentiam ex rebus hæreditariis (primum quidem mobilibus, ſin aũt non ſufficiant ex immobilibus) ſufficientem partem nomine filii venundare: vt illico reddatur æs alienum, & non intereſſe onere pręgrauetur. Quod ſi pater hoc facere ſuperſederit ipſe intereſſe, vel ex reditibus, vel ſua ſubſtãtia omnimodo dare compellitur. Sin autem legata, vel fideicommiſſa ſiue annalia, ſiue ſemel relicta imminent huiuſmodi perſonis, ſiquidem tales reditus ſunt, qui ſufficiunt ad annalia legata, pater ex huiuſmodi reditibus hæc dependerę compelletur, ſi autem non habeat ſubſtantia ſufficientem reditum ad legatorum, uel fideicommiſſorum pręſtationem, vel minime reditus, vel alias acceſsiones contineat, ſint tamen res mobiles, vel immobiles, ſteriles quidem, non tamen vtiles, veluti domus in prouinciis præcioſa, uel ubicunque ędificia poſita, uel ſub vrbana, ex quibus huiuſmodi legata poſsint explicari licentia dabitur patri ſufficientem partem eorum ſimiliter filii nomine uendere, & ſatisfacere legatis. Hoc proculdubio obſeruando, vt & animalia ipſe vſufructuarius alere debeat, & omnia circa vſumfructum facere: paterna reuerentia eum excuſante, & à ratiociniis, & à cautionibus, & ab aliis omnibus, quæ ab vſufructuariis extraneis à legibus exiguntur, C.eod.d.l.fi.§.ſin autem.

Ipſum autem filium, vel filiam, filios, vel filias, & deinceps alere patri neceſſe eſt, non propter hęreditatem, ſed propter ipſam naturam, & leges, quæ a parentib. alendos eſſe liberos imperauerunt, & ab ipſis liberis parentes, ſi inopia ex alterutra parte vertitur, d.l.fin.§.ipſum autem.

Sed pater quidem in prædictis tantummodo cauſis habet licentiam ritè res filiorumfam. uendere filii nomine, vel ſi emptorem non inuenerit, ritè pignori ſupponere, nullo modo concedenda licentia filiis eaſdem venditiones, vel hypothecas retractare. Non autem licentia datur extra memoratas res, quarum dominium apud eorum poſteritatem eſt, alienare, vel pignori, vel hypothecæ titulo dare. Quod ſi hoc fecerint ſcituri ſunt neceſſe eſſe, eos in legũ laqueos incidere, quibus huiuſmodi venditiones, vel hypothecæ ſunt interdictæ. Exceptis videlicet rebus mobilibus, vel immobilibus illis, quæ hæreditati oneroſæ ſunt, vel quocunque modo damnoſæ, quas ſine periculo patri vendere cum paterna pietate licet, vt precium earum, vel in res, vel in cauſas hæreditarias procedat, vel in filio ſeruetur, d.l.fi §.ſed pater quidem.

Filiis, aut familiarum in his duntaxat caſibus, in quibus vſusfructus apud parentes conſtitutus eſt, donec parentes viuent, nec teſtari de iiſdem rebus permittitur, nec citra uoluntatem eorum, quorum in poteſtate ſunt, vlla licentia concedenda eſt, dominium rei ad eos pertinentis alienare, vel hypothecæ titulo dare, vel pignori adſignare; melius enim eſt coarctare iuueniles calores, ne cupiditati dediti triſtem exitum ſentiant, qui eos poſt diſperſum expectat patrimonium, cum enim ſicut dictum eſt, parentes alere eos ſecundum leges, & naturam compellantur, quare ad venditionem rerum ſuarum proſilire deſiderant? d.l.fi.§.filiis autem.

Vbi autem puerilis ætas patri licentiam præſtat, etiam ſine conſenſu filii hæreditatem eius nomine adire, ſi hoc fecerit pater: datur quidem filio in integrum

reſtitu-

restitutio, postquam patria fuerit potestate liberatus, vel adoleuerit. Pater autem oneribus hæreditariis (licet nomine filii adiit modis omnibus alligatur: quare enim talem hæreditatem adiit, quam nec ipse nunc, nec filius idoneam sibi esse hæreditatem existimat? Non autem filio licentia datur, si in integrũ restitutionem petat, respuendam esse hæreditatem credenti, adhuc minoribus curriculis instantibus iterum per aliam restitutionem adire præfatam hæreditatem: ne ludibrio leges ei fiant: sæpius & amplecti eandem, & respiciendam hęreditatem cupienti. Si enim quod pater fecerit filius ratum nõ habuit, & propter hoc restitutus est, quomodo ferẽdus videatur iterum iudicium amplectens, quod & post patris voluntatem contraria affectione adspernendum esse existimauit? Sin vero pater quidem hæreditatem repudiauerit infante filio constituto, ipse autem filius postea, vel adhuc in sacris constitutus, vel patria potestate liberatus adeundam esse crediderit eandem hæreditatem licentia datur ei, vel si sui iuris efficiatur, tutoribus, vel curatoribus eius hæreditatem adire nullo præiudicio ex recusatione paterna ei generando. Simili modo, & in hac parte, nulla ei, vel tutoribus, uel curatoribus eius licentia concedenda contra priorem suam voluntatem in integrum restitutionem petere, d.l.fin.§.ubi autem.

Quæ & in legatis, & in fideicommissis, tàm specialibus, quàm per vniuersitatem relictis, & in aliis causis, quas supra enumerauimus similibus ei seruanda sunt, d.l.fin.§.fin.

Statueram singulis Partibus Septem Libros ponere, sed quoniam Institut. titulus, Quib. alien. licet uel nõ, atque adeo eius materia melius in Quarta, & Quinta, quàm in Secunda Parte cadit, hanc ideo sex tantum Libros habere necesse fuit.

Finis Secundæ Partis.

TERTIA PARS COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperij mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Primus.

DE TESTAMENTIS, ET QVI TESTAMENTA FACERE POSSVNT.

Titulus I.

TESTAMENTORVM forma introducta est, cum paulatim, tàm ex usu hominum, quàm ex constitutionum emendationibus cœpit Ius Ciuile, & Prætorium iungi: constitutumq; est, ut uno eodemq; tempore (quod ius ciuile quodammodo exigebat) septem testibus adhibitis, & subscriptione testium, (quod ex constitutionibus inuentum est, & ex edicto Prætoris) signacula testamentis imponerentur. Sed his omnibus propter testamentorum synceritatem, hoc additum est, ut per manus testatoris, vel testium nomen hæredis exprimatur. Inst. de testam. ordin. in princ. usque ad §. possunt autem.

Testamentum ex eo appellatur, quod testatio mentis sit: Instit. de testam. ord. in princip.

Testamentum est uoluntatis nostræ iusta sentẽtia, de eo, quod quis post mortem suam fieri uelit. ff. qui testam. fac. poss. l. prima.

In eo,qui testatur, eius temporis, quo testamentum facit integritas mentis, nō corporis sanitas exigenda est.ff. eo.l.secunda.

Testamentum illud propriè dicitur,quod iure perfectum est;sed abusiuè testamē ta quoque ea appellamus, quæ falsa sunt,uel iniusta,uel irrita,uel rupta: Item imperfecta solemus testamenta dicere,ff.de testam. quemadm.aper.l.tabularum.2.§.1.

Duplex ratio testamentorum existit,ut,uel in dispositionem scripto cōprehensā deferatur, uel in uoluntatem, sine scripto consistentem. Nouell. const. 1.§. quoniam.

Sicut codicilli,pars intelliguntur testamenti: ita secundæ tabulæ principalium tabularum partem obtinere uidentur: ff.de testa.quemadm.aper.l.sicut. xi.

Item ad testamentum,quod quoque tempore fecerit quis, pertinent codicilli. l. ab intestato, xvi.§.ad testamentum.

Non codicillum,sed testamentum institutio,& exhæredatio facta probant euidē ter. C.de testa.l.non codicillum.xiiii. Nam & si fortè à Titio legata reliquit,& substitutum adscripsit,si hæres non extitisset,sine dubio,nō codicillos, sed testamentum facere testatorē uoluisse intelligitur.ff.de iure codicil.l.illud sine, xiii.§.testari solet.

Testamenta uim ex Institutione hæredis accipiunt,& ob id, ueluti caput, atque fundamentum intelligitur totius testamenti hæredis institutio. Inst. de lega. §.ante hæredis.Et si nemo subiit hæreditatem omne ius testamenti soluitur. ff.de regu.iur.l.si nemo.clxxxi.

Testamenti factio non priuati,sed publici iuris est, ideoq; forma eius priuatorū pactis non læditur.ff.qui test.fac.poss.l.tertia.

Si quæramus,an ualeat testamentum,in primis animaduertere debemus, an is, qui fecit testamentum habuerit testamenti factionem; Deinde si habuerit, re quirimus,an secundùm regulas iuris testatus sit.ff.eo.l.quarta.

De ætate testandi in masculis,quartumdecimum annum spectamus: In fœminis uerò duodecimum complectum: sed annum excessisse non debet, sed sufficit ipso natali testamentum factum esse,imò plus etiam,si pridie calendas fecerit post horam sextam noctis testamētum ualet,iam.n.compleuisse uidentur annum xiiii.ff.eod.l.quinta.

Vno contextu actionis testari oportet: est autem uno contextu nullum alienum actum testamento intermiscere. Quòd si aliquid pertinens ad testamentum faciet, testamentum non uitiatur,ff.qui testam. facere poss.l. hęredes palàm, xxi. §. finali.

Hæredes palàm,ita ut exaudiri possint, nuncupandi sunt, licebit ergo testanti hæredes,uel nuncupare,uel scribere,sed si nuncupat,palàm debet. Palàm non est in publicum,sed ut exaudiri posit,non ab omnibus,sed à testibus, & si plu res fuerint testes adhibiti: sufficit solennem numerum exaudire, ff.eod.d.l. hæredes: in princi.

Testator, si uires habeat ad scribendum, nomen hæredis, uel hæredum, in sua subscriptione, uel in quacunque parte testamenti ponat, ut sit manifestum, secundùm illius uoluntatem hæreditatem esse transmissam. ¶ Sui autem forsitan ex morbi acerbitate, uel literarum imperitia, hoc facere non potuerit: testibus testamenti præsentibus, nomen, uel nomina hæredis, uel hæredum nuncupabit: sin enim testator, neque scribere, neque articulatè loqui potest, mortuo similis est, quod si non fuerit obseruatum testamen-

tum

tum non stabit. sed ne aliqua forsitan obliuio testium animis incumbat, ipsi testes in suis subscriptionibus (cum testator hæc non scripserit, sed nuncupauerit) eorum nomina subscribent ad æternam rei memoriam, C. de testam.l.iubemus,xxix.

Licet per scripturam conficientibus testamentum (si nullum scire uolunt, ea quæ in eo scripta sunt) consignatum, uel ligatum, uel etiam clausam inuolutamque proferre scripturam, uel ipsius testatoris, uel cuiuslibet alterius manu conscriptam, eamque rogatis testibus, septem numero omnibus simul offerre, signandam, & subscribendam: dum tamen testibus præsentibus, testator suum esse testamentum dixerit, quod offertur eique ipse coram testibus sua manu in reliqua parte testamenti subscripserit. Quo facto testamentum ualet, quod si litteras testator ignoret, uel subscribere nequeat octauo subscriptore pro eo adhibito eadem seruantur, C. de testam.l.hac consultissima, xxi. in princ.

In omnibus autem testamentis, quæ præsentibus, uel absentibus testibus dictarētur, superfluum est uno, eodemque tempore exigere testatorem, & testes adhibere, & dictare suum arbitrium, & finire testamentum, sed licet alio tempore dictatum, scriptumve proferatur testamentum, sufficiet uno tempore eodēque die, nullo actu extraneo interueniente, testes omnes uidelicet simul, nec diuersis temporibus subscribere, signareque testamentum, quod est finis testamenti. Non subscriptum autem a testibus, non signatum testamentum, pro infecto haberi conuenit, C. de testamen.d.l. hac consultissima, §. in omnibus.

Ex imperfecto autem testamento uoluntas defuncti, nisi inter liberos solos vtriusque sexus non tenet: si uero in huiusmodi uoluntate liberis alia sit extranea mista persona certum est, eam voluntatem defuncti, quantum ad illā duntaxat permistam personam, pro nihilo haberi, sed liberis adcrescere, C. de testam.l.hac consultissima.§.ex imperfecto.

Siue institutio hæredum post dationem legatorum scripta sit, uel alia prætermissa sit obseruatio non ex mente testatoris, sed uitio tabellionis, uel alterius, qui testamentum scribit nulli licentia conceditur, per eam occasionem testatoris uoluntatem subuertere, uel minuere, C. de testamen. l. ambiguitatis, xxiiii.

Nihil interest testamentū in tabulis, an in chartis membranisve, uel alia materia fiat. Instit. de testam. ordin.§. nihil autem, & ff. de bon. possess. secund. tabul.l.prima.

Et unum testamentum, pluribus codicibus conficere quis potest, quod interdum etiam necessarium est, ueluti si quis nauigaturus, & secum deferre, & domi relinquere iudiciorum suorum contestationem uelit, uel propter alias innumerabiles causas, quæ humanis necessitatibus imminent. Insti. de testam.ordi.§.sed & unum, & ff. qui test.fac.poss.l. unum, xxiiii. & ff. de bon.possess.secund.tabul.l.prima.§. sed etsi in duobus.

Si quid post testamentum factū mutari placuit, omnia ex integro facienda sunt, ff. qui testa.fac.poss.l.hæredes palàm, xxi.§. si quid post.

Quod uerò quis obscurius in testamento, uel nuncupat, uel scribit, post solennia explanari potest, utputa Titio legauit amico, cum multos Titios amicos haberet, & errauerit in nomine, uel prænomine, uel cognomine, cum in corpore non errasset. Nā poterit declarare de quo senserit: nihil enim

nunc dat,ſed datum ſignificat, ſed etſi notam poſtea adiecerit legato, uel ſua uoce,uel litteris,vel ſummam, vel nomen legatarii, quod non ſcripſerat, vel nummorum qualitatem: recte faciet. Nã ſi qualitas numerorum adiecta non fuiſſet,vtique placet coniectionem fieri eius,quod reliquit, uel ex uicinis ſcripturis,uel ex conſuetudine patrisfamiliàs,uel regionis,d.l.hac conſultiſsima, xxi.§.quod uerò quis.

Hæc quidem de teſtamentis,quæ ſcriptis conficiuntur ſufficit, ſi quis autem uoluerit ſine ſcriptis ordinare teſtamentum,ſeptem teſtibus adhibitis,& ſua uoluntate coram eis nuncupata ſciat,hoc perfectiſsimum teſtamentum eſſe firmumq; conſtitutum,Inſt.de teſtam.ord.§.fin.& C.de teſtam.l.hac conſultiſsima,xxi.§.per nuncupationem.

In teſtamentis ſine ſcriptis,poſtquam ſeptem teſtes conuenerint ſatis eſt uoluntatem teſtatoris omnibus teſtibus,ſimul manifeſtari ſignificantis ad quos ſubſtantiam ſuam,uel legata, uel fideicommiſſa peruenire velit etiamſi non ante huiuſmodi deſcriptionem prædixerit illa formalia uerba, IDEO EOSDEM TESTES CONVENISSE, QVOD SINE SCRIPTIS SVAM VOLVNTATEM, VEL TESTAMENTVM COMPONERE CENSVI, C.de teſtamen.l.in teſtamentis, xxvi.

Non poteſt vllum teſtamentum valere quod hęredem non habet,ut ff.de his quę in teſtam.del,l.tertia.§.ſententia ibi Calphurnius.

Sine hæredis inſtitutione nihil in teſtamento ſcriptum ualet,ff.de vulg.l.i.§.fi.

Teſtamenta uim,ex inſtitutione hæredis accipiunt: & ob id ueluti caput, atque fundamentum intelligitur totius teſtamenti hæredis inſtitutio, Inſti. de leg. §. ante omnia.

Homines ruſticani,& quibus non eſt litterarum ſcientia non poſſunt legum Inſtituta, & tantam legis ſubtilitatem cuſtodire in ultimis uoluntatibus, unde ſtatutum eſt,ut in illis locis in quibus raro inueniuntur homines literati,ſi ibi ſcientes literas inuenti fuerint ſeptem teſtes, ii ad teſtimonium adhibeãtur, & unuſquiſque pro ſua perſona ſubſcribat,vbi autem non inueniantur literati ſeptem teſtes,etiam ſine ſcriptura teſtimonium adhibentes admittuntur. Si autem in illo loco minimè inuenti fuerint ſeptem teſtes, uſque ad quinque modis omnibus adhibendi ſunt,minus autem nullo modo conditur. Si uerò vnus,aut duo,uel plures ſcierint litteras,ii pro ignorantibus literas præſentibus ſubſcriptionem ſuam imponent,ſic tamen vt ipſi teſtes cognoſcant teſtatoris uoluntatem: maximè quem,uel quos hæredes ſibi relinquere uoluerit,& hoc poſt mortem teſtatoris iurati deponant,C.de teſtam.l.fin.

Si quando talis conceſsio Imperialis proceſſerit per quam liberam teſtandi factio concedatur,nihil aliud videtur principem concedere,niſi ut habeat legitimam,& conſuetam teſtandi factionem, neque enim credendum eſt principem, qui iura tuetur huiuſmodi uerbo. Totam obſeruationē teſtamentorum multis vigiliis excogitatam,atque inuentam uelle euerti,C.de inof.teſtam.l. ſi quando,xxxv.in princ.

Nemo poteſt in teſtamento ſuo cauere, ne leges in eius teſtamento locum habeant,quia nec tempore,aut loco,aut conditione finiri obligatio hęredis legatorum nomine poteſt,ff.de leg.1.l.nemo poteſt,lv.

Teſtandi cauſa de pecunia ſua,legibus certis facultas eſt,non autem iuriſdictionis mutare formam,uel iuri publico derogare, cuiquam permiſſum eſt, C.de teſtam.l.teſtandi, xiii.

Omnia

Omnia quæcunque testator disponit, siue uir existat, siue mulier, ea firmitatem habeant: sanciat enim quisque in rebus suis, ut dignum est, & pro lege uoluntas eius esto. Quemadmodum lex etiam uetustissima, & quæ prima ferè Romanis constituit Rempub. nempe xii. tabularum uetere ac Patria lingua. his penè utens uerbis, inquit, VTI LEGASSIT QVISQVE DE RE SVA ITA IVS ESTO: nemini facta potestate, ut in rebus alienis aliquid præter illius uoluntatem disponat: Nouell. constit. xxii. De his qui nuptias iterant. §. atque hoc primum.

De testibus testamenti.

In omni voluntate vltima: excepto testamento, quinque testes, uel rogati, uel qui fortuito uenerint in uno eodemq́ue tempore debent adhiberi, siue in scriptis, siue sine scriptis uoluntas conficiatur: testibus uidelicet quando in scriptura, uoluntas componitur sub notationem suam accommodantibus. C. de codicil. l. siquis. viii. §. fi.

Possunt & omnes testes, uno annulo signare testamentum: quid enim, si septem annuli una sculptura fuerint? sed & alieno annulo licet signare testamentum. Inst. de testam. ord. §. possunt autem.

Item si ab ipso testatore annulum accepero, & signauero: testamẽtum ualet quasi alieno signauerim. ff. qui testa. fac. poss. l. ad testium. xxii. §. si ab ipso, & magis est, ut annulo tantum signetur testamentum, dũmodo habeat characteres, d. l. ad testium. xxii. §. signum.

Posse, & nocte signari testamentum nulla dubitatio est. d. l. ad testium. §. pe. & signatas tabulas accipi oportet, & si linteo quo tabulæ inuolutæ sunt signa impressa fuerint. d. l. ad testium. xxii. §. fi.

Si quis ex testibus nomen suum non scripserit, ueruntamẽ signauerit: pro eo est, atque si adhibitus non fuisset, sed & si (ut multi faciunt) adscripserit, si non tamen signauerit, adhuc idem dicemus. d. l. ad testium. §. si quis ex testibus, quia singulos testes, qui in testamento adhibentur proprio chirographo annotari conuenit, quis, & cuius testamentum signauerit, ff. qui test. fac. poss. l. pen. xxx.

Vnde si unus de septem testibus defuerit, uel coram testatore omnes eodem loco testes suo, uel alieno annulo, non signauerint: iure deficit testamentum, C. de testam. l. si unus, xii.

Si testamentum, quod resignauerit testator, iterum signatum fuerit septem testiũ signis, non erit imperfectum, ff. qui testam. fac. poss. l. si testamentum, xxiii.

Testes autem adhiberi possunt hi, cum quibus testamenti factio est: sed neque mulier, neque impubes, neque furiosus, neque mutus, neque surdus, neque is, cui bonis interdictum est, neque hi quos leges iubent improbos intestabilesq; esse, possunt in numerũ testiũ adhiberi. Inst. de test. ord. §. testes aũt.

In testamentis, in quibus testes rogati adesse debent, vt testamentũ fiat alterius rei fortè rogatos, ad testandũ nòn esse idoneos placet. Quod sic accipiendum est, ut licet ad aliã rem sint rogati, uel collecti: si tamen ante certiorẽtur, ad testamẽtum, se esse adhibitos: posse eos testimoniũ suum rectè perhibere. ff. qui testam. fac. poss. l. hæredes palàm, xxi. §. in testamentis.

Si testes nõ in cóspectu testatoris testimoniorũ officio functi sunt: nullo iure testamentum valet, C. de testam. l. si non spetiale, ix. Nã ueteres putauerunt eos,

quí propter ſolennia adhiberentur durare debere donec ſuprema conteſtatio peragatur.ff.qui teſtam.fac.poſſ.l.qui teſtamento.xx.§.fi.

Hermaphroditus an ad teſtimoniũ adhiberi poſsit qualitas incaleſcentis ſexus oſtendit.ff.de teſtib.l.repetundarum.xv.§.fin.

Qui lege repetundarum damnatus eſt ad Teſtamentum adhiberi nõ poteſt quoniam in iuditium teſtis eſſe uetatur.ff.qui teſtam.fac.poſſ.l.qui teſtamẽto. xx. §.eum qui.

Conditionem teſtium. Tunc inſpicere debemus cum ſignarent, non mortis tempore. Si igitur tunc cum ſignarent tales fuerunt, vt adhiberi poſſent, nihil nocet, ſi quid poſtea eis contigerit.ff.qui teſtam.fac.poſſunt l.ad teſtium. xxii.§. conditionem.

Non tantum intelligentiam ſermonis exigimus. Nam ſi uel ſenſu percipiet quis, cui rei adhibitus ſit, ſufficit.d.l.qui teſtamento.§.fi.

Pater, nec non is, qui in poteſtate eſt eius; Item duo fratres, qui in eiuſdem patris poteſtate ſunt, utique teſtes in vno teſtamento fieri poſſunt: Quia nihil nocet ex una domo plures teſtes alieno negotio adhibiti; Inſt.de teſtam.ord.§.pater.

Pater eius, qui de caſtrenſi peculio poteſt teſtari, adhiberi ab eo. ad teſtamentum teſtis poteſt: Ergo, & frater poterit.ff.qui teſtam.fac.poſ.l. qui teſtamẽto. xx. §.per contrarium.

Sed ſi filius familias de Caſtrenſi peculio poſt miſsionem faciat teſtamentũ, nec pater recte adhibetur teſtis, nec is, qui in poteſtate eiuſdem patris eſt: reprobatum eſt enim in ea re domeſticum teſtimonium. Inſt. de teſtam. ord. §. ſed ſi filius familias.

Nã in teſtibus nõ debet eſſe is, qui in poteſtate teſtatoris eſt, Inſt.eo.§.in teſtib.

Sed nec hæres ſcriptus, neque is, qui in poteſtate eius eſt. Neque pater eius, qui in poteſtate enm habet, neque fratres, qui in eiuſdem patris poteſtate ſunt, teſtes adhiberi poſſunt: Quia hoc totum negotium, quod agitur teſtamenti gratia, creditur inter teſtatorem, & hæredem agi. Inſt.de teſtamentis ordi. §.ſed neque hæres, & ff.qui teſtam.fac.poſſ.l.qui teſtamento.xx. in princ.

Legatariis autem, & fideicommiſſariis (quia non iuris ſucceſſores ſunt) & aliis perſonis eis coniunctis teſtimonium non denegamus: & multo magis his qui iu eorum poteſtate ſunt, uel qui eos habent in poteſtate huiuſmodi licẽtia datur Inſt.de teſtam.§.legatariis.

Quæ in teſtamento diximus ſuper prohibendis teſtimoniis accipitur, ubi aliquod negotii geritur per quod acquiratur.ff.qui teſtam. facere poſſ.l. qui teſtamento. xx.§.quæ autem.

Pluſquam ridiculũ eſt dubitare, an aliquis iure teſtis adhibitus ſit, quoniam idẽ, & tabulas teſtamenti ſcripſerit.ff.eod.l.domitius.xxvii.

DE MILITARI TESTAMENTO.
Titulus II.

DIligens obſeruatio in ordinandis teſtamentis, de qua ſuperiori titulo militibus, propter nimiam imperitiam eorũ, remiſſa eſt, nam quamuis neque hi legitimum numerum teſtium adhibuerint, neque aliam teſtamento ſolennitatem obſeruauerint, recte nihilominus teſtãtur, uidelicet cum in expeditionibus occupati ſunt, quoquo enim modo uoluntas eius ſuprema inueniatur, ſiue ſcripta, ſiue ſine

ſcriptura,

scriptura, ualet testamentum ex uoluntate eius, Insti. de mili. testam. in princ. & ff. eod. l. prima. in princ.

Miles appellatur, uel à malitia, id est, duritia, quã pro nobis sustinet; uel à multitudine, aut à malo, quod arcere milites solent. d. l. prima. §. miles.

Pupillis militibus non conceditur facere testamentũ. C. de test. mil. l. vlt.

Ex militari delicto capite damnatus testamentum facere licet, si non sacramenti fides rupta sit, super bonis dũtaxat castrensibus, & iure militari testari possunt. ff. de mil. testa. l. ex militari. xi. in princ. & ff. de veteran. mil. succes. l. prima, & C. de testam. mil. l. ex militari. xii.

Sicut hæreditatem miles, nuda uoluntate, dare potest, ita & adimere potest; denique si cancellauerit testamentum suum, uel inciderit nullius erit momenti, si tamen testamentum cancellauerit, & mox ualere uoluerit, ualebit ex suprema uoluntate; & ideo cum miles induxisset testamẽtum suum, mox annulo suo signasset, qui super ea re cogniturus erit, considerabit quo proposito id fecerit; nam si mutatæ uoluntatis eum pænituisse probabitur, reuocatum testamentũ intelligetur, quod si ideo, ne ea quæ scripta fuerant legi posint, causa irriti facti iuditii potior existimabitur. ff. de milit. testam. l. in fraudem. xi. aliàs. xv. in princ. & l. miles. xxxv. & C. eod. l. si à fratre. xiiii.

Milites in expeditione degentes, si vxores, aut filios, aut amicos, aut cõmilitones suos, postremò cuiuslibet generis homines amplecti uoluerint, supremæ uoluntatis affectu quoquo modo possunt, ac uelint testantur. Proinde sicut iuris rationibus licuit ac semper licebit, si quid in vagina, aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus adnotauerint, aut in puluere scripserint gladio sub ipso tempore, quo in prçlio uitæ sortem dereliquerunt, huiusmodi uoluntatem stabilem esse oportet. C. de testa. mili. l. milites. xv.

Item nauarchos, & trierarchos classium iure militari testari possunt. in clasibus omnes remiges, & nautæ milites sunt. ff. de bon. poss. ex mil. testam. l. vnica. §. item nauarchos.

Item nõ dubium est quin debeant uoluntates ratæ esse eorum, qui in hostico iudicia sua quoquomodo ordinassent, ibidemque diem suum obiissent, quamquam enim distet conditio militum ab his personis, quæ à principibus separã tur, tamen qui in procinctu uersantur, cum eadem pericula experiantur, iura quoque eadem meritò sibi uindicant. Omnes igitur omnino, qui eius sunt conditionis, vt iure militari testari non posint, si in hostico deprehendantur, & illic decedant quomodo uelint, & qũo posint testabũtur: Siue prçses quis sit prouintiæ, siue legatus, siue quis alius, qui iure militari testari non potest. ff. de bon. poss. ex mil. testam. l. vnica, in princ. In terra hostili.

Captatorias institutiones, etiam in militis testamento, nullius esse momenti manifestum est. C. de testam. mil. l. captatorias. xi.

Deportati, & ferè omnes hi, qui testamenti factionum non habent à milite hæredes instituti possunt, & generaliter in omnibus id potest dici, quos miles scribit hçredes, ut institutio incipiat uires habere, si mortis tempore talis inueniatur, ut a milite institui posit. ff. de mil. testa. l. idem est. xiii. §. deportati.

Ex testamento militis, siue adhuc in militia, siue intra annum missus honestè decesit, hæreditas & legata omnibus, quibus relicta sunt, debentur. C. de testa. mili. l. quinta.

Mulier in quam turpis suspicio cadere potest, nec ex testamento militis aliquid capere potest. ff. de mil. testam. l. milites. xli. §. mulier.

Cum

Cum filiusfamiliàs miles decesſiſſet filio impubere hærede inſtituto; eique ſubſtituiſſet in aui poteſtate manenti, tutoresq; dediſſet; ſubſtitutio quidem ualet, tutoris autem datio non ualet, quia alienum ius minuere non poteſt. ff. de teſtam. mil. l. cum filiusfamilias, xxviii.

Dotalem fundum ſi legauerit miles, non erit ratum legatum propter legem Iuliam. ff. eod. l. dotalem. xvi.

Lucius Titius miles notario Teſtamentum ſcribendum dictauit, & antequam literis præſcriberetur uita defunctus eſt, non ualet hæc dictatio, quia cõceſſum quidem eſt militibus quomodo uolunt, & quomodo poſſunt teſtamentum facere: ita tamen ut hoc ita ſubſecutũ eſſe legitimis probationibus oſtendatur, ſed illa dictatio non eſt legitima probatio. ff. de mil. teſtam. l. Lucius Titius. xl. in princ.

Si quis ſe ſcribat hæredem in teſtamento militis non remittitur ei ſenatusconſulti pœna ff. de mil. teſt. l. in fraudem, xv. §. ſi quis, &c.

Ex eo tempore quis iure militari incipit poſſe teſtari; ex quo in numeros relatus eſt ante non: proinde qui nondum in numeris ſunt, licet electi ſint, & publicis expenſis iter faciant: nondum milites ſunt. ff. eod. l. ex eo tempore, xlii. ſed ſi quis militum ex alio numero translatus ſit in alium, & in illo nondum peruenerit, poterit iure militari teſtari, eſt enim miles quamuis in numero non ſit. ff. de bon. poſſ. ex teſtam. mil. l. unica. §. ſi.

Milites vigiles ſunt, & iure militari, eos teſtari poſſe nulla dubitatio eſt. d. l. unica. §. item miles.

Milites, tàm ſibi, quàm filio iure militari teſtamentum facere poſſunt, & ſoli filio, quamuis ſibi non fecerint, quod teſtamentum ualebit ſi fortè pater, uel in militia, uel intra annum militiæ deceſsit. ff. de mil. teſtam. l. in fraudem. xi. aliàs. xv. §. miles.

Illis temporibus, per quæ citra expeditionẽ in aliis locis, uel ſuis ędibus degunt, minimè ad uendicandum tale priuilegium adiuuantur, ſed teſtari quidem, & ſi filiifamiliàs ſint, propter militiam, conceditur iure tamen communi, eadem obſeruatione, & in eorum teſtamentis adhibenda, quæ in teſtamẽtis paganorum requiritur Inſt. de mil. teſta. §. illis autem temporibus.

De teſtamentis militum Diuus Traianus ita reſcripſit: Id priuilegium, quod militantibus datum eſt, ut quoquo modo facta ab his teſtamenta, rata ſint: ſic intelligi debet: vt utique prius conſtare debeat teſtamentum factum eſſe: quod ſine ſcriptura à non militantibus fieri poteſt: Si ergo miles conuocatis ad hoc hominibus, vt uoluntatem ſuam teſtaretur, ita locutus eſt, vt declararet quem vellet ſibi hæredem eſſe, poteſt uideri ſine ſcripto hoc modo eſſe teſtatus, & uoluntas eius rata habenda eſt; Cæterum ſi (vt plerunque ſermonibus fieri ſolet) dixit alicui EGO TE HAEREDEM FACIO, aut BONA MEA TIBI RELINQVO: non oportet hoc pro teſtamento obſeruari. Nec ullorum magis intereſt, quàm ipſorum, quibus id priuilegium datum eſt, eiuſmodi exemplum non admitti, alioquin non difficulter poſt mortem alicuius militis teſtes exiſterent, qui affirmarent ſe audiſſe dicẽtem, aliquem relinquere ſe bona cui uiſum eſt: & per hoc uera iudicia ſubuerterentur. Inſti. de mil. teſtam. §. Planè.

Sed hactenus hoc illis conceditur, quatenus militant, & in caſtris degunt. Poſt miſsionem uerò ueterani, uel extra caſtra alii, ſi faciant adhuc militantes teſtamentum; communi omnium iure id facere debent, & quod in caſtris fecerint

teſtamentum,

testamentum,non communi iure,sed quo quo modo uoluerint post missionẽ intra annum,tantum ualebit. At si intra annum quis decesserit,conditio autẽ hæredi adscripta post annum extiterit.Placet quasi militis testamentum ualere,Insti.eod.§.sed hactenus,& C.de testam.mil.l.ne quidem,xvii.& ff.de mil. testam.l.quod dicitur,xxxviii.in prin.

Sed & si quis ante militiam non iure fecit testamentum,& miles factus, & in expeditione degens resignauit illud,& quædam adiecit, siue detraxit, uel aliàs manifesta est militis uoluntas,hoc ualere uolentis, dicendum est ualere hoc testamentum,quasi ex noua militis uoluntate, aut si militis uoluntas contrariè non sit, denique & si in arrogationem datus fuerit miles,uel filiusfamiliàs emancipatus est testamentum eius,quasi ex noua militis voluntate ualet, nec uidetur capitis diminutione irritum fieri, Insti.de mil.testam.§.sed & si, & ff. eod.l.in fraudem,xv.§.testamentum.

Vnde cùm aliquis facto testamento militare cœperit, id quoque testamentum aliquo tempore intelligitur militiæ tempore factum: ueluti si tabulas inciderit,& legerit testamentum,ac rursus suo sigillo signauerit. Amplius, & si quid interleuerit,produxerit,adiecerit,emendauerit, quòd si nihil horum inciderit testamentum eius ad priuilegia militum non pertinebit, ff. de mil.testam. l.Tribunus,xx.§.cum aliquis.

Tribunus militum si intra dies certos,quàm successor eius in castra uenerat,manens in castris codicillos fecerit,& ibi decesserit,quoniam desinit militis loco haberi postquàm successor eius in castra uenit. Ideo communi iure codicilli eius æstimandi sunt,ff.de mil.test.l.Tribunus,xx.in princ.

Quòd constitutum est,ut testamentum militiæ tempore factum etiam intra annum post missionem ualeret,non pertinet,neque ad Præfectos,neque ad Tribunos,aut cęteros,qui successoribus acceptis militare desinunt,ff.eod.l.quòd constitutum est, x xi.

Titius priusquam Tribunus legionis factus esset, testamẽtum fecit: & postea cinctus,manente eodem testamento defunctus est,nisi postea ab eo factum dictũ esse probaretur,quod ualere uelit,ad commune ius pertinet. Nam non militum testamenta,sed quæ à militibus facta sunt confirmantur, sed planè fecisse testamentum eum interpretandum est,qui se uelle testamentum, quod ante fecerat,ualere aliquo modo declarauit,ff.de mil.test.l.Titius, xxv.

Si miles Iure Ciuili testamentum fecerit,& à primo gradu hæredem eum scripserit quem iure militari poterat: secundo quem communi iure potest, & post annum missionis decesserit, primus gradus irritus fiet, & à secundo incipiet testamentum,ff.de iniust. testam.l.si miles, vii.

Miles testamentum fecerat,deinde non ignominiæ causa missus, rursus cinctus est in alia militia,si assumptus est intra annum humanius est dicere ualere testamentum,quasi coniuncto munere militiæ,& non tractatur de eo,qui uoluit ualere testamentum etiam adsumptus: hic enim quasi in militia sequẽti fecit testamentum exemplo eius qui paganus fecit,deinde militare cœpit, ff.de mili. testam.l.quod dicitur, xxxviii.§.si miles.

Testamenta eorum,qui ignominiæ causa missi sunt, statim desinunt militari iure ualere,quòd anni spatium testamentis eorum, qui honestam, uel causariã missionem meruerunt,tribuitur,ff.eod.l.testamenta,xxvi.in princ.

Si miles,qui destinauerat iure communi testari ante defecerit, quàm testaretur propter hoc beneficio militari non renunciauit,nec credendus est, quisquam

genus

genus teſtandi eligere ad impugnanda ſua iudicia. Sed magis utroque genere uoluiſſe propter fortuitos caſus: quemadmodum plerique pagani ſolent cũ teſtamentum faciunt per ſcripturam adiicere: uelle HOC ETIAM VICE CODICILLORVM VALERE. Nec quiſquam dixerit ſit imperfectum ſit teſtamentum codicillos non eſſe, ff. de mil. teſt. l. ſi miles, iii.

Si miles unum ex fundo hæredem ſcripſerit; creditur quantum ad reſiduum patrimonium inteſtatum deceſsiſſe. Miles enim pro parte teſtatus poteſt decedere, & pro parte inteſtatus, ff. eod. l. ſi miles unum, vi.

Miles caſtrenſium bonorum, & non caſtrenſium diuerſis hæredibus inſtitutis, poſtea caſtrenſium bonorum alios hæredes inſtituit, prioribus tabulis tantum abſtuliſſe videtur, quantum in poſteriores contulit, nec uidetur mutare, & ſi prioribus tabulis vnus hæres ſcriptus fuiſſet, ff. de mil. teſta. l. militis, §. miles caſtrenſium, xxxvi.

Miles ſi ſpecialiter de bonis, quæ in Paganico habebat fratrem hæredem fecit: is bona, quæ in caſtris reliquit, petere nõ poteſt, etiam ſi is, qui eorum hęres inſtitutus eſt adire uoluerit. Sed ab inteſtato ſuccedentes ueniunt: modo ſi in eius locum frater ſubſtitutus non eſt: & liquidò probatur teſtatorem caſtrenſia bona ad fratrem pertinere uoluiſſe, C. de teſta. mil. l. prima.

Item miles, ſi caſtrenſium tantummodo bonorum commilitonem ſuum inſtituit hæredem, cætera bona eius, vt inteſtati defuncti, mater eius iure poſsidebit: quòd ſi extraneum ſcripſit hæredem, isq; adiit hæreditatẽ, bona eius transferri ad commilitonem non rectè deſideratur, C. eod. l. ii.

Si filiusfamiliàs ignorans patrem ſuum deceſsiſſe, de caſtrenſi peculio in militia teſtatus ſit: non pertinebunt ad hæredem eius patris bona, ſed ſola caſtrenſia, ff. eod. l. ex militari, xi. §. fin. Milites enim ea duntaxat, quæ habent, ſcriptis relinquunt, ff. eod. l. milites, xii. Idem eſt, & ſi de teſtamento mutando cogitauit, non quia adimere uolebat caſtrenſia bona hæredi ſcripto, ſed quia de paternis teſtari uolebat: & alium hæredem ſcribere, ff. eodem, l. idem eſt, xiii. in princip.

Sed ſi iam ueteranus deceſsit: vniuerſa bona, etiam paterna, ad hæredem caſtrenſium bonorum pertinebunt; neque enim iam potuit de parte bonorum teſtari, d. l. idem eſt, xiii. §. ſed ſi iam.

Filiusfamiliàs paganus de Caſtrenſi peculio fecit teſtamentum, & dum ignorat patri ſe ſuum hæredem extitiſſe, deceſsit: neceſſariò caſtrenſis peculii hæres ſcriptus vniuerſa bona habebit: perinde ac ſi pauperrimus facto teſtamẽto deceſsiſſet, ignorans ſe locupletatum, ff. de caſtrenſi pecu. l. hæreditate, xix. §. filiusfamiliàs.

Miles paterfamiliàs filiam ex duabus vnciis, uxorem ex uncia hæredes ſcripſit, nec de reſiduis portionibus quicquam ſignificauit: in tres partes diuiſiſſe eũ apparet hęreditatem; ut duas habeat, quæ ſextantem accepit: tertiam, quæ ex vncia eſt inſtituta: quia hæc inſtitutio communi iure accepit authoritatem, C. de teſt. mil. l. iii.

Si miles teſtamentum quidem ante militiam, ſed codicillos in militia fecerit, certè codicilli non debent referri ad teſtamentum; ſed iure militari ualent, quamuis teſtamentum ualeat communi iure, ff. de iure codicil. l. conficiũtur, viii. §. ſi miles.

Si ſecundũ probabilẽ uoluntatem militis hæreditas eius non adeatur, nec caſtrẽſes res hæredibus competunt, ff. de mil. teſta. l. ſi ſecundum, xxxii.

Si

Si eodem teſtamento miles eundem hæredem, deinde exhęredem ſcripſerit: adempta uidebitur hæreditas: cùm in paganorum teſtamento ſola exhæredatione hæreditas adimi non poſsit, ff. de mil. teſtam. l. ſi certarum, xvii. §. fi.

Si certarum rerum hæredes inſtituerit miles, ueluti alium urbanorum prædiorũ, alium ruſticorum, alium cæterarum rerum, ualebit inſtitutio, perindeque habebitur, atque ſi ſine partibus hæredes eos inſtituiſſet: resque omnes ſuas per præceptionem cuique legando diſtribuiſſet, aut ſi alium caſtrenſium rerum, alium cæterarum ſcripſiſſet; quaſi duorum hominum duæ hæreditates intelligentur; ut etiam in æs alienum, quod in caſtris contractum eſſet, ſolus is teneatur, qui caſtrenſium rerũ hæres inſtitutus eſſet; extra caſtra contracto ære alieno is ſolus obligetur, qui cæterarum rerum hæres ſcriptus eſſet. Cui conueniens uidetur: vt ex quaqua cauſa debeatur militi, uel huic hæredi, uel illi ipſo iure debeatur, quòd ſi alterutra pars bonorum æri alieno, quod ex ea cauſa pendebit, non ſufficiat: & propter hoc is, qui ex ea parte hæres inſtitutus eſt, non adierit; alter, qui adiſſet, compelletur aut defendere totam hæreditatem, aut totam creditoribus ſoluere, ff. de mili. teſtamen. l. ſi certarum, xvii. in princip.

Si pater à filiofamiliàs milite, ex caſtrenſi peculio, hæres inſtitutus, omiſſa cauſa teſtamenti, aliquid ex peculio poſsideat: dolove malo fecerit, quò minus poſſideret, datur in eum legatorum actio. d. l. ſi certarum, xvii. §. ſi pater.

Si miles, qui habebat iam factum teſtamentum, aliud feciſſet; & in eo comprehẽdiſſet, ſe fidei hæredis committere, ut priores tabulæ ualerent: quia apparet, eum, non ipſo iure, ualere uoluiſſe primum teſtamentum; ſed magis per fideicommiſſum: id eſt in cauſa fideicommiſsi, & codicillorum uim prioris teſtamenti conuertiſſe: & non ſolum cætera præter inſtitutionem hæredis, ſed & ipſam inſtitutionem, in cauſam fideicommiſsi uertiſſe, niſi aliud teſtatorem ſenſiſſe probetur, ff. de mil. teſt. l. quærebatur, xix.

Centurio, ſecundo teſtamento, poſthumos hæredes inſtituit, neque ſubſtitutos dedit; quibus non additis, ad ſuperius teſtamentum, ſi redire teſtatus eſt. Cętera, quæ in ſecundo teſtamento ſcripſit, irrita eſſe placuit; niſi nominatim ea confirmaſſet, ad priorem uoluntatem reuerſus, ff. eod. l. Centurio, xxvii.

Miles ita hæredem ſcribere poteſt. QVOAD VIVIT TITIVS, HAERES ESTO: POST MORTEM EIVS SEPTITIVS. Sed ſi ita ſcripſerit, TITIVS VSQVE AD ANNOS DECEM HAERES ESTO, nomine ſubſtituto: inteſtati cauſa, poſt decem annos, locum habebit: & quia dicimus, ex certo tempore, & uſque ad certum tempus milites poſſe inſtituere hæredem: his conſequens eſt, ut antequam dies ueniat, quo admittatur inſtitutus, inteſtati hæreditas deferatur: & quod in bonorum portione ei licet, hoc etiam in temporis ſpatio, licet non modicum ſit, ex eodem priuilegio competat. ff. de mil. teſtam. l. miles ita, xli.

Ad exemplum caſtrenſis peculii, quibuſdam quaſi caſtrenſia peculia data ſunt: & iſtis in poteſtate degentibus, permittitur teſtari quidem, ſed iure communi. Inſtit. de milit. teſtamen. §. fin. & C. qui teſtamen. facere poſſunt. l. vltima.

QVIBVS

QVIBVS NON EST PERMISSVM FACERE TESTAMENTVM.

Titulus III.

NON tamen omnibus licet facere testamentum: statim enim ii, qui alieno iuri subiecti sunt, testamenti faciendi ius non habent: adeò quidem, ut quamuis parentes eis permiserint, nihilòmagis testari poterint: exceptis iis, qui enumerati sunt superiori titulo, & præcipuè militibus, qui in potestate parentũ sunt; quibus de eo, quod in castris acquisierint, permissum est testamentum facere: quod etiam ueteranis concessum est. itaque si quidem fecerint de castrensi peculio testamentum, pertinebit hoc ad eum, quem hæredem relinquerũt: si uerò intestati decesserint, nullis liberis superstitibus, ad parentes eorum iure communi pertinebit. Ex his intelligere possumus, quod in castris acquisierit miles, qui in potestate patris est, neque ipsum patrem adimere posse, nec patris creditores, id uendere, aut aliquid inquietare, neque patre mortuo cum fratribus commune esse: sed proprium eius esse, qui in castris acquisierit. Insti. quibus non est permissum facere testam. in princ. & ff. qui testa. fac. poss. l. vi. in princip. & C. eod. l. tertia.

Ius testandi de castrensi peculio, quod filiusfamiliàs militantibus concessum est, ad eos qui ignominiæ causa sunt dimissi, non pertinebit, quòd hoc præmii loco merentibus tributum est, ff. de mili. testamen. l. testamenta, xxvi. aliàs, xxvii. §. finali.

Filiusfamiliàs equestri militia exornatus, & in comitatu principum retentus, testamentum de castrensi peculio facere potest, ff. de mil. test. l. pen.

Miles filiusfamiliàs si capite minutus sit, uel emancipatus, uel in adoptionem datus à patre suo: testamentum eius ualet, quasi ex noua uoluntate, ff. de mil. testa. l. miles filiusfamiliàs, xxii. aliàs, xxiii.

Præter hos, si quis filiusfamiliàs testamentum fecerit, inutile est: licet suæ potestatis factus decesserit. Inst. quibus non est permi. fac. testam. §. præter hos.

Et nemo existimet, ex lege promulgata de rebus, quæ à parentibus acquiri non possunt, filiisfamiliàs cuiuscunque gradus, uel sexus permissum esse testamenta facere, C. qui testa. fac. poss. l. pen.

Impuberes testamentum facere non possunt, quia eorum nullum animi iudiciũ est; item furiosi, quia mente carent, nec ad rem pertinet, si pubes postea, aut furiosus, postea compos mentis factus fuerit, & decesserit. Inst. quibus non est permiss. fac. testam. §. præterea. & C. qui testam. fac. poss. l. iiii.

Furiosi autem si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, iure testati esse uidentur: certè eo, quod ante furorem fecerint, testamento ualente: nam neque testamentum rectè factum, neque ullum aliud negotium rectè gestum, postea furor interueniens perimit. Inst. eod. §. furiosi autem, & ff. qui testam. fac. l. qui testamento, xx. §. nec furiosus.

Item prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest, sed id, quod antè fecerit, quàm interdictio bonorum suorũ ei fiat, ratum est. Inst. eod. §. item prodigus, & ff. eod. l. is cui, xviii.

Item surdus, & mutus non semper testamentum facere possunt: utique autem de eo surdo loquimur, qui omninò non exaudit, non qui tardè exaudit. Nã & mutus intelligitur is, qui eloqui nihil potest, non qui tardè loquitur: sæpè enim

etiam

etiam literati,& eruditi homines uariis caſibus,& audiendi,& loquendi facultatem amittunt. Inſt.eod.§.item ſurdus.

Subuenitur,ut mutus,& ſurdus caſu,ſi ſcribere nouit, ſua manu teſtamentū ſcribat,ſi per alium ſcribere uelit,impetrat à Principe: Nam ſi mutus, aut ſurdus licere ſibi teſtamentum facere à principe impetrauerit,ualet eius teſtamentū, ff.qui teſt.fac.poſſ.l.vii.

Si ſurdus tantum caſu eſt, uel etiam natura, ſi poteſt loqui articulatè, permittitur ei omnia facere, & in teſtamentis, & in codicillis, & in mortis cauſa donationibus: ſi aures quidem apertæ ſint, & uocem recipientes, lingua autem eius impedita, ſi peritus literarum eſt, non prohibetur ſcribendo omnia facere, ſiue naturaliter, ſiue per interuentum morbi, hoc infortunium ei acceſsit.Inſt.eod.§. vnde etiam, & C.quibus non eſt permiſ.teſtamen.fac.l. diſcretis, x.

Sed ſi quis poſt teſtamentum factum,aduerſa ualetudine, aut alio quolibet caſu, mutus,aut ſurdus eſſe cœperit,ratum nihilominus manet eius teſtamentum. Inſt.eod.§.ſed ſi quis.

Si quis cùm teſtamentum faceret,hæredibus primis nuncupatis,priuſquā ſecundos hæredes exprimeret,obmutuiſſet: magis cępiſſe eum teſtamentum facere dicendum eſt. itaque primus hæres ex eo teſtamento non eſt futurus, ſi conſtaret uoluiſſe plures hæredes pronuntiare,ff.qui teſtamen.facere poſſunt, l.ſi quis,xxv.

Mutus & ſurdus miles teſtamentum facere poteſt. Inſt. de milit.teſtamen.§. quinimo.

Cœcus non poteſt facere teſtamentum, niſi per obſeruationem,quam lex introduxit,quæ uult,ut coram ſeptem teſtibus,& tabellione,uel alio loco eius,ſi nō inueniatur tabellio,dilucidius uoluntatem ſuā declaret, & in hæreditatibus, & legatis,omnia in ſcriptis referantur. Inſt. quib.non eſt permiſ.face.teſta.§. cęcus,& C.qui teſtam.fac.poſſ.l.octaua.

Qui manus amiſit,teſtamentum facere poteſt, quamuis ſcribere non poſsit, ff. qui teſt.fac.poſſ.l.decima.

Senium quidem ætatis, uel ægritudinem corporis ſinceritatem mentis tenentibus,teſtamenti factionem certum eſt non auferre,C.qui teſt. fac. poſſ.l.iii. & in eo,qui teſtatur,eius temporis, quo teſtamentum facit, integritas mentis, non ſanitas corporis exigenda eſt,ff.eod.l.ſecunda. Nam in aduerſa ualetudine mente captus,eo tempore teſtamentum facere non poteſt, ff.eod. l. in aduerſa, xvii.

Eunuchis licet facere teſtamentum ſalua, teſtamentorum obſeruantia. C. eod. l. v.

Eius,qui apud hoſtes eſt,teſtamentum,quod ibi fecit,non ualet, quamuis redierit.ſed quod,dum in ciuitate fuerat,fecit,ſiue redierit,ualet iure poſtliminii, ſiue illic deceſſerit,ualet ex lege Cornelia.Inſt.quib.non eſt,permiſ. fac. teſt. §.fi.& ff.qui teſtam.fac.poſſ.l.eius qui.viii.in princ.& ff.de iniuſto teſtam.l. ſi pater, ix. Nam l. Cornelia teſtamenta eorum,qui in hoſtium poteſtate deceſſerunt,perinde confirmantur: ac ſi hi,qui ea feciſſent, in hoſtium poteſtatem non perueniſſent: & hæreditas ex his eodem modo ad unumquemque pertinet,ff. qui teſt.fac.poſſ.l.lege Cornelia,xii.

Obſides teſtari non poſſunt,niſi eis permittatur,ff.eod.l.obſides,xi.

Qui à latronibus capti ſunt, cum liberi maneant, teſtamentum facere poſ-

ſunt. Itē qui apud exteros legatione funguntur, poſſunt facere teſtamentum, ff. qui teſt. fa. poſſ. l. qui à latronibus, xiii. in princ.

Si quis in capitali crimine damnatus appellauerit, & medio tempore, pendente appellatione, fecerit teſtamentum, & ita deceſſerit, valet eius teſtamentū, d. l. qui à latronibus, §. fi.

Item hi omnes, quorum teſtamenta irrita damnatione deportationis fiunt, ſi prouocauerint, capite non minuuntur: atque ideo, neque teſtamenta, quæ ante fecerint, irrita fient; & tunc teſtari poterunt: quia non uidentur dubitare de ſtatu ſuo, & habent teſtamenti factionem, ff. de iniuſ. rupto. l. ſi quis filio, vi. §. hi autem omnes.

Si quis poſt accuſationem in cuſtodia fuerit defunctus indemnatus: teſtamentū eius valebit, ff. qui teſt. fac. l. ſi quis, ix.

Eorum, qui mori magis, quàm damnari voluerunt ob conſcientiam criminis, teſtamenta irritantur, licet in ciuitate decedant, ff. de iniuſt. irrit. l. ſi quis filio, vi. §. eius qui, verſ. nam eorum qui.

Quòd ſi qui tædio uitæ, vel valetudinis aduerſæ impatientia, uel iactationis (ut quidam philoſophi) mortem ſibi conſciuerint, in ea cauſa ſunt, ut teſtamenta eorum ualeant, d. l. vi. & dicto §. eius qui. ver. quod ſi qui, & C. qui teſtam. fac. poſſ. l. ſecunda. Idem in milite, ff. de milit. teſtamen. l. eius militis, xxxiiii. in princip.

Damnatus ob crimen famoſum inteſtabilis eſt, ergo nec teſtamentum facere poterit, nec ad teſtamentum adhiberi teſtis, ff. qui teſtam. fac. poſſ. l. qui lege, xviii. §. finali.

Si miles incertus, an pater ſuus uiuat, teſtamentum facere ualebit, ff. de mil. teſt. l. ex militari, xi. §. ſi miles.

DE EXHAERREDATIONE LIBERORVM.

Titulus IIII.

NON tamen, ut omninò ualeat teſtamentum, ſufficit obſeruatio ſupra expoſita. Sed qui filium habet, curare debet, ut eum hæredem inſtituat, uel exhæredem nominatim faciat, alioquin ſi eum ſilentio præterierit, inutiliter teſtabitur: adeo quidem, vt ſi uiuo patre filius mortuus ſit, nemo hæres ex eo teſtamento exiſtere poſſit, quia ſcilicet ab initio non conſtiterit teſtamentum. Inſt. de exhæredatione liberorum, in princ. & ff. de lib. præter. l. inter cætera, xxx.

Filii autem hoc modo exhæredantur FILIVS EXHAERES SIT, FILIVS EXHAERES ERIT, ff. de lib. & poſth. l. filii, xvii.

Nominatim quis exhæredare uidetur, ſiue ita exhæredetur, TITIVS FILIVS MEVS EXHAERES ESTO. ſiue ita, FILIVS MEVS EXHAERES ESTO. non adiecto proprio nomine, ſcilicet ſi alius filius non extet. Inſtit. eod. § nominatim.

Et nominatim exhæredat, nomen & cognomen eius dicendo. ſed ſufficit vnum ex his, ff. de libe. & poſthum. l. prima.

Et ſi cum conuitio dixerit. NON NOMINANDVS, uel NON FILIVS MEVS, LATRO, GLADIATOR, magis eſt, ut exhæredatus ſit, & ſi ex adulterio natum dixerit. Purè autem filium exhæreda-

ri Iulianus putat: qua sententia utimur, ff. eod. l. & si pepercerit, iii. §. & si cum conuitio.

Si quis ita scripserit: ILLE QVEM SCIO EX ME NATVM NON ESSE, EXHAERES ESTO: hæc exhæredatio ita nullius momenti est, si probetur ex eo natus: non enim uidetur quasi filium exhæredatum esse, cum elogium pater, cum filium exhæredare proposuisset, & adiecisset, propter eam causam exhæredare: probaturq; patrem circa causam exhæredationis errasse; IDEM EST, & si ita dixerit, ILLE ILLIVS FILIVS EXHAERES ESTO. patrem ei adulterum, per errorem assignans, ff. de lib. & posth. l. si posthumus, xiiii. §. fi. cum l. seq.

Si quis filiũ proprium, ita exhæredauerit. ILLE FILIVS MEVS ALIENVS MEAE SVBSTANTIAE FIAT: Talis filius ex huiusmodi uerborum conceptione non præteritus, sed exhæredatus intelligitur; cum enim manifestissimus est sensus testatoris, uerborum interpretatio nunquam tantũ ualet, vt melior sensu existat, C. de libe. præt. l. iii.

Multi non notæ causa exhæredant filios, nec ut eis obsint, sed ut eis consulant, vt puta impuberibus: eisq; fideicommissam hæreditatẽ dant, ff. de lib. & posthu. l. multi, xviii.

Posthumi quoque liberi institui debent, & in eo par omnium conditio est, quòd & in filio posthumo, & in quolibet ex cæteris liberis, siue fœminini sexus, siue masculini: in præteritis quidem ualet testamentum, sed postea agnatione posthumi, siue posthumæ rumpetur, & ea ratione totum infirmant: ideoq; si mulier, ex qua posthumus, aut posthuma sperabatur, abortum fecerit: nihil impedimento est scriptis hæredibus, ad hæreditatem adeundam. Inst. de exhæred. liberorum, §. posthumi.

Posthumorum autem loco sunt, & hi, qui in sui hæredis locum succedendo, quasi agnascendo fiunt parentibus sui hæredes; vt ecce, si quis filium, & ex eo nepotem, neptemve habeat in potestate, quia filius gradu præcedit: is solus iura sui hæredis habet; quamuis nepos quoque, & neptis ex eo in eadem potestate sint. Sed si filius eius viuo eo moriatur, aut qualibet alia ratione exeat de potestate eius: incipit nepos, neptisve in eius locum succedere: & eodem modo iura suorum hæredum, quasi agnatione nanciscuntur; Ne ergo eo modo rumpatur eius testamentum, sicut ipsum filium, uel hæredem instituere, uel nominatim exhæredare debet testator; ne non iure faciat testamentum, ita ut nepotem, neptemve ex filio necesse est ei, uel hæredem instituere, uel exhæredare, ne forte eo uiuo, filio mortuo, succedendo in locum eius, nepos, neptisve quasi agnatione rumpat testamentum. Inst. eod. §. posthumorum, & ff. de iniust. test. l. posthumorum, xiii. & C. de lib. prǽter. l. ii.

Si filium exhæredauero, nepotem ex eo præteriero, & alium hǽredem instituero, & superuixerit filius post mortem meam; licet ante aditam hæreditatem decesserit, non tamen nepos rupturus est testamentum: diuersum est, si in hostium potestate filius sit, & decesserit in eodem statu. rumpit enim his casibus, nepos testamentum, quòd moriente auo, filii ius pependerit non abscissum ut superiore casu fuerit, ff. de libe. & posthum. l. si quis posthumos, ix. §. si filium.

Si quis, filio exhæredato, nuru prægnãte relicta, decesserit, & extraneũ sub conditione instituit, & pẽdente cõditione, post mortẽ patris, uel deliberãte hærede instituto de adeunda hæreditate, exhǽredatus filius decesserit, & nepos fuerit

natus, non rumpitur testamentum. Planè si fortè institutus omiserit hæreditatem, hunc auo suo futurum hæredem ab intestato non dubitatur. Vtrunque propriis rationibus: nam adgnascendo quidem is rumpit, quem nemo præcedebat mortis tempore, ab intestato uerò succedit is, ante quem alii non est delata hæreditas. Sed hæc ita si aui mortis tempore in utero nepos fuit. Cæterum si postea conceptus fuerit, neque ut suus, neque ut nepos, aut cognatus ad hæreditatem admitti poterit, ff. de iniust. irrito. l. si quis filio, vi. in princip.

Sed si pater eius, qui mortis aui tempore in utero fuit apud hostes erat: nepos iste, patre in eadem causa decedente, post mortem aui succedendo testamentum rumpet, quia suprascripta persona ei non obstat: nec enim creditur in rebus humanis fuisse cum in ea causa decedit: quamquam captiuus reuersus, patris sui iniustum faceret testamentum, in eo præteritus, d.l. si quis filio, vi. §. sed si pater.

Siue in ciuitate nepos fuit conceptus, siue apud hostes (quoniam datur, & partui postliminium) succedendo testamentum rumpit, d.l. si quis filio. §. siue autem in ciuitate.

Cum apud hostes est filius, pater iure fecit testamentum, & rectè eum præterit, ff. de libe. & posthum. l. penult.

Gallus Aquilius sic posse institui Posthumos induxit, SI FILIVS MEVS, VIVO ME MORIETVR, TVNC SI QVIS MIHI EX EO NEPOS, SIVE QVAE NEPTIS POST MORTEM MEAM IN DECEM MENSIBVS PROXIMIS, QVIBVS FILIVS MEVS MORIETVR, NATVS NATAVE ERIT, HAEREDES SVNTO.

Quidam rectè admittendum putant, etiam si non exprimat de morte filii, sed simpliciter instituat: ut eo casu ualeat, qui ex uerbis cuncipi posSit.

Idem credendum est Gallum existimasse, & de pronepote, ut dicat testator, SI ME VIVO NEPOS DECEDAT, TVNC QVI EX EO PRONEPOS, & cætera. Sed si uiuo filio, iam mortuo pronepote, eius uxor prægnans esset, testamentum faceret: potest dicere, SI ME VIVO FILIVS DECEDAT: TVNC QVI PRONEPOS. Num si filius, & nepos uiuat, concipere, utrisque mortuis uiuo se, tunc qui pronepos nasceretur? quod similiter admittēdum est. ita sanè, si prius nepos, deinde filius decederet, ne succeSsione testamentum rumperetur.

Et quid si tantum in mortis filii casum conciperet? quid enim si aquæ, & ignis interdictione peteretur? quid si nepos ex quo pronepos institueretur, ut ostēdimus, emancipatus esset? Hi enim casus, & omnes, ex quibus suus hæres post mortem, scilicet aui nasceretur, non pertinet ad legem Velleiam. sed ex sententia legis Velleæ, & hæc omnia admittenda sunt, ut ad similitudinem mortis cæteri casus admittendi sint. ¶ Quid si qui filium apud hostes habebat testaretur? Quare non induxere, ut si anteaquàm filius ab hostibus rediret, quamuis post mortem patris, decederet: tunc deinde nepos, uel etiam adhuc illis uiuis post mortem, scilicet aui nasceretur, non rumperet? nam hic casus ad legem Velleam, non pertinet. melius ergo est, ut in eiusmodi utilitate, præsertim post legem Velleam, quæ & multos casus rumpendi abstulit, interpretatio admittatur, ut instituens nepotem, qui sibi post mortem suus nasceretur, rectè instituisse uideatur, quibuscunque casibus

nepos

nepos post mortem natus suus esset, rumperetque præteritus, atque etiam si generaliter, quicquid sibi liberorum natum erit post mortem. aut, quicunque natus fuerit, sit institutus, si suus nasceretur. ¶ Si eius qui filium habeat, & nepotem ex eo instituat, nurus prægnans ab hostibus capta sit, ibique uiuo pariat, mox ille post mortem patris, atque aui redeat; utrum hic casus ad legem uelleam respiciat, an ad ius antiquum aptandus sit? posśitque uel ex iure antiquo, uel ex uellea institutus rumpere? quod quærendum est, si iam mortuo filio pronepotem instituat, redeatque mortuo, sed cum testamentum ab eo nõ rumpitur, nihil refert utrum ex iure antiquo, an ex lege Vellea excludatur. Forsitan addubitet quis, an istis casibus, si nepos post testamentum nascatur uiuo patre suo, deinde ex eo concipiatur, isque uiuo patre deinde auo nascatur: an non potuerit hæres institui, quia pater ipsius non rectè institutus esset? quod minimè est expauescendum, hic enim suus hæres nascitur, & post mortẽ nascitur. ergo & si pronepos admittatur, qui natus erit ex nepote, postea uiuo filio, atque si ex eo natus esset adoptatur. In omnibus his speciebus illud seruandum est, ut filius duntaxat, qui est in potestate, ex aliqua parte sit hæres institutus. nam frustra exhæredabitur, post mortem suam. quod non esset necessariò in eo filio, qui apud hostes est, si ibi decedat: & in nepote certè, & pronepote, quorum si liberi hæredes instituantur, institutionem nunquam exigemus: quia possunt præteriri. ¶ Nunc de lege Vellea uideamus. uoluit uiuis, nobis natos similiter non rumpere testamentum; & uidetur primum caput eos spectare, qui cum nascerentur, sui hæredes futuri essent. & rogo si filiũ habeas, & nepotem nondum natum tantum ex eo hæredem instituas, filius decedat, mox uiuo te nepos nascatur. ex uerbis dicendum est, non rumpi testamentũ, ut non solum illud primo capite notauerit, si nepos qui eo tempore instituatur, quo filius non sit: uerum & si uiuo patre nascatur. quid enim necesse est tempus testamenti faciendi respici, cum satis sit obseruari id tempus quo nascitur? nam & si ita uerba sunt, QVI TESTAMENTVM FACIET, IS OMNIS VIRILIS SEXVS, QVI EI SVVS HAERES FVTVRVS ERIT, & cætera: ¶ Etiam si parente uiuo nascantur, sequente parte succedentes in locum liberorum, non uult lex rumpere testamentum; & ita interpretandũ est, ut si & filium, & nepotem, & pronepotem habeas: mortuis utrisque, pronepos institutus succedens in sui hæredis locũ, non rumpat. Et bene uerba se habent. SI QVIS EX SVIS HAEREDIBVS SVVS HAERES ESSE DESIERIT, ad omnes casus pertinentia, quos supplendos in Galli Aquilii sententia diximus, nec solùm si nepos uiuo patre decedat, nec succedens pronepos auo mortuo rumpat: sed & si superuixit patri, ac decedat, dummodo hæres institutus sit, aut exhæredatus. ¶ Videndum num hac posteriore parte, SI QVIS EX SVIS HAEREDIBVS SVVS HAERES ESSE DESIERIT: LIBERI EIVS, &c. IN LOCVM SVORVM SVI HAEREDES SVCCEDVNTO, posśit interpretatione induci, ut si filium apud hostes habens, nepotem ex eo hæredem instituas: non tantùm si uiuo te filius decedat, sed etiam post mortẽ, antequam ab hostibus reuersus fuerit, succedendo non rumpet. nihil. n. addidit, quo significaret tẽpus: nisi quòd licet audenter, possis dicere, uiuo patre hunc suum hæredẽ esse desiisse, licet post mortem decedat; quia nec redit, nec põt redire. ¶ Ille casus in difficili est, si filium habeas, & nepotẽ nondum natum instituas, isque nascatur uiuo patre suo, ac mox pater decedat. non. n. suus hæres

In omnib. impresśionibus etiã pandectis Flo legitur isque uiuo patre, deide auo nascatur, At omnimodo legendũ est, isq; mortuo, ut declaratur paulo inferius, ibi & post mortẽ nascitur. ergo non uiuente patre.

Legitur etiam hic: & si uiuo patre nascatur, & debet legi mortuo: & est necessarius intellectus, qa casus de uiuo patre tractatur in §. seq. & in § ille casus.

eſt tẽpore, quo naſcatur: nec poſteriori alius ſuccedẽdo prohiberi uidetur rumpere, quàm qui iam natus erit. Denique & ſuperiore capite, ut liceat inſtitui nundum natos, qui cũ naſcentur ſui erunt, permitti. Poſteriore capite nõ permittit inſtitui ſed uetat rumpi, neve ob eã rẽ minus ratũ eſſet quod ſuccedit.

¶Porrò procedere debet, ut utiliter ſit inſtitutus. quod nullo iure potuit, qui nondum natus erat. Iuliano tamen uideretur, duobus quaſi capitibus legis commiſtis, in hoc quoque inducere legem, ne rumpantur teſtamenta. Quæremus tamen, cum recepta eſt Iuliani ſententia, an ſi naſcatur nepos uiuo patre ſuo, deinde emancipetur: ſponte adire poſsit hæreditatem? quod magis probandum eſt. nam emancipatione ſuus hæres fieri non potuit, ff. de lib. & poſthu. l. Gallus xxix.

Adoptiui liberi, quandiù ſunt in poteſtate patris adoptiui, eiuſdem iuris habentur, cuius ſunt iuſtis nuptiis quæſiti: itaque hæredes inſtituendi, uel exhęredandi ſunt ſecundum ea, quæ de naturalibus ſunt expoſita. Emancipati uerò a patre adoptiuo, inter liberos non connumerantur. Qua ratione accidit, ut ex diuerſo, quo ad naturalem parentem attinet, quandiu quidem ſint in adoptiua familia extraneorum numero habeantur, ut eos neque hæredes inſtituere, neque exhæredare neceſſe ſit: cum uerò emancipati fuerint ab adoptiuo patre: tunc incipiunt in ea cauſa eſſe, in qua futuri eſſent ſi à naturali patre emancipati fuiſſent. Inſt. de exhær. lib. §. adoptiui.

Circa adoptiuos filios certa inducta eſt diuiſio. De qua ſupra titulo de adoptiuis habetur in prima parte. Inſt. eod. §. circa adoptiuos.

Filiusfamiliàs miles ſimiliter, ut paganus nominatim à patre, aut hæres ſcribi, aut exhæredari debet, ff. de lib. præter. l. filiusfamiliàs, xxvi.

Si in expeditione occupatus miles teſtamentum faciat, & liberos ſuos iam natos nominatim non exhæredauerit. ſed ſilentio præterierit, ſilentium eius, pro exhæredatione nominatim facta ualet. Inſtit. de exhæred. lib. §. ſed ſi in expeditione.

Si ita teſtatus ſit pater familiàs, ut à primo gradu filium præterierit à ſecundo ſolo exhæredet, perempto primo gradu, teſtamentum ex eo gradu exordium capit, unde filius exhæredatus eſt, ff. de libe. & poſth. l. & ſi præterierit, iii. §. fi.

Si filius ſubſtituatur, & à quo præteritus eſt, non ut inteſtati patris, ſed ex teſtamento habebit hæreditatem: quoniam, & à quolibet ſubſtituto, ſi fuiſſet ab eo exhæredatus, inde teſtamentum inciperet, ubi filius eſſet exhæredatus, ff. de hęred. inſtitu. l. ſi filius, lxxiii. aliàs, lxxv.

Lucius Titius cum haberet filios in poteſtate uxorem hæredem ſcripſit, & ei ſubſtituit filios: is gradus à quo filii pręteriti ſunt, nullius eſt momenti: ſed iidẽ ſubſtituti, ex teſtamento hæredes exiſtere uidentur: quia non in totum teſtamentum infirmant filii, ſed tantum eum gradum, qui ab initio non ualuit, ſicut ſi à primo ſit filius præteritus à ſecundo exhæredatus: & nihil intereſt qua ratione ſecundi hæredis inſtitutio ualeat, utrum quia ab eo filius exhęredatus eſt, an quia ipſe filius ſubſtitutus eſt, ff. de vulg. ſubſti. l. ex facto, xli. aliàs xliii. §. Lutius.

Si à primo hærede inſtituto filium exhęredauero, à ſecundo autem ſubſtituto nõ exhæredauero; & dũ id pendet, an prior additurus ſit, filius deceſſerit; nõ erit ſecundus hæres quaſi ab initio inutiliter inſtitutus, cum ab eo filius exhæredatus non ſit, ff. de lib. & poſth. l. ſi à primo, viii.

Quod vulgo dicitur, eum gradum à quo filius præteritus ſit, non ualere non uſque-

quequaque uerum eſt,nam ſi à primo gradu inſtitutus ſit filius. non debet is à ſubſtitutis exhæredari;ideòque ſi filio,& Titio hæredibus inſtitutis: Titio Mę uius ſubſtitutus ſit,omittente Titio hęreditatem, Mæuius eam adire poteſt, quamuis filius ex ſecundo gradu exhæredatus non ſit, ff. eod. l. ſi poſthumus, xiiii.§.quod vulgo dicitur.

Filius inter quoque medias inſtitutiones hæredum rectè exhæredatur, & erit à toto gradu ſemotus,niſi fortè ab unius perſona eum teſtator exhæredauerit, nam ſi hoc fecit, uitioſa erit exhæredatio, quemadmodum ſi ita eum exhæredauerit, QVIS MIHI HAERES ERIT, FILIVS EXHAERES ESTO, huiuſmodi exhæredatio uitioſa eſt,quoniam poſt aditam hæreditatem uoluit ſuum ſummoueri,quod eſt impoſsibile,ff. de libe. & poſthu.l. & ſi pepercerit,iii. §.filius,& idem ſi filius poſt mortem ſuam exhæredetur: nam teſtamentum nullius momenti eſt,ff.eod.l.ſi ita ſcriptum,xiii. §.fi.

Ante hæredis inſtitutionem exhæredatus,ab omnibus gradibus ſemotus eſt, d.l. iii.§.ante.& ff.de iniuſt. teſtam.l. iii.§. unde,& §. ante. Ac etiam inter duos gradus exhæredatio ualet,ueluti PRIMVS HAERES ESTO EX SEMISSE, SI PRIMVS HAERES NON ERIT, SECVNDVS HAERES ESTO. TERTIVS EX ALIO SEMISSE HAERES ESTO, ET FILIVS EXHAERES ESTO; SI TERTIVS HAERES NON ERIT, QVARTVS HAERES ESTO; nam ab utroque gradu ſemotus eſt,d.l.iii.§.in eo,qui.

Cum poſt omnes hæredum gradus exhæredatio ſcribitur,ſi adiiciat teſtator, ab omnibus ſe gradibus exhæredare: iuri ſatisfactum eſt ; proinde cum paterfamiliàs filiis inſtitutis,& inuicem ſubſtitutis,filiam exhæredauerit,intelligendum eſt exhæredationem ab utroque gradu feciſſe. nam cum iidem hæredes inſtituti ſunt,nulla ratio reddi poteſt,quare uideatur in poſteriore tantum caſu exhæredare uoluiſſe, C.de lib.præter.l. 1.

Cum quidam filiam ex aſſe hæredem ſcripſiſſet filioque quem habebat decem legaſſet,& adieciſſet IN CAETERA PARTE EXHAERES MIHI ERIT, rectè exhæredatur non uidetur;quoniam nec fundi exhæres eſſe iuſſus,rectè exhæredaretur,aliaque cauſa eſt inſtitutionis, quæ benignè acciperetur : exhæredatio autem non eſt adiuuanda,ff.de libe.& poſthu.l. cum quidam, xix.

De cauſis legitimis exhæredationis.

Sancitum eſt,ne qua ratione Patri,aut Auo,aut Auiæ,Proauo, aut Proauię, filium ſuum,aut filiã,aut reliquos liberos in teſtamento ſuo liceat ſilẽtio prætєrire,aut exhæredes facere,& ſi per quãlibet donationẽ,aut legatũ,aut fideicõmiſſum,aut aliũ quẽlibet modũ debitã ipſis portionẽ legibus cõtulerint; Niſi fortè ingrati comprobentur, & eas ingratitudinis cauſas parẽtes nominatim in ſuo deſcripſerint teſtamento. Nouell. Conſtit. cxv.§. ad hoc aliud. vulgariter nominatur,ut cum de appellatione cognoſcitur.

Iuſtæ vero cauſæ ingratitudinis ſunt,videlicet.

Si quis parentibus ſuis manus intulerit,aut atrocem,& indecentem contumeliam ingeſſerit,aut de criminibus publico ipſos iuditio poſtulauerit, quæ contra Principem,aut rempublicam non ſint.

Si cum

ii Si cum ueneficis, ut ueneficus conuersetur, aut uitæ parentum suorum, uel ueneficio, uel alio modo insidiari conatus fuerit.

iii Si cum nouerca sua, filius rem habuerit.

iiii Si calumniator filius contra parentes extiterit, & delatione sua grauia eos sustinere dispendia fecerit.

v Si quem suorum Parentum carcere inclusum esse contigerit, & liberi, qui ab intestato ad eius uenire possunt hæreditatem, precibus ab eo petiti, siue etiam unus ex iis, in fidem suam eum recipere noluerint, aut pro persona prove ære alieno fideiubere, in quantum qui precibus petitur, idoneus esse comprobatur. hoc uerò, quod de fideiusione sanximus, ad liberos masculos, & solos quidem pertinere volumus.

vi Si de eo liberorum aliquis conuincatur, quod parentes suos testamentum facere prohibuerit: si quidem testamentum facere potuerint: licentia ipsis sit ea de causa filium exhæredem facere, si verò in ipsa prohibitione parentum aliquis sine testamento decesserit: & alii, siue qui ab intestato cum ipso filio, qui testamenti factionem prohibuit, aut post ipsum ad eius uocantur hæreditatem, siue quos sibi hæredes, aut legatarios esse uoluit, siue qui læsionem aliquam ex prohibita testamenti factione sustinuerunt, hoc ipsum comprobauerint: secundum alias de hoc latas leges istiusmodi negotia terminentur.

vii Si præter voluntatem parentum inter arenarios uenatores, aut mimos se ipsum filios recenseat, & in ea professione perseueret: nisi fortè, & parẽtes eiusdem professionis fuerint.

viii Si ex prædictis parentibus filiæ neptive, suæ maritum dare, & secundum uires patrimonii sui dotem, illa non consenserit, sed turpem uitam delegerit. sed si filia legitimum annorum modum, atque ætatem habeat, & parentes differant marito eam coniungere, & ex hoc contingat, ut in corpus fortè suum peccet, aut sine cõsensu parentum marito se (libero tamen) coniungat, hoc ad ingratitudinem non imputatur filiæ, quando quidem non sua, sed parentum culpa, hoc deliquisse dinoscitur.

ix Si quis de prædictis parentibus furiosus, fuerit, & liberi eius, uel quidam ex eis, aut liberis illi non existentibus, alii eius cognati, qui ab intestato ad eius hæreditatem uocantur, ministerium illi, & conuenientem solicitudinem nõ exhibuerint: si quidem huiusmodi morbo liberatus fuerit, licentia ei erit, utrum filium aut filios, aut cognatos, qui eius curam non gesserunt, in testamento suo uelit ingratum, seu ingratos scribere. Quòd si extraneus aliquis misericordia ductus, curam eius gerere uoluerit, datur ei licentia, ut his, qui ab intestato, aut ex testamento iam facto, ad furiosi hæreditatem uocantur, attestationem scripto comprehensam mittant, quo magis operam dent, ut curam eius suscipiant. Ac si post eiusmodi attestationem quoque negligentes sint, & extraneus furiosum in domum suam receptum propriis sumptibus, usque ad mortem curam eius gessisse comprobatus fuerit, is qui ministerium, & diligentiam furioso adhibuit, in huius hæreditate succedit, subuersa illorum institutione, ut qui solicitudinem furioso adhibere neglexerint, successione cuius indigni sunt; ita tamen ut aliqua testamenti capitula in sua firmitate permaneant.

x Si vnum aliquem de prædictis parentibus, in captiuitate detineri contigerit, & liberi eius, siue omnes, siue unus non festinauerint hũc redimere: siquidem captiuitatis calamitatem posit effugere: In potestate sua erit hanc ingratitudinis

dinis causam in suo testamento describere, At si in captiuitate uitam finierit, filii ad hæreditatem eius nō ueniunt. sed omnibus liberis negligenter in hoc agentibus: omnes res, quæ ab ipso relinquuntur Ecclesiæ eius Ciuitatis, unde originem traxit addicuntur, ut inuentario facto, quicquid exinde peruentum sit, id in redemptionem captiuorum procedat, & eadem obseruantur, si liberos non habuerit, quia succedentes ab intestato priuantur, & quando etiam ante captiuitatem fecerit testamentum, nam institutione ad irritum recidente, & reliquis testamenti capitulis in sua firmitate manentibus, bona ad ecclesiam addicuntur pro captiuorum redemptione, Eadem hæc obseruando, & si aliam extraneam personam ante captiuitatem hæredem scripserit, & illa cognitum habens, quòd hæres ab illo scripta sit, ex captiuitate hunc redimere neglexerit. Hæc autem pœna contra illos ualet qui, xviii. ætatis suæ annum impleuerunt.

Cæterùm in huiusmodi causis, cum pro redemptione captiuorum pecunias dari necessarium fuerit, si quis proprias pecunias non habeat, licentiam habet, si prædictæ ætatis sit, mutuam pecuniam desumere, & res mobiles, & immobiles pignori opponere, siue proprias, siue eius, qui in captiuitate detinetur.

xi Si quis ex memoratis parentibus, cum ipse Orthodoxus sit, sentiat filiū suum, aut filios non esse catholicæ fidei, neque in sacrosancta Ecclesia communicare, in qua omnes Beatiss. Patriarchæ una conspiratione, & concordia rectam fidem prædicant, & sancta quatuor concilia Nicęnum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, & Calcedonense amplecti, seu recitare noscuntur, talesque liberi in tali infidelitate permaneant, datur eorum parentibus licentia, ut hac maximè de causa ingratos eos, & exhæredes in suo testamento describāt. Atque hac quidem causa ingratitudinis disposita sunt, d. nouel. cxv. §. si quis parentibus, usque ad §. siue igitur.

Siue igitur omnes prædictas ingratitudinis causas, siue certas ex iis, siue quamcunque unam parentes in suo descripserint testamento, & scripti hæredes nominatim, aut nominatas causas, uel unam ex iis ueram etiam mōstrauerint, testamentum suam obtinet firmitatem, d. Consti. Nouell. cxv. §. siue igitur.

Cæterùm si hæc obseruata non sint, nullum liberis præiudicium fiat, qui hęredes scripti non sint, sed quantum ad hæredum institutionem attinet, ad irritum recidente testamento, liberi ad parentum hæreditatem ab intestato æquis portionibus peruenerint. Sanè si usu eueniat, vt quibusdam legata, aut fideicommissa, aut tutorum dationes relinquantur, aut quæcunque alia: hæc omnia impleri iubetur, perinde quasi ea parte testamentum non subuersum, rescissumque ualeret: ATQVE HAEC QVIDEM DE TESTAMENTIS PARENTVM. sunt disposita, d. Nouell. cxv. §. cæterum, & §. sanè si usu.

Iustum est, e contrariò de testamentis liberorum disponere, ne parentes suos silentio prætereant de rebus suis, in quibus testandi habent facultatem disponentes, nisi causas enumeratas specialiter in suis testamentis descripserint, d. Nouell. cxv. §. Iustum autem uobis. Et sunt

i Si parentes liberos suos ad interitum tradiderint, excepta tamen causa, quæ ad Crimen perduellionis tendit.

ii Si ueneficis, aut magicis artibus, aut alio modo parentes liberorum vitæ insidias posuisse comprobati fuerint.

iii Si pater cum nuru sua, aut concubina filii sui rem habuerit.

iiii Si parentes liberos suos testandi tabulas conficere prohibuerint, in his rebus

bus in quibus testandi facultatem habent,omnibus videlicet in huiusmodi testamentorum prohibitione conseruandis, quæ in persona parentum distinctione,notata sunt.

v Si maritum vxori,vel vxorem marito venenum dare, vel ad interitum, vel ut emotæ mentis fieret,vel alio modo alterum alterius vitæ insidias posuisse contigerit,quamuis eiusmodi crimen tanquam publicum,secundùm leges examinatur,& legitimam promeretur vindictam.

vi Si liberis,aut uni, ex iis in furore constituto curam adhibere neglexerint,omnia,& hic conseruantur,quæ de parentum prædictorum sancitum est.

vii Si liberi in captiuitate detinentur,omnia in hoc capitulo custodiantur, quæ de parentibus,& cognatis, atque agnatis,qui ab intestato uocantur, & extraneis hæredibus superius dispositum est.

Si quis de memoratis liberis,cum Orthodoxus sit,sentiat parentem suum nõ esse catholicus,eadem & in illis personis obtinebunt, quę de parentibus disposita sunt.

Si huiusmodi causas,aut certas ex iis,aut vnam liberi in suis scripserint testamentis,& scripti ab ipsis hæredes,vel vnam ex his comprobauerint,testamentũ in firmitate permanebit:si hęc ita obseruata non sint, testamentum quantum ad institutionem hæredum non ualebit.quin subuerso testamento, his, qui ab intestato ad defuncti hęreditatem uocantur,illius res asignantur:legatis,siue fideicommisis,& tutorum dationibus, & aliis capitulis (ut superius dictũ est) propriam firmitatem obtinentibus: dum tamen hæc de legatis, & fideicõmissis,& aliis capitulis,aliis legibus non sint contraria.

Cæterùm, si qui hæredes nominati sunt, & vt certis rebus contenti essent iussi fuerint,testamentum in hoc casu non subuertitur, sed quicquid minus legitimæ ipsis portione relictum erit,id secundũ alias leges ab hęredibus suppletur.

Hæc scripta sunt ut pręteritionis, & exhęredationis cõtra parẽtes, & liberos contumelia perimatur: considerare autem parentes debẽt,quòd & ipsi liberi fuerint,& eadem à propriis obtinuerint parentibus:consimiliter & qui nũc sunt filii,studeant parentum suorum animos demereri officiis,quandoquidem, & ipsi parentes fieri cupiunt,& à suis honorari filiis pręoptãt. Vnde manifestum existit,quòd ad utrorumque utilitatem, & securitatem lex respiciat, quam nõ sine causa,sed subsistente occasione proferre uisum est. Nouell. constit. cxv. si parentes.

COMPENDIVM

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Secundus.

DE HIS QVAE IN TESTAMENTO DELENTVR.
Titulus I.

QVAE in testamento legi possunt, ea inconsultò deleta, & inducta, nihilominus ualent: consulto non ualent: id verò quod non iussu domini scriptum, inductum deletumve est, pro nihilo est. LEGI autem sic accipiendum: non intelligi, sed oculis perspici, quæ scripta sunt. Cæterùm si extrinsecus intelliguntur, non videbuntur legi posse: sufficit autem si legibilia sunt inconsultò deleta, siue ab ipso, siue ab alio. Sed uolentibus inducta, accipiendum est, & si perducta sint. Quod igitur incautè factum est, pro non facto est, si legi potuit, ff. de his quæ in test. delentur. l. prima, in princ.

Si nouissimè, (ut solet) fuerit adscriptum, LITERATVRAS INDVCTIONES SVPERINDVCTIONES IPSE FECI: nō uidebitur referri ad ea, quæ incōsultò cōtigerunt. Proinde & si inconsultò superscripsit induxisse se, manebunt: & si ademit non erunt adempta, d. l. prima, §. & ideò.

Si legi non possunt, quæ inconsultò deleta sunt, dicendum est non deberi: sed hoc ita demum, si ante consummationem testamenti factum est, d. l. prima. §. sed si legi.

Sed consultò quidem deleta petentes, exceptione repelluntur: inconsultò uerò non repelluntur, siue legi possunt, siue non possunt. quoniam etsi totum testamentum non extet, constat ualere omnia, quæ in eo scripta sunt, d. l. prima, §. sed consultò.

Si testator concidit testamentum, denegabuntur actiones: si uerò alius inuito testatore non benè denegabuntur, d. l. prima, §. & si quidem, & C. de testam. l. si unus de septem, xii.

Cum hæreditatis portio adēpta est, uel tota hæreditas (si fortè sit substitutus) ademptio iure facta uidebitur: non quasi adempta (quoniam hæreditas semel data adimi, facilè non potest) sed quasi nec data, ff. de his, quæ in test. delen. l. prima, §. & cum hæreditatis.

Si quis

Si quis codicillos in testamento cõfirmauit, & codicillis aliquid adscripsit, mox deleuit, ita ut appareat: codicilli deleti non ualebunt, d.l.prima.§.fi.

Cancellauerat quis testamentum, idque se propter unum hæredem facere dixerat. Postea id testamentum signatum est, & dubitatum de viribus testamenti, deque portione eius, propter quem se cancellasse dixerat. Et responsum est, siquidem unus ex hæredibus nomen induxerit, sine dubio cæteram partem testamenti ualere, & ipsi soli denegari actiones: sed & legata ab eo nominatim relicta debebuntur, si uoluntas ea fuerit testantis, vt tantum hæredis institutio improbetur. sed si instituti nomen induxit, & substituti reliquit, institutus emolumentum hæreditatis non habebit. Sed si omnia nomina induxerit, adscripserit autem iccirco se id fecisse, quia unum hæredem offensum habuit: multum interest utrum illum tantum fraudare uoluerit hæreditate, an verò causa illius totum testamentum infirmare: vt licet unus causam inductionis præbuerit, verùm omnibus abfuerit. Et siquidem soli ei ademptã uoluit portionem, cæteris nihil nocebit inductio. non magis, quàm si uolens unum inducere hæredem, inuitus & alium induxerit. Quod si putauerit totum testamentum delendum ob vnius malum mæritum, omnibus denegabuntur actiones. Sed in ambiguo interpretandum erit, & legata deberi, & cohæredis institutionem non esse infirmandam, ff. de his, quæ in testamen. delen. l. secunda, incipit cancellauerat.

Cum quidam hæredum nomina induxisset, & bona eius, ut caduca à fisco uindicarentur, diu de legatis dubitatum est; & maximè de his, quæ adscripta erant, his quorum institutio fuerat inducta. Et deciditur legatarios excludendos, si omnẽ scripturam testamenti cancellasset, si non omnia ipso iure perimi, quod inductum sit, cætera omnia ualitura sunt, quia in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus iustum, quàm tutum est, ff. eod. l. proximè, iii.

Pluribus tabulis eodem exemplo scriptis, unius testamenti uoluntatem eodem tempore dominus solenniter compleuit, si quasdam tabulas in publico depositas abstulit, atque deleuit, quæ iure gesta sunt (præsertim cum ex certis tabulis, quas non abstulit res gesta declaretur) nam cõstituentur irrita. Sed si, ut intestatus moreretur, tabulas incidit, & hoc approbauerint hi, qui ab intestato uenire desiderant: à scriptis auocabitur hæreditas, ff. de his, quæ in testa. delentur. l. fi.

Si linum, quo ligatæ sunt tabulæ, incisum sit: siquidem alius contra uoluntatem testatoris inciderit, bonorum possessio peti potest. Quòd si ipse testator id fecerit: non uidentur signatæ; & ideo bonorum possessio peti non potest, ff. de bon. posses. secun. tab. l. prima, §. Si linum, & C. de test. l. nostram, xxx.

Si rosæ sunt à muribus tabulæ, vel linum, vel aliter ruptum, uetustate (puta) uel situ, uel casu putrefactum: uidentur tabulæ signatæ, maximè si proponatur, vel vnum linum tenere. si ter fortè, quel quater linum sit circumductum, dicendũ est, signatas tabulas eius exstare, quamuis uel incisa, uel rosa sit pars lini, ff. de bon. poss. sec. tab. l. prima. §. fi.

QVIBVS

QVIBVS MODIS TESTAMENTA INFIRMENTVR.

Titulus II.

Licet iste Tit. secundum Instit. ordinem inferius esse deberet, attamen hic positum est, vt testamentorum materia continua, atq; connexa sit: inconueniens enim videbatur, post multos longosque Titulos, ad hunc peruenire.

TEstamentum iure factum, vsque adeo valet, donec rumpatur irritũve fiat. Rumpitur autem testamentum cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti ius vitiatur. siquis enim post testamẽtum factum adoptauerit sibi filium per Imperatorem eum, qui est sui iuris, aut per prætorem eum, qui in potestate parentis fuerit, testamentum eius rumpitur, quasi agnatione sui hæredis. Inst. quib. mod. tes. infir. in prin. & ff. de inju. rup. test. l. verum est, aliàs certum est, viii. in prin.

Si quis hæres institutus est, à testature adrogetur: põt dici satis ei factum, quia & antè, q̃ adoptet̃, institutio, ut in extraneũ locũ habebat, ff. eo. l. si q̃s hæres, 18.

Filio, quem pater post emancipationem à se factam iterum adrogauit, exhæredatio antè scripta nocebit. Nam in omni ferè iure sic obseruari conuenit, vt veri patris adoptiuus filius nunquã intelligatur, ne imagine naturæ veritas adumbretur: uidelicet, quod non translatus, sed redditus uideretur. Nec multum refert (quod ad propositum attinet) quod loco nepotis filium exhæredatum pater adrogauerit, ff. de lib. & posth. l. filio, xxiii.

Si Titius hęres institutus loco nepotis adoptetur, defuncto postea filio, qui pater uidebatur, nepotis succesſione non rumpitur testamentum ab eo, qui hæres inuenitur, d. l. filio, §. fi.

Filiusfamiliàs miles de castrensi peculio fecit testamentum, habẽs filium in eiusdem ptãte, cùm militare desiisset patre, eodẽq; auo defuncto, quia in ptãte sua habere cœpit, quẽ nõ habebat, simulq; paterfamiliàs factus, & filius sub eius recidit ptãte rumpitur testm̃, ff. de li. & posth. l. filius à patre, xxviii. §. filiusfam.

Valet testamentum, & si paterfamilias miles de castrensibus rebus duntaxat testatus adrogandum se dederit, si verò missus iam hoc fecerit: non ualet testamentum, ff. de milit. testa. l. idem etsi, xxiii.

Nam si miles iure ciuili testamentum fecerit, & à primo gradu hęredem eum scripserit, quem iure militari poterat, secundo eum, quem communi iure potest, & post annum missionis decesserit, primus gradus irritus fiet, & à secundo incipiet eius testamentum, ff. de iniuſ. rup. test. l. nam si miles, vii.

Alia causa est filiorum superstitum, alia posthumorum. illi iniustã faciunt, hi rumpunt, illi semper, hi si nascantur, ff. de iniuſ. irri. test. l. tertia, §. ex his.

Ideoq; si mulier ex qua posthumus, aut posthuma separabatur, abortum fecerit nihil impedimento est scriptis hæredibus, ad hæreditatem adeundam, Instit. de exheredat. liber. §. posthumi, verſ. ideoque si mulier.

Posthuma sub conditione hæres instituta si pendente conditione viuo patre nascatur, rumpitur testamentum, ff. de lib. & posth. l. posthuma, xxiiii.

Sed si priusquàm nascatur conditio extiterit: nõ rumpitur testamentum posthumi agnatione, ff. eod. l. cum posthumus, xxii.

Si quis ex certa vxore natũ scribit hæredẽ, in periculũ rumpendi testm̃ deducit, ex alia susceptis liberis, ff. de li. & post. l. filius à patre, xxviii. §. si quis ex certa.

Vxoris abortu testm̃ mariti nõ solui. posthumo vero præterito, quãuis natus illico decesserit nõ restitui ruptũ, iuris euidentissimi est, C. de posth. hæred. l. 2.

Quod dicitur filium natum rumpere testamentum: natum accipe, & si ex secto vẽtre editus sit. nam & hoc si non integrum animal editum sit, cum spiritu tamẽ rumpit, ff. de lib. & posth. l. quod dicitur, xii.

Sed requiritur, quòd viuus perfectè natus sit: licet illico, postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis decessit: hoc tantummodo requirendo si uiuus ad orbem totus processit, ad nichilum declinans monstrum, vel prodigiũ, C. eod. l. tertia.

Posthumus præteritus, viuo testatore natus, decessit. licet iuris scrupulositate nimiaque subtilitate testamentum ruptum videatur. attamen si signatum fuerit testamentum hæres scriptus hæreditatẽ obtinebit. Idcirco legatarii, & fideicommissarii habebunt ea, quæ sibi relicta sunt. Idem & circa iniustum, & irritũ testamentum erit dicẽdum, si bonorum possessio data fuerit ei, qui rem ab intestato auferre possit, ff. de iniust. rup. l. posthumus præteritis, xii.

Si quis posthumos, quos per ætatem, aut valetudinem habere fortè nõ põt, hæredes instituit: superius testamentum rumpit: quod natura magis in homine, & generandi cõsuetudo spectãda est, q̃ tẽporale vitiũ, aut valetudo, ꝓp quã, abdicatur homo, à generãdi facultate, ff. de li. & post. l. si q̃s posthumos, ix. in prin.

Si filiusfamiliàs fecisset testamentum more militiæ, deinde post mortem patris posthumus ei nasceretur: vtiq; rũpitur eius testamentum, uerũ si perseuerasset in ea voluntate, vt vellet adhuc illud testamentum valere: valiturum illud quasi rursum aliud factum: si modo militaret adhuc eo tempore, quo nasceretur illi posthumus, ff. de mil. test. l. si filiusfamiliàs, xxxiii. aliàs, xxxiiii. in prin.

Si filiusfamiliàs miles fecisset testamẽtum, deinde postea viuo eo, & adhuc auo, quoq; superstite nasceretur ei posthumus: non rumpitur eius testamentũ, quia cùm id, quod nasceretur, in potestatem eius non perueniret, non uidetur suus hæres agnasci: ac ne auo quidem suo hic nepos posthumus, cum uiuo filio nasceretur, suus hæres protinus agnascitur: & ideo nec auo testamentum rumpitur: quoniam licet in potestate aui protinus esse inciperet, tamen antecederet eum filius, d. l. si filiusfamiliàs, xxxiii. vel xxxiiii. §. sed si filiusfamiliàs.

Si filiusfamilias miles testamentum fecerit, & omiserit posthumũ per errorem, quem non volebat exhæredatum: deinde posthumus post mortẽ aui, viuo adhuc filio, i. patre suo, natus fuerit. omnino rumpit illius testamẽtum. Sed siquidem pagano iã illo facto natus sit: nec conualescet ruptum: si verò militante adhuc natus fuerit, rumpetur, deinde si voluerit ratum illud esse pater, conualescet sic quasi denuo factum, d. l. si filiusfamiliàs, xxxiii. §. secundum quæ.

Si viuo auo nascatur posthumus: hic non rumpet continuò patris testamentum. sed si superuixerit post mortẽ aui, viuo adhuc patre: rumpet, quod nouus illi nunc primus hæres adgnascitur: ita tamen, vt nunquam possit duorum simul testamenta rumpere, & aui, & patris, d. l. si filiusfamiliàs, §. fi.

Si filius hæres institutus sit, omisso posthumo, filioq; substitutus nepos ex eo sit, si interim moriatur filius, posthumo non nato, nepos, tàm patri, q̃ auo suus hæres futurus est, quod si nemo filio substitutus sit, & solus ipse institutus sit: Tũc quia eo tẽpore, quo is moriatur, certum esse incipit, neminẽ ex eo testamento hæredem fore, ipse filius intestato patri hæres existet. sicut euenire solet cum sub ea cõditione, quæ in ipsius potestate erit, filius hęres institutus, priusquàm ei pareret moriatur, ff. eod. lib. & posth. l. si filius hæres, xvi.

Succedendo sui non rumpunt testamentum: si vel instituti fuerint, vel exhæredati, ab eo gradu, ad quẽ hæreditas defertur: s. si gradus ille valeat. Quocunq; aũt

modo parentes præcedẽtes in ptãte esse desierint, succedẽtes liberi, si fuerint instituti, vel exhæredati, non rumpent testamentũ: siue per captiuitatẽ, siue per mortem, vel pœnam, ff. de iniust. rup. test. l. si quis filio, 6. §. succedendo.

Posteriore quoq; testamento, quod iure perfectum est, superius rumpitur: nec interest an extiterit aliquis hæres ex eo, an nõ: hoc. n. solum spectatur, an aliquo casu existere potuerit. Ideoq; si quis aut noluerit, hæres esse, aut viuo testatore aut post mortem eius, anteq̃ hæreditatem adierit, decesserit, aut conditione, sub qua hæres institutus est, defectus sit, his casibus paterfamilias intestatus moritur. Nam & prius testamẽtum non valet, ruptum à posteriore, & posterius æquè nullas habet uires, cum ex eo nemo hæres extiterit, Inst. quib. mod. testa. infir. §. posteriore.

Non omnes tabulas prætor sequitur, sed supremas, supremæ aũt sunt, nõ quæ sub ipso tempore mortis factæ sint, sed post quas nullæ factæ sunt licet hæ veteres sint, ff. de bon. poss. secun. tabu. l. prima. §. primo.

Nam ambulatoria est voluntas defuncti, vsq; ad uitæ supremum exitum, ff. de adim. leg. l. quarta, in fi.

Si quis priore testamento iure perfecto, posterius æquè iure fecerit, ẽt si ex certis rebus in eo cohæredem instituerit, superius tamen testamentum sublatũ est, sed hæres scriptus in secundo testamento cõtentus rebus sibi datis, aut suppleta quarta ex lege Falcidia tenetur hæreditatem restituere iis, qui in priore testamento scripti fuerant pp inserta fideicommissi verba, quibus, vt valeret prius testamentum expressum est: Et hoc ita intelligendum est, si non aliquid specialiter contrarium in secundo testamẽto fuerit scriptum, Inst. quib. mod. test. infir. §. sed & si quis, & ff. ad Treb. l. si quis priore, xxix.

Si paganus, qui habebat iam factum testamentum, aliud fecisset, & in eo comprehendisset, fidei se hæredis committere, vt priores tabulæ valerent, omnimodo prius testamentum ruptum est, quo rupto, vice codicillorũ valebit, cum & hæc verba sint fideicommissi: & sine dubio vniuersa, quæ illic scripta sunt, in causa fideicommissi erunt, ff. de iniust. irrit. test. l. posthumus, xii. §. fi.

Tunc autem prius testamentum rumpitur, cùm posterius ritè perfectum est: nisi fortè posterius, vel iure militari sit factum, vel in eo scriptus est, qui ab intestato venire potest. tunc enim & posteriore non perfecto superius rumpitur, ff. de iniust. rup. test. l. secunda.

Eo enim casu infirmato priore testamento: secunda voluntas, non quasi testamẽtum, sed quasi voluntas intestati valet. in qua quinque testium iuratorum depositiones sufficiunt. Quo non facto valebit primum testamentum, licet in eo scripti uideantur extranei, C. de test. l. hac consultissima, xxi. §. si quis autem.

Si quis legitimo modo condidit testamentum, & post confectionẽ eius decennium profluxerit: siquidẽ nulla innouatio, uel contraria uoluntas testantis apparuerit hoc est firmum. Sin autem in medio tempore contraria voluntas ostẽditur: siquidem perfectissima est secundi testamenti confectio: ipso iure prius tollitur testamentum. Sin aũt testator tantummodo dixerit, nõ voluisse prius stare testamentum, uel aliis verbis vtendo contrariã apparuerit voluntatem, & hoc vel per testes idoneos non minus tres, vel inter acta manifestauerit, & decennium fuerit elapsum: tunc est irritum testamentum, tàm ex contraria uoluntate, quàm ex cursu temporali: aliter. n. testamenta mortuorum per decenni transcursionem non euanescunt, C. de test. l. sancimus, xxvii.

Vnde si hæres institutus non habet uoluntatem testatoris, vel quia incisæ sunt ta

bulę, vel quia cancellatę, vel qua alia ratione voluntatem testator mutauit uoluitque intestato decedere, dicendum est, hęredes ab intestato rem habituros, ff. si tabul. testam. null. ex tab. unde lib. l. prima, §. pen.

Militia missus intra annum testamentum facere cœpit, neq; proficere potuit, potest dici, solutum ita esse testamentum, quod in militia fecit, si iure militię fuit scriptum, alioquin si iure communi ualuit, non esse iure rescissum. Nec tamen circa militem eadem adhibetur distinctio. nam quocunque modo testamentum fecerit nouissima voluntate rescindetur, quoniam uoluntas quoque militis testamenti est, ff. de mil. test. l. eius militis, xxxiiii. aliàs, xxxv. §. militia.

Miles si testamentum imperfectum relinquet, scriptura, quæ profertur perfecti testamenti potestatem obtinet, nam militis testamentum sola perficitur voluntate, quique plura per dies varios scribit, sæpe testamentum facere videtur, ff. eod. l. miles si testamentum, xxxv. aliàs, xxxvi.

Veteranus moriens testamentum iure cōi tempore militię factum irritum esse voluit, & intestatus esse maluit. hæredum institutiones, & substitutiones in eodem statu mansisse placuit, legata verò petentes exceptione doli mali secundum ius cōe summoueri placuit. Cuius exceptionis vires ex persona petentis æstimantur, alioquin potior est in re pari causa possessoris, ff. de mil. test. l. militis codicillis, xxxvi. aliàs, xxxvii. §. veteranus.

Miles iure cōi testatus, postea testamento iure militię super bonis omnibus facto, post annum militiæ uita decesserat. Prioris testamenti, quod ruptum esse constabat, non redintegrrai vires constitit, d. l. militis, §. fi.

Si binæ tabulæ proferantur, diuersis temporibus factæ, unæ prius, alteræ postea, utræq; tamen septem testium signis signatæ, & apertæ posteriores uacuæ inuētæ sint, superius testamentum non est ruptum, quia sequens nullum est, ff. de iniust. rup. testa. l. si binæ, xi.

Cùm in secundo testamento hæredem eum, qui viuit instituimus siue purè, siue sub conditione, si tamen conditio existere potuerit, licet nō extiterit superius testamentum erit ruptum. Multum autem interest qualis conditio interposita fuerit. Nam aut in præteritum concepta ponitur, aut in præsens, aut in futurū; In præteritum concepta ponitur, veluti SI TITIVS CONSVL FVIT: quæ conditio si uera est, ita est institutus hæres, ut superius testamentū rumpatur; tunc. n. ex eo hæres est, si vero Titius consul non fuit, testamētum nō est ruptū. Quod si ad præsens tempus conditio adscripta est, veluti SI TITIVS CONSVL EST: eundem exitum habet: ut si sit, posit hæres esse, & superius testamentum rumpatur. si non sit: nec posit hæres esse, nec superius testamentū rumpatur. In futurum autem collatæ conditiones, si posibiles sunt, & existere potuerunt: efficiunt, ut superius testamentum rumpatur etiā si non extiterint, si vero imposibiles sunt veluti TITIVS DIGITO COELVM TETIGERIT HAERES ESTO: perinde erit ac si conditio adscripta testamento non sit, ff. de iniust. irrit. test. l. cum in secundo, xvi.

Alio quoque modo testamenta iure facta infirmantur: veluti cum is, qui fecit testamentum capite diminutus sit, quo casu irritum fit testamentum. si ciuitatē testator amisit, aut in adoptionem se dedit, & mortis tempore in adoptiui patris potestate sit, nec potest scriptus hæres bonorum possesionem petere, Instit. quib. mod. test. infir. §. alio quoque.

Testamentum aut non iurę factum dicitur, vbi solemnia iuris defuerunt: aut nullius est momenti, cùm filius, qui fuit in patris potestate, præteritus est; aut

rumpitur

rumpitur alio testamento, ex quo hæres existere potuerit, uel adgnatione sui hæredis: aut irritum constituitur, non addita hæreditate, ff. de iniust. rupt. irrit. test. l. prima.

Si quis fuerit capite damnatus, vel ad bestias, vel ad gladium, vel alia pœna, quæ uitam adimat: testamentum eius irritum fiet nõ tunc, cũ cõsumptus est, sed cũ sentẽtiã passus est. Nisi fortè miles fuit, ex militari delicto damnatus: nã huic permittitur testari, & testamentum iam factũ ualet nec pœna irritum fit, ff. de iniust. testa. l. si quis filio, vi. §. irritum quoque vers. sed & si quis.

Eius, qui deportatur non statim fiet irritũ testamentum: sed cum princeps factũ comprobauerit: tunc enim & capite minuitur, d. l. si quis filio. §. eius qui.

Eorum, qui mori magis, q̃ damnari maluerint ob conscientiam criminis, testamenta irrita sunt licet in ciuitate decedant, d. l. si quis filio, §. nam eorum.

Quod si quis tædio vitæ, vel valetudinis aduersæ impatientia, uel iactatione (ut quidam philosophi) morte sibi cõsciuerint: in ea causa sunt, ut testamẽta eorũ valeant, d. l. si quis filio, §. quod si quis tædio, & C. qui test. fac. l. secunda.

Si miles ob conscientiã delicti militaris mori maluit irritum erit eius testamẽtũ quod si tædio uitæ, uel dolore: ualet testamentum: at si intestato decesserit cognatis, aut si non sint, legioni ista sunt uindicanda, d. l. si quis filio, §. quam distinctionem, & ff. de mil. test. l. eius militis, xxxiiii. aliàs xxxv.

Hi omnes, quorum testamenta damnatione irrita fiunt, si prouocauerint, capite non minuuntur, atque ideo neque testamenta, quæ antea fecerunt, irrita fiẽt: & tunc testari poterunt; sunt. n. certi status, nec ipsi de se interim incerti: itẽ si præses appellationẽ eius non recepit, sed principi scribendo pœnã remoratus est: & hic suum statum interim retinet, nec testamentum irritum fit. Nã etsi appellatio non recipitur, pœna tamen sustinenda est, quoad princeps rescripserit, ad literas Præsidis, nisi fortè latro manifestus sit, uel seditio prærupta, factioque cruenta, uel alia iusta causa, quam mox præses literis excusauerit, moram non recipiat, non pœnæ festinatione, sed præueniendi periculi causa: tũc enim punire permittitur, deinde scribere, d. l. si quis filio, §. hi autem omnes.

Si quis fuerit damnatus illicitè, pœna non sumpta, testamentum eius non fit irritum: cum sñia eum nõ tenuerit. ergo & si quis eum, qui nõ erat iurisdictionis suæ, dãnauerit: testamẽtum eius nõ erit irritum, d. l. si quis filio, §. quod si quis.

Eorum testamenta non rata sunt, quorum memoria post mortẽ damnata est: utputa est ex causa maiestatis, vel ex alia tali, d. l. si quis filio, 6. §. sed ne eorum.

Quatenus dicitur, ab hostibus capti testamentũ irritum fieri: adiiciẽdum est, postliminio reuersi, vires suas recipere iure postlimini: aut si ibi decedãt, lege Cornelia confirmari. Ergo & si quis damnatus capite in integrum indulgẽtia principis sit restitutus, testamentum eius cõualescet, d. l. si quis filio, 6. §. quatenus.

Qui vxorẽ prægnantẽ habebat, in hostium ptãtem peruenit. nato filio, quo tpe testamentum in ciuitate facto rumpitur, & si filius prius moriatur, q̃ pater tamen testamẽtum rumpitur, & hæreditas ex eo testamento ad neminem pertinebit, ff. de iniust. test. l. qui vxorem, xv. & ff. de captiuis, l. bona eorum, xxii. §. fi.

Si filiusfamiliàs miles captus apud hostes decesserit: dicemus legem Corneliam ẽt ad eius testamentum pertinere. Et si pater eius prius in ciuitate decesserit, relicto nepote ex filio: non rumpitur patris testamentum, quia ex eo tempore, quo captus est, uidetur decessisse, ff. de mil. test. l. si filiusfamilias, xxxix.

Filiifamiliàs ueterani, sui iuris morte patris facti, testm̃ irritũ non fieri cõstat. nã quantũ ad testandũ de castrensi peculio, p patrefamiliàs habendus est, & ideo

 nec

nec emancipatione irritum fieri militis, vel veterani testamentum, uerum est, ff. de iniust. test. l. si quis filio, 6. §. fi.

Si filiusfamiliàs, aut pupillus tabulas testamenti fecerit, signauerit: secundũ eas bonorum possessio dari non potest, licet filiusfamiliàs sui iuris, aut pupillus pubes factus decesserit: quia nullæ sunt tabulæ testamenti, quas is fecit, qui testamenti faciendi facultatem non habuit, ff. qui test. fac. l. si filiusfam. 19. & ff. de bon. poss. secund. tab. l. prima. §. exigit.

Si vero vtroque tempore, cum facit testamentum, & cum moritur testamenti factionem habuerit, medio tempore non habuerit bonorum possessio secundum tabulas peti poterit, d. l. prima, §. si vtroque. ff. de bon. poss. secun. tab.

Si quis testamentum fecerit, deinde amiserit testamenti factionem, vel furore, vel quòd ei bonis interdictum est potest eius peti bonorum possessio, quia iure testamentum eius ualet. Et hoc generaliter de omnibus huiusmodi dicitur, qui amittunt mortis tempore testamenti factionem: sed antefactum eorũ testamentum valet, d. l. prima, §. si quis autem.

Si non speciali priuilegio patriæ iuris obseruatio relaxata est, & testes non in cõspectu testatoris testimoniorum officio functi sunt nullo iure testamentum valet, C. de test. l. si non speciali, ix.

Si in arrogationem datus fuerit miles, vel filiusfamilias emãcipatus est: testamẽtum eius quasi militis, ex noua voluntate valet, nec uidetur capitis diminutione irritum fieri, Inst. de mil. test. §. sed siquis, vers. denique.

Ex eo autem solo non potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit valere, vsque adeo ut, & si quis post factum prius testamentum, posterius facere cœperit, & aut morte præuentus, aut quia cum eius rei pœnituit, id non perfecisset, priores tabulæ non infirmantur, quia imperfectum testamentum sine dubio nullum est, Inst. quib. mod. test. infir. §. ex eo autem solo.

Siquis fecerit testamentum declarata sua voluntate, & ea forma ad mortem vsq; permanserit: nemo postmodum testimonia perhibebit, quasi huiusmodi sententiam mutare fortè, vel inuertere, vel tale quid facere testator voluerit: cui vtique licuit, quod factum erat rumpere, & aliud testamentum facere: ultimã eius voluntatem declarans, quod valere conueniat. Nam id ei facere permittitur, modo expresſis verbis id ipsum in præsentia septem, aut etiam quinque testium designet, quod tametsi huiusmodi nouissimam voluntatem confecerit: non eam tamen velit amplius valere, sed etiam facere. Atque hæc aut in absoluto testamento, quod omnes in testamentis requisitas notas habeat, facito: aut in absoluta nouissima voluntate scripto non compræhensa uitam finiisse uidetur prioribus ex secunda eius dispositione ex absoluto testamento, aut voluntate irritandis, Nouel. Const. de extrem. volunt. cvii. §. & siquidem.

Quamuis ista constitutio clara sit glos. tamen ac doctores eam falso accipiũt. Et qui desiderat huiusce difficultatis resolutionẽ: uideat appendicem tractatu nostro de conciliatione legũ Digestorũ & Codicis.

Diuus Pertinax oratione expresſit, non admissurum se hæreditatem eius, qui litis causa principem reliquerit hæredem: neque tabulas non legitimè factas, in quibus ipse ob eam causam, hæres institutus erat probaturum, neque ex nuda voce hæredis nomen admissurum: neque ex vlla scriptura, cui iuris auctoritas desit, aliquid adepturũ: licet enim principes legibus soluti sint, legibus tamen viuunt, Inst. quib. mod. test. infir. §. fi.

Vnde cum hæredes instituuntur Imperator, seu Augusta: ius commune cum cæteris habeant, quod & in codicillis, vel fideicommissariis epistolis iure scriptis obseruandum erit, C. qui test. fac. l. cum hæredes, vii.

Et siquis Imperatorem hæredem instituerit habet iudicii mutandi facultatem, & quem-

& quemcunque voluerit, secundum leges in testamento suo hæredem scribere, C. qui test. fac. poss. l. sexta.

Lucius Titius integra mente, & valetudine testamentum fecit, vti oportet. postea cùm in valetudinem aduersam incidisset mente captus tabulas easdem incidit. hoc non obstante hæredes instituti adire possunt, ff. de iniust. rup. testa. l. vltima.

DE HAEREDIBVS INSTITVENDIS.
Titulus III.

HAEredis appellatio non solum ad proximum hæredem, sed & ad vlteriores refertur. nam & hæredis hæres, & deinceps, hæredis appellatione continent, ff. de verb. sign. l. hæredis, lxv.

Item hæredis appellatione omnes significari successores credendũ est, & si uerbis non sint expressi, ff. eod. l. hæredis, clxx.

Item qui per cessionem quamuis longissimam, defuncto hæredes extiterunt: nõ minus hæredes intelliguntur, quàm qui principaliter hæredes extiterint, ff. de reg. iur. l. qui per successionem, cxciiii.

Item sciendum est, hæredem etiam per multas successiones accipi. Nam paucis speciebus hæredis appellatio proximum continet. Veluti in substitutione impuberis. QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, IDEM FILIO MEO HAERES ESTO: vbi hæredis hęres non continetur, quia incertus est, ff. de uerb. sign. l. sciendum, lxx.

Item in substitutione his verbis, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT proximus hæres tantum significant: imò non tantum proximus hæres: sed etiam scriptus, ff. eod. l. ex illa parte, §. item in substitutione, ccxxvii.

Hæredes instituere permissum est omnes, cum quibus testamenti factio, est, & vnum hominem, & plures vsque in infinitum, quot quis hæredes velit facere licet, Inst. de hær. inst. in princ. & §. & vnum.

Collegium, si nullo speciali priuilegio subnixum sit hæreditatem capere nõ posse dubium non est, C. de hæred. inst. l. collegium, viii.

Hæreditatis, vel legati, seu fideicommissi, aut donationis titulo domus, aut annonę ciuiles, aut quælibet ædificia ad ius inclitę vrbis, vel alterius cuiuslibet ciuitatis peruenire possunt, C. eod. l. hæreditatis, xii.

Sicut Imperatoribus, ita qualibet dignitate, vel potestate decoratis uiris, tàm hęreditas, quàm legatum, seu fideicommissum relinqui potest, C. de testamen. l. non dubium, xvi. in princ.

Qui testatur, ab hæredis institutione plerunque debet initium facere testamenti: licet etiam ab exhæredatione, quam facit: Nam filius ante hæredis institutionem potest exhæredari, ff. de hær. ins. l. prima, in princ.

Institutum autem hæredem, eum quoque dicimus, qui scriptus non est, sed solũmodo nuncupatus, d. l. prima, §. institutum.

Qui neque legaturus est, quid neq; quenquã exhæredaturus, quinque verbis potest facere testamentum: vt dicat, LVCIVS TITIVS MIHI HAERES ESTO. Hæc aũt scriptura pertinet ad eum, qui non per scripturam testatur, qui poterit etiam tribus verbis testari, vt LVCIVS HAERES ESTO. nam & MIHI ET TITIVS, abundat, d. l. prima, §. qui neque legaturus.

Sin

Sin autem sic scribat LVCIVS HAERES: licet non adiecerit ESTO, plus nuncupatum minus scriptum erit, & si ita LVCIVS ESTO: tantundem erit. Ergo & si ita LVCIVS solummodo: erit institutus: quia cũ quidem portiones inter hæredes distribuisset: ita ILLE EX PARTE TOTA ILLE EX TOTA, nec adiecisset HAERES ESTO: valuit institutio. Item ualuit institutio, ita scripta VXOR MEA ESTO, licet desit HAERES. ITEM ILLVM. HAEREDEM ESSE institutio valebit subaudito IVBEO, d.l.prima.§.sin autem sit vsque ad finem legis.

In institutione hæredis non interest, si dicatur HAEREDEM FACIO, VEL INSTITVO, VEL VOLO, VEL MANDO, VEL CVPIO, VEL ESTO, VEL ERIT: sed quibuslibet confecta sententiis in quolibet loquendi genere formata institutio, valet si modo per eam liquebit uoluntatis intentio. Et qui facultates proprias cupiunt ordinate, in quacũque instrumenti materia conscribere, quibuscunque verbis vti, liberã habent facultatem, C. de test.l.quoniam,xv. Ac etiam omnibus licet Græce testari, C. eod.l.hac consultissima,xxi.§.fi.

His verbis TITIVS HAEREDITATIS MEAE DOMINVS ESTO, rectè institutio fit, ff.de hæred.inst.l.his verbis,xlvi.alias,xlviii. in princ.

Hæreditas plerunque diuiditur in duodecim vncias, quæ Asis appellatione continentur. Habent enim hæ partes propria nomina ab vncia, vsque ad Assem hæc: sexcuns, sextans, quadrans, triens, quincuns, semis, septuns, bes, dodrans, dextens: deunx et as. Instit.de hæredit.instit.§.hęreditas,& ff.eodem.l.interdum, xiii.

Non autem vtique semper duodecim vncias esse oportet: nam tot uncię assem efficiunt, quot testator voluerit. Et si vnum tantum quis ex semisse (verbi gratia) hæredem scripserit, totus as in semisse erit: Neque enim idem ex parte testatus: & ex parte intestatus decedere potest: nisi sit miles, cuius sola voluntas in testamento spectatur: Et è contrario potest quis in quantascunque voluerit plurimas vncias suam hæreditatem diuidere. Inst.eod.non autem vtique.

Si plures instituantur hæredes, ita demum in hoc casu partium distributio necessaria est: si nolit testator eos, ex æquis partibus hæredes esse: satis enim constet nullis partibus nominatis, ex æquis partibus eos hæredes esse. Partibus autem in quorundam personis expressis, si quis alius sine parte nominatus erit: siquidem aliqua pars asi deerit, ex ea parte hæres fit: & si plures sine parte scripti sunt, omnes in eandem partem concurrunt. Si verò totus as completus sit, in dimidiam partem uocantur, & ille, vel illi omnes in alteram dimidiam. Nec interest, primus, an medius, an nouissimus sine parte hæres scriptus sit, ea enim pars data intelligitur, quæ vacat, Inst.de hæred.inst.§.si plures,& ff. eod.l. item xvii.& l.quo loco,xx.in prin.

Hæredes iuris successores sunt: & si plures instituantur, diuidi inter eos à testatore ius oportet, quod si non fiat: omnes æqualiter hæredes sunt, ff.eod.l.quoties,ix.§. hæredes.

Si alterius, atque alterius fundi, pro æquis partibus hæredes quis instituerit: perinde habebitur, quasi non adiectis partibus hæredes scripti essent. Nec enim facilè ex diuersitate prædiorum portiones inueniuntur. Ergo expeditius est, perinde habendum, ac si nec fundum, nec partes nominasset, ff.de hær.instit.l. si alterius, x.

Si quis ita hęres institutus fuerit, EX CERTO FVNDO, EXCE-

PTO

PTO VSVFRVCTV, HAERES ESTO, perinde erit atque sine ea re institutus esset, ff. eod. l. si quis ita, lxxiiii.

Interdum hæc adiectio, AEQVE HAEREDES SVNTO testatoris volũtem exprimit: vt puta PRIMVS, ET FRATRIS MEI FILII AEQVAE HAEREDES SVNTO. nam hæc adiectio declarat omnes ex virilibus partibus institutos. quæ detracta, semissem fratris filii, semissem primus haberet, ff. de hæred. inst. l. interdum, xiii. in princ.

Si certarum rerum hæredes instituerit miles: veluti alium vrbanorum prædiorũ, alium rusticorum, alium cæterarum rerum: valebit institutio: perindeque habebitur, atque si sine partibus hæredes eos instituisset, resque omnes suas per præceptionem, cuique legando distribuisset. Item si quis alium castrensium rerum, alium cæterarum scripsisset: quasi duorum hominum duæ hæreditates intelliguntur: vt etiam in æs alienum, quod in castris contractum esset, solus is teneatur, qui castrensium rerum hæres institutus esset: extra castra contracto ære alieno is solus obligetur, qui cæterarum rerum hæres scriptus esset. Cui scilicet conueniens uidetur, ut ex quaqua causa debeatur militi: vel huic hæredi, vel illi, ipso iure debeatur. Quod si alterutra pars bonorum æri alieno, quod ex ea causa pendebit, non sufficiat: & propter hoc is, qui ex ea parte hæres institutus est non adierit: alter qui adiisset, compelletur, aut defendere totam hæreditatem, aut totam creditoribus soluere, ff. de mil. test. l. si certarum, xxvii. in princ.

Si quis hæredes ita instituit TITIVS EX PARTE PRIMA, SEIVS EX PARTE SECVNDA, MAEVIVS EX PARTE TERTIA, SVLPICIVS EX PARTE QVARTA, HAEREDES SVNTO: Aequæ partes hæreditatis ad institutas pertinebunt, quia testator appellatione numeri scripturæ magis ordinem, quàm modum, partibus imposuisse videtur, ff. de hæred. instit. l. si quis, xiiii.

In testamento ita scriptum est, LVCIVS TITIVS EX DVABVS VNCIIS, CAIVS ATTIVS EX PARTE VNA, MAEVIVS EX PARTE VNA, SEIVS EX PARTIBVS DVABVS, HAEREDES MIHI SVNTO: Hæc scriptura illam interpretationem accipere potest, vt Lucius Titius duas uncias habeat, cæteri autem quasi sine partibus instituti, ex reliquo dextante hæredes sint: quem dextantem ita diuidi oportet, vt Seius quincuncem, Attius, & Mæuius alterum quincuncem habeant, ff. eod. l. si ita scriptum, xlvi. aliàs xlvii. §. fi.

Si inæqualibus partibus datis ita adiiciatur: QVOS EX DISPARIBVS PARTIBVS HAEREDES INSTITVI, AEQVE HAEREDES SVNTO: existimandum est, exequari eos, scilicet si hoc ante peractum testamentum scriptum sit, ff. de hæred. inst. l. si inæqualibus, xii.

Asse toto non distributo ita scriptum est: QVEM HAEREDEM CODICILLIS FECERO, HAERES ESTO: Titium codicillis hæredem instituit. eius quidem institutio valet ideo, quod (licet codicillis dari hæreditas nõ possit) tamen hæc testamento data videatur, sed hic tãtum ex hæreditate habebit, quantum ex asse residuum mansit, ff. eod. l. asse toto, lxxvii.

Si iam mortuo quadrans, alii dodrans datus sit, & alius sine parte scriptus sit, is, qui sine parte hæres institutus est, alterum semissem habebit. Quòd si uiuus, & mortuus ex parte dimidia coniunctim hęredes instituti sunt, ex altera alius; æquas partes ii habebunt, quia mortui pars pro non scripta habetur, ff. de hæreditate

reditate instituen. l. quo loco, xx. §. primo.

TITIVS, ET SEIVS VTERVE EORVM VIVET HAERES MIHI ESTO: Si vterque viuat ambo hæredes erunt, alteroque mortuo is qui supererit, ex asse hæres erit, quia tacita substitutio inesse videtur institutioni, ff. de hær. inst. l. Titius, xxiiii. cum l. seq.

CORNELIVS, ET MAEVIVS, VTER EORVM VOLET HAERES ESTO: vterque vult, vterq; hæres erit: Et illa adiectio VTER EORVM VOLET superuacua est, ff. de hæred. inst. l. Cornelius, lxxix.

Hæc verba, PVBLIVS, MARCVS, ET CAIVS INVICEM SVBSTITVTI HAEREDES MIHI SVNTO: sic interpretanda sunt, ut breuiter uidetur testator tres instituisse hæredes, & inuicem eos substituisse: perinde ac si ita scripsisset. ILLE, ET ILLE, ET ILLE INSTITVTI HAEREDES, ET SVBSTITVTI SVNTO: ff. de hæredit. inst. l. cum in testamento, xxxvii. §. hęc verba.

Si quis vacua parte relicta ita instituerit, SI MIHI SEIVS HAERES NON ERIT (quem non instituerat) SEMPRONIVS HAERES ESTO: vacantem portionem Seius occupatæ non potest, quia huic pars esset data, quæ nulla esset, ff. de hæred. inst. l. ex facto, xix.

Quidam testamento ita hæredes instituit, TITIA FILIA MEA HAERES ESTO. SI QVID MIHI LIBERORVM ME VIVO, MORTVOVE NASCETVR: TVNC QVI VIRILIS SEXVS, VNVS PLVRESVE NASCENTVR, EX PARTE DIMIDIA, ET QVARTA: QVAE FOEMININI SEXVS, VNA PLVRESVE NATAE ERVNT, EX QVARTA PARTE MIHI HAEREDES SVNTO: Et posthumus natus est, vnde ea hæreditas in septem partes distribuitur: Ex his filia quatuor posthumus tres habiturus est, quia filiæ totus as, posthumo dodrans datus esset: ut quartam portionem amplius filia, quàm posthumus ferre debeat. Ideo si posthuma quoque nata esset: tantundem sola filia, quantum vterque posthumorum habiturus esset: itaque in proposito, cum as filiæ, dodrans posthumo sit datus: viginti vnam partis fieri: ut filia duodecim, nouem filius habeat, ff. de hæred. inst. l. si ita scriptum fuerit, xlvii. §. quidam testamento.

Si duos ex vndecim, duos sine parte scripserit: Mox vnus ex his, qui sine parte fuerunt, repudiauerit, semuncia omnibus accrescet, nam (quantum ad ius adcrescendi) non sunt coniuncti, qui sine parte instituuntur. Idem est, & si expleto asse, duos sine parte hæredes scripserit: quia nos hi, neque illi coniuncti erunt; sed si asse expleto, alium sine parte hæredem scripserit, is in alium assem veniet, aliter atque si ita scripsisset, expleto asse, EX RELIQVA PARTE HAEREDES ESTO: Quoniam cum nihil reliquum sit, ex nulla parte hæres institutus est, sed si expleto asse duo sine partibus scribantur, isti duo in vnum assem coniunguntur, Nam si vnus sine parte, duo coniunctim sine parte instituantur: non tres trientes fiunt, sed duo semisses, ff. de hæredib. instit. l. item, vt sabinus, xvii. §. unde.

Hęredes sine partibus, vtrum coniunctim, an separatim scribantur. hoc interest, quòd si quis ex coniunctis decesserit, hoc non ad omnes, sed reliquos, qui coniuncti erant, pertinet. sin autem ex separatis, ad omnes, qui testamento, eodem scripti sunt hæredes, portio eius pertinet, ff. de hęreditate instituenda. l. hæredes, lxiii.

Si

Si ita quis hæredes inſtituerit TITIVS HAERES ESTO, GAIVS, ET MAEVIVS AEQVIS EX PARTIBVS HAEREDES SVNTO, quãuis, Et ſyllaba cõiunctionem faciat, ſiquis tamen ex his decedat, nõ alteri ſoli pars adcreſcit, ſed & omnibus cohæredibus pro hæreditariis portionibus, quia non tam coniunxiſſe, quàm celerius dixiſſe videatur, ff. de hæredit. inſt. l. ſi ita quis, lxvi.

Lucius Titius, Seio, & Sempronio ex ſemiſsibus hæredibus inſtitutis, Et cæteris exhæredatis inuicem hæredes ſubſtituit. Poſtea ita dixit CORNELIVS, ET SALVSTIVS, ET VARRO, AEQVIS PARTIBVS HAEREDES SVNTO, QVOS INVICEM SVBSTITVO. Secundum ſcripturam teſtamenti, quę præponeretur alterum aſſem eis datum videri reſponſum eſt, ff. eod. l. Lucius, liii.

Seius Mæuium ex parte, quam per leges capere potuit, hæredem inſtituit: Ex reliqua, Titium, ſi Mæuius ſolidum capere poterit, Titius adiectus, aut ſubſtitutus hæres non erit. Quòd ſi non ſit RELIQVI facta mentio: tantundem in altero aſſe habebit TITIVS, quantum Mæuius in primo. Quòd ſi Mæuius nullius capax ſit, in totum ſubſtitutus admittitur, ff. de hær. inſt. l. qui non militabat, lxxviii. §. ſi. cum duab. ll. ſeq.

Si pars aliqua vacet, neque tamen quiſquam ſine parte ſit hæres inſtitutus, veluti ſi tres ex quartis partibus hæredes ſcripti ſunt: conſtat uacantem partem ſingulis tacitè pro hæreditaria parte accedere: & perinde haberi ac ſi ex tertiis partibus hæredes ſcripti eſſent: Et ex diuerſo ſi plures hæredes ſcripti in portionibus ſint, tacitè ſingulis decreſcit, ut ſi (uerbi gratia) quatuor ex tertiis partibus hæredes ſcripti ſint perinde habetur, ac ſi vnuſquiſque ex quarta parte ſcriptus hæres fuiſſet, Inſt. de hæred. inſt. §. videamus.

Paterfamiliàs diſtribuere hæreditatem in tot partes poteſt, quot uoluerit: ſed ſolemnis aſsis diſtributio in duodecim vncias fit. Denique ſi minus diſtribuit, poteſtate iuris in hęc reuoluitur: vt puta ſi duos hæredes ex quadrante ſcripſerit. nam hæreditas eius reſidua accedit, ut ex ſemiſsibus uideantur ſcripti. Sed ſi alter ex quadrante, alter ex ſemiſſe hæredes ſcripti ſunt: qui accedit quadrans, pro partibus hæreditariis eis adcreſcit, ff. de hæred. inſt. l. interdũ, xiii. §. paterfamiliàs.

Si plures vnciæ quàm duodecim diſtributæ ſunt, is, qui ſine parte inſtitutus eſt, quod dupondio deeſt, habebit. Idemque erit, ſi dupondius expletus ſit: quæ omnes partes ad aſſem poſtea reuocantur, quamuis ſint plurium vnciarum, Inſtit. eod §. & ſi plures.

Si plus aſſe paterfamilias diſtribuiſſet, & aliquem ſine parte feciſſet hæredem: is habiturus erit, quod dupondio deeſt, quia eadem eſt ratio in ſecundo aſſe, quę in primo, ff. eod. l. Vitellius, xviii.

Si exceſſerit in diuiſione, duodecim vncias teſtator: æquè pro rata decreſcet, vt puta me ex duodecim vnciis hæredem, te ex ſex ſcripſit. ego hæreditatis habebo beſſem tu trientem. Sed ſi duos ex aſſe hæredes ſcripſerit alios duos ex xii. vnciis æquè diſtributio fiat, & qui ex xii. vnciis ſcripti ſunt, ex ſemiſſe hæredes erunt. Sed & ſi duos hæredes ex aſſe inſtituerit tertium aũt ex dimidia, & ſexta in xx. uncias as diuidetur: octoq; laturus eſt, ex dimidia, & ſexta ſcriptus illi duo duodecim. Itẽ ſi dicatur TITIVS EX PARTE TERTIA: deinde aſſe expleto IDEM EX PARTE SEXTA; in quatuordecim uncias hęreditas diuidetˢ, ff. de hęr. inſ. l. interdũ, xiii. §. ſed & ſi exceſſerit, uſq; ad finẽ.

Ex vnciis sex primo hærede instituto, secundo ex octo: si tertius ex resid ua parte, vel nulla portionis facta mentione hæres instituatur, quinque uncias hæreditatis tertius habebit. In xxiiii. etenim partes hæreditate distributa, tertio ratio calculi (veluti ex decem partibus instituto) quinque vncias asignauit, ff. eod. l. ex vnciis, lxxxvii.

Si quis ita scripserit, TITIVS EX PARTE DIMIDIA HAERES ESTO, SEIVS EX PARTE DIMIDIA: EX QVA PARTE SEIVM INSTITVI, EX EADEM PARTE SEMPRONIVS HAERES ESTO: Seius & Sempronius coniuncti erunt in vnum semissem, & sic fiet, vt Titius semissem, hi duo quadrantē ferant, ff. eod. l. Iulianus, xv. in prin. & ff. de ver. sign. 50.

Si primus ex semisse. secundus ex semisse, si primus hæres non erit, tertius ex dodrante substitutus sit: siquidem primus adierit, æquales partes habebunt. Si repudiauerit, xv. partes futuræ sunt, ex quibus nouem quidē laturus sit tertius, sex secundus, d. l. Iulianus, xv. §. fi.

Nam tertius, & instituti, & substituti personam sustinet, & in tres partes institutus videtur, in sex substitutus, ff. eod. l. nam tertium, xvi.

Filiis hæredibus ex æquis partibus Institutis, & postea fratris filio, pro duabus vnciis: vnum assem inter omnes videri factum placuit, & ex eo decem vncias filios accepisse. Tunc enim ex altero asse portio intelligitur relicta, cum asse nominatim dato, vel duodecim vnciis distributis residua portio non inuenitur, ff. de hæred. inst. l. qui non militabat, lxxviii. §. filiis hęredibus.

Lucio Titio ex duabus partibus, Publio Mæuio, ex quadrante scriptis hæredibus: as in dodrantem erit diuisus, modus enim duarum partium ex quadrante declaratur, d. l. qui non militabat. §. Lucio.

Si ita scriptum sit: SEMPRONIVS EX PARTE DIMIDIA HAERES ESTO: TITIVS SI NAVIS EX ASIA VENERIT EX PARTE TERTIA HAERES ESTO. IDEM TITIVS, SI NAVIS EX ASIA NON VENERIT EX PARTE SEXTA HAERES ESTO: Titius non ex duabus partibus hæres scriptus, sed sibi substitutus intelligi debet. Ideoque non ex maiori parte, quàm tertia scriptus videtur, ff. de bon. poss. secund. tabul. l. si ita scriptum, viii.

Si ita scriptum sit: SI MIHI FILIVS NATVS FVERIT, EX BESSE HAERES ESTO: EX RELIQVA PARTE VXOR MEA HAERES ESTO. SI VERO MIHI FILIA NATA FVERIT, EX TRIENTE HAERES ESTO: EX RELIQVA PARTE VXOR MEA HAERES ESTO: Et filius, & filia nati essent, dicendum est assem distribuendum in septem partes, vt ex his filius quatuor vxor duas, filia unam partem habeat, ff. de libe. & posthu. l. si ita scriptum, xiii. in prin.

Clemens testamento caueret, vt si sibi filius natus fuisset, hæres esset, si duo filii ex æquis partibus hæredes essent: & si duæ filiæ similiter: si filius, & filia filio duas partes filię, tertiam dederat: Duobus filiis, & filia natis quinque partes fieri oportet, vt ex his binas masculi unam fœmina accipiat, ff. de hæred. inst. l. clemens, lxxxi.

Si quis ita hæredem instituerit TITIVS QVA EX PARTE MIHI SOCIVS EST IN VECTIGALI SALINARVM, PRO EA PARTE MIHI HAERES ESTO: asse descripto, vel non descripto vtiliter Titius ex parte forte quarta, ex qua socius erat hæres institutus erit, ff. de hæred. inst. l. si liber, lix. §. si quis ita.

TITIVS

TITIVS HAERES ESTO, SEIVS ET MAEVIVS HAEREDES SVNTO: uerum est duos semisses esse, quorum alter coniunctim duobus datur, d.l. si liber, §. Titius.

Si ita scriptum fuerit TITIVS IMO SEIVS HAERES ESTO: Seius solus hæres erit: Sed si ita TITIVS HAERES ESTO, IMO SEIVS HAERES ESTO. Idem erit dicendum, ff. de hære. inst. l. si ita scriptum, xlv. aliàs xlvii. in princ.

Militis codicillis ad testamentum factis etiam hæreditas iure uidebitur dari. Quare si partem dimidiam hæreditatis codicillis dederit: testamento scriptus ex asse, partem dimidiam habebit: legata autem testamento data communiter debentur, ff. de milita. testamen. l. militis, xxxvi. in princip.

Qui ex residua parte hæres institutus est, quam alter hæres scriptus capere nõ poterat, isque ad nullam partem hæreditatis per conditionem suam admitti potuit: ex asse hæres extitit: nam residui commemoratio etiam totum admittit, C. de hæred. inst. l. secunda.

Si ex fundo fuisset aliquis solus institutus: ualet institutio, detracta fundi mentione, ff. de hæred. insti. l. prima, §. si ex fundo.

Si duo sint hæredes instituti, unus ex parte tertia fundi Corneliani, alter ex Besse eiusdem fundi: detracta fundi mentione, quasi sine partibus hæredes scripti hæreditate potientur, si modo uoluntas patrisfamiliàs manifestisime non refragetur, ff. eodem, l. quoties, nona. §. si duo, & l. sequen.

Ex facto proponebatur. quidam duos hæredes scripsisse, unum rerum prouincialium, Italicarum rerum alterum: Et cum merces in Italiam deuehere soleret, & pecuniam demisisset in prouinciam ad merees comparandas: eæque comparatæ sunt, uel uiuo eo, uel post mortem, nondum tamen in Italiam deuectæ. hæc Institutio non est repellenda, & si alius rerum prouincialium alius Italicarum rerum hæres scriptus fuerit, officioque iudicis attribuentur singulis res, quæ adscriptæ sunt: tamen erunt hæredes ex æquis partibus, quia nulla pars adscripta est. Quæ res facit, ut si in aliis facultatibus plus sit (in Italicis fortè, quàm in prouincialibus,) in aliis minus, & æris alieni ratio urgeat dici oporteat, imminutionem hæredes agnoscere, pro hęreditariis portionibus, hoc est pro semisse accepturi relictas res uice perceptionis. Proinde & si aliis fuerint legata relicta, contributio admittenda erit. ff. de hæredibus instituend. l. ex facto proponebatur. xxv.

Rerum autem Italicarum, uel prouincialium significatione, quæ res accipiendæ sint, uidendum est, & facit quidem totum uoluntas defuncti: ueruntamen hoc intelligendum erit: rerum Italicarum significatione eas contineri, quas perpetuò, quis ibi habuit, aut ita disposuit, ut perpetuò haberet. Alioquin si aliquo tempore, quid transtulit in alium locum, non ut ibi haberet, sed ut denuo ad pristinum locum reuocaret: neque augebit, quò transtulit, neque minuet unde transtulit. Italicarum igitur rerum credentur esse eæ res, quas in Italia esse testator uoluit. Proinde & si pecuniam miserit in prouinciam ad Merces comparandas, & necdum comparatæ sint; hæc pecunia Italico patrimonio adiungetur. Nam & si dedisset in prouincia de pecuniis, quas in Italia exercebat, ituras & redituras,

dicendum est, has quoque Italici patrimonii esse. Merces igitur istæ quæ comparatæ sunt, ut Romamueherentur: siue perfectæ sint eo uiuo, siue nondum, & siue sciuerit, siue ignorauerit ad eum hæredem pertinebunt, cui Italicæ res sunt ascriptæ, ff. de hæred. instit. l. ex facto, xxxv. in princip. & §. cum hæc ita.

Receptum est, rerum certarum hæredem institui posse, sed officio iudicis familiæ herciscundæ cognoscentis contineatur, & amplius nihil is, qui ex re substitutus est, quàm rem ex qua hæres scriptus est consequatur. Ita igitur res accipietur, (uerbi gratia) pone duos esse hæredes institutos, unum ex fundo Corneliano, alterum ex fundo Liboniano: & fundorum quidem alterum facere dodrantem bonorum, alterum quadrantem. erunt quidem hæredes ex æquis partibus, quasi sine partibus Instituti: ueruntamen officio iudicis continebitur, ut unicuique eorum fundus, qui relictus est, adiudicetur, uel attribuatur. Et onus alienum pro hæreditariis partibus agnoscetur. hoc est pro semisse. Quare si forte tantum sit æs alienum, ut nihil detracto eo superesse possit, institutiones istæ ex re factæ nullius erunt momenti. Et si forte Falcidia interueniens recisionem esset legatorum factura: hic officium iudicis recidit perceptiones istas: ut non plus quisque eorum habeat, quàm esset habiturus, si legatum accepisset, uel aliud, uel etiam præceptiones. Quod si fuerit incertum an Falcidia interuentura sit: officio iudicis cautiones interponendæ erunt, ff. de hæred. instit. d. l. ex facto, xxxv. §. dicebam, usque ad §. cum hæc ita.

Qui non militabat, bonorum maternorum Lucium hæredem instituit: paternorum, quæ habebat in Syria, Titium. iure semisses ambo habere constitit, Sed arbiter diuidendæ hæreditatis supremam uoluntatem (factis adiudicationibus, & interpositis propter actiones cautionibus) sequetur, soluta Falcidia: scilicet vt quod uice mutua præstetur, doli ratione quadranti retinendo compensetur, ff. de hæred. instit. l. qui non militabat, lxxviii. in princip.

Qui certe rei hæres instituitur, cohærede non dato bonorum omnium hæreditatem obtinet, ff. de vulg. l. cohæredi, xxxix. aliàs xli. §. fi.

Circa eos, qui ita hæredes instituti sunt EX PARTIBVS, QVAS SCRIPSERO, aut SI PARTES EIS ADSCRIPSERO, institutio recipitur (si uoluntas defuncti non refragatur,) nam partibus non scriptis, Ex æquis erunt hæredes, quasi duplici facta institutione; aliter, atque in illa institutione EX QVA PARTE METITIVS HAEREDEM SCRIPSIT: SEIVS HAERES ESTO: Tunc enim si non est à Titio scriptus, non Seius ab eo. nec immeritò, hic enim creditur inesse conditio: Item si scribat EX HIS PARTIBVS, QVAS ADSCRIPSI. nullis partibus adscriptis nulla erit Institutio; Quomodo in illo, EX HIS PARTIBVS EX QVIBVS TESTAMENTO MATRIS SCRIPTI FVERVNT HAEREDES SVNTO, si intestata mater decesserit, isti non erunt instituti, ff. de hæred. instit. l. circa eos secunda.

Si quis ita scripserit hæredē, EX QVA PARTE CODICILLIS TITIVM HAEREDEM SCRIPSERO, HAERES ESTO: etiā si pars in codicillis non fuerit adscripta: erit tamen hæres, quasi sine parte institutos, ff. eod. l. si quis ita, xxxvi.

Placet omnem masculum posse posthumum hæredem scribere: siue iam maritus

rus sit, siue nondum uxorem duxerit. Nã & cum maritus posthumum hæredẽ scribit, non utiq; is solus posthumus scriptus uidetur, qui ex ea, quã habet uxorem, ei natus est, uel qui tunc in utero est: uerum is quoque qui ex quacunque uxore nascatur, ff. de lib. & posth. l. iiii.

Qui posthumum hæredem instituit, si post testamentum factum mutauit matrimonium, is institutus uidetur, qui ex posteriore matrimonio natus est, ff. eod. l. tertia.

Et posthumum ex qualibet uidua natum sibi filium hæredem instituere potest, ff. eod. l. posthumum, xxvii.

Qui generare facilè non potest posthumum hæredem facere potest. Nam & uxorem ducere, & adoptare potest, & idem in spadone est: quoniam nec ætas, nec sterilitas ei rei impedimento est. Castratus autem posthumum hæredem instituere non potest, ff. de lib. & posth. l. sed est quæsitum, vi.

Hermaphroditus, si in eo uirilia præualebũt posthumum hæredem instituere potest, d. l. sed est quęsitum, §. fin.

Si ex ea, quæ alii nupta sit posthumum quis hæredem instituerit: ipso iure non ualet: quod turpis sit institutio. Sed si ex ea, quã nefas sit ducere posthumum hæredem instituerit, non rumpetur testamentum, ff. de libe. & posthu. l. si quis posthumos, ix. §. 1. & fi.

Generaliter nato post testamentum hærede scripto, aditus est ad hæreditatem: in qualicunque statu testamenti faciendi tempore fuit, quæ postea testatori iuridice nupta est, ff. de lib. & posthu. l. filius à patre, xxviii. §. si quis eo. uers. & generaliter.

Si per adoptionem sororem factam habeam: potero posthumum ex ea hæredẽ instituere: quia adoptione soluta possum eam postea uxorem ducere, ff. de libe. & posthu. l. si quis posthumo, ix. §. fi.

Mutus & surdus recte hæres institui potest, ff. de hære. inst. l. prima, §. mutus.

Is, qui apud hostes est, recte hæres instituitur: quia iure postliminii omnia iura ciuitatis in personam eius in suspenso retinentur, (uel non obrumpuntur) itaque si reuersus fuerit ab hostibus, poterit hæreditatem adire, ff. eod. l. illa institutio, xxxii. §. is, qui apud.

Si testator pronepotem nasciturum hæredem instituit. Et eadem die qua testamentum factum est. natus esset etiam ignorante testatore institutio iure facta uidetur, ff de lib. & posth. l. Titius testamento, xxv. §. Lucius.

Ii, quos nunquã testator uidit hæredes institui possunt ueluti si fratris filios peregrinantes ignorans qui essent, hęredes instituerit, ignorantia enim testantis inutilem institutionem non facit, Inst. de hæred. instit. §. fi. & C. eod. l. extraneum. xi.

Tactumeius Androsthenes Tactumeiam magnam filiam hæredem instituerat, rumore perlato, quod filia mortua esset mutauit testamentum, hac præfactione, QVIA HAEREDES, QVOS VOLVI MIHI CONTINGERE, HABERE NON POTVI, NOVIVS RVFVS HAERES ESTO: quia falsus rumor non solet obesse ex uoluntate testatoris subuentum est filiæ, & pronunciatum hæreditatem ad ipsam pertinere, sed legata ex posteriore testamento præstantur, perinde ac si in posterioribus tabulis ipsa fuisset hæres scripta, ff. de hæred. inst. l. vlt.

Quoties uolẽs alium hæredẽ scribere, alium scripserit in corpore hominis errãs, placet neque eum hæredem esse, qui scriptus est, quoniã uoluntate deficitur,

neque eum quem uoluit quoniam ſcriptus non eſt,ff.de hæred.inſt.l.quoties, ix. in princ.

Si teſtator Titium quaſi filium ſuum hæredem inſtituerit, quem falſa opinione ductus ſuum eſſe credebat, non inſtituturus,ſi alienum noſſet,iſq; poſtea ſubditus eſſe oſtenſus eſt, ſucceſsio eidem auferenda eſt, C.de hęred.inſt.l.ſi pater,iiii.

Si in nomine prænomine, ſeu cognomine teſtator errauerit: nec tamen de quo ſenſerit incertum ſit: error huiuſmodi, nihil officit ueritati, C. de teſtam.l.ſi in nomine,iiii.

Quidā teſtamentū faciens ita inſtituit SEMPRONIVS PLOTII HAERES ESTO. Si quidem ipſe teſtator Plotio cuidam hæres extitit: manifeſtum eſt ſibi Sempronium hæredem inſtituiſſe,ut per mediam ipſius teſtatoris perſonam,Plotii hæres efficiatur, & hoc argumentum ex antiqua regula, quæ uoluit hęredem hæredis teſtatoris eſſe hæredem. Sin autem nihil tale factum eſt: Superuacua & inanis eſt inſtitutio: niſi prius hærede Plotio ſibi inſtituto ſic adiecit. SEMPRONIVS PLOTII HAERES ESTO. Tunc etenim exiſtimandum eſt,eum dixiſſe, ſi non Plotius hæres ſibi fuerit, tunc Sempronium in totum partemve Plotii ex ſubſtitutione uocari: aliter nulla eſt inſtitutio cum non ſit ueriſimile in ſuum nomen quenquam erraſſe, C.de hæred. inſtit.l.finali.

Si in patre, uel patria, uel alia ſimili aſſumptione falſum ſcriptum eſt: dum de eo,qui demonſtratus ſit,conſtet: inſtitutio ualet,ff.de hæred.inſt.l.his uerbis, xlvi.aliàs,xlviii.§.ſi.

Qui frater non eſt, ſi fraterna charitate diligitur, rectè cum ſuo nomine ſub appellatione fratris inſtituitur,ff.eod.l.ſi is,qui lviii. in ſi.

Et non ideo minus uxor iure hæres uidetur inſtituta, quod non uxor, ſed affinis teſtamento nominata eſt,C.de hæred.inſt.l.non ideo, v.

Si quis nomen hæredis quidem non dixerit,ſed indubitabili ſigno eum demonſtrauerit,quod penè nihil a nomine diſtat: (non tamen eo, quod contumeliæ cauſa ſolet addi)ualet inſtitutio. Hæres enim inſtitui,niſi ſi certus demonſtretur,nemo poteſt,ff.de hæred.inſt.l.quoties,ix.§.ſi quis.

Si quis tamen ita dixerit VTER EX FRATRIBVS MEIS TITIO ET MAEVIO SEIAM VXOREM DVXERIT, EX DODRANTE: VTER NON DVXERIT EX QVADRANTE HAERES ESTO. rectè factam inſtitutionem certum eſt licet ex quaquis parte incertum eſt. Planè erit ſimilis inſtitutio,ſi ita facta fuerit VTER EX SVPRASCRIPTIS FRATRIBVS MEIS SEIAM VXOREM DVXERIT HAERES ESTO: & hæc ualebit quaſi ſub conditione facta, d.l. quoties, §. ſi quis tamen.

Nemo dubitat, rectè ita hæredem nuncupari poſſe, HIC MIHI HAERES ESTO: cum ſit coram,qui oſtenditur, ff.de hæred. inſtit.l. ſi is qui, lvi. aliàs lviii. in princ.

Illa inſtitutio ualet, FILIVS MEVS IMPIISSIMVS MALE DE ME MERITVS HAERES ESTO: Pure enim inſtituitur licet cum maledicto, ff. eod.l.his uerbis,xlviii.§. 1.

Si non in corpore errauerit teſtator,ſed in parte(puta cū dictaſſet ex ſemiſſe aliquē ſcribi,ex quadrāte ſit ſcriptus)pōt defendi ex ſemiſſe hæredem fore quaſi plus nuncupatum ſit,minus ſcriptum.Idemq; eſt & ſi forte teſtator minus ſcribat,

bat, cum plus uellet adſcribere. Sed ſi maiorem partem adſcripſerit teſtamentarius, uel (quod difficilius eſt probatu) ipſe teſtator. ut pro quadrante ſemiſſem, ex quadrãte hæres erit, quoniã inſit quadrãs in ſemiſſe: Sed & ſi quis pro centum ducenta per notam ſcripſit: Idem iuris eſt: nam & ibi utrũque ſcriptũ eſt: & quod uoluit, & quod adiectũ eſt, ff. de hære. inſt. l. quoties, ix. §. ſed ſi nõ.

In eo, qui conditionem deſtinans inſerere, nõ addidit. pro nõ inſtituto erit. Sed ſi conditionem addidit dũ nollet, ea detracta, hæres futurus eſt, nec nuncupatũ erit, quod contra uoluntatem ſcriptũ eſt, d. l. quoties, ix. §. tantundem.

Teſtamẽtarius cõtra uoluntatẽ teſtatoris cõditionẽ detraxit, uel mutauit, hæres nõ eſt futurus, ſed pro non inſtitutus habẽdus eſt, d. l. quoties, §. idem tractat.

Si cum primũ hæredem ex parte dimidia ſcribere deſtinaſſet, primũ & ſecũdum ſcripſit, ſolus primus ſcriptus uidebitur, & ſolus hęres exiſtet, quaſi ex parte dimidia inſtitutus, d. l. quoties. §. ſed ſi cum ff. de hæred. inſt.

Quoties non oportet quis hæres inſtitutus ſit: inſtitutio non ualet, quod planè prouenire poteſt, ſi teſtator cum plures amicos eodem nomine habeat, & ad deſignationem nominis ſingulari nomine utatur, niſi ex aliis apertiſsimis probationibus fuerit reuelatum, de qua perſona teſtator ſenſerit, ff. de hære. inſt. l. in tempus, lx. aliàs, lxii. §. quoties. Et quę in teſtamento ita ſunt ſcripta, ut intelligi non poſsint, perinde ſunt, ac ſi ſcripta non eſſent, ff. de reg. iur. l. quo tutela, lxxiii. aliàs, lxxiiii. §. quæ in teſtamento.

Illa inſtitutio QVOS TITIVS VOLVERIT, ideo uitioſa eſt, quod alieno arbitrio permiſſa eſt. nam ſatis conſtanter ueteres decreuerunt teſtamentorum iura ipſa per ſe firma eſſe oportere, non ex alieno arbitrio pendente, ff. de hæred. inſt. l. illa inſtitutio, xxxii. in princ.

Quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſt facto conualeſcere non poteſt, ff. de reg. iur. l. penult. Et omnia quæ ex teſtamento proficiſcuntur, ita ſtatum euentus capiunt, ſi initium fine uitio cœperint, ff. eod. l. omnia, ccii.

Si quis ita ſcripſerit SI TITIVS VOLVERIT, SEMPRONIVS HAERES ESTO non ualet inſtitutio, ff. eod. l. ſi quis, §. at quin, lxviii.

De captatoriis inſtitutionibus.

Captatoriæ inſtitutiones non eæ improbatæ ſunt, quæ mutuis affectionibus iudicia prouocauerunt, ſed quarum conditio confertur ad ſecretum alienę uoluntatis, ff. de hęred. inſt. l. captatorias, lxviii. aliàs lxx.

Item illę inſtitutiones captatoriæ non ſunt: ueluti ſi quis ita mę hæredem inſtituat, QVA EX PARTE TITIVS ME HAEREDEM INSTITVIT, EX EA PARTE MAEVIVS HAERES ESTO; quia in præteritum nõ in futurũ inſtitutio collata eſt, ff. eo. l. illæ autẽ, lxix. aliàs, lxxi.

Sed captatoria eſt, ſi ita ſcriptum ſit, SI TITIVS MAEVIVM TABVLIS TESTAMENTI SVI HAEREDEM A' SE SCRIPTVM OSTENDERIT, PRORAVERIT HAERES ESTO: d. l. illæ autem. §. ſed illud.

Si ita ſcripſerit teſtator. QVANTA EX PARTE ME A' TITIO HAEREDEM INSTITVTVM RECITASSEM, EX EA PARTE SEMPRONIVS MIHI HAERES ESTO: non eſt captatoria inſtitutio. Planè nullo recitato teſtamento ab ipſo teſtatore, inanis uidebitur inſtitutio, & remota ſuſpitione captatoriæ inſtitutionis, ff. de hæred. inſt. l. clemens, lxxxi. §. fi.

Nec apud peregrinos fratrem sibi quisquam per adoptionem facere potest, & si factum est, irritum erit, & portio hæreditatis, quam uelut adoptiuus frater hæres institutus tenet fratri naturali restituetur, C. de hæredi. institu. l. me apud, vii.

Imperatorem litis causa hæredem institui, inuidiosum est: nec enim calumniç facultatem, ex principali maiestate capi oportet, ff. de hæred. inst. l. penult. & In stit. quib. mod. test. infir. §. fi.

DE CONDITIONIBVS INSTITVTIONVM. *Titulus IIII.*

HAeres, & pure & sub conditione institui potest: ex certo tempore, aut ad certum tẽpus non potest: veluti post quinquennium, quàm moriar, uel ex Kalendis illis, vel vsq; ad Kalendas illas hæres esto: denique diem adiectum haberi pro superuacuo placet, & perinde esse, ac si pure hæres institutus esset, Inst. de hæred. inst. §. hæres, & ff. eod. l. hæreditas, xxxiiii.

Extraneum etiam, cum morietur, sibi hæredem scribi placuit, C. de hæred. inst. l. extraneum, ix.

TITIVS SI STATVAS IN MVNICIPIO POSVERIT HAERES ESTO. Si paratus est ponere: licet locus a municipibus ei non datur: Sabinus, Proculus, hæredem eum fore: & in legato idem juris esse dicunt, ff. de condit. & demon. l. Titius, xiiii.

Cum in testamento scriptum erat, VT ALIQVID IN FORO FIAT neque adscriptum erat, in quo foro: Labeo ait, si non appareat quid mortuus senserit: in eius municipii foro faciendum, in quo is, qui testamentum fecit, domicilium habuerit, ff. eod. l. quæ conditio, xxxix, §. fi.

Hæc scriptura SI VIGINTI DEDERIT, AVT IVRAVERIT SE ALIQVID FACTVRVM, unam conditionem exprimit habentem duas partes, quare quicunque hæres scriptus erit, sub conditione SI IVRAVERIT SE DECEM DATVRVM, AVT MONVMENTVM FACTVRVM: quamuis uerbis edicti ad hęreditatem, uel legatum admittatur tamen compellitur facere id, quod facturum se iurare iussus est solo iureiurando remisso, ff. eod. l. hæc scriptura, xxvi.

In testamento quidem scripserat, ut sibi monumentum ad exemplum eius, quod in uia Salaria esset Publii Septimii Demetrii, fieret; & nisi factũ esset hęredes magna pecunia multarentur, & cum id monumentum Publii Septimii Demetrii nullum reperiretur, sed Publii Septimii Damæ esset, ad quod exemplum suspicabantur eum, qui testamentum fecerat, monumentum sibi fieri uoluisse: querebant hæredes cuiusmodi monumentum se facere oporteret: & si ob eam rem nullum monumentũ fecissent, quia non reperiretur, ad quod exemplum facerent, num pœna tenerentur? Responsum est, si intelligeretur, quod monumentum demonstrare uoluisset is, qui testamentum fecisset: tametsi in scriptura ita non esset: tamen ad id, quod ille se demonstrare animo sensisset, fieri debere. Sin autem uoluntas eius ignoraretur: pœnam quidem nullam uim habere, quoniam ad quod exemplũ fieri iussisset monumentum, id nusquam extaret: tamen omnimodo secundum substãtiam, & dignitatem defuncti extrui debere, ff. eod. l. in testamento, xxvii.

Quæ

Quæ conditio ad genus personarum, non ad certas, & notas personas pertineat: eam existimamus totius esse testamenti, & ad omnes hæredes institutos pertinere. at quæ conditio ad certas personas accommodata fuerit: eam referre debemus ad eum duntaxat gradum, quo hæ personæ institutæ fuerunt, ff. eod. d.l. quæ conditio, xxxix.

Lucius Titius ita testamentum fecit, AVRELIVS CLAVDIVS NATVS EX ILLA MVLIERE SI FILIVM MEVM ESSE SE IVDICI PROBAVERIT HAERES MIHI ESTO. Paulus respondit, filium de quo quæreretur, non sub ea conditione institutum uideri, quæ in potestate eius esset, & ideo testamentum nullius esse momenti, ff. eod. l. Lucius, lxxxii. aliàs, lxxxiii.

DE HAEREDVM QVALITATE, ET DIFFERENTIA.
Titulus V.

HAeredes dicuntur aut sui, & necessarii, aut extranei. sui autem & necessarii hæredes sunt; ueluti filius, filia, nepos, neptisve ex filio, & deinceps cæteri liberi, qui modo in potestate morientis fuerint. Sed ut nepos, neptisve sui hæredes sint, non sufficit eum eamve in potestate aui mortis tempore fuisse: Sed opus est, ut pater eius, uiuo patre suo desierit suus hæres esse; aut morte interceptus, aut qualibet alia ratione liberatus à patris potestate. Tunc enim nepos, neptisve in locum patris sui succedit, Inst. de hæred. qual. in princ. & §. sui autem.

Sed sui quidem hæredes ideo appellantur, quia domestici hæredes sunt, & uiuo quoque patre quodammodo domini existimantur: Vnde etiam si quis intestatus moriatur prima causa est in successione liberorum. Necessarii uero ideo dicuntur, quia omnimodo siue uelint, siue nolint, tàm ab intestató, quàm ex testamento ex lege xii. tabularum hæredes fiunt. Sed his prætor permittit uolentibus se abstinere ab hęreditate, ut potius parentis, quàm ipsorum bona similiter a creditoribus possideantur, Inst. eod. §. sed sui quidem.

Necessariis hæredibus, non solum impuberibus, sed etiam puberibus abstinendi ab hæreditate potestas datur, ut quamuis creditoribus hæreditariis iure ciuili teneantur: tamen in eos actio non detur, si uelint relinquere hæreditatem. Sed impuberibus quidem, etiam si se immiscuerint hæreditati, præstatur abstinendi facultas: Puberibus autem ita, si se non immiscuerint, sed tamen & puberibus minoribus xxv. annis si temere damnosam hæreditatem parentis appetierint, ex generali edicto (quod est de minoribus xxv. annis) succurritur: cum & si extranei damnosam hęreditatem adierint, ex ea parte edicti in integrum restituuntur, ff. de acqu. hæred. l. necessariis, lvii.

Suis hæredibus ita institutis SI VOLVERINT HAEREDES ESSE non permittitur amplius abstinere se hæreditate: cum ea conditione instituti iam non ut necessarii, sed sua sponte hæredes extiterint. Sed & cæteris conditionibus, quæ in ipsorum sunt potestate, si sui pareant: ius abstinendi adsequi non debent, ff. de hæred. inst. l. iam dubitari, lxxxiiii. aliàs lxxxvi. §. fi.

Si filius, priusquàm sciret se necessarium extitisse patri hæredem decesserit, relicto filio necessario; permittendum est nepoti abstinere se aui hæreditate: quia & patri eius idem tribueretur, ff. de acquir. hæredit. l. si quis filium, vii. §. si filius.

Si pupillus paterna hæreditate se abstinuisset, deinde ei aliquis hæres extitisset: non compellitur paternis creditoribus satisfacere, impugnaretur enim utilitas pupilli, qui ipse saltem potest habere successorem: metu enim onerum patris timidius, quis etiam impuberis hæreditatem adibit. alioquin & si frater fuit, omissa causa testamenti ab intestato possidebit hæreditatem, & quidem impune. nec enim uidetur uoluisse fraudare edictum, qui sibi prospicit, ne oneribus patris pupilli hæreditas implicetur: Sed quod in fratre scriptum est, ita intelligitur, si non impuberis frater fuit, sed testatoris. cæterùm utique si frater à patre fratri impuberi substitutus sit: sine dubio necessarius hæres existet, ff. de acqu. hæred. l. Iulianus, xlii. in princ.

Defendente tutore, pupillus condemnatus ex contractu patris, accepit curatorem; qui in iudicio dixit abstineo pupillum: & responsum est, abstentum esse, ff. de aucto. tut. l. penult.

Si pupillus parenti suo hæres extitit, & fideicommissam hæreditatis partem restituit, mox abstinet paterna hæreditate; optio deferendo est fideicommissario, ut aut portionem quoque pupilli agnoscat, aut toto discedat: aut omnimodo bona uendenda sunt, ut id, quod pupillo superfluum est, pupillo seruetur; & si in solidum bona uenire non possunt, omnimodo actiones fideicommissario denegandæ erunt, erat enim in potestate illius uniuersum suscipere, & si quid plus esset pupillo seruare, ff. ad Senat. cons. Treb. l. si pupillus, lxxix.

Sub conditione filius hæres institutus, si pendente conditione arrogandum se dederit, necessarius hæres non erit, ff. de lib. & posth. l. sub conditione, xx.

Aperturæ tabularum dilatio necessarii hæredis ius non mutat, ut solet in substituto impuberi dici. Nam est relatum, si se arrogandum dederit substitutus impuberi defuncto filius: necessarium eum fore, ff. de hæred. inst. l. iii. §. fi.

Si fratris tui filius mortis tempore, in patris sui fuit potestate, siue ex asse hæres institutus est, siue ex parte nihilominus statim suus ei hæres existit: nec ea propter, quòd intra paucos dies mortis patris sui concesit in fatum, tu ad eiusdem fratris tui potes accedere successionem. Quòd si cum sui iuris esset, ante aditam hæreditatem decesit, tuque fratri tuo legitimus hæres extitisti, seu intra tempora edicto prẹfinita bonorum possesionem agnouisti, quæ facultatum hẹreditariarum sunt, uel quẹ ab alio iniuria detinentur, tibi restituentur, C. de iure delib. l. iii.

Cæteri, qui testatoris iuri subiecti non sunt, extranei hæredes appellantur, Inst. de hæred. qual. §. cẹteri.

In extraneis hæredibus illud obseruatur, ut sit cum eis testamenti factio, siue hæredes ipsi instituantur, siue hi qui in potestate eorum sunt, & id duobus temporibus inspicitur testamenti quidem facti tempore, ut constiterit institutio: mortis uero testatoris, ut effectum habeat. Hoc amplius, & cum adit hæreditatem esse debet cum eo testamenti factio: siue pure, siue sub conditione hæres institutus sit. Nam ius hæredis eò maxime tempore inspiciendum est, quo acquirit hæreditatem: Medio autem tempore inter factum testamentum, & mortem testatoris, uel conditionem institutionis existentem mutatio iuris non nocet hæredi; quia ut supra tria tempora inspici debent, Inst. de hæred. qual. §. in extraneis, & ff. de hæred. inst. l. si alienum, xlix. aliàs xlvii. §. in extraneis, & in fi. & l. sed & si 6. §. solemus, & l. si liber homo, lvii. aliàs lix. §. si hæres.

In tempus capiendæ hæreditatis institui hæredem posse, beneuolẽtiæ est, ueluti LVCIVS TITIVS CVM CAPERE POTVERIT, HAERES ESTO:

idem

idem & in legato, ff. de hæred. inst. l. in tempus, lx. aliàs, lxii. §. si hæres.

Si quis solidum à lege capere non posſit, & ex aſſe sit institutus ab eo, qui soluendo non eſt: ex aſſe hæres erit: legi enim locum non eſſe in ea hæreditate, quæ soluendo non eſt, ff. eod. l. si quis solidum, lxx. aliàs lxxii.

Testamenti autem factionem non solum is habere uidetur, qui testamentum facere poteſt: sed etiam, qui ex alieno testamento capere poteſt, licet non posſit facere testamentum: & ideo furiosus, & mutus, & posthumus, & infans, & filiusfamiliàs testamenti factionem habere dicuntur: licet enim testamētum facere non posſint, attamen ex testamento acquirere poſſunt, Inst. de hæred. qual. §. testamenti autem.

DE IVRE DELIBERANDI, ET INVENTARIO CONFICIENDO.

Titulus VI.

Extraneis hæredibus deliberandi poteſtas eſt, de adeunda hæreditate, uel non adeunda. Sed siue is: cui abſtinendi poteſtas eſt, immiſcuerit se bonis hæreditatis: siue extraneus, cui de adeunda hæreditate deliberare licet, adierit, poſtea relinquendæ hæreditatis facultatem non habet, nisi minor sit xxv. annis, nam huius ætatis hominibus, ſicut in cęteris omnibus causis, deceptis, ita etsi temere damnoſam hæreditatem ſuſceperint, Prætor ſuccurrit: Inst. de hæred. qual. §. extraneis, & C. de repudiand. hęred. l. iiii. & ff. de acquir. hære. l. impuberibus, xi.

Ei, qui se non immiſcuit hæreditati paternæ: siue maior sit, siue minor: non eſt neceſſe prætorem adire, sed sufficit se non immiſcuiſſe hæreditati, ff. de acqu. hæred. l. ei qui, xii.

Eum demum bonis patris se miſcere conuenit, qui remoto familiæ uinculo pro hærede gerere uidetur. Et ideo filius, qui tanquam ex bonis matris, cuius hæreditatem ſuſcepit, agrum ad hæreditatem patris pertinentem, ut maternum ignorans poſſedit: abſtinendi conſilium, quod in bonis patris tenuit, amiſiſſe non uidetur, ff. de acqui. hære. l. eum demum, lxxxvi. aliàs, lxxxvii.

Si paterna hæreditate filium abſtinuiſſe cōſtiterit, & non ut hæredem in domo, sed ut inquilinum, vel cuſtodem, uel ex alia iuſta ratione habitaſſe liquido fuerit probatum: ex perſona patris conueniri prohibetur, C. de repud. hæred. l. prima. Et non hoc, an tenuerit quis res hæreditarias, nec ne, ſine uoluntate adquirendæ ſibi hæreditatis, quærendum eſt: sed an admiſit hæreditatem, C. unde legitimi, l. quarta.

Si in ſocietate, quam uiuo patre inchoauerat filius, poſt mortem patris perſeuerauerit; intereſt, utrum rem cœptam ſub patre perficiat, an nouam inchoauerit. nam ſi quid noui in ſocietate inchoauit: non uidetur ſe immiſcuiſſe hæreditati patris, ff. de acqu. hæred. l. Iulianus, xlii. §. ſi in ſocietate.

Duo fratres fuerunt, & bona communia habuerunt, eorum alter inteſtato mortuus, ſuum hæredem non reliquerat: frater, qui ſupererat, nolebat ei hæres eſſe: reſponſum eſt; ob eam rem, quod communibus (cum ſciret eum mortuum eſſe) uſus eſſet, hæreditati non ſe alligaſſe: niſi eo conſilio uſus eſſet, quod uellet ſe hæredem eſſe: Itaque cauere debet, ne qua in re plus ſua parte dominationem interponeret, ff. de acquiren. hæredit. l. duo fratres, lxxvii. aliàs lxxviii.

Ait Prætor. SI TEMPVS AD DELIBERANDVM PETET, DABO: cum dicit tempus, nec adiecit diem: sine dubio ostendit esse in iusdicẽtis potestate, quem diem præstituat, ff. de iur. delib. l. prima. §. fi.

Si testamento iure facto, uel ab intestato legitima delata successio est: Rector Prouinciæ aditus, si hæreditati nec dum sunt obligati, eos an hęredes sint, interrogare debebit; ac si tempus ad deliberandum petierint moderatum statuet, C. de iure delib. l. si curatoris nona. Sed pauciores, quàm centum dies, non sunt dandi, ff. eod. l. secunda.

Nec non illud sciendum est: nonnunquam semel, nonnunquam sæpius diem ad deliberandum dandum esse: dummodo prætori suadeatur tempus, quod primum aditus præstituerat, non suffecisse. Sed hoc impetrari non debet, nisi ex magna causa, ff. eod. l. iii. cum l. seq.

Si plures gradus sint hęredum institutorum: per singulos obseruatur, uidelicet ut à primo quoque ad sequentem translata hæreditate, quàm primum inueniat successorem, qui possit defuncti creditoribus respondere, ff. de iur. deliberan. l. si plures, x.

Non solum creditoribus, sed etiam hæredi instituto, prętor subuenire debet, hisque copiam instrumentorum inspiciendorum facere: ut proinde instruere se possint expediat, nec ne, agnoscere hæreditatem, ff. de iu. delib. l. quinta in princ. & ff. de acqu. hæred. l. aristo. xxviii.

Ait Prætor: SI PVPILLI PVPILLAEVE' NOMINE POSTVLABITVR TEMPVS AD DELIBERANDVM, AN EXPEDIAT EVM HAEREDITATEM RETINERE, ET HOC DATVM ERIT: SI IVSTA CAVSA ESSE VIDEBITVR, BONA INTEREA DEMINVI, NISI CAVSA COGNITA BONI VIRI ARBITRATV, VETABO. Meritò prætor impedit interim deminutionem, quandiu nomine pupilli petitur tempus ad deliberandum, ff. de iu. delib. l. ait Prætor, vii. in princ.

In causæ cognitione hoc uertitur, an iusta causa sit. ut diminuere Prætor permittat. Ergo & funeris causa deminui permittet. item eorum, quæ sine piaculo non possunt pręteriri, uescendi gratia æquè diminui permittet, sed & ubi urget, ex aliis quoque causis permittere eum oportet: ut ædificia sarciantur. ne agri inculti sint. si qua pecunia sub pœna debetur, ut restituatur, ne pignora distrahantur. ex aliis quoque iustis causis prætor aditus deminutionem permittit. neque enim sine permissu eius debet deminutio fieri, d. l. septima §. in causę.

Si maior sit hæreditas, & deliberat hæres, & res sunt in hæreditate, quæ ex tractu temporis deteriores fiunt: adito prætore potest is, qui deliberat, sine præ iudicio eas iustis pretiis uendere. qui possit etiam ea, quæ nimium sumptuosa sint, ueluti iumenta aut uenalicia, item ea, quæ mora deteriora fiant, uendere: quique præterea curaturus sit, ut æs alienum, quod sub pœna, uel sub prætiosis pignoribus debeatur, soluatur, ff. de iure delib. l. quinta. §. si maior.

Filius, dum deliberat alimenta habere debet ex hæreditate, ff. eod. l. nona.

Ii quidem in hæreditate sit uinum, oleum, frumentum, numerata pecunia; inde fieri debebunt impendia. si minus; à debitoribus hæreditariis exigenda pecunia, quòd si nulli sint debitores, aut iudicem prouocent: uenire debent res superuacuę, ff. de iure delib. l. igitur, vi.

His uerbis DEMINVI VETABO; prætor non tantum alienationem impedit

pedit

pedit, uerum etiam actiones exercere non patitur; Est enim absurdum, ei cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere, ff. eodem l. ait prætor, septima, §. quid sit.

Eum, qui metu uerborum, uel alio timore coactus fallens adierit hæreditatem: hęredem fieri non placet, ff. de acquir. hære. l. vi. §. fi. Item nec emere, nec donatum adsequi, nec damnosam quisque hęreditatem adire compellitur, C. de iure delib. l. nec emere, xvi.

Si quis, uel ex testamento, vel ab intestato uocatus, deliberationem meruerit: uel si hoc quidem non fecerit, non tamen successioni renunciauit, ut ex hac causa deliberare uideatur. Sed nec aliquid gesserit, quod aditionem, uel pro hærede gestionem inducat prædictum arbitrium in successionem suam transmittit: ita tamen ut unius anni spatio eadem transmissio fuerit conclusa. Si uero ipse postquam testamentum fuerit insinuatum, uel ab intestato, uel ex testamento, uel aliter ei cognitum sit hæredem uocatum fuisse. annali tempore translapso nihil fecerit, ex quo uel adeundam, uel renuntiandam hæreditatē manifestauerit; is cum successione sua ab huiusmodi beneficio excluditur, Sin autem instante annali tempore decesserit: reliquum tempus pro adeunda hæreditate suis successoribus, sine aliqua dubietate relinquet quo completo. nec hæredibus eius alius regressus in hæreditatem habendam seruabitur, C. eod. l. cum in antiquioribus, xix.

Sicut maior xxv. annis, antequam adeat, delatam repudians successionem, post quærere non potest: ita quæsitam renunciando nihil agit, sed ius, quod habuit, retinet: nec quòd confessos in iure pro iudicatis haberi placuit, ad uocē repudiantis hæreditatem, sed ad certam quantitatem deberi confitentē pertinet, C. de repud. hæred. l. quarta.

Si quis hęres recusauerit paternam hæreditatem, deinde maluerit eam adire: siquidem res iam uenditæ sunt, nullus aditus ei ad hæreditatem reseruatur: sin autem res alienatæ non sunt. siquidem maior annis constitutus est, & tempora restitutionis nulla ei supersunt: intra trium annorum spatium tantummodo ei datur licentia, Sin autem uel minor est, uel inutili tempore constitutus: tunc post implectum quadriennium, aliud triēnium ei indulgetur, intra quod potest rebus in suo statu manentibus adire hæreditatem, & suam abdicationē reuocare: quo tempore translacto nullus aditus penitus ad paternam hæreditatem reseruatur: nisi forte adhuc eo in minore ætate constituto, res uenditæ sint. Tunc enim per in integrū restitutionē nō denegatur ei adire hæreditatē, & res recuperare, & creditoribus paternis satisfacere, C. de repud. hęre. l. fi.

De beneficio legis, & inuentarii.

Cum hæreditas ad quendam, siue ex testamento, siue ab intestato sit delata, siue ex asse, siue ex parte: siquidem recta uia adire maluerit hæreditatem, & spe certissima hoc fecerit, uel sese immiscuerit, ut non postea eam repudiet: nullo indiget inuentario, cum omnibus creditoribus suppositus est, utpote hæreditate ei ex sua uoluntate infixa. Similique modo si non titubante animo respuendam, uel abstinendam esse crediderit hæreditatem. & apertissime intra trium mensium spacium, ex quo ei cognitum fuerit scriptum se esse, uel uocatum hæredem, renunciet: nullo nec inuentario faciendo, nec alio circuitu expectando sit alienus huiusmodi hæreditate, siue onerosa, siue lucrosa sit, C. de iure delib. l. fi. §. cum igitur.

Si

Si dubius eſt,utrum ne admittenda ſit,nec ne defuncti hæreditas: non putet ſibi eſſe neceſſariam deliberationem, ſed adeat hęreditatem, uel ſeſe immiſceat: omni tamen modo inuentariũ ab ipſo conficiatur, vt intra triginta dies poſt apertas tabulas,vel poſtquam nota fuerit ei apertura tabularum,vel delatam ſibi ab inteſtato hæreditatem cognouerit,numerandos, exordium capiat inuentarium ſuper his rebus,quas defunctus mortis tempore habebat,& hoc inuentarium intra alios ſexaginta dies modis omnibus impleatur, ſub præſentia tabulariorum,cœterorumque,qui ad huiuſmodi confectionem neceſſarii ſunt. Subſcriptionem tamen ſupponere hæredem neceſſe eſt, ſignificantem & quãtitatem rerum, & quòd nulla malignitate circa eas ab eo facta, uel facienda,res apud eum remaneãt,vel ſi ignarus ſit literarum, uel ſcribere præpediatur: ſpeciali tabulario ad hoc ſolum adhibendo, ut pro eo literas ſupponat, venerabili ſigno antea manu hæredis præpoſitio: teſtibus uidelicet aſſumendis,qui hæredem cognoſcant,& iubente eo tabularium pro ſe ſubſcribere interfuerint. Sin autem locis, in quibus res hæreditariæ, vel maxima pars earum poſita eſt,hæredes abeſſe contigerit: tunc eis unius anni ſpaciũ a morte teſtatoris numerandum datur ad huiuſmodi inuentarii conſummationem;ſufficit enim præfatum tempus,etſi longiſsimis ſpaciis diſtant tamen dare eis facultatem inuentarii conſcribendi,vel per ſe, vel per inſtructos procuratores in locis,ubi res poſitæ ſunt,mittendos,d.l.fi.§.ſinautem dubius.

Etſi præfatam obſeruationem inuentarii faciendi ſolidauerint, hæreditatem ſine periculo habeant, & legis Falcidiæ aduerſus legatarios utuntur beneficio: ut in tantum hæreditariis creditoribus teneantur, in quantum res ſubſtantiæ deuolutæ ad vos valeant,& eis ſatisfaciant,qui primi ueniant creditores, & ſi nihil reliquum eſt: poſteriores venientes repellantur, & nihil ex ſua ſubſtantia penitus hæredes amittant: ne dum lucrum facere ſperant, in damnum incidant. Sed & ſi legatarii interea venerint, & eis ſatisfaciant ex hæreditate defuncti,uel ex ipſis rebus,vel earũ forſitan uenditione, d.l. fi.§. etſi præfatã.

Sin uero creditores,qui & poſt emenſum patrimonium, necdum completi ſunt, ſuperueniant,nec ipſum hæredem inquietare conceditur, neque eos, qui ab comparauerint res, quarum precia in legata, vel fideicommiſſa, vel alios creditores proceſſerunt. Licentia creditoribus non deneganda aduerſus legatarios uenire,& vel hypothecis,vel indebiti condictione,uti,& hæc, quæ acceperint recuperare: cum ſatis abſurdum ſit, creditoribus quidem ius ſuum perſequentibus legitimum auxilium denegari,legatariis uero,qui pro lucro certãt partes ſuas leges accommodare, d.l.fi.§.ſin uero creditores.

Sin uero hæredes res hęreditarias creditoribus hæreditariis pro debito dederint in ſolutum, uel pro dationem pecuniarum ſatis ei fecerint, licebit aliis creditoribus,qui ex anterioribus ueniunt hypothecis aduerſus eos uenire, & a poſterioribus creditoribus ſecundum leges eas abſtrahere,vel per hypothecariam actionem,uel conditionem ex lege. niſi uoluerint debitum eis offerre. Contra ipſum tamen hæredem (ſecundum quod ſępius dictum eſt) qui quantitatem rerum hęreditariarum expendit nulla actio extenditur. Sed nec aduerſus emptores rerum hæreditariarum, quas ipſe uendidit pro ſoluendis debitis,uel legatis uenire alii conceditur: cũ ſatis anterioribus creditoribus prouiſum ſit,uel ad poſteriores creditores,uel ad legatarios proueniẽtibus, & ius ſuum perſequentibus,d.l.fi.§.ſin uero hæredes.

In computatione patrimonii datur hæredi licentia excipere, & retinere, quid-

quid

quid in funus expendit, uel in testamenti insinuationem, uel inuentarii confectionem, uel in alias necessarias causas hereditarias approbauerit se persoluisse. Si uero, & ipse aliquas contra defunctum habebat actiones, non eæ confundantur, sed similem cum aliis creditoribus per omnia habens fortunam: temporum tamen prærogatiua inter creditores seruanda, d. l. fina. §. in computatione.

Licentia danda creditoribus, seu legatariis, uel fideicommissariis, si maiorem putauerint esse substãtiam à defuncto derelictam, q̃ hæres in inuentario scripsit, quibus uoluerint legitimis modis, quod superfluum est approbare, etiam per sacramentum hæredis, si aliæ probationes defecerint, ut undiq; ueritate exquisita, neq; lucrum, neque damnum aliquod hæres sentiat ex huiusmodi hæreditate. Illo uidelicet obseruando, ut si ex hæreditate aliquid hæredes subripuerint, uel cælauerint, uel amouendum curauerint: postquam fuerint conuicti, in duplum hoc restituere, uel hæreditatis quantitati computare compellantur, d. l. fin. §. licentia.

Donec tamen inuentarium conscribitur, uel si res præsto sint, intra tres menses, uel si absuerint, intra annale spacium secundum anteriorem distinctionem: nulla erit licẽtia, neque creditoribus, neque legatariis, uel fideicommissariis, eos uel inquietare, uel ad iudicium reuocare, uel res hæreditarias quasi ex hypothecarum autoritate uindicare, sed sit hoc spacium ipso iure pro deliberatione hæredibus concessum, nulloque ex hoc interuallo creditoribus hæreditariis circa temporalem præscriptionem præiudicio generãdo, d. l. fi. §. donec.

Sin uere postquam adierint, uel sese immiscuerint, præsentes, uel absentes inuentarium facere distulerint, & datum tempus ad inuentarii confectionem effluxerit: Tunc ex eo ipso, quod inuentarium non fecerint, & hæredes esse omnimodo intelliguntur, & debitis hæreditariis insolidum tenentur, nec legis beneficio perfruantur, quam contemnendam esse censuerunt, d. l. fina. §. sin uere postquam.

Sin uero quidam, uel uana formidine, uel callida machinatione, quatenus eis liceat annale tempus tergiuersari, & hæreditatem inspicere, & ideo deliberationis tempus uoluerint accipere: ne quis putet antiquitatem contemni, indulgetur eis petere deliberationem, uel à principe, uel a iudicibus: non tamen amplius à principe uno anno, à iudicibus uero nouem mensibus: semel enim & non sæpius ea peti conceditur, d. l. fi. §. & hęc quidem uers. sed quia quidam.

Sin autem hoc aliquis fecerit, idest deliberationem petierit, & inuentarium conscripserit (necesse est enim omnimodo deliberantem inuentarium cum omni subtilitate facere) non licebit ei post tempus præstitutum (si non recusauerit hæreditatem, sed adire maluerit) legis uti beneficio, sed in solidum secũdum antiqua iura omnibus creditoribus tenebitur, d. l. fi. §. sin autem hoc aliquis.

Si quis autem temerario proposito deliberationem quidem petierit, inuentarium autem minime conscripserit, & uel adierit hæreditatem, uel minime eã repudiauerit: non solum creditoribus insolidum tenebitur, sed etiam legis Falcidiæ, beneficio minime utetur, d. l. fi. §. si quis autem temerario.

Quod si post deliberationem recusauerit, inuentario minime conscripto: tunc res hæreditarias creditoribus, uel his, qui ad hæreditatem uocantur a legibus, reddere compellitur: quantitate earum sacramento, res accipientium manifestanda cum taxatione tamen a iudice statuenda, d. l. fi. & d. §. si quis, uers. quod si post deliberationem.

De inuẽtario ex nouella cõstitutione prima.

Illud additur constitutioni legis finalis, ut oporteat hæredem, qui non tantũ creditores, sed etiã legatarios ueretur, metuitq; nõ tantũ ne quid dãni accipiat, sed etiam ne careat lucro, assumere omnes omnino legatarios, & fideicõmissarios quotcunque in ciuitate præsentes sunt, aut certè, qui uicem eorum gerant, si fortè uel personarum natura, uel dignitas, uel qualitas, uel ætas, uel etiam quæuis necessitas facultatem illis in faciendo inuentario absentiæ prębeat, Nouel. Const. prima. §. Fiat igitur.

Si qui uerò abfuerint, eius rei testes ex fide dignissimi in ea ciuitate, quiq; ibi rẽsoli possideant, nec malæ existimationis sint, non pauciores, quàm tres accedant (quod enim ad eam rem pertinet, tabulariis solis fides non habetur) coram quibus inuentarium fieri conuenit: quo magis redeuntibus aliquando legatariis, & forte quærentibus subtractum esse, quid rerum, aut in inuẽtario non expressum, integrum sit iuramento, tàm hæredis, q̃ testium, qui se actis affirment interfuisse, spectasseq; quę tunc gerebantur, neq; conscios esse ullius ab hęrede perpetrati maleficii, rem ipsam inquirere, & ueritatem de his, quæ mortis tempore testator in bonis habuit inuenire: At si fortè legatarii præsentes, aut contestatione sibi præmissa uenire, & cõficiendo inuentario adesse noluerint: tunc impune erit hæredi, si uel legatariis non accedentibus, testiũ præsentia contentus, inuentarium faciat, reposito & istis legatariis iuramento hęredis. Atque his omnibus obseruatis beneficium habebit Falcidiæ, Nouell. Constitu. prima. § fiat autem inuentarium.

Enimuero si inuentarium hac forma, non fecerit, non retinebit Falcidiam, sed legatariis, & fideicommissariis satisfaciet: tametsi legatorum præstatio puræ substantiæ defuncti modum excesserit. Neq; ex hac, lex finalis, C. de iure deliberan. erit correcta, qua disponitur, ne quid per creditores dãni hęredibus afferatur in rebus suis, præstabit enim, ut pœnam suæ improbitatis luet, ex eo, quod leges transgressus sit, cum licuisset illi cautè, omnia agenti non solum nihil sentire damni, sed etiam per contrarium ea, quæ lege Falcidia deferuntur lucri facere, d. Nouel. Const. prima, §. enimuero.

DE ACQVIRENDA HAEREDITATE.

Titulus VII.

Nihil aliud est hæreditas, quàm successio in uniuersum ius, quod defunctus habuit, ff. de uerb. signi. l. nihil, xxiiii.

Hæreditatis appellatio sine dubio continet etiam damnosam hæreditatem, quia iuris nomen est, ff. eo. l. hæreditatis xviii. alias xix.

Hæreditas personæ uice fungitur, sicuti municipium, & curias, & societas, ff. de fideiuss. l. mortuo. xxii. aliàs xxiii. in fi.

Item nonnunquam adita hæreditas personæ uicem sustinet, non hæredis futuri, sed defuncti, Inst. de hæred. instit §. seruus.

Hæres quandoque hæreditatem adeundo, iam tunc à morte successisse defuncto intelligitur, ff. de acqu. hęre. l. hæres, liiii.

Item omnia ferè iura hæredum perinde habentur, ac si continuò sub temporis morte hęredes extitissent, ff. de reg. iur. l. omnia, cxciii.

Hæres in oẽ ius mortui, non tantũ singularum rerum dominiũ succedit; cũ & ea, quę in nominibus sunt, ad hęredẽ transeant, ff. de acquir. hęre. l. hæres, xxxvii.

Qui hæreditatem adire uolet, certus esse debet, defunctum esse testatorem, ff. eo. l. qui hæreditatem, xix.

Hæreditatum duplex conditio est, nam uel ex testamento, uel ab intestato ad nos pertinent, Inst. per quas perso. §. fi.

In plurium hæredum gradibus hoc seruandum est, ut si testamentum proferatur, prius a scriptis incipiatur, deinde transitus fiat ad eos, ad quos legitima hæreditas pertinet: et si idem sit, ad quem utroque modo pertineat. nam hoc gradatim consequitur, ut prius ex testamento delatam, deinde legitimam repudiat. Si uerò, ei ad quem legitima hæreditas potest pertinere, conditio data sit: nihil cõstituere potest de legitima, antè quàm dies conditionis transeat, & ideo dicendum est, & in eo casu, si respondit, neutram hæreditatem ad se uelle pertinere: bona defuncti à creditoribus posidenda, ff. de acquir. hæred. l. in plurium, lxix. aliàs lxx.

Hæres institutus si putet testatorem uiuere, quamuis iá defunctus sit, adire hæreditatem non potest. sed & si scit se hæredem institutum, sed utrum purè, an sub conditione ignoret, non poterit adire hæreditatem, licet purè hæres institutus sit, uel sub conditione, & paruerit conditioni. Sed & si de conditione testatoris incertus sit, paterfamiliàs, an filiusfamiliàs sit: non poterit adire hæreditatẽ, & si eius cõditionis sit, ut in ueritate testari poterit, ff. eo. l. hæres, xxxii. Sed si de sua conditione quis dubitet, an filius fam. sit, potest acquirere hæreditatem. cur autem, si suam ignoret conditionẽ, adire potest: si testatoris, non potest? Illa ratio est: quod qui conditionem testatoris ignorat, an ualeat testamentũ dubitat; qui suã, de testamento certus est, ff. eo. l. sed si de sua, xxxiiii.

Et si cùm esset purè institutus, putauit sub conditione, & impleta conditione, q̃ iniectam putat, adiit: consequens est, dicere hæreditatẽ eum posse adire: maximè cùm hc suspicio nihil ei obfuerit, nec periculum attulerit. Facilius quis admittet, si quis purè institutus, putauit sub conditione se institutum, conditionemque impletam, quam in euentum putabat. nam in nullo hæc suspicio obfuit, d. l. sed si. §. fin.

Multum interest conditio facti an iuris sit. nã huiusmodi conditiones, SI NAVIS EX ASIA VENERIT: SI TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT: quãuis impletę essent, impedient hæredẽ circa hæreditatẽ adeundam quamdiu ignorarit eas impletas esse, quæ uerò ex iure uenient, in his nihil amplius exigendum, quàm ut impletæ sint: ueluti si quis se filiũfamiliàs existimat, cum sit paterfamiliàs poterit acquirere hæreditatem. quare & ex parte scriptus hæres, qui ignorat an tabulæ testamenti apertæ sint adire hæreditatẽ poterit, ff. de condit. & demonstr. l. multum, xx. aliàs xxi.

Si quis partẽ ex qua institutus est, ignorauit: nihil ei nocet, quò minus pro hærede gerat. si conditionẽ, sub qua hæres institutus est, non ignorat: si tamen extitit conditio, sub qua institutus, & tamen ignorat conditionem extitisse potest adire hæreditatem: quemadmodum si ignoret, an cohæredis, cui substitutus est, repudiatione portio ei delata sit, ff. de acqui. hære. l. si quis, xxi. §. fi.

Si dubitet, an testator apud hostes decesserit, an ciuis Romanus, quoniam utroque casu est ius adeundi, & in re est, ut posit adire; dicendum est, posse adire, ff. eod. l. sed si dubitet, xxxiii. Sed cum incognitum est, ab hostibus interfecta, an capta sit mater: hæreditas à filio adiri non potest, quia bona captiui eo demum tempore succesionis iure acquiri possunt; cum captos apud hostes mortuos esse cognoscitur, C. de postliminio. l. quarta.

Ventre præterito,si exterus hæres institutus sit: quàm diu rumpi testamentũ potest,non defertur ex testamento hęreditas. Sed si uacuo uentre mulier fuerit, & incerto eo,filius uita decesserit: hæres fuisse intelligitur: Exterus uerò non aliter potest hæreditatē quærere,quàm si nō esse prægnantē sciat. Ergo si uentre pleno sit mulier iniquum erit dicere,interea defunctum filium hæredi suo nihil relinquere? Et ideo decreto filio succurrendum est. quia siue frater ei nascatur,siue non nascatur patri hæres futurus est, ff. de acquir. hæred.l.uentre, lxxxiii. aliàs lxxxiiii.

Si mulier pręgnans non sit,existimetur autē pręgnans esse: interim filius hæres erit ex asse,quamquam ignoret se ex asse hæredem esse. Idem est in extraneo, si ex certa portione institutus sit,ex reliqua posthumi. Quòd si fortè ita institutio facta est: QVOTCVNQVE MIHI NATI ERVNT, ET LVCIVS TITIVS PRO VIRILIBVS PORTIONIBVS HAEREDES MIHI SVNTO: utilius est,posse eum adire,qui noscit portionē; si cætera,quæ oportet eum scire,non ignoret, ff.si pars hæreditatis petatur, l. v.

Quod dicitur, SI PVTETVR ESSE PRAEGNANS: sic accipiendū est,si dicat se pręgnantē: At si ipsa non dicat,sed neget,alii dicant prægnātem esse, adhuc adiri hæreditas nō potest(finge obstetrices dicere) quod si ipse putet solus,si iusta ratione ductus: non potest adire. si secundum multorum opinionem,potest,quid ergo si prægnans fuit,cũ putaret hęres non esse prægnantem, & adiit,mox abortum factum est? procul dubio nihil egit. Toties igitur ei sua præsumptio proficit,quoties cōcurrit cum ueritate. Sed & si ipsa mulier hæres instituta sit,quæ se prægnantem fingit adeundo acquiret hæreditatem, per contrarium non acquiret,si se putet prægnantem,cùm non sit,ff.de acqui. hære.l.cum quidam,xxx.§.quod dicitur: SI PVTETVR.

Suum hæredem certum est,ex asse hæredem esse, & si putet esse pręgnantem mulierem,quæ non est prægnans. Et si unum in utero habeat,ex parte dimidia hæres erit,siue institutum posthumum proponatur,siue intestatum patrem decessisse,sicut enim cum uacuo utero suus ex asse hæres est, ita & cùm unum gerit, nec per naturam humanæ conditionis alium partum formare potest, (quod quidem post certum tempus conceptionis euenerit)ex parte dimidia, & ignorantem fore hæredem,non ex quarta,d.l.cum quidam,xxx.§.suum.

Item hæredi cum posthumo instituto,reliquæ partes adcrescunt, quæ posthumo datæ sunt, si certum sit, non esse prægnantem,licet hæres ignoret,ff.eod.l.hæredi xxxi.

Scientia autem uel opinio,si filiusfamiliàs institutus est,ipsius, non patris accipienda est,nam si pater putat prægnantem,filius certus est,& acquirit hæreditatem, pater autem non acquirit,d.l.cum quidam.§.scientia.

Antiqui libero uentri prospicientes,& prudentissimi iuris autores medietatem quandam secuti,petenti filio partem hæreditatis, paternæ quartā partem assignauerunt,quia fieri potest, vt tergemini nascerentur, & si pauciores fuerint nati, residuum ei pro rata accrescet si plures, quàm tres: decrescet pars accepta, ff.si pars hæred. petat.l.antiqui, iii.cum l. seq. & ff. de iudiciis, l. sed etsi, xxviii.§. fina.

In repudianda hæreditate,uel legato, certus esse debet de suo iure is, qui repudiat, ff. de acquirend.hæredita. l.in repudianda, xxiii. Nam qui putat se necessarium,cùm sit uoluntarius,non poterit repudiare.nā plus est in opinione, quàm in ueritate. Et è contrario,qui se putat necessariū,uoluntarius existere

non

non poteſt, ff. eod. l. is qui, cum l. ſequenti, xv. xvi.

Si certus ſum, non eſſe falſum teſtamẽtum, uel irritum, uel ruptum: licet dicatur eſſe, poſſum adire hæreditatem, ff. de acquir. hære. l. cùm quidam, xxx. § fi.

Cùm falſum teſtamentum dicetur, ſiquidem ipſe hæres accuſatur: quoniã certus eſſe debeat ſe falſum non feciſſe: rectè adibit hæreditatem. ſin autem alius arguetur citra conſcientiam eius: non poteſt adire, quaſi dubitet, uerum eſſe teſtamentum, ff. eod. l. cum falſum, xlvi.

Eum, qui duobus teſtamentis eiuſdem teſtatoris hæres ſcribitur: cùm dubitet, num poſterius falſum ſit: ex neutro eorum poſſe adire hæreditatem placet, ff. eod. l. eum, qui, 51. in princip.

Hęres ex primo ualido teſtamẽto, & alio inutiliter facto inſtitutus cùm poſterius putaret ualere, ex eo adire hæreditatem uoluit, ſed poſtea hoc inutile repertũ eſt: quam uis non repudiauerit putans poſterius ualere, teſtator tamen inteſtatus deceſsit, ff. de acqui. hære. l. Claudius, xcvii.

Qui totam hæreditatem acquirere poteſt, is pro parte eam ſcindendo adire non poteſt, ff. eod. l. prima.

Sed & ſi quis ex pluribus partibus in eiuſdem hæreditate inſtitutus ſit: non põt quaſdam partes repudiare, quaſdam agnoſcere, ff. eod. l. ii.

Si ſolus hæres ex pluribus partibus fuero inſtitutus, unam partem omittere non poſſum: nec intereſt, in quibuſdam ſubſtitutum habeam, nec ne. Idem eſt, etiam ſi aliis miſtis hæredibus, ex pluribus partibus hæres inſtitutus ſim: quòd & hic adeundo unam portionem omnes acquirunt, ſi tamen delatæ ſint, ff. de acquir. hære. l. ſi ſolus, lxxx.

Hæres ſcriptus elogio in certas uncias, & poſt in alias uncias, uel in aliam partem hæreditatis, ſi vult vnam inſtitutionem admittere, aliàs reſpuere non poteſt, quia neceſsitas imponitur hæredi particulari facto, uel aliã aut alias hæreditatis partes admittere, C. de iu. delib. l. quidam, xx.

Et uirilis appellatione interdum etiam totam hæreditatem contineri, dicendũ eſt, ff. de uerb. ſign. l. uirilis, cxlv.

Qui ex parte hæres inſtitutus eſt purè, ex parte ſub conditione ſolus, etiam pendente conditione, ſi adierit hæreditatem, ex aſſe hæres erit: quia ſolus hæres futurus eſt omnimodo: niſi habeat in conditionalem partem ſubſtitutum, ff. de acquir. hære. l. cum hæres, lii. §. fi.

Qui ex duabus partibus hęres inſtitutus fuerit, ex alia purè, ex alia ſub conditione: & ex pura inſtitutione adierit, & deceſſerit: poſteaque conditio extiterit: ea quoque pars ad hæredem eius pertinet, ff. eod. l. qui ex duabus, liii. in princ.

Qui ſemel ex aliqua parte hæres extitit, deficientium partes etiam inuitus accipit, d. l. qui ex duabus, §. fi.

Cùm quis ex inſtitutis, qui cum aliquo coniunctim inſtitutus ſit, hæres non eſt: pars eius omnibus proportionibus hæreditariis accreſcit. neque refert, primo loco quis inſtitutus, an alicui ſubſtitutus hæres ſit, ff. de hæred. inſt. l. ſi liber, lix. § cum quis.

Hæredes ſine partibus, utrum coniunctim, an ſeparatim ſcribantur, hoc intereſt; quod ſi quis ex coniunctis deceſſerit, hoc non ad omnes, ſed ad reliquos, qui coniuncti erant pertinet. Sin autem ex ſeparatis: ad omnes, qui teſtamento eodem ſcripti ſunt hęredes, portio eius pertinet, ff. de hæred. inſtit. l. hæredes, lxi. aliàs, lxiii.

Triplici modo coniunctos intelligimus, aut enim re per se coniunctio contingit, aut re, & uerbis, aut uerbis tantum, nec dubium est, quin coniuncti sint, quos & nominum, & rei complexus iungit: ueluti TITIVS, ET MAEVIVS EX PARTE DIMIDIA HAEREDES SVNTO, uel TITIVS MAEVIVSQVE HAEREDES SVNTO, uel TITIVS CVM MAEVIO EX PARTE DIMIDIA HAEREDES SVNTO. Sed etiam si hos articulos detrahamus, ET, QVE, CVM, interdum tamẽ coniunctos accipi oporteat: ueluti LVCIVS, TITIVS, PVBLIVS, MAEVIVS HAEREDES SVNTO EX PARTE DIMIDIA, uel ita PVBLIVS, MAEVIVS, LVCIVS, TITIVS, HAEREDES SVNTO, SEMPRONIVS EX PARTE DIMIDIA HAERES ESTO: vt & Titius, & Mæuius ueniant in partem dimidiam, & re, & uerbis coniuncti uideantur, LVCIVS, TITIVS, EX PARTE DIMIDIA HAERES ESTO. SEIVS EX PARTE, QVA LVCIVM TITIVM HAEREDEM INSTITVI, ESTO. SEMPRONIVS EX PARTE DIMIDIA HAERES ESTO. eo quod Sempronius quoque ex parte dimidia scriptus est: uerisimilis est, in eundem semissem duos coactos, & coniunctim hæredes scriptos esse uidelicet Lucium, Titium, & Seium, ff. de uerbor. signif. l. triplici, cxlii.

Cùm hæreditate patris necessarius hæres se abstinet: cõditio cohæredi, siue suo, siue extraneo defertur: ut aut totam agnoscat, aut à tota recedat, & ita abstinere potest, propter alium, qui per suam personam non poterat. si tamen creditores dicant se contentos esse eius portione: quia non potest exonerari, nisi deferatur conditio: & alterius parte abstinere se creditores debent, ut eius actiones ei, qui conuenitur, dentur, ff. de acquir. hæred. l. cum hęreditate, lv.

Si is, qui immiscuit se hęreditati, decessisset, deinde alter se abstineret: eadẽ conditio deferenda est hæredi eius, quæ & ipsi, ff. eod. l. si is qui, lvi.

Si quis hæres institutus ex parte, mox Titio substitutus, antè quàm ex causa substitutionis ei deferatur hæreditas, pro hærede gesserit: erit hęres ex causa quoque substitutionis, quoniam inuito quoque ei adcrescit portio. idem est etsi filiusfamiliàs iussu patris adierit hæreditatem, mox emãcipatus ex causa substitutionis adeat. erit nanque hęres. sunt enim appendices præcedentis institutionis, ff. de acqui. hære. l. si quis, xxxv.

Si duo sint hęredes necessarii, quorum alter se abstinuit, alter postea quàm prior abstinuit, se immiscuit: dicendum est, hunc non posse recusare, quò minus tota onera hæreditaria subeat: qui enim scit, aut scire potuit, illo abstinente se oneribus fore implicitũ: ea conditione adire uidetur, ff. eod. l. si duo, xxxviii.

Licet quis paternæ hæreditatis nihil attingat, aliquid tamen propter patris uoluntatem habeat, uel faciat: ut puta si impuberi fuerit substitutus: distinguitur; multum interesse, utrum ex asse fuerit institutus, an ex parte. ut si ex parte: potuerit sine metu, remota patris successione, impuberis hæreditatem amplecti, ff. eod. l. quæsitum, xl.

Et simili modo, si impuberem quis filiũ suum hæredem ex parte instituit, & quẽdam extraneum in aliam partem, quem pupillariter substituit: & pupillus, patri hæres extitit, & extraneus autem hæreditatem adiit, sed postea substitutio pupillaris locum sibi uindicauit: ille extraneus non potest pupilli hæreditatẽ omittere: quia placuit, ut uel omnia admittantur, uel omnia repudientur, C. de iur. delib. l. quidam, xx. §. simili modo.

Qui

Qui patri hæres extitit, si idem filio impuberi substitutus est: non potest hæreditatem eius prætermittere. quod sic accipiẽdum est: si uiuo pupillo mortuus erit, deinde papillus imbubes decesserit. nam is, qui patri hęres extitit, pupillo quoque hæres neceßariò erit. nam se ipsum inuitum obligat: cõiungi eam paternæ hæreditati, & adcrescendi iure acquiri, cuicunque patris hæredi, existimandum est, ff. de acquir. hæred. l. qui patri, lix.

Testamento iure facto multis institutis hæredibus, & substitutis inuicem adeuntibus suam portionem cohæredum etiam inuitis repudiantium adcrescit portio, C. de impub. & aliis subst. l. sexta.

Toties uidetur hæres institutus, etiam in causa substitutionis adiisse, quoties acquirere sibi potuit. nam si mortuus esset: ad hæredem non transfert substitutionem, ff. de acqui. hære. l. toties, lxxxi.

Si minor annis xxv. postea quàm ex parte hæres extitit, in integrum restitutus est, eius partis onus cohæredes suscipere non coguntur, sed bonorum posseßio creditoribus datur, ff. eod. l. si minor, lx. vel lxi.

Paterfamiliàs impuberi filio, si ante pubertatem decesisset substituit hæredem. Is filius paterna hæreditate se abstinuit, ideoque bona patris uenierunt, postea filio hæreditas obuenit, qua adita decesit. Creditoribus patris actio datur in substitutum: quia quod prætor filio, qui à paterna hæreditate se abstinet, præstet, ne bonis patris eius uenditis in eum actio detur, tametsi postea ei hæreditas obuenit, ut creditoribus non reddat: idem in substituto filio seruandum non est, quoniam filii pudori parcitur, ut potius patris, quàm bona eius ueneant. itaque in id, quod postea ei obuenit, actio creditoribus denegatur: quia id, quod ex aduentitio acquisitum est, non per patrem ad eum peruenit. At cùm substitutus filio hæreditatem adit, postque pupillus se paternę miscuit hæreditati: tunc hæreditas, & patris, & filii una est; & in omni ære alieno, quod aut patris aut filii fuerit, etiam inuitus hæres obligatur, quòd si substitutus hæres hęreditatem non adierit, creditoribus patris in id, quod pupillus reliquit, actio dari non debet: quoniam neque pupilli bona uenire debẽt propter æs alienum patris, nec in bonis patris est, quod pupillus acquisiuit, ff. de rebus iud. aut. posiden. l. paterfamiliàs, xxviii. siue de priuileg. credito. l. duodecima.

Si tu ex parte sexta, sub conditione institutus fuisses hæres, & omittente partem suam Titio, cui substitutus eras, ex substitutione adisses, deinde conditio iure sextantis extitisset, non necesitatem habebis ex sextante adire, quia nihil interest utrum ex substitutione prius adieris, an ex prima institutione: cum ab utraque causa, una aditio sufficiat. Item si tu sextantis, ex quo institutus esses hæres, omiseris additionem: non dubitatur, quin si prima institutione adeundo hęres esse poßis, in potestate tua sit, quam partem hæreditatis, aut omittere uelis, aut uindicare, ff. de acqui. hęred. l. si tu ex parte, lxxv. aliàs lxxvi.

Seia filia, & aliis hæredibus institutis, postea si excepta filia Seia, cæteri hæredes abstinuerunt hæreditate beneficio principis, & tota hæreditas ad Seiam pertinere cœpit. pro parte eorum, qui abstinuissent actiones decernuntur in eam, quæ adisset, & maluisset integra hæreditatis onera subire, ff. eo. l. penul.

Cum duæ filiæ patri necessariæ hæredes extitissent, alteraque paterna hæreditate abstineret, altera bona uindicaret, totumque onus suscipere parata esset: causa cognita actiones hæreditariæ utiles ei dantur, quæ ad hæreditatẽ patris accesserat, & denegantur ei, quæ abstinuerat, ff. eod. l. fi.

Eum,

Eum, cui lege bonis interdicitur, hæredem institutum, posse adire hæreditatem constat, ff. de acqui. hære. l. quinta in fi.

Per procuratorem hæreditas acquiri non potest, ff. eod. l. per procuratorem, xc. in princ.

Cum quæstus, & compendii societas initur: quicquid ex operis suis socius adquisierit, in medium confert. sibi autem quisque hæreditatem adquirit, ff. de acquir. hære. l. aditio, xlv. §. & cùm quæstus.

Qui in aliena est potestate, non potest inuitum hæreditati obligare eum, in cuius est potestate, ne æri alieno pater obligetur. sed si legitima hęreditas matris filio delata sit, idem erit dicendum, ff. eod. l. qui in aliena, vi. in princ.

Si is, qui putabat se filiumfamiliàs, patris iussu adierit: eum neque sibi, neque ei, qui iussit, quæsisse hæreditatem constat: quamquam is, quem pater iussit adire, & decessit, si adierit iam mortuo patre, obliget se hæreditati, nam & is, qui dubitat utrum filiusfamiliàs, an paterfamilias morte patris factus sit, potest adire hæreditatem, d. l. qui in aliena, §. si is, qui.

Interdum filiifamiliàs, & sine aditione adquirēt hæreditatem his, in quorū sunt potestate: ut puta si nepos ex filio exhæredato hæres sit institutus, patrem enim suum sine aditione faciet hæredem, & quidem necessarium. sed si quis hæres institutus, adoptetur à filio exhæredato: necessarium eum non facit, sed iuberi debet, ut adeat: quoniam mortis tempore in potestate non fuit. nā per eum quis existere necessarius non potest, qui ipse non esset extaturus, d. l. qui in aliena, §. interdum.

Impubes, qui in alterius potestate est, si iussu eius adierit hæreditatem: licet consilii capax non fuerit, ei adquirit hæreditatem, ff. de acquir. hæredit. l. moræ, viii. §. fina.

Non est dubium, si prius, quàm filius iussu patris adierit hæreditatē, proprie potestatis effectus sit, arbitrio suo eundem hanc sibi potuisse quærere, C. de iur. delib. l. non est dubium, xv.

Cùm quidam legationis causa absens filium suum hæredem institutum non potuisset iubere adire subuenire ei oportet, mortuo filio: eo quod reipublicæ causa abfuerit, ff. de acquir. hære. l. cum quidam, xxx. in prin.

Si iussu aui, nepos patris, qui de castrensi peculio testamentum fecit, hæreditatē adisset, acquisiuit ei ea, de quibus pater testari potest: quia castrensia esse mutatione personæ desierunt, ff. eod. l. per procuratorem, lxxxix. aliàs xc. uersic. idem respondit.

Neque filiusfamiliàs repudiando sine patre, neque pater sine filio alteri nocet. utrique autem possunt repudiare, ff. eod. l. is qui, xiii. §. fi. & C. de iure delibe. l. renitente, xi.

Placet, quoties acquiritur per aliquem hæreditas, uel quid aliud ei, cuius quis in potestate est confestim acquiri ei, cuius est in potestate, ff. de acquir. hære. l. placet, lxxvii.

In omnibus rebus, in quibus usus fructus tantum patri offertur, siue pater adire filiumfamiliàs integre ætatis compellit, & ille reclamandum existimat, siue filius familiàs adire cupit, & pater in contrarium declinat: liberam habet licentiam pater adire hæreditatem, & omne siue damnum, siue lucrum, in suum habere fortunam, siue è contrario patre recusante filius adire hæreditatem uoluerit: nulla acquisitio, nec usus fructus patri offertur, sed ipsum filium sibi imputare, si quid ex hoc contigerit, sed habeat pater omnem licentiam, & actiones

nes

nes mouere, & ab aliis pulsari, ubi ad eum totum commodum aduenit: & filius simili modo in agendo, & pulsando solus habeat detrimentum, & commodum: necessitate imponenda patri tantummodo filio consentire, ne iudicium sine patris uoluntate uideatur consistere, C. de bo. quæ lib. l. cum non solum, viii. in princ.

Sin autem in secunda ætate, adhuc filius est, & hęreditate ei delata pater consentire adeunti hæreditatem noluerit, uel patre uolente ipse reclamarauerit: siquidem recusauerit filius, licentiam habet pater hæreditatem adire, & eã pleno iure habere: his omnibus, quæ superius dicta sunt, locum habentibus. sin autem patre recusante, filius adire maluerit, licentia ei datur hoc facere: nolente autem patre res filii gubernare propter causę necessitatem: habebit filius facultatem adire iudicem, & ab eo petere curatorem hæreditati dari, per quem gubernatio rerum procedat: in utroque casu in integrum restitutionis auxilio ei minime denegando, d. l. cum nou solum, §. si autem in seeunda.

Similis modus obseruatur in milite filiofamiliàs recusante aditionem hæreditatis, quæ ei ex castrensibus actionibus proueniat. nam pater ad adeundam admittitur, tamquam hæres institutus: eo subiacente omnibus oneribus hęreditariis, & omnia commoda habituro, & ad filium nullo periculo redundante, d. l. cum non solum, §. similique modo.

Vbi autem uoluntas eorum in unum concurrit: pater usumfructum, filius habet proprietatem: & in agentibus, & fugientibus pater quidem suscipit actiones, & mouet, adhibetur autem etiam filiorum consensus, nisi adhuc in prima ætate sint constituti, uel longe absunt: sumptos fiunt à patre propter rerum incrementa: cum nuda proprietas apud filium inueniatur, & hoc si ex substantia possibile est, sumptus litis dependere, d. l. cum non solum, §. ubi autem.

Si æs alienum ex defuncti persona descendit: cum substantia intelligatur, quæ post detractum ęs alienum superfederit. habet pater licentiam ex rebus hæreditariis (primum quidem mobilibus, sinautem non sufficiunt, ex immobilibus) sufficientem partem, nomine filii uenundare: ut ilico reddatur æs alienum, & non interesse onere prægrauetur. Quòd si pater hoc facere supersederit, ipse interesse, uel ex reditibus, uel ex substantia sua omnimodo dare compelletur, d. l. cum non solum, §. sinautem æs alienum.

Sin autem legata, uel fideicommissa, siue ante alia, siue semel relicta imminẽt huiusmodi personis: siquidem tales reditus sunt, qui suffuciunt ad annalia legata. pater ex huiusmodi reditibus hæc dependere compelletur. sinautem non habeat substantia sufficientem reditum ad legatorum, uel fideicommissorum præstationem, uel minime reditus, uel alias accessiones contineat, sint tamen res mobiles, uel immobiles, steriles quidem, non tamen inutiles, ueluti domus in prouinciis præciosę, uel ubicunque posita ædificia, uel suburbana, ex quibus huiusmodi legata possint explicari: licentia datur patri, sufficientem partem eorum filii nomine uendere, & satisfacere legatis, uel si emptorem nõ inuenerit, ritè pignori supponere: nullo modo licentia concessa filiis, easdem uenditioues, uel hypothecas retractare, d. l. cum non solum, §. sin autem legata, & §. sed pater quidem.

Hoc procul dubio obseruando, ut omnia circa usumfructum fiant, quæ nullo modo proprietatem possint deteriorem facere: paterna reuerentia eum excusante, & à ratiociniis, & à cautionibus, & ab aliis omnibus, quæ ab usufructuariis extraneis à legibus exiguntur, d. l. cum non solum, §. hoc procul dubio.

Filium,

Filium, uel filiam, & deinceps alere patri necesse est, non propter hæreditatē, sed propter ipsam naturam, & leges, quæ a parentibus alendos esse liberos imperauerunt, & ab ipsis liberis parentes, si inopia ex alterutra parte uertitur, d.l. cum non solum, §. ipsum autem filium.

Pater extra memoratas causas prohibetur hęc bona filiorum alienare, uel pignori, uel hypothecæ titulo dare: & si hoc fecerit, incidit in legum laqueos, quibus huiusmodi uenditiones, uel hypothecæ sunt interdictæ: exceptis rebus mobilibus, uel immobilibus illis, quæ onerosæ hæreditati sunt, uel quocūque modo damnosæ, quas sine periculo pater uendere cum paterna pietate potest. sed precium earum, uel in res, uel in causas hęreditarias procedet, uel filio seruetur, d.l. cum non solum, §. non autem.

Vbi puerilis ætas patri licentiam præstat, etiam sine consensu filii hæreditatem eius nomine adire: si hoc fecerit pater, datur quidem filio in integrum restitutio, postquam patria fuerit potestate liberatus, uel adoleuerit: pater autem oneribus hæreditariis (licet nomine filii adiit) alligatur. sed filio non datur licentia, si in integrum restitutionem petens, hæreditatem respuerit, adhuc minoribus curriculis instantibus, iterum per aliam restitutionem adire præfatā hæreditatem: ne ludibrio leges ei fiant, sæpius eādem amplectens, & respuens hæreditatem. Si uero pater quidem hæreditatem repudiauerit, infante filio constituto, ipse autem filius posteà, uel adhuc in sacris constitutus, uel patria potestate liberatus, adeundam esse crediderit eandem hæreditatem: licentia ei datur, uel si sui iuris efficiatur, tutoribus eius, uel curatoribus hæreditatem adire, nullo præiudicio ex recusatione paterna ei generando, simili modo, & in hac parte nulla ei, uel tutoribus, uel curatoribus eius licentia conceditur, contra priorem suam uoluntatem in integrum restitutionem petere. Quæ & in legatis, & in fideicommissis, tam specialibus, quàm per uniuersitatem relictis, obseruanda sunt, d.l. cum non solum, §. ubi autem puerilis.

Si infanti, idest minori septem annis in potestate patris, uel aui, uel proaui constituto, uel constitutæ, hæreditas sit derelicta, ex testamento, uel etiam ab intestato a quibuscunque personis: licet parentibus eius, sub quorum potestate est, adire eius nomine hæreditatem: sed si hoc parens neglexerit, & in memortata ætate infans decesserit: tunc pater omnia ex quacunque successione ad eundem infantem deuoluta, iure patrio quasi iam infanti quæsita capit. Parente uero non subsistente, siquidem post eius obitum tutor infanti sit, uel datus fuerit, potest adhuc infante constituto, eius nomine adire hæreditatem, & eo modò eidem infanti hæreditatem quærere: sin uero uel non sit tutor, uel cum sit, ea facere neglexerit: tunc eodem infante in eadem ætate defuncto, omnes hæreditates ad eum deuolutæ, & non agnitæ, ita intelliguntur quasi ab initio non essent ad eum delatæ, & eo modo ad illas personas perueniunt, quæ uocabantur, si minime hæreditas infanti fuisset delata. Ea uero, quæ de infante in potestate parentum constituto statuuntur, locū habebunt, & si quacūque causa sui iuris idem infans inueniatur, C. de iu. delib. l. si infanti, xviii.

Si pupillus septem annos ætatis excesserit, & priore parente mortuo in pupillari ætate fati munus impleuerit, ea obtinet, quæ ueteribus continentur, legibus: nulla dubietate relicta, quin pupillus post impletos septem annos suæ ætatis ipse adire hæreditatem cōsentiente parente, si sub eius ptāte sit, uel cū tutoris autoritate, si sui iuris sit, poterit: uel si nō habeat tutorem, adire prætorē, & eius decreto hoc ius consequi, C de iu. delib. l. si infanti, §. si aūt septem, xviii.

Et

Et pupillorum repudiatio delatæ hæreditatis, ſine tutore autore facta, nihil eis nocet, C. de repud. hæred. l. penul.

Quoties pupillus patri hæres extitit, & abſtinuit ſe hæreditate, quamuis patris bona, ſub creditoribus fiant: tamen rata haberi debent, quæcunque pupillus bona fide geſsit, & ideo ei, qui fundum tutore autore à pupillo emerit, ſuccurrendum erit, nec intereſt pupillus ſoluendo ſit, nec ne, ff. de acquiren. hæred. l. quoties, xliiii.

Et pupillis, quos placuit oneribus hęreditariis eſſe liberandos, confuſas actiones reſtitui oportet, ff. eod. l. eum demum, lxxxvii. aliàs lxxxviii. §. fi.

Si pupillus ſe hæreditate abſtineat, ſuccurrendum eſt, & fideiuſſoribus ab eo datis, ff. de acqui. hęre. l. ſi pupillus, lxxxix.

Iuſſus eius, qui in poteſtate habet, non eſt ſimilis tutoris autoritati, quæ interponitur perfecto negocio, ſed præcedere debet, & per internuncium fieri poteſt, uel per epiſtolam, ſed requiritur ſpeciale mandatum, non de quacunque hæreditate, & non recipitur, ut de uiui hæreditate mādetur. Planè ſi rumor fuit Lucium Titium deceſsiſſe, poterit ei mandari, ut ſi ſcripſit eum adeat, & ſi clauſæ adhuc tabulæ ſint, & ſic incertum, an filius ſcriptus ſit hæres, ff. de acqu. hæred. l. ſi quis mihi, xxv. §. iuſſus.

Si mandauit quaſi ex aſſe inſtituto, & inuenitur ex parte eſſe inſtitutum: Non adiit ex iuſſu. Quod ſi ex parte iuſsit, poteſt ex aſſe adire. Aliter, atque ſi mandauit, quaſi ab inteſtato, & ex teſtamento adiit nihil egit, At ſi ex teſtamento mandauit: poterit, & ab inteſtato adire, quoniam non fecit deteriorem conditionem patris. Idemque & ſi quaſi inſtituto præcepit, & inueniatur ſubſtitutus, uel è contrà. Sed ſi mandauit, ut patris adiret, ſi autem & impuberi ſubſtitutus: non ſufficit iuſſus. Planè ſi ſic mandauit, SI QVA EX TESTAMENTO LVCII TITII DEFERATVR HAEREDITAS. Poteſt defendi iuſſu adiiſſe. Sed ſi poſtea, quàm iuſsit pœnitentiam egit, prius quàm adiret: nihil agit adeundo. Item ſi ſe arrogandum dederit prius quàm filius adiret: non eſt acquiſita hæreditas, d. l. ſi quis mihi, xxv. §. ſed ſi mādauit.

Si mandauit, ut hæreditatem colligat: aut ut rem hæreditariam diſtrahat, uel ſi pro hærede gerere mandauit, mox filius adeat hæreditatem, ex his omnibus aditio introducitur. Et ſi pater filio ita ſcripſit SCIO FILI, QVOD PRO TVA PRVDENTIA INVIGILABIS HAEREDITATI DELATAE TIBI LVCIO TITIO. Filius iuſſu patris adiiſſe dicitur, d. l. ſi quis mihi, §. ſed quid ſi mandauit.

Si ego & filius inſtitutus ſum, & iuſſero filio meo adire, ſtatim & ex mea inſtitutione ego heres ero, ff. eod. l. ſi ego, xxvi.

Si excluſus per conditionem ſibi datam pater, filium iuſſerit adire, dicendum erit eum, non quæſiiſſe ſuam portionem. Sed ſi ex duobus filiis unum iuſſerit, & alium filium debebit iubere adire, ff. de acquiren. hæredi. l. ſi quis, xxxv. §. fi.

Filiusfamiliàs hæres ſcriptus patrem ſuum certiorem fecerat, uideri ſibi ſoluendo eſſe hæreditatem. Pater reſcripſerat, ſibi parum idoneam renuntiari. Itaque debere eum diligentius explorare, & ita adire, ſi idoneam comperiſſet. Filius acceptis literis patris, adiit hæreditatem. Probabilius eſt, quandiu perſuaſum ei non ſit, ſoluendo eſſe hæreditatem, patrem non obligaſſe, ff. de acquir. hæred. l. eum qui ſi. §. filiusfamiliàs, 51.

Si per epiſtolam tutor Titio hæreditatem adire iuſſerit: ſi poſt ſcriptam epiſtolam tutor moriatur, antè quàm ex epiſtola Titius adiret: nemo dicturus eſt

obligari

obligari postea pupillum hæreditati, ff. eod. l. si per epistolam, 50.

Pater quoties filio mandat adire: certus esse debet, pro parte, an ex asse: & ex institutione, an ex substitutione, & testamento: an ab intestato filius suus hæres existet, ff. de acquir. hæred. l. pater, xcii. aliàs xciii. in prin.

Mutus pater filio hæredi instituto, si intellectu non careat, nutu iubere potest adire hæreditatem, ut ei iure eius commodum quæri possit. Quod facilius explicari poterit scientia literarum, d. l. pater, §. mutus.

Cum hæres institutus esset filius, & haberet patrem furiosum, in cuius erat potestate: ex beneuolentia si adierit, perinde habetur ac si paterfamiliàs adiisset, ff. de acqui. hære. l. cum hæres, lii. in prin.

Furiosus adquirere sibi commodum hæreditatis ex testamento non potest: nisi necessarius patri hæres existet: per alium autem adquiri ei potest, quem in potestate habet, ff. eod. l. furiosus, lxiii. aliàs lxviii.

De acquisitione ab intestato.

Quandiu potest ex testamento adiri hæreditas, ab intestato non defertur, ff. de acqui. hære. l. quandiu, xxxix.

Hæres institutus, idemque legitimus, si quasi institutus repudiauerit, quasi legitimus non amittit hæreditatem: Sed si quasi legitimus repudiauerit: siquidem scit se hæredem institutum, credendum est utranque repudiasse. si ignorat: ad neutrum ei repudiatio nocebit, neque ad testamentariam, quoniã hanc non repudiauit, neque ad legitimam, quoniam nondum ei fuerat delata, ff. eod. l. Nec is, xvii. §. fi.

Quod dicitur, PROXIMVS A FILIO POSTHVMO HAERES; DVM MVLIER PRAEGNANS EST, AVT PVTATVR ESSE, ADIRE HAEREDITATEM NON POTEST: SED SI SCIT NON ESSE RAEGNANTEM, POTEST ACCIPERE PROXIMVS A' VENTRE, QVI SVVM HAEREDEM PARITVRVS ESSET: Non solùm ad testatos hæc uerba, uerum ad intestatos quoque pertinent. Et in eo uentre idem accipias, qui legitimum, uel consanguineum pariturus est: quoniam mortis tempore, qui in utero est (quantum ad moram faciendam inferioribus, & sibi locum faciendum, si fuerit editus) pro iam nato habetur, ff. de acqui. hær. l. cum quidam, xxx. § primo.

Extraneus hæres testamento institutus, aut ab intestato ad legitimam hæreditatem uocatus, potest aut pro hærede gerendo, aut etiam nuda uoluntate suscipiendæ hæreditatis hæres fieri, Inst. de hæred. quali. §. item extraneus.

Sed nemo pro hærede gerere potest, uiuo eo, cuius in bonis gerendum sit, ff. de acquir. hære. l. neminem, xxv.

Pro hærede autem gerere quis uidetur, si rebus hæreditariis, tanquam hæres utatur, uel uendendo res hæreditarias, uel prædia colendo, locandove, & quoquo modo uoluntatem suam declaret, uel re, uel uerbo, de adeunda hæreditate: dummodo sciat eum, in cuius bonis pro hærede gerit, testatum, intestatumve obiisse, & se ei hæredem esse. Pro hærede enim gerere, est pro domino gerere: Veteres enim hæredes pro dominis appellabant. Sicut autem nuda uoluntate extraneus hæres fit, ita in contraria destinatione statim ab hæreditate repellitur, Inst. de hæred. qualit. §. pro hærede.

Eum, qui surdus, uel mutus natus est, uel postea factus, nihil prohibet pro hærede gerere, & acquirere sibi hæreditatem, si tamen intelligit, quod agit. Instit. eod.

eod. §. finali, & ff. de acquir. hære. l. quinta in princ.

Neque pupillus, neque pupilla, sine tutoris autoritate obligari possunt. hæreditas autem, quin obliget eos æri alieno, etiam si non sit soluendo, plusquàm manifestum est. de ea autem hæreditate loquimur, in qua non succedunt huiusmodi personæ quasi necessariæ, ff. de acquiren. hæredita. l. more, VIII. in princip.

Pupillus si fari posit, huius tamen ætatis sit, ut causam acquirendæ hæreditatis non intelligat: quamuis non uideatur scire huiusmodi ætatis puer (neque enim scire, neque decernere talis ætas potest: non magis, quàm furiosus) tamẽ cum tutoris autoritate hæreditatem acquirere potest. hoc enim fauorabiliter ei prę̨statur, ff. eod. l. pupillus, ix.

Sed pupillus adeundo hæreditatem obligatur, etiam ex tutore autore, qui tutelã non gerebat, ff. eod. l. pupillum, xlix.

Potuit pupillus pro hærede tutore autore, gerendo consequi successionem, sed ipsius actus, & uoluntas fuit necessaria. Nàm si quid nesciente eo tutor egit: illi hæreditatem non potuit acquirere, C. de iure deliberandi l. quinta.

Qui se pupillum falsò existimans, cum esset pubes, pro hærede gessit: quò minus hæres existat, nihil error talis ei nocebit, ff. de acquir. hæred. l. qui se, xcv. aliàs xcvi.

Ita demum pro hęrede gerendo acquiritur hæreditas, si iam sit delata. cæterum ex quibus causis repudians nihil agit: ex iisdem causis, nec pro hærede gerendo, quidquam aget, ff. de acquirenda hæredita. l. si quis, xxi. §. interdum.

Filiofamiliàs delata hæreditate, si pater pro hærede uoluntate filii gessit: solemnitati iuris satisfactum uideri, rescriptum est, C. de iure deliberandi l. quarta.

Sed & si non adierit filius, diu tamen possedit pater hæreditatem, credendum est utrunque adiuisse hæreditatem, ff. de acqui. hære. l. sexta, §. sed etsi, & C. de pe tit. hæred. l. decima.

Si ex asse hæres destinauerit: partem habere hæreditatis: uidetur in assem pro hærede gessisse, ff. de acqui. hære. l. si ex asse, decima.

Institutus in duabus unciis, quia sola animi destinatione hęres fieri poterat. si testamento suo easdem uncias ad filium peruenire decreuit, ipse filius ius duarum unciarum persequi poterit, C. de iure deliberan. l. si auia, sexta.

Qui hæres institutus prohibetur ab eo, qui unà institutus iam hæreditatem adiit: Tabulas, literas, rationes inspicere mortui, unde scire posset, an sibi adeunda esset hæreditas; non uidetur pro hærede gerere, ff. de acquir. hæredi. l. qui hæres, xxix.

Pro hærede gerere uidetur is, qui aliquid facit quasi hæres, & generaliter is demum pro hærede gerit, qui aliquid quasi hæres gerit, pro hærede aũt gerere, non est tàm facti, quàm animi; Nam hoc animo esse debet, ut uelit hæres esse. cæterùm si quid pietatis, si quid custodię causa fecit, si quid nõ quasi hæres egit, sed quasi alio iure dominus: apparet, non uideri pro hærede gessisse. Et ideo solent testari liberi, qui necessarii existunt, non aĩo hæredis se gerere, quę gerunt: sed aut pietatis, aut custodię causa, aut pro suo. utputa si iumẽta hęreditaria aut pauit, aud dixtraxit. si hoc ut hæres gessit: ꝓ hærede. at si nõ ut hęres,

ſed ut cuſtodiat, aut quia putauit ſua, aut dum deliberat, quod fecit, cõſulens, ut ſaluæ ſint res hæreditariæ, ſi fortè ei non placuerit pro hærede gerere: apparet non uideri, pro hęrede geſsiſſe. Proinde & ſi fundos, aut ędes locauit, uel fulſit, uel quid aliud fecit, non hoc animo, quaſi pro hærede gereret: ſed & dum ei, qui ſubſtitutus eſt, uel ab inteſtato hæres extaturus eſt, proſpicit: aut res tempore perituras dixtraxit. in ea cauſa eſt, ut pro hærede non geſſerit, quia non hoc animo fuerit, ff. de acquirenda hæredita. l. pro hærede, xx. in principio.

Gerit pro hærede, qui animo agnoſcit ſucceſsionem, licet nihil attingat hæreditarium. Vnde & ſi domum pignori datam ſicut hæreditariam retinuit, cuius poſſeſsio qualis qualis fuit in hæreditate: pro hærede gerere uidetur. Idemq; eſt, & ſi alienam rem, ut hæreditariam poſſediſſet, ff. eod. l. gerit, lxxxviii.

Interdum animus ſolus adſtringet hæreditati, utputa ſi re non hæreditaria quaſi hæres uſus ſit, ff. eod. l. ſi quis, xxi. §. interdum.

Si te bonis paternis maior uigintiquinque annis miſcuiſti: neque inopia patris te excuſat, neque uis fratris portionem tuam, uel teſtamentum eripientis, arcere de exactione creditorum, qui iure ciuili pro hæreditaria te portione conuęniunt poteſt, C. de iure delib. l. ſi te, x.

Qui precium hæreditatis ommittendæ cauſa capit, hic pro hærede quidem non gerit, qui ideo accipit, ne hæres ſit, in edictum tamen prætoris incidit: ſiue igitur à ſubſtituto hæres accipit, ſiue à legitimo: mortis cauſa accepiſſe uidetur: idemque erit, & ſi non accipit, ſed promiſſa ſit ei pecunia, ff. de acquiren. hæredita. l. fuit quæſtionis, xxiiii. & ff. ſi quis omiſſa cauſa teſtam. l. ſecunda.

Cum debitum paternum exoluitur pro portione hæreditaria, paternam hæreditatem agnitam eſſe, non ambigitur, C. de iu. delib. l. ſecunda.

Si ita inſtitutus ſit, SI IVRAVERIT HAERES ESTO: ſi iurauerit, ut hæres ſatis pro hærede geſsiſſe uidetur, ff. de acquir. hæred. l. Antiſtius, lxi. aliàs lxii.

Si is, qui bonis paternis ſe abſtinuit, per ſuppoſitam perſonam emptoris bona patris mercatus probetur; perinde conuenitur à creditoribus atque ſi bonis paternis ſe immiſcuiſſet, ff. de acqui. hære. l. ſi is qui, xc. aliàs xci.

Si tamen à creditoribus fundos comparauerit (ſi id bona fide factũ eſt) a poſterioribus, qui ſub eiſdem obligationibus pecuniam patri crediderunt non iure conuenietur, C. de repud. hære. l. ſecunda.

Prætor ait SI PER EVM EAMVE FACTVM FVERIT, QVO' QVID EX EA HAEREDITATE AMOVERETVR. ſi quis ſuus ſe dicit retinere hæreditatem nolle, aliquid autem ex hæreditate amouerit: abſtinendi beneficio non habebit. Non dicit Prætor, SI QVID AMOVERIT, SED SI PER EVM EAMVE FACTVM ERIT QVO QVID, EX EA AMOVERETVR, ſiue ergo ipſe amouerit, ſiue amouendum curauerit edictum locum habebit, amouiſſe cum accipimus, qui quid celauerit, aut interuerterit, aut conſumpſerit, ff. de acquir. hæred. l. ſi ſeruum, lxx. aliàs lxxi. §. prætor ait.

Ait prætor QVO' QVID EX EA AMOVERETVR, ſiue autem una res, ſiue plures fuerint amotæ edicto locus eſt: ſiue ex ea hæreditate ſint, ſiue ad eam hæreditatem pertineant, d. l. ſi ſeruum, §. ait prætor.

Amouere nõ uidetur, qui nõ callido animo, nec maligno rẽ repoſuit: nec is qui-

dem

dem qui in re errauit, dum putat non esse hæreditariam. si quis igitur non animo amouendi, neque ut hæreditati damnum det, rem abstulit dicendum est, eum amouisse non uideri, d.l. si seruum. §. amouere.

Hæc uerba ædicti ad eum pertinent, qui ante aliquid amouit, deinde se abstinet, ceterum si ante se abstinuit, deinde tunc amouit: magis est, ut pro furto creditoribus teneatur. Etenim qui semel se abstinuit, quemadmodum ex post delicto obligatur. d.l. si seruum, § hæc uerba.

Si quis extraneus rem hæreditariam, quasi subripiens, uel expilans tenet, nõ pro hærede gerit, nam admissum contrariam uoluntatem declarat, ff. de acqui. hæred. l. si quis, xxi. in princ.

DE CONDITIONIBVS INSTITVTIONVM.

Titulus VIII.

HAeres, & pure, & sub conditione institui potest, inst. de hæred. inst. §. hæres.

Suus quoque hæres, sub conditione hæres potest institui, sed excipiendus est filius: qui non sub omni conditione potest institui, & quidem sub ea conditione, quæ est in potestate ipsius, potest, & effectum habet, non solum si paruerit conditioni, sed etiam si non paruerit, & decesserit. Et ideo si cohæredem habeat filius, ita institutus non debet eum expectare donec conditioni pareat filius, quia sub ea conditione institutus, quæ in arbitrio eius est patrem intestatum non faciet, ff. de hæred. insti. l. suus quoque, iiii. in princip.

Si pater filium, quem habet in potestate, sub conditione, quæ in ipsius potestate non erat heredem scripsit, iure testatus non uidetur, C. de institu. & substitut. l. si pater, iiii.

Et testamentum ita factum CLAVDIVS NATVS EX ILLA MVLIERE SI FILIVM MEVM ESSE, SE IVDICI PROBAVERIT HAERES MIHI ESTO talis filius non sub ea conditione institutus uidetur, quæ in potestate eius esset, & ideo testamentum nullius est momenti, ff. de condit. & demon. l. Lucius Titius, lxxxi. aliàs lxxxii.

Nepotes, & deinceps cæteri, qui ex lega Velleia instituti non rumpunt testamentum, sub omni conditione institui possunt, & si redigantur ad filii conditionem, ff. eod. l. sed & si 6. §. nepotes.

Sed utrum in potestate fuerit conditio, an non fuerit facti potius est: potest enim & hæc, SI ALEXANDRIAM PERVENERIT non esse in arbitrio per hyemis conditionem. Potest & esse: Si ei qui à primo miliario Alexãdriæ agat, sit interposita. Potest & hæc SI DECEM DEDERIT esse in difficili, si Titius peregrinetur longinquo itinere, propter quæ ad generalem definitionem decurrendum est, ff. de hære. inst. l. quarta. §. puto recte.

Si filio sub conditione, quæ in eius potestate est, herede instituto, nepos sit substitutus, siue extraneus: uiuo filio substitutus heres non erit. Post mortem uero extiturus est, nec necessaria erit exhæredatio a substituto filii, cum & si fuerit facta frustra fit. Post mortem. n. filii facta est, quæ est inutilis. Filius igitur si sit institutus, sub ea conditione, quæ est in eius potestate non indiget exhæredatione à sequentibus gradibus. alioquin & cohærede indigebit, d.l. quarta, § fi.

Cũ non sufficit, sub qualibet cõditione filium hæredẽ institui, si cõditio fuerit in

potestate filii, hæres sit ueluti SI ALEXANDRIAM IERIT FILIVS, & nepos ex eo substituantur. filiusque Romæ decesserit: hæc species conditionis admittit uiuo filio nepotes ad hęreditatem: qui si neminem substitutum haberet, dum moritur legitimus patri hæres existeret: Si uero filius institutus sit, sub ea conditione, quæ potuit etiam extremo uitæ momento impleri: ueluti SI TITIO DECEM DEDERIT FILIVS MEVS HAERES ESTO: quæ conditio nomine filii, per alium impleri potest, hæc species conditionis uiuo filio non admittit nepotes ad hæreditatem, quia si substituti non essent, intestato auo hæredes existerent, neque enim filius uidetur obstitisse, post cuius mortem patris testamentum destituitur, quemadmodum si exhæredato eodem filio, nepotes (cum filius moreretur) hæredes fuissent instituti, ff. de condi. inst. l. fi. & ff. de hęred. inst. l. quinta.

Filius à patre, in cuius potestate est, sub conditione, quæ non est in ipsius potestate hæres institutus, & in defectum conditionis exhæredatus, decesit: pendente etiam tunc conditione, tam institutionis, quàm exhæredationis, is hæres ab intestato mortuus est, quia dum uixit, neque ex testamento hæres, neque exhæredatus fuit, ff. de lib. & posth. l. filius à patre, xxviii. in princ.

Iam dubitari non potest, suos quoque hæredes, sub hac conditione institui posse, ut si uoluissent, hæredes essent, si hæredes non essent: alium quem uisum esset, ei substituerent: negatùmque hoc casu necesse esse, sub contraria conditione filiũ exhęredari debere, ff. de hær. inst. l. iã dubitari, lxxxiiii. aliàs lxxxvi.

Item uerba hæc SI VOLET HAERES ESTO in necessario conditionem faciunt: ut si nelit hæres non existat: in uoluntaria hæredis persona frustra adduntur: cum & si non fuerint addita inuitus hæres non efficiatur, ff. de condit. inst. l. uerba hæc, xii.

Sed si in conditione dies sit adiectus, utputa SI CAPITOLIVM INTRA TRIGINTA DIES ASCENDERIT, tantundem potest dici; ut si non paruerit conditioni substitutus, posit admitti, filio repulso, ff. de hæredi. instit. l. sexta in princip.

Filius sub conditione scriptus hæres, quæ sit reprobata testamentum infirmat patris, ac si conditio non esset in eius potestate: nam quæ facta lędunt pietatem, existimationem, uerecundiam nostram, & ut generaliter dicatur, cõtra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, ff. de condit. insti. l. filius, xv.

Illa institutio his uerbis ILLE SI EVM CODICILLIS HAEREDEM SCRIPSI HAERES ESTO ualet etiã in filio, qui in potestate est: cum nulla sit conditio, quæ in præteritum confertur, uel etiam in præsens ueluti SI REX PARTHORVM VIVIT: SI NAVIS EX ASIA IN PORTV STAT, ff. eod. l. institutio, x §. fi.

Commodisimè is, qui nondum natus est, ita hæres instituitur SIVE VIVO ME, SIVE MORTVO NATVS FVERIT HAERES ESTO: aut etiam purè, neutrius temporis habita mentione. Si alteruter casus omissus fuerit: eo casu, quo omissus est, natus rumpit testamentum, quia ne sub cõditione quidẽ scriptus hæres intelligitur, qui in hũc casum nascitur, qui nõ est testamento adprehensus, ff. de libe. & posthu. l. commodisime, x.

Testator his uerbis unus est SI FILIVS, VEL FILIA INTRA DECEM MENSIVM SPATIVM POST MORTEM MEAM EDITI FVERINT HAEREDES SVNTO, uel ita dixit FILIVS, VEL FILIA, QVI INTRA DECEM MENSES PROXIMOS

MORTIS MEAE NASCENTVR HAEREDES SVNTO ex neutra huiusmodi uerborum compositione ruptum fieri testamentum non uidetur. sed si uiuo testatore, siue post mortem eius intra decem menses à morte testatoris numerandos filius, uel filia fuerint progeniti, manet testatoris uoluntas immutilata, nec pœnam patitur præteritionis, qui suos non præteriit, C. de posthumis hæred. inst. l. ultima.

Institutio talis, SI CODICILLIS SEIVM HAEREDEM SCRIPSERO, HAERES ESTO: non est inutilis, in quouis hærede instituto, præter filiũ: est enim conditionalis institutio: nec uidetur hæreditas codicillis data, quòd interdictum est, uerum conditionalis est hæc institutio, quasi testamento data esset: proinde si ita scripserit, CVIVS NOMEN CODICILLIS SCRIPSERO, ILLE MIHI HAERES ESTO, pari ratione dicendum est institutionem ualere nullo iure impediente, ff. de condit. instit. l. institutio talis, x. in princip.

Sub impossibili conditione, uel alio modo facta institutio non uitiatur, ff. de condit. instit. l. prima.

Si quis institutus sit ita, si monumentum post mortem testatoris in triduo proximo mortis eius fecisset cùm monumentum in triduo perfici non possit conditio euanescit quasi impossibilis, ff. de cond. insti. l. sexta.

SI MAEVIA MATER MEA, ET FVLVIA FILIA MEA VIVET, TVNC MIHI LVCIVS TITIVS HAERES ESTO: etsi testator filiam nunquã habuerit mater autem superuixerit: tamen Titius hæres erit, quia id, quod impossibile in testamento scriptum esset nullam uim haberet, ff. de hęred. instit. l. si Mæuia, xlv.

SI TITIVS HAERES ERIT, SEIVS HAERES ESTO: SI SEIVS HAERES ERIT, TITIVS HAERES ESTO: est inutilis institutio cùm conditio existere non possit, ff. de condi. insti. l. si Titius, xvi.

Si ita hęres institutus sim, SI DECEM DEDERO, & accipere nolit cui dare iussus sum: pro impleta conditio habetur, ff. de condi. insti. l. tertia.

Si quis ita sint instituti SI VNA' SOCII BONORVM MEORVM PERMANSERINT VSQVE AD ANNOS SEDECIM, HAEREDES SVNTO: non est inutilis institutio, quoniam & ante aditam hæreditatem iniri societas potest, quasi rei futurę, ff. de condit. instit. l. quarta in princ.

Si hæredi plures conditiones coniunctim datæ sint: omnibus parendum est, quia unius loco habentur: sed si disiuncti sint: cuilibet, ff. de condit. instit. l. quinta.

Si plures institutiones ex eadem parte, sub diuersis conditionibus fuerint: conditio, quę prior extiterit occupabit institutionem, ff. de condit. instit. l. si plures, xvii.

Ei, qui ita hæreditatem, uel legatũ accepit SI DECEM DEDERIT: neque hæreditas, neque legatum aliter poterit acquiri, quàm si post impletã conditionem id egerit scriptus hæres, uel legatarius, per quod hæreditas, aut legatum acquiri solet, ff. de cond. inst. l. ei qui, xiii.

Si quis ita scripserit, SI TITIVS HAERES ERIT, SEIVS HAERES ESTO: quasi quæuis conditio, expectatur Titii aditio, ut Seius hęres fiat, ff. de hęred. inst. l. tertia. §. si quis ita.

Si quis te hæredẽ ita instituit, si se hæredem instituisses, aut quid sibi legasses:

 nihil

nihil intereſt, quo gradu is à te hæres inſtitutus, uel quod ei legatum ſit, dũmodo aliquo gradu id feciſſe te probes, ff. de cond. inſt. l. mulier, xx. §. ſi quis te.

Si quis ita ſcripſerit, TITIVS EX PARTE DIMIDIA HAERES ESTO: IDEM TITIVS EX ALTERA PARTE DIMIDIA SI NAVIS EX ASIA VENERIT HAERES ESTO: cum ex pura inſtitutione hęres adierit (quamuis conditio alterius inſtitutionis pendeat) ex aſſe fit hæres, ſcilicet etiam conditione deficiente: cum non proſit ei quicquam conditio exiſtens. quippe cum non dubitetur, quin ſi quis ex parte dimidia inſtitutus ſit, neque præterea quiſquam alius ipſe ex aſſe hæres inſtitutus eſſe uideatur, ff. de hære. inſtit. l. ſi quis ita, xxxiii.

Sub conditione hærede inſtituto ſi ſubſtituamus: niſi eandem conditionem repetemus, pure eum hæredem inſtituere intelligemus, ff. de hæred. inſtit. l. ſub conditione, lxxiii.

Si quis ita hæres inſtituatur SI LEGITIMVS HAERES VINDICARE NOLIT HAEREDITATEM: conditio teſtamenti defecit illo uindicante, ff. de hære. inſtit. l. ſi quis ita, lxxxii.

Poteſt quis ita hæredem inſtituere SI INTRA ANNVM SEPTVAGESIMVM DECESSERO ILLE MIHI HAERES ESTO: non enim pro parte inteſtatus intelligi debet, ſed ſub conditione inſtituiſſe, ff. de hæred. inſtit. l. poteſt quis, liiii. aliàs lvi.

Hæreditas ex die, uel in diem non rectè datur, ſed uicio temporis ſublato manet inſtitutio, ff. de hæred inſt. l hæreditas, xxxiiii.

Mulier quæ uiro ſuo ex dote promiſſa pecuniam debebat, uirum hæredẽ ita inſtituerat: ſi eam pecuniam quam doti promiſiſſet, neque petiiſſet, neque exegiſſet: ſi uir denuntiaſſet cæteris hæredibus per ſe non ſtare, quo minus acceptũ faceret, id quod ex dote ſibi deberetur, ſtatim is hæres futurus erit. Quod ſi ſolus hæres inſtitutus eſſet, ſub tali conditione nihilominus ſtatim futurus eſt hæres, quia conditio illa pro non ſcripta accipienda eſt, ff. de condit. inſtit. l. mulier, xx.

Conditiones quæ contra bonos mores inſeruntur remittendæ ſunt ueluti SI AB HOSTIBVS PATREM SVVM NON REDEMERIT, & SI PARENTIBVS SVIS ALIMENTA NON PRAESTITERIT, ff. de cond. inſt. l. conditiones, ix.

Conditiones contra edicta imperatorum, aut contra leges, aut quæ legis uicem obtinent. Item quæ contra bonos mores, uel deriſoriæ ſunt, aut huiuſmodi quas prætor improbauerit pro non ſcriptis habentur, & perinde ac ſi conditio hæreditati, ſiue legato adiecta, non eſſet hæreditas legatumve capitur, ff. eod. l. conditiones, xiii.

Si quis ſub conditione hæres inſtitutus ſit. Si inuicem cauiſſent, ſe legata eo teſtamento relicta redituros: placet remitti eis conditionem: quia ad fraudem legum reſpiceret, quæ uetarent quoſdã legata capere, quãquam ſi cautũ eſſet in ipſa exactione exceptione tuendus eſſet promiſſor, ff. de cõd. inſt. l. ſeptima.

Quæ ſub conditione iuſiurandi relinquuntur à prætore reprobantur: Prouidit enim ei, qui ſub iuriſiurandi conditione, quid accepit, ne aut omittendo conditionem perderet hæreditatem legatumve, aut cogeretur turpiter accipiendo conditionem, iurare uoluit, ergo eum, qui ſub iuriſiurandi cõditionę quid relictum eſſet, ita capere, ut capiunt, hi quibus nulla talis conditio inſeritur, & rectè ſunt enim faciles nonnulli hominum ad iurandum contemptu religio

nis

nis, alii per quam timidi metu diuini numinis usque ad superstitionem, ff. de condi. inst. l. quæ sub, viii. in prin.

Hoc edictum etiam ad legem pertinet, non tantum ad hæredum institutionem. In fideicommissis quoque oportebit eos, qui de fideicommisso cognoscunt subsequi prætoris edictum ea, propter quia uice legatorum funguntur: Et in mortis causa donationibus edicto huic locus erit: si forte quis cauerit, nisi iurasset se aliquid facturum, restituturum quod acceperit. oportebit itaque remitti cautionem, d. l. quæ sub condit. §. hoc edictum.

Si quis sub iusiurandi conditione, & præterea sub alia sit institutus, magis est, ut hæc conditio remittatur: licet alii conditioni parendum habeat, d. l. quæ sub condit. §. si quis.

Si sub iusiurandi conditione sit institutus, aut si decem dederit, quæ est conditio alternatiua uerius est, remittendam conditionem, quamuis possit alteri cōditioni parere, nec alia ratione conditio eum urgeat ad iusiurandum, d. l. quæ sub condit. §. si sub iusiurandi.

Quoties hæres iurare iubetur, daturum se aliquid, uel facturum, quod non improbum est, actiones hæreditarias non alias habebit, quam si dederit, uel fecerit, id quod erat iussus iurare, ff. de conditio. instit. d. l. quę sub condit. viii. §. quoties.

De hoc iureiurando remittendo, non est necesse adire prætorem. Semel enim in perpetuum à prætore remissum est, nec per singulos remittendum. Et iccirco ex quo dies legati cesserit, remissum uidetur etiam ignorante scripto hærede. Ideoque in hæredem legatarii recte probatur: ut post diem legati cedentem, si decesserit legatarius debeat hæres eius actione de legato uti, quasi pure legato ei relicto, cum hæres extiterit, d. l. quæ sub conditione, §. fi.

Si pupillus sub conditione hæres institutus fuerit, conditioni etiam sine tutoris autoritate parere potest. Idemque etsi legatum ei, sub cōditione relictum fuerit: quia conditione expleta, pro eo est, quasi pure ei hęreditas, uel legatum relictum sit, ff. de cond. inst. l. si pupillus, xxvi.

Si quis hæredem scripserit, sub tali conditione SI ILLE CONSVL FACTVS FVERIT, uiuo autem testatore ille consul processerit, uel uiuo testatore consulatum deposuerit, quandocunque impleta fuerit conditio, siue uiuo eo, siue mortis tempore, siue post mortem: conditio impleta uidetur, quod & in legatis, & fideicommissis seruatur, C. de instit. & substit. sub cond. l. si quis, vii.

Si testamentum ita scriptum inueniatur ILLE HAERES ESTO SECVNDVM CONDITIONES INFRASCRIPTAS: siquidem nihil est adiectum, neque aliqua conditio in testamento posita est, superuacua est policetario conditionis, & testamentum puram habet institutionem, C. eod. l. pen.

Cum quidam prægnantem habens coniugem scripsit hæredem ipsam quidem uxorem ex parte uentrem, uero ex alia parte, & adiecit, si non posthumus natus fuerit, alium sibi hæredem esse: Si posthumus natus adhuc impubes, uiua matre decesserit substitutus non admittitur, quia admitteretur cum posthumus minime editus fuisset, uel post eius partum. mater prior decesserit, C. eod. l. fina.

DE DIVISIONE SVCCESSIONIS A' TESTATORE.
Titulus IX.

SI cogitatione futuræ succeſsionis, officium arbitri diuidendæ hæreditatis præueniendo, pater declarauit ſuam uoluntatem: inter eos, qui ei ſucceſſerunt: exemplo Falcidię retentionis habita ratione, familiæ diuidendæ cauſa datus arbiter: Pro uirili præterea portione eorum, quæ nulli generaliter, uel ſpecialiter aſsignauit facta diuiſione, in adiudicando patris ſequetur uoluntatem, C. fami. erciſc. l. ſi cogitatione, xxi.

Parentibus arbitrium diuidendæ hæreditatis inter liberos adimendum nõ eſt, dummodo partis, quæ inteſtato defuncto potuit ad eum peruenire, & iudicio parentis obtineat, Qui autem agnouit iudicium defuncti, eo quod debitum paternum pro hæreditaria parte perſoluit, uel alio legitimo modo ſatisfecit etiam ſi minus, quàm ei debeatur, relictum eſt, ſi is maior xxv. annis eſt accuſare ut inofficioſam uoluntatem patris, quam probauit, non poteſt, C. de inoff. teſt. l. parentibus, viii.

Si quis bona ſua inter liberos uelit, uel omnia diuidere, uel quædam etiam quaſi exempla relinquere, & ea præcipue (modo ſi fieri poſsit) in teſtamento dicere debet, & inde filiis extra controuerſiam poſitam utilitatem prębere. Si uero teſtamentũ non faciat, licebit tamen ea, quæ diuidere uult in codicillos conii cere, & omnibus ſubſcribere, uel procurare, ut omnes filii ſubſcribãt, inter quos bona diuidit, exindeq; negocio irrefragabilem fidem addere. Nouell. Conſt. ut ſi plures liberi, xviii. §. hæc nos de cætero, & Nouell. Conſt. de extremis uolunt. cvii. §. ſi uero bonorum.

Quòd ſi minus agat, ſed tantum rudem quandam in charta deſignationem faciat, neque ulla ex parte cohærentem, & plerunque omni deſtitutam teſtimonio, ſcire debet nullam ſe filiis ea re utilitatem allaturum, & perinde quaſi nihil factum ſit, filios patrimonium diuiſuros. Et arbitri familiæ erciſcundę non coguntur, ut iſtas ſequantur, d. Nouel. Conſt. xvii. §. quod ſi minus.

DE VVLGARI SVBSTITVTIONE.
Titulus X.

POteſt quis in teſtamento ſuo, plures gradus hæredum facere, utputa SI ILLE HAERES NON ERIT. ILLE HAERES ESTO, & deinceps in quantum uelit teſtator ſubſtituere, Inſti. de uulg. ſubſt. in princ. & ff. de uulg. & pupill. l. poteſt quis, xxxiiii. aliàs xxxvi.

Hæredes, aut inſtituti dicuntur, aut ſubſtituti: inſtituti dicuntur primo gradu: ſubſtituti ſecundo, uel tertio, ff. eod. l. prima, in princ.

Et plures in unius locum poſſunt ſubſtitui, & unus in plurium, uel ſinguli in ſingulorum, uel inuicem ipſi, qui hæredes inſtituti ſunt, Inſt. de vulg. §. & plures, & ff. eod. d. l. poteſt quis, §. ſi.

Qui patrem, & filium pro parte hæredes inſtituerat, & inuicem ſubſtituerat: reliquis cohæredibus datis, poſt complectũ aſſem ita ſcripſit. HOS OMNES INVICEM SVBSTITVO. magis uerisimile eſt, commemoratione OMNIVM Teſtatorem ad cæteros tantum eam ſcripturam tranſtuliſſe pro

pter

pter ſpecialem inter patrem,& filium ſubſtitutionem,ff. de uulg. & pupil.l.co hæredi,xxxix.aliàs xli.§.qui patrem.

Qui plures hæredes inſtituit,ita ſcripſit. EOSQVE OMNES INVICEM SVBSTITVO: poſt aditam à quibuſdam hæreditatem uno eorum defuncto, ſi conditio ſubſtitutionis extitit, alio hærede partem ſuam repudiante, ad ſuperſtites tota portio pertinebit: quoniam inuicem in omnem cauſam ſinguli ſubſtituti uidebuntur. vbi enim quis hæredes inſtituit, & ita ſcribit EOSQVE INVICEM SVBSTITVO: hi ſubſtituti uidebuntur, qui hæredes extiterunt,ff. de vulg.& pupil.l.qui plures, xxiii.

Si in teſtamento hæredes ſcripti, ita alicui ſubſtituti fuerint, vt ſi is hæres non eſſet, quiſquis ſibi hæres eſſet: is in partem quoque deficientis eſſet hæres, pro qua parte quiſque hæres extitiſſet, pro ea parte eum quoque in portionem deficientis uocari placet, neque intereſſe, iure inſtitutionis, quiſque ex maiore parte hæres factus eſſet, an uero per legem alteram partem uindicaſſet, ff. eo. l.ſi in teſtamento,v.

Et ſi ex diſparibus partibus hæredes ſcriptos inuicem ſubſtituit, & nullam mentionem partium in ſubſtitutione habuerit, eas uidetur in ſubſtitutione dediſſe, quas in inſtitutione expreſsit, Inſt.de vulg.ſubſt.§. & ſi ex diſparibus, & ff. de vulg.l.qui liberis,viii.in fi.

Si plures ſint inſtituti ex diuerſis partibus, & omnes inuicem ſubſtituti plerunq; credendum eſt, ex eiſdem partibus ſubſtitutos, ex quibus inuicem inſtituti ſunt, vt ſi forte unus ex uncia, ſecundus ex octo, tertius ex quadrante ſit Inſtitus: repudiante tertio in nouem partes diuidatur quadrans, feratque octo partes, qui ex beſſe inſtitutus fuerat: unam partem, qui ex uncia: niſi forte alia mens fuerit teſtatoris, quod uix credendum eſt, niſi euidenter fuerit expreſſum,ff. de vulg. & pupil.l. ſi plures,xxii. aliàs xxiiii.& l.cum ex filio,xxxix. §.quidam quatuor, & C. de impub.& aliis ſubſti. l. prima.

Sed ſi inſtituto hæredi, cohærede ei ſubſtituto dato, alius ſubſtitutus fuerit ad utramque partem ſubſtitutus admittitur, Inſt. de vulg.§. ſed ſi inſtituto, & ff. de vulg.l.ſi Titius,xxv.aliàs xxvii.

Item cohæredi ſubſtitutus, priuſquàm hæreditatē adiret, aut conditio ſubſtitutionis exiſteret, uita deceſsit, ad ſubſtitutum eius (ſiuè ante ſubſtitutionem, ſiuè poſtea ſubſtitutus ſit) utraque portio pertinebit: nec intererit, prior ſubſtitutus poſt inſtitutum, an ante decedat: ex his uerbis EOSQVE INVICEM SVBSTITVO non adeuntis portio ſcriptis hæredibus pro modo ſibi uel alii quæſitæ portionis defertur,ff.de vulg.l.cohæredi,xli.in prin.

Si Titius cohæredi ſuo ſubſtitutus fuerit: deinde ei Sempronius, uerius eſt: in vtranque partem Sempronium ſubſtitutum eſſe,ff.de vulg.l.ſi Titius, xxvii.

Quidam teſtamento Proculum ex parte quarta,& Quietum ex parte dimidia, & quarta hæredem inſtituit. Deinde Quieto Florum. Proculo Soſiam hæredem ſubſtituit: Deinde ſi neque Florus, neque Soſia hæredes eſſent: tertio gradu ex parte dimidia,& quarta Coloniam Lepititanorum, & ex quarta complures hæredes ſubſtituit, in plures, quàm tres uncias. Quietus hæreditatem adiit. Proculus & Soſia uiuo teſtatore deceſſerunt, quadrās Proculo datus ad Quietum pertinet, non ad ſubſtitutos tertio gradu, qui ex uoluntate patrisfamiliàs, ita demum ſunt ſubſtituti ſi tota hæreditas uacaſſet, idque apparet euidenter ex eo, quod plures, quàm xii. uncias, inter eos diſtribuiſſet, ff. de uulga.l. quidam xxx.

Qui

Qui complures hæredes ex disparibus partibus instituerat,& in his Attilium, si Attilius non adierit,cæteros ex eisdem partibus, quibus instituit, hæredes ei substituerat: Deinde si Attilius non adiisset, Titium cohęredem iis,qui substituti sunt adiecit. Titius uirilem partem cæteri hæreditarias partes habebūt ueluti si tres fuissent: Titius quartam partem Attilianæ partis habebit, reliquarum partium hęreditarias partes ex quibus instituti erant reliqui habituri sunt. Quòd si non solum Titium,sed etiam alios adiecisset hæredes, hi quidem uiriles partes habebunt; ueluti si tres puta cohæredes fuissent substituti, extranei duo adiecti: hi quintas partes Attilianæ partis, reliqui autem cohæredes hæreditarias partes habituri sunt, ff. de uulga. l. qui complures, xxx. aliàs xxxii.

Quidam quatuor hæredes scripserat,& omnibus hæredibus præter unum substituerat,unus ex illis,cui non erat quisquam substitutus,& ex cæteris alter uiuo patrefamiliàs decesserat. Pars eius,cui nemo erat substitutus, ad substitutum quoque pertinebit,ff.de vulg.l.cum ex filio,xxxix. §. fi.

Qui discretas portiones coniunctis pluribus separatim dedit, ac post omnem institutionis ordinem, ita scripsit QVOS HAEREDES MEOS INVICEM SVBSTITVO: coniunctos primo loco uicè mutua substituere uidetur: quibus institutionum partibus non agnoscentibus cæteros omnes cohæredes admitti, ff. eod.l.cohæredi,xli.§. qui discretas.

Nemo institutus,& sibi substitutus,sine causæ mutatione quicquam proficit,sed hoc in uno gradu, cæterum si duo sunt gradus potest dici ualere substitutionem,ff.de uulg.l.sed si plures,viii.aliàs x.§.nemo.

Si ita quis substitutus sit: TITIVS HAERES ESTO: SI SECVNDVS HAERES NON ERIT, Deinde SECVNDVS HAERES ESTO: placet primo gradu secundum hæredem esse institutum, ff.de hæred. instit.l. si ita quis, xxviii.

Si sub conditione, quis hæres scriptus sit,pure autem substitutus causa mutatur, quoniam potest ex institutione deficere conditio,& substitutio aliquid afferre. sed si extiterit conditio duæ puré sunt, & ideo nullius momenti erit substitutio. Contra si pure quis instituatur,deinde sub conditione sibi substituatur. nihil faciet substitutio conditionalis, nec mutata causa intelligitur, quippe cum extiterit conditio, duæ pure sunt institutiones, ff. eod. l.ultima. §. sed si sub conditione.

Ei,cui mortis causa donatum est,posse substitui constat in hunc modum: ut promittat alicui si ipse capere non possit,uel sub alia conditione, ff.de mort. cau. donat.l.ei cui,x.

Quandiu prior hęres institutus hæreditatem adire potest,substitutus non potest, ff.de acqui.hæred.l.quandiu, iii.

Hæres instituta matris testamento si successionem ex testamento omisit, & ab intestato bonorum possessionem habere uoluit, substituto locum erit, C. de impub.substi.l.iii.

Si filius,& ex eo nepos posthumus ita hæredes instituantur, ut Gallo Aquilio placuit: & nepoti si is hæres non erit Titius substituatur: Filio hærede existente Titius omnimodo.i.etiam si nepos natus non fuerit excluditur,ff.de vulga. & pupill.l.si mater,xxxi.aliàs xxxiii.§.si filius.

Si quis filiumfamiliàs hæredem instituerit: & ita scripserit SI MIHI TITIVS ISTE FILIVSFAMILIA'S HAERES NON ERIT. SEMPRO-

PRONIVS HAERES ESTO: filio adeunte iuſſu patris ſubſtitutus excluditur, ff. de acqui. hær. l. ſi quis filiumfamil. vii. in princ.

Quo gradu hæres liberis ſubſtituatur nihil intereſt, ff. de vulga. l. quo gradu, xi. aliàs xiii.

Poſt aditam hæreditatem directæ ſubſtitutiones non impuberibus filiis factę expirare ſolent, C. de impub. l. quinta.

DE PVPILLARI SVBSTITVTIONE, *Titulus XI.*

Liberis ſuis impuberibus, quos in poteſtate quis habet, non ſolum poteſt ſubſtituere uulgariter, ideſt, ut ſi hęredes ei non extiterint, alius ſit ei hęres: ſed eo amplius, ut ſi hæredes ei extiterint, & adhuc impuberes mortui fuerint, ſit eis aliquis hæres. Quo caſu ſiquidem non extiterit hæres filius ſubſtitutus patri fit hæres: Si uerò extiterit hæres filius, & ante pubertatem deceſſerit: ipſi filio fit hæres ſubſtitutus. Nam moribus inſtitutum eſt, ut cum eius ætatis filii ſint in qua ipſi ſibi teſtamentum facere non poſſunt, parentes eis faciant, inſt. de pupil. ſubſtitu. in princ. & C. de impub. & aliis ſubſt. l. ſi teſtamento, vii. & ff. de vulg. l. prima. §. hæredis ſubſtitutio.

Filio impuberi in ſingulas cauſas alium, & alium hęredem ſubſtituere poſſumus ueluti ut alius, SI SIBI NVLLVS FILIVS FVERIT, & alius FILIVS FVERIT, ET IMPVBES MORTVVS FVERIT HAERES SIT, ff. de vulg. l. cum ex filio, xxxix. §. filio.

Qui filio impuberi ſubſtituitur ita, SI FILIVS MEVS MORIETVR PRIVSQVAM IN TVTELAM VENIAT, TVNC TITIVS MIHI HAERES ESTO: hæreditas uindicatur, perinde ac ſi uerbum hoc MIHI adiectum non eſſet, ff. de bonor. poſſeſſ. ſecund. tabul. l. octaua, §. qui filio.

Hac ratione proſpectum eſt, ut ſi qui mente captos habeant filios, uel nepotes, uel pronepotes, cuiuſcunque ſexus, uel gradus, legitima portione ei, uel eis relicta, licet eis, & ſi puberes ſint, ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis deſcendentes perſonas mente captæ ſubſtituere unum, uel certos, uel omnes; ſi uero nullus deſcendat, & teſtatori liberi ſint ſapientes, ad fratres mente capti unũ, uel certos, uel omnes eadem fieri ſubſtitutio oportet. ſin autem recipuerint, eandem ſubſtitutionem infirmari. & hoc ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis, quæ poſtquam pupillus adoleuerit infirmatur, inſt. de pupill. ſubſtit. §. qua ratione, & C. de impub. l. humanitatis, ix.

In pupillari ſubſtitutione duo quodammodo ſunt teſtamenta, alterum patris, alterum filii, tamquam ſi ipſe filius ſibi hæredem inſtituiſſet: aut certe unum teſtamentum duarum cauſarum, ideſt duarum hæreditatum, Inſt. de pupil. ſubſt. §. igitur in pupill.

Patris, & filii teſtamentum pro uno habetur: Nam ſufficit tabulas, patris eſſe ſignatas, & ſi reſignatæ ſunt filii, Septem ſigna patris ſufficiunt. ſed & ſi pater ſibi per ſcripturam, filio per nuncupationem, uel contrà fecerit teſtamentum ualebit, ff. de vulg. l. patris, & filii, xx.

Ex pupillari teſtamento ſuperius principale, neque ex parte, neque in totum confirmari poteſt, ff. eod. l. ex pupillari, xlii. aliàs xliiii.

Si

Si quis formidolosus sit,ut timeat, ne filius suus pupillus adhuc, eo quod palam substitutum acceperit, post obitum eius periculo insidiarum subiaceat: vulgarem quidem substitutionem palàm facere, & in primis testamenti partibus ordinare debet. Illam autem substitutionem,per quam si hæres extiterit pupillus,& intra pubertatem decesserit, substitutus uocatur: separatim in inferioribus partibus scribere debet, eamque partem proprio lino, propriaque cera consignare,& in priore parte testamenti cauere, ne inferiores tabulæ uiuo filio,& adhuc impubere aperiantur. Illud palam est,non minus ualere substitutionem impuberis filii,quòd in eisdem tabulis scripta sit, quibus sibi quisque hæredem instituisset: quamuis pupillo hoc periculosum sit, Inst. de pupil.substitu.§.sin autem.

Exhæredato miles, & emancipato filio substituere potest, uerum hoc ius in his exercebitur,quæ ab ipso ad eum,cui substituit,peruenerint: non etiam in his, quæ habuerit,uel postea adquisierit. Nam & si filio suo,uiuo adhuc auo,substituit:post adquisitam ei aui hæreditatem nemo diceret ad substitutum pertinere,ff. de mil.test.l.miles,xli.§.exhæredato,& l.milites, v.

Si is,qui ex bonis testatoris solidum capere non poterat,substitutus sit, ab eo impuberi filio eius : solidum ex ea causa capiet, quasi à pupillo capiat.ita tamen, si pupillo aliquid præterea adquisitum esset,quia non impeditur capere, quasi à pupillo capiat,ff.de vulg.subst.l.si is,qui, vi.

Si is,qui hæres institutus est,filio substitutus sit: nihil oberit ei in substitutione, si tunc capere possit,cum filius decessit.contrà quoque potest pœnas in testamento pupilli pati,licet in patris passus non sit,ff. de pupill.subst.l.si is, qui hæres,ix. aliàs xi.

Quæcunque dicta sunt,de substitutione impuberum liberorum, uel hæredum institutorum: eadem etiam & de posthumis intelliguntur, Inst.de pupill.subst.§. non solum,vers.quæcunque.

Et posthumum suum filio impuberi potest,quis substituere,ff.de vulg.l.secunda. §.prius autem. ¶Et substitui liberis is,etiam potest,qui post mortem eius natus fuerit, cui substitutus hæres fuerit,ff.de vulg.& pupil.l.substitui,xv. aliàs xvii. ¶Nam quos possum hæredes mihi facere necessarios,possum & filio: ut fratrẽ suum quamuis in rebus humanis nondum sit. Igitur posthumus erit fratri hæres necessarius, ff.de vulg.& pupill l.sed si plures,viii.aliàs x.§.quos possum.

Si pater filium impuberem hæredem scripserit,& ei substituerit. SI QVIS SIBI POST MORTEM NATVS FVERIT: deinde uiuo fratre posthumus natus erit: testamentum rumpetur, post mortem autem fratris uiuo patre natus, solus hæres patri suo existet, ff. de vulga.l. si pater filium, xxiiii. aliàs xxvi.

Si pater filium post testamentum natum ex besse: filiam autem post testamentum natam ex triente scripsit hęredem:nec ullum cohæredem dedit, nec substituit inuicem: nec alium.unns na tus so lus ex testamẽto fit hres,ff.de lib. & posth. l.filius à patre,xxviii.§.fi.

Qui filium habebat mutum puberem,impetrauit à Principe, ut muto substituere ei liceret, & substituit Titium. Mutus duxit uxorem post mortem patris, & nascitur ei filius rumpitur substitutio, ff.de vulg.l. ex facto, xli. aliàs xliii. in princip.

Quidam prægnantem habens coniugem scripsit hæredem ipsam ex parte, uentrem uero ex alia parte,& adiecit SI NON POSTHVMVS NATVS FVERIT,

FVERIT, ALIVM SIBI HAEREDEM ESSE, posthumus aūt natus impubes decesit: substitutio quidem uiua matre respuenda est, Tunc autem substitutio omnino est admittenda, cum posthumus minime editus fuerit, uel post eius partum mater prior decesserit, C. de instit. uel substit. l. fin.

Liberis aūt suis testamentum nemo facere pōt, nisi & sibi faciat: nā & pupillare testamentū pars, & sequela est paterni testamenti, adeo ut si patris testamentum non ualeat: nec filii quidē ualebit, aut nisi adita quoq; patris hæreditas sit pupillare testamentum euanescat, Inst. de pup. subst. §. liberis autem, & ff. de vul. & pupil. l. prima, §. fi. & l. secunda, §. quisquis. Planè si omissa causa principalis testamenti, ab intestato possidetur hæreditas: dicendum est, & pupillo substitutum seruandum, d. l. secunda, §. quisquis vers. plane.

Interdum ēt pupillaris testamenti causa compellitur hæres institutus adire hæreditatem, ut ex secundis tabulis fideicommissum conualescat: utputa si iam pupillus decesit. cæterùm si iam uiuat: improbus esse existimatur is, qui sollicitus sit de uiui hæreditate. Ergo etiam si minor xxv. annis adeundæ hæreditatis causa fuerit restitutus: hoc proficit substituto, ut habeat utiles actiones, d. l. secunda, §. interdum.

Prius aūt sibi quis debet hęredem scribere, deinde filio substituere, & nō conuertere ordinem scripturæ. Cęterùm si antè filio, deinde sibi testamentū faciat: non ualet. Et meritò, constat. n. unum esse testamentū, licet duæ sint hæreditates: usq; adeo, ut quos quis sibi facit necessarios, eosdē ēt filio faciat, & posthumū suū filio suo impuberi possit q.s substituere, ff. de vulg. l. scd'a. §. prius aūt.

Sed si quis ita fuerit testatus, SI FILIVS MEVS INTRA XIIII. ANNVM DECESSERIT, SEIVS HAERES ESTO, & deinde FILIVS HAERES ESTO: ualet substitutio licet conuersa scriptura filii testamentum fecerit. Sed si ita scripserit SI FILIVS MEVS MIHI HAERES NON ERIT, SEIVS HAERES ESTO: secundo quidem gradu Seius scriptus est hæres, & si filius hæres non extiterit, proculdubio Seius ei hæres erit, sed si extiterit filius hæres, & intra pubertatem defunctus est Seius admittēdus rectè uidetur: ut nō ordo scripturæ, sed ordo succesionis spectetur. Quod igitur dictum est, singulis liberorum substituere licere: ideo adiectum est, ut declaretur, non esse à filii impuberis testamento incipiendum, d. l. secunda, §. sed si quis.

Si suo testamento perfecto, alia rursus hora pater filio testamentum fecerit, adhibitis legitimis testibus: nihilominus id ualebit, & tamen patris testamentum ratum manebit, nā & si sibi, & filio testamentum pater fecisset, deinde sibi tantum, utrumque superius rumpetur. sed si secundum testamentum ita fecerit pater, ut sibi hæredem instituat, si uiuo se filius decedat: potest dici, non rumpi superius testamentum: quia secundum non ualet, in quo filius præteritus sit, ff. de vulg. l. si quis eum, xiiii. aliàs xvi. §. si suo.

Vel singulis liberis: uel ei, qui eorum nouisimo impubes morietur substitui pōt, singulis quidem si neminem eorum intestatum decedere uoluerit: nouissimo si ius legitimarum hęreditatum integrum inter eos custodiri uelit, Inst. de pupil. §. uel singulis, & ff. de vulg. & pupil. l. uel singulis, xxxvii.

Qui plures liberos habet, potest quibusdam substituere, neque utique necesse habet omnibus, sicuti potest nulli substituere, ff. de vulg. & pupil. l. qui plures, xxxvi. aliàs xxxviii. in princ.

Hoc iure utimur, ut cū pater impuberi filio in alterum casum substituit, in utrunque casum substituisse intelligatur, siue filius hæres non extiterit, siue extiterit,

rit.& impubes decesserit. Quod ius ad tertium quoque genus substitutionis tractum esse uidetur, nam si pater duos filios impuberes hęredes instituat, eosq; inuicem substituat, in utrunque casum reciprocam substitutionem fecisse uidetur, ff. de uulga. & pupil. l. iam hoc iure, iiii. in princ.

Sed si alter pubes, alter impubes, hoc communi uerbo EOSQVE INVICEM SVBSTITVO sibi fuerint substituti: in uulgarē tantummodo casum facta uidetur substitutio, incongruens. n. uidebatur, ut in altero duplex esset substitutio, in altero sola uulgaris. Hoc itaq; casu singulis separatim substituere pater debebit, ut si pubes hæres non extiterit, impubes ei substituatur, & si intra pubertatem decesserit: pubes frater in portionem cohæredis substituatur, d. l. iā hoc iure. §. si alter.

In substitutione, SI MIHI FIRMIANVS FILIVS, ET AELIA VXOR MEA HAEREDES NON ERVNT IN LOCVM EORVM PVBLIVS FIRMIANVS HAERES ESTO: manifestum est, in eum casum factam substitutionem, quo utrique hæredum substitui potuit, C. de impuber. l. quamuis, iiii.

Substitutio testamento patris facta ad pubertatis tempora porrigi non pōt, quia ipso & aliis non eiusdem conditionis hæredibus institutis, & inuicē substitutis propter eorum personam, quibus in unum casum duntaxat substitui potest, etiam in filio idem seruari ratio suadet, C. de impub. l. hæreditatem, 2. & C. de test. mili. l. in testamento, vi. in princip.

Sed cum ex testamento militis defuncta paruula eius filia postea, quū hæres extitit patri, cum qua simul æquis portionibus hęres institutus eras substitutione inuicem facta: mater intestatæ filiæ successionē nō defendet, si substitutus probauerit militem proprio priuilegio ēt hæredibus extraneis, postq̄ hæredes extiterint mortuis substituisse, d. l. in testamento, 6. §. sed cum ex testamento.

Maritus quondā tuus miles defunctus, testamento facto hæredē cōem filium uestrum instituit, & secundum hæredē scripsit: dubitatum est, utrum ne in primū casum filio suo, quem habuit in ptāte mortis tempore, an si intra quartū decimum suæ ætatis annum, aut postea decesserit, substituerit. Nam non est incerti iuris, quod si primo tantum casu habuit substitutum, & patri hæres extitit: eo defuncto ad te omnimodo eius pertinere successionem. si uero substitutio, & in secundum casum, uel expressa, uel compendio non usq; ad certā ætatē facta reperiatur: siquidem infra pubertatē decesserit eos habebit hæredes, quos pater substituit, & adierunt hæreditatem. Sin uero post pubertatem: tunc te successionem obtinēte, ueluti ex causa fideicommissi bona, quæ cum moreretur, patris eius fuerint, a te peti possunt, C. de impub. l. precibus, viii.

Lucius Titius legitimum filium, & alterum naturalem hæredes instituit. eosque inuicem substituit legitimus filius, quem pater anniculum reliquit, post patris mortem impubes decessit, superstite matre, & fratre naturali, quem ēt cohæredem habebat. Ad primum casum non existentium hæredum substitutionem de qua quæritur pertinere responsum est, non ad sequentem, si quis eorum postea decessisset intra pubertatem: cum in naturalis filii persona duplex substitutio locum habere non possit, & ideo ad matrē legitimi filii hęreditas ab intestato pertinet. Aliter si eiusdē ætatis liberi instituti, inuicēq; substituti essent: Tunc. n. altero defuncto intra pubertatem, eius successio non ad matrem, sed ad substitutum deuoluitur, ff. de vulg. & pupil. l. Lucius, xliii. aliàs xlv. in prin.

Paterfamiliàs, primis tabulis posthumo hærede instituto, scd'is sibi uel filio, si intra

tra pubertatē decessisset, Caium Seium fratrē suum substituit, deinde Titium Caio Seio, & postea sic dixit. QVOD SI CAIVS SEIVS FRATER MEVS PRIMO LOCO SVBSTITVTVS, HAERES MIHI ERIT, TVNC TITIO FIDEICOMMISSVM RELINQVO. Quæritur, cùm filius patri hæres extiterit, eoq; intra pubertatē mortuo frater testatoris ex substitutione hęres sit: an fideicommissum debeatur, cùm ita relictū sit, si Caius Seius frater suus sibi hæres extitisset? Responsū est. defuncti fratrē, qui in utrunque casum substitutus est, filio impubere defuncto, ea quæ testator reliquit præstare debere. nec aduersari hæc uerba. QVOD, SI CAIVS SEIVS MIHI HAERES ERIT, TVNC DARI VOLO: cùm uerum sit, eum testatori hæredem extitisse, ff. eod. l. paterfamiliàs, xliiii. aliàs xlvi.

Substituitur autem impuberi, aut nominatim ueluti TITIVS HAERES ESTO, aut generaliter, ut QVISQVIS MIHI HAERES ERIT. quibus uerbis uocantur ex substitutione impuberis mortuo filio illi, qui scripti sunt hæredes, & extiterunt, & pro qua parte hęredes facti sunt, Inst. de pupil. subst. § substituitur.

Qui liberis impuberibus substituit, aut purè, aut sub conditione solet substituere: Purè sic, SI FILIVS MEVS INTRA PVBERTATEM DECESSERIT, SEIVS HAERES ESTO. siue Seius iste hæres institutus sit, & impuberi substitutus, siue solum substitutus nullam habet conditionem, sub conditione autem institutū si substituat, idest. SI MIHI HAERES ERIT: non alias existat hæres ex substitutione, nisi ex institutione hæres fuerit. cui similis est, & hæc substitutio, QVISQVIS MIHI EX SVPRASCRIPTIS HAERES ERIT: habet enim in se eandem conditionem, ff. de vul. & pupil. l. qui liberis, viii. in princ.

Hæc uerba: QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, IDEM IMPVBERI FILIO HAERES ESTO, hunc habet sensum, ut ei non omnis, qui patri hæres extiterit, sed is, qui ex testamento hæres extiterit, substitutus uideatur, & ideo neque pater, qui per filium hæres extitit ad substitutionem admittitur, sed neque hæredis hæres: quia non ex iudicio ueniunt. Partes quoque eædem ad substitutos pertinent, quas in ipsius patrisfamiliàs habuerunt hæreditate, d. l. qui liberis, §. fin.

In substitutione filio ita facta, QVISQVIS MIHI EX SVPRASCRIPTIS HAERES ERIT, IDEM FILIO HAERES ESTO: quæritur, quisquis hæres quandoque fuerit, intelligatur: an quisquis tum hæres erit, cùm filius moriatur? placuit prudentibus, si quandoque hæres fuisset, quamuis enim uiuo pupillo hæres esse desiisset (fortè ex causa de inofficioso, quæ pro parte mota est) futurum tamen eum hæredem ex substitutione, creditum est. Non simili modo in hac specie dicendum est: si quis cùm filios duos haberet, Caium puberem, Lucium impuberem, ita filio substituisset: SI LVCIVS FILIVS MEVS IMPVBES DECESSERIT, NEQVE MIHI CAIVS FILIVS HAERES ERIT, TVNC SEIVS HAERES ESTO: nā ita prudentes hoc interpretati sunt, ut ad impuberis mortem conditio substitutionis esset referenda, ff. eod. l. in substitutione, xxxi.

Pater eos, quos sibi hæredes instituerat, filiis ita substituit, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT: unus ex hæredibus institutis, qui tacitā fidē accommodauerat, ut non capienti partē ex eo, quod acceperat, daret: ad substitutionem impuberis admissus est: sed qui in fraudē legū fidē accōmodet, adeundo

hæres efficitur, nec desinet hæres esse, licet res, quæ ita relictę sunt auferantur. Vnde & ex secundis tabulis in tantum hæres esse potest, inquantū scriptus est. satis enim punitus est in eo, in quo fecit contra leges, quin imò & si desineret hæres esse idem dicitur, ff. de uulg. & pupil. l. ex facto, xli. aliàs xliii. §. Iulius, aliàs Iulianus.

Ex duobus impuberibus ei, qui supremus moreretur hæredem substituit, si simul morerentur, utrique hæres erit, quia supremus non is demum, qui post aliquē, sed etiam post quem nemo sit intelligitur. Sicut è contrario, proximus non solùm is est, qui ante aliquem, sed etiam is, ante quem nemo sit intelligitur, ff. eod. l. ex duobus impuberibus, xxxiiii. in princ.

Si Pater filio impuberi eosdem, quos sibi, & te unum præterea hæredē instituit: bonorum filii te dimidium, cæteros patris hæredes communiter dimidium ita habere, ut unus semis apud te maneat, alterius semissis pro his partibus in hæredes paternos diuisio fiat, quibus ex partibus hæreditatem paternam haberent, ff. de vulg. & pupil. l. si pater filio, ix.

Si quis duobus hæredibus institutis, filio suo impuberi eos, una cum alio tertio substituerit, & uerba testamenti ita composuerit QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, ET TITIVS, FILIO MEO HAERES ESTO, in hac specie tres sunt substituti in trientes uocati. At si quis ita hæredem scripserit TITIVS VNA CVM FILIIS SVIS, ET SEMPRONIVS HAEREDES MIHI SVNTO: Dimidia pars Titio cum filiis altera uero pars Sempronio assignabitur, C. de impub. & aliis, l. ultima.

Si plures sint ita substituti, QVISQVIS MIHI EX SVPRASCRIPTIS HAERES ERIT. deinde quidam ex illis posteaquàm hæredes extiterunt patri, obierint: soli superstites ex substitutione hæredes existent pro rata partium, ex quibus instituti sunt, nec quicquam ualebit ex persona defunctorum, ff. de vulg. & pupill. l. sed si plures, x. in princ.

Si omnes instituti hæredes, omnes inuicem substituti essent eius portionem, qui quibusdam defunctis, postea portionem suam repudiauit: ad eum solum, qui eo tempore superuixit, ex substitutione pertinere placuit, ff. de vulg. & pupill. l. Lucius, xlv. §. fin.

Qui plures hæredes instituit, ita scripsit EOSQVE OMNES INVICEM SVBSTITVO. post aditam à quibusdam ex his hæreditatem, uno eorum defuncto, si conditio substitutionis extitit, alio hęrede partem suam repudiante, ad superstites tota portio pertinebit: quoniam inuicem in omnem casum singuli substituti uidebuntur. Vbi enim quis hæredem instituit, & ita scribit, EOSQVE INVICEM SVBSTITVO: hi substituti uidebuntur, qui hęredes extiterunt, ff. de vulg. & pupil. l. qui plures, xxiii.

Si pater impuberes filios inuicem substituerit, & ei, qui nouissimus mortuus fuerit Titium, soli fratres bonorum possessionem accepturi sunt, & quodammodo duo gradus huius institutionis sunt facti, ut primo fratres inuicem substituerentur si illi non essent: tunc Titius uocaretur, ff. de vulg. & pupil. l. si pater impuberes, xxiii. aliàs xxv.

Cum in testamento ita scribitur SI FILIVS ME VIVO MORIETVR, NEPOS EX EO POST MORTEM MEAM NATVS HAERES ESTO: duo gradus hæredum sunt. nullo enim casu, uterque ad hæreditatem admittitur. ex quo apparet, si nepoti Titius substitutus fuerit, & filius patri hæres extiterit: non posse Titium una cum filio hæredem esse: quia non in primum,

sed

sed in secundum gradum substituitur. Hæc uerba, PVBLIVS, MARCVS, CAIVS INVICEM SVBSTITVTI, HAEREDES MIHI SVNTO: sic interpretanda sunt, ut breuiter uideatur testator tres instituisse hæredes, & inuicem eos substituisse: perinde ac si ita scripsisset, ILLE, ET ILLE, ET ILLE INSTITVTI HAEREDES, ET SVBSTITVTI SVNTO. Qui tres filios habebat, & ita scripserat, FILII MEI HAEREDES SVNTO, PVBLIVS FILIVS MEVS EXHAERES ESTO: uideri potest prima parte duos duntaxat filios hæredes instituisse, ff. de hæredib. instit. l. cum in testamento, xxxvii. in princ.

Cum pater impuberi filiæ, quæ nouissima diem suum obiisset, tabulas secundas fecisset, & impubes filia superstite sorore pubere uita decessisset: irritam factā esse substitutionē placuit, in persona quidē prioris, quia nō nouissima decessit in alterius uerò, quia puberem ætatē cōpleuit, ff. eo. l. cohæredi, xli. §. cū pater.

Non uidetur cum uitio facta esse substitutio, his uerbis ILLE FILIVS MEVS SI (QVOD ABOMINOR) INTRA PVBERTATIS ANNOS DECESSERIT: TVNC IN LOCVM PARTEMVE EIVS TITIVS HAERES ESTO: non magis, quàm si post demonstratam conditionem sibi hæredem esse substitutum iussisset. Nā & quis certæ rei hæres instituitur cohærede non dato: bonorum omnium hæreditatem obtinet, d. l. cohæredi, §. fi.

Qui duos impuberes filios hæredes reliquerat, ita substituit, SI AMBO MORTVI ESSENT: deinde pueri post mortē patris simul perierunt. Duæ hæreditates substituto deferuntur. sed si diuersis tēporibus uita decedāt: in hæreditate nouissimi pueri, eius fratris, qui antè mortuus est, hęreditatē substitutus inueniet: sed in rōne Falcidiæ pueri prioris hæreditas nō ueniet: nec substitutus amplius, q̃ sex uncias iure testamēti desiderabit: legata quoq;, quę à substituto eius filii data sunt, qui prior intestatò decessit ad irritū recidūt, ff. de vul. & pup. l. qui, xlii.

Cum quidā duobus impuberibus filiis hæredibus institutis adiecerit SI VTERQVE IMPVBES DECESSERIT. Illum sibi esse hæredem; placuit substitutionem tunc locum habere, cum uterque decesserit: cogitasse enim patrem, primo decedente fratrem suum in eius portionem succedere, unde substitutus non aliter admittetur, nisi uterq; eorum in prima ætate decesserit, C. de impub. & aliis substi. l. cum quidam, x.

Qui habebat filiū, & filiā impuberes, instituto filio hærede, filiā exhæredauerat: at si filius intra pubertatem decessisset, filiam eidem substituit. sed si filiæ ante quàm nuberet decessisset, uxorem & sororem substituit: Cum filia impubes prior decesserit, deinde frater hęreditas filii ad uxorem, & sororem non pertinet, ff. de uulg. & pup. l. penul. siue finali.

Masculo, usq; ad quatuordecim annos substitui pōt, fœminæ usq; ad xii. annos, & si hoc tēpus excesserit substitutio euanescit, inst. de pupil. substi. §. masculo.

Quod sic erit accipiendū, si sunt in ptāte cæterū emācipatis nō possumus, posthumis planè possumus, nepotib. ēt possumus, & deinceps si qui nō recasuri sunt in ptāte patris. sed si eos pater præcedat ita demū substitui eis pōt, si hæredes instituti sint, ita. n. post legē Velleiā succedēdo nō rūpunt testm̄: Nā si principale testm̄ ruptum sit, & pupillare euanuit, ff. de uulg. & pup. l. secunda in princ.

In pupillari substitutione, licet longius tēpus cōprehensum fuerit: tamen finietur substitutio pubertate, ff. de vulg. & pupilla. l. in pupillari, xii. aliàs xiii.

Verbis ciuilibus substitutionē post decimum quartum annum ætatis frustra fieri cōuenit, sed qui nō admittitur, ut substitutus, ut adiectus hæres quandoque

non erit: ne fiat contra uoluntatem, si filius non habeat totum interim, quod ei testamento pater dedit, ff. eod. l. uerbis ciuilibus, vii.

Centurio filio, si intra uicesimum & quintum ætatis annum, sine liberis uita decesserit, directò substituit: intra quatuordecim annos etiam propria bona filii substitutus iure communi capiet: post eam autem ætatem ex priuilegio militum patris duntaxat, cum fructibus inuentis in hæreditate, ff. eod. l. centurio, xiii, aliàs xv.

Si mater ita testetur, ut filium impuberem, cùm erit annorum quatuordecim, hæredem instituat, eique in pupillaribus tabulis, SI SIBI HAERES NON ERIT, alium substituit: ualet substitutio, ff. de vulga. & pupil. l. mater, xxxi. aliàs xxxiii. in princip.

Et ad breue tempus ætatis substituere potest, ut puta SI FILIVS MEVS INTRA ANNVM DECIMVM DECESSERIT, TITIVS EI HAERES ESTO. Itaque & si diuersos substituat, post finem ætatis, admittendum erit: ueluti SI INTRA ANNVM DECIMVM DECESSERIT, TITIVS EI HAERES ESTO: SI POST DECIMVM, INTRA DECIMVM QVARTVM, MAEVIVS HAERES ESTO, ff. eod. l. qui plures, xxxvi. aliàs xxxviii. in princ.

Si ita quis substituerit, SI FILIVS MEVS INTRA DECIMVM ANNVM DECESSERIT SEIVS HAERES ESTO: Deinde hic ante quartum decimum annum post decimum decesserit substitutus bonorum possessionem non potest petere, non enim uidetur in hunc casum substitutus, ff. de vulg & pupil. l. si ita quis, xix. aliàs xxi.

Si ita facta proponatur substitutio, FILIVS MEVS, SI INTRA DECIMVM ANNVM DECESSERIT, TITIVS HAERES ESTO: SI INTRA DECIMVM QVARTVM, MAEVIVS. Filiusque octo annorum decesserit: Titius solus ex substitutione ei hæres erit, magis autem est, in utroque substituto tempus suum separatim seruari: nisi cōtraria uoluntas testatoris apertè ostendatur, ff. de vulg. & pupill. l. ex facto, xli. aliàs xliii. §. item quæro, & ff. de bon. poss. secun. tab. l. secunda, §. si primus.

Si pater filium suum impuberem ex asse scripserit hæredem, eiq; codicillis substituerit, deinde filius pubes decesserit, licet substitutio inutilis sit (quia codicillis hæreditas, neque dari, neque adimi potest) tamen benigna interpretatione placet, ut frater, qui ab intestato pupillo succesit, substitutis fideicommisso obligetur, ff. ad Trebel. l. Scæuola, lxxvii.

Cùm filiæ, uel nepoti, qui locum filii tenuit, aut post testamentum cœpit tenere, parens substituit: siquis ex his mortis, quoque tempore non fuerit in familia, substitutio pupillaris fit irrita. Quod si hæredem filium pater rogauerit, si impubes diem suum obierit, Titio hæreditatem restituere legitimus hæres filii, salua Falcidia, cogetur patris hæreditatem, ut ab impubere fideicōmisso post mortem eius dato, restituere placuit. Nec aliud seruandum, cùm substitutionis conditio puberem ætatem uerbis precariis egreditur: Quæ ita locum habebunt, si patris testamentum iure ualuit. alioquin si non ualuit ea scriptura, quam testamentū esse uoluit codicillos non faciet, nisi hoc expressum est: nec fideicommisso propriæ facultates filii tenebuntur. Et ideo si pater filiū exhæredauerit, & ei nihil reliquerit: nullum fideicommissum erit. Alioquin si legata, uel fideicommissa filius acceperit; intra modum eorum fideicommissum hæreditatis à filio datum, citra Falcidiæ rationem debebitur, ff. de vulg. & pupil.

l. cohæ-

l.cohęredi,xxxix.aliàs xli.§.non filio.

Lex Cornelia,quæ teſtamenta eorum,qui in hoſtium poteſtate deceſſerunt, confirmat: non ſolùm ad hęreditatem ipſorum,qui teſtamenta fecerunt,pertinet: ſed ad omnes hæreditates, quæ ad quemque ex eorum teſtamento pertinere potuiſſent,ſi in hoſtium poteſtatem non perueniſſent. Quapropter cùm pater in hoſtium poteſtate deceſſerit,filio impubere relicto in ciuitate,& ſi intra tẽpus pubertatis deceſſerit: hæreditas ad ſubſtitutum pertinet, perinde ac ſi pater in hoſtium poteſtate non perueniſſet. Sed ſi pater in ciuitate deceſsit,filius impubes apud hoſtes: ſiquidem mortuo patre filius in hoſtium poteſtate peruenerit: non incommodè dicitur,hæreditatem eius, ex ea lege ad ſubſtitutos pertinere. Si uerò uiuo patre filius in hoſtium poteſtate peruenerit, legi Cornelię locus non erit: quia non efficitur per eam, ut is qui nulla bona in ciuitate reliquit,hęredes habeat. Quare & ſi pubes filius uiuo patre captus fuerit, deinde mortuo in ciuitate patre, in hoſtium poteſtate deceſſerit: patris hæreditas,non filii ex lege Cornelia ad cognatos proximos pertinet, ff. de vulg. & pupil.l.xxvi.aliàs xxviii.

Pater inſtituto impuberi filio ſubſtituerat,& ab hoſtibus captus ibidem deceſſerat. poſtea defuncto impubere,ſubſtitutio ſuas uires neceſſariò tenet, quoniã pater, qui non rediit iam tunc deceſsiſſe intelligitur, ex quo captus eſt, ff.de capt.l.pater inſtituto,x.in princip.

Si mortuo patre capiatur impubes inſtitutus,uel exhæredatus, captiui etiam impuberis legitima hæreditas defertur: quamuis lex Cornelia de ſecundis tabulis non ſit locuta,& ideo non eſt alienum, non minus ex patris, quàm legis uoluntate,utiles actiones in hęreditatẽ ſubſtituto dari,d.l. pater inſtituto,x.§.fi.

Quòd ſi filius ante moriatur in ciuitate: nihil eſt, quod de ſecundis tabulis tractari poſsit: ſiue quoniã uiuo patre filiusfamilias mori intelligitur, ſiue quoniam non reuerſo eo,exinde ſui iuris uidetur fuiſſe: ex quo pater hoſtium poteſtati ſubditus eſt.¶ Sed ſi ambo apud hoſtes ſint,& prior pater decedat: ſufficit lex Cornelia ſubſtituto: non aliter, quàm ſi apud hoſtes,patre defuncto,poſtea filius in ciuitate deceſsiſſet,ff.de captiuis,l.quod ſi filius,xi.

Si pater captus ſit ab hoſtibus,mox filius, & ibi ambo decedant: quamuis prior pater decedat: lex Cornelia ad pupilli ſubſtitutionem non pertinebit: niſi reuerſus in ciuitate impubes decedat: quoniam & ſi ambo in ciuitate deceſsiſſent,ueniret ſubſtitutus,ff.de vulg.& pupil.l.ſi pater captus,xxvi.aliàs xxix.

Cum filio impuberi, ita pater ſubſtituerit, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT IDEM IMPVBERI HAERES ESTO: placuit ad hanc ſubſtitutionem ſcriptos tantummodo admitti,ff.de vulg.& pupil.l.tertia.

Filium impuberem,& Titium hæredes inſtituit, Titio Męuium ſubſtituit. filio, QVIQVIS SIBI HAERES ESSET EX SVPRASCRIPTIS, SVBSTITVIT. Titius omiſit hæreditatem, Mæuius adiit: Mortuo deinde filio magis ei ſoli,ex ſubſtitutione defertur pupilli hæreditas, qui patris quoque hæreditatem adierat,ff.eod.l.ex duobus,xxxii.aliàs xxxiiii §.filium.

Filio impuberi hæredi ex aſſe inſtituto,ſubſtitutus quis eſt,extitit patri filius hæres: non poteſt ſubſtitutus ſeparare hæreditate,ut filii habeat, patris non habeat,ſed aut utriuſque debet hæreditatem habere, aut neutrius, iuncta enim hæreditas eſſe cœpit; Idemque eſt,& ſi pater me hæredem ſcripſerit ex parte, filium ex parte,& ego patris hæreditatẽ repudiauero,nam neque filii hæreditatem habere poſſum,ff.de vul.& pup.l.ſed ſi plures, viii.aliàs x.§.filio.

Si ex

Si ex asse hæres institutus, filio exhæredato substitutus repudiauerit patris hæreditatem, cum non haberet substitutum: non poterit filii hæreditatem adire. Nec enim ualet filii testamentum, nisi patris adita fuerit hæreditas: nec sufficit ad secundarum tabularum uim, sic esse factum testamentum, ut ex eo adiri hæreditas possit, d.l. sed si plures, §. si ex asse.

Si militis hæreditas adita non fuerit: substitutio tamen, quam pupillo fecit, ualet, quia permittitur filio facere testamentum, quamuis sibi non fecerit, ff. de mili. test. l. miles, xli. §. fi.

Ad substitutos pupillares pertinent, & si quæ postea pupillis obuenerint. neque enim suis bonis testator substituit, sed impuberis: ¶ Nisi proponatur milites esse, qui substituit hæredem hac mente, ut ea sola uelit ad substitutum pertinere, quæ à se ad institutum peruenerunt, ff. de vulg. & pupil l. sed si plures, x. §. si ex asse, vers. ad substitutos.

In adrogato autem impubere dicemus ad substitutum eius ab adrogatore datũ non debere pertinere ea, quæ haberet, si adrogatus non esset: sed ea sola, quæ ei ipse dederit adrogator quartam quidem, quam omnimodo debuit ei relinquere, ex rescripto Diui Pii substitutũ habere permittitur adrogatori. Ergo etiam amplius, si quid beneficio adrogatoris acquisiuit, hoc substitutus potest habere, ut puta si adrogatoris amicus, uel cognatus ei aliquid reliquit, d.l. sed si plures, §. in adrogato.

Causa cognita impubes adrogatus decesserat, quemadmodum legitimis hæredibus autoritate principali, prospicitur uinculo cautionis. Ita si fortè substituit naturalis pater impuberi, succurrendum erit substituto. Nam & legitimis hæredibus futuris non aliæ, quàm utiles actiones præstari possunt, ff. de vulg. l. causa cognita, xxxviii. aliàs xl.

Si filius, qui patri ac postea fratri ex secundis tabulis hæres extitit: hæreditatem patris recuset, fraternam autem retinere malit, audiri debet, quia etiam remotis secundis tabulis legitimam haberet fratris hæreditatem. Et legata duntaxat ex secundis tabulis prȩstari debent, habita ratione facultatum in Falcidia, non patris (ut aliàs solet) sed impuberis, ff. de vulga. & pupilla. l. si filius, qui x. aliàs xii.

Si extraneum quis impuberem hæredem scripserit, poterit ei substituere: si modo eum in locum nepotis adoptauerit, uel adrogauerit filio præcedente, ff. de vulg. & pupil. l. secunda in princ. Nam extraneo, uel filio puberi hȩredi instituto, ita substituere nemo potest, ut si hæres extiterit, & intra aliquod tempus decesserit alius ei sit hæres, sed hoc solum permissum est, ut eum per fideicommissum obliget alii hæreditatem eius, uel totam, uel pro parte restituere, inst. de pupill. substitut. §. fi.

COMPEN-

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI.

Omißis ijs, quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperij mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Tertius.

TESTAMENTA QVEMADMODVM APERIANTVR.

Titulus Primus.

VT testamentum factum proferatur, & publice recitetur competens iudex iubebit, C.quemad.test.aperian.l.prima.

Non omnes tabulas prætor sequitur, sed supremas, hoc est eas, quæ nouissimè ita sunt factę, ut post eas nullæ factę sint, supremæ enim hæ sunt, non quæ sub ipso tempore mortis factæ sunt, sed post quas nullæ factæ sunt, licet hæ ueteres sint, ff. de bon.possess.secund.tab.l.prima.in princ.

Omnibus, quicunque desiderant tabulas testamenti inspicere, uel etiam describere, inspiciendi, describendique potestatē facturū se prætor pollicetur, quod uel suo, uel alieno nomine desideranti tribuere eum, manifestum est. ratio autem manifesta est. neque enim sine iudice transigi, neque apud iudicem exquiri ueritas de his controuersiis, quę ex testamento proficiscuntur. aliter potest, quàm inspectis, cognitisq; uerbis testamenti, ff. testam. quemad.aperian.l.prima, in princip.

Si quis se neget sigillum suum agnoscere: non ideo quidem minus aperiuntur tabulæ, sed alias suspectæ fient, d.l.prima, §.fi.

Tabularum testamenti instrumentum non est unius hominis, hoc est hæredis, sed uniuersorum, quibus quid illic adscriptum est, quin potius publicum est instrumentum, ff.eo.l.secunda, in princ.

Tabulæ testamenti debent manere, aut apud eum, qui ex maiore parte hæres est, aut in ædem deponi: nam & uendita hæreditate, tabulas testamenti descriptas deponi oportet. hæres enim exemplum debet dare. tabulas uerò autenticas ipse debet tenere, aut in ædem deponere, ff.fam.ercis.l.quarta.§. fi.

Item si de tabulis testamenti deponendis agatur, & dubitetur cui eas deponi oporteat, semper seniorem iuniori, & amplioris honoris inferiori, & marem fœminæ

minę præferemus,ff. de fide instrum.l. fi.

Ad causam testamenti pertinere uidetur id, quodcunque quasi ad testamentum factum est, in quacunque materia fuerit scriptum, quod cōtineat supremā uoluntatem,& tam principales, quam secundæ tabulæ continentur, ff.testamen. quemad.aperian.l.secunda.§.ad causam.

Si plura sint testamenta, quę quis exhiberi desideret: uniuersorum ei facultas facienda est,d.l.secunda,§.si plura.

Codicillos, seu scripturam quolibet tenore formatam, ea oportebit obseruatione in publicum proferri, qua testamenta panduntur, C.quemad.test. aper.l.fi.

Si dubitetur, utrum uiuat, an decesserit is, cuius quis quod ad causam testamenti pertinet, inspici describique postulat: prætor causa cognita id statuere debet, ut si liquerit eum uiuere, non permittat inspici tabulas; ne si ipsam scripturam, quis inspiciat, uel suggillet, uel quid aliud ex tabulis uelit spectare. Inspectio tabularum etiam lectionem eorum indicat, ff.testa. quemadm. aper.l. secunda.§.si dubitetur.

Diem autem,& consulem tabularum non patitur prætor describi, uel inspici, iccirco nequid fiat falsi, namque inspectio materiam falso fabricando instruere potest, d.l. secunda,§.diem uero.

Item rector prouinciæ iubebit facultatem fieri, inspiciendi, & describendi testamentum præter diem,& consulem, & præter partem, quam aperiri defunctus uetuit ad ignominiam alicuius, C.quemad.test.aper.l.tertia.

Potestatem inspiciendi, uel describendi prębebit tempus, ut dari debeat prætor secundum locorum angustias, aut prolixitates, ff.test. quemad. aper.l. secunda,§.utrum autem.

Cum ab initio aperiendæ sunt tabulæ: prætoris id officium est, ut cogat signatores conuenire,& sigilla sua recognoscere, uel negare se signasse. Publicè enim expedit, suprema hominū iudicia exitū habere, ff.eod.l.quarta,& quinta.

Sed si maior pars signatorum fuerit inuenta: poterit ipsis interuenientibus resignari testamentum,& recitari, ff.eod.l.sexta.

Sed si quis ex signatoribus aberit: mitti debent tabulę testamenti, ubi ipse sit, uti agnoscat: nam reuocari eum agnoscendi causa onerosum est: quippe sæpe cum magna captione à rebus nostris auocamur: & est iniquum damnosum, cuique esse officium suum, nec ad rem pertinet, unus absit, an omnes. Etsi fortè omnibus absentibus, causa aliqua aperire tabulas urgeat: debet proconsul curare, ut interuenientibus optimæ opinionis uiris aperiantur: & post descriptum,& recognitum factum, ab iisdem quibus interuenientibus apertæ sunt obsignentur: Tunc deinde eò mittantur, ubi ipsi signatores sunt, ad inspicienda sigilla sua, ff.testa.quemad.aper.l.sed si quis, vii.

Et testamenti tabulæ, ad hoc filio à patre datæ, ut in patriam proferantur, affirmans: posse illuc proferre secundum leges, moresque locorum, ut insinuentur: ita scilicet, ut testibus non præsentibus, adire prius pro tribunali, uel per libellum rectorem prouinciæ procurare, ac permittere eo, uiros honestos adesse facere, quibus præsentibus aperiantur,& ab his rursus obsignentur, C.quēadmo.test.aperian.l.secunda.

Si in duobus exemplariis scriptum sit testamentum: alterutro patefacto, apertæ sunt tabulæ. si sui natura tabulæ patefactæ sunt: apertum uideri testamentum non dubitatur, non enim quæritur, à quo aperiantur, ff.eodem l. si in duobus, x.in princip.

Si quis fecerit testamentum,& exemplum: exemplo eius quidem aperto,nōdum apertum est testamentum,quod si authenticum patefactum est: totum apertū est,ff.testam.quemad.aper.l.fi.

Pupillares tabulas,etiam si non fuerit suprascriptum, ne aperirentur: attamen si seorsum eas signatas testator reliquerit.Prætor eas aperiri,nisi causa cognita, non patietur, ff.eod.l.pupillares,viii.

Sicut codicilli pars intelliguntur testamenti, ita secundæ tabulæ principalium tabularum partem obtinere uidentur,ff.testa.quemad.aper.l.sicut, xi.

Si mulier uentris nomine in possessione sit: aperiendę sunt secundę tabulæ, ut sciatur,cui demandata sit curatio, ff.eod.l.si mulier,ix.

Si mortis tempore tabulæ fuerint licet postea interierint, competit bonorum possessio,quia uerum fuit tabulas extare,ff.si tabul.testam.l.unica in fine.

Idem si non compareant, uel exustæ sint: uel suppressæ, uel occultæ sint: futurum est,ut subueniri legatariis debeat,ff.testamen.quemadmo. aper.l.si in duobus,x.§.finali.

Publicari semel testamenti fides, quamuis ipsa materia in qua primum à testatore scriptum relictum fuit,casu,qui probatur intercidit: nihilominus ualet, C.de testa.& quemad.l. secunda. Item non iccirco minus iure factum testamentum,& suas optinet uires, quòd post mortem testatoris subtractum probatur,C.eod.l.non iccirco, xi.

Si quis in duobus exemplaribus fecerit testamentum, & aliud extet, aliud non extet tabulæ extare uidentur: petique potest bonorum possessio,sed & si duobus codicibus simul signatis, alios atque alios hæredes scripserit, & utrunque extet: ex utroque quasi ex uno competit bonorum possessio: quia pro unis tabulis habendum est,& supremum utrunque accipiemus,ff. de bon. possess. secund.tabul.l.prima.§.si quis in duobus.

Si unum fecerit testator quasi testamentum, aliud quasi exemplum: si quidem id extat, quod uoluit esse testamentum: bonorum possessio petetur: si uerò id, quod exemplum erat bonorum possessio peti non poterit, d.l.prima. §. sed si unum.

Sufficit extare tabulas,& si non proferantur,si certum sit eas extare.igitur si apud furem sint,uel apud eum,apud quem depositæ sunt: dubitari non oportet admitti posse bonorum possessionē: nec enim opus est aperire eas, ut bonorum possessio agnoscatur,ff.d.l.prima.§. sufficit.

Semel extitisse tabulas mortuo testatore desideratur, tametsi extare desierunt. quare & si postea interciderunt,bonorum possessio peti poterit.scientiam tamen exigemus,ut sciat hæres extare tabulas, certusque sit delatam sibi bonorum possessionem, d.l.prima,§. semel autem.

Ipsi hæredi,& uindicatio tabularum sicut cæterarum hæreditariarum rerum cōpetit: & ob id ad exhibendum quoque agere potest, ff. testam. quemad. aper. l.tertia.

Si quis non negans penes se tabulas esse,non patiatur inspici,& describi: omnimodo ad hoc compelletur.si tamen neget penes se tabulas esse: dicendum est ad interdictum remitti,quod est DE TABVLIS EXHIBENDIS, ff. eod.l.secunda.§. fina.

DE

DE EDICTO DIVI HADRIANI TOLLENDO: ET QVEMADMODVM SCRIPTVS HAERES IN POSSESSIONEM MITTATVR.

Titulus II.

Huius tituli lex secunda: dispones scriptum hæredem in possessionē mitti solere: quā uis sit filius, qui aut falsum, uel inofficiosum testamentum, seu alio uitio subiectū dicat: hic nō describitur: quia hæres scriptus est actor, ad quē spectat probare testamētum iustum, ex Nouella Constit cxv. At si mitteretur scriptus hæres in possessionem, reus esset: petente filio hæreditatem.

CVM inter institutum, & substitutum controuersia moueatur: eum, qui primo loco institutus est, induci in possessionem oportet, C. de edicto Diui had. l. primi.

Si quis ex asse, uel ex parte institutus competenti iudici testamentum ostenderit non cancellatum, neque abolitum, neque ex quacunque suæ formæ parte uitiatum, sed quod prima figura sine omni uituperatione appareat, & depositionibus testium legitimi numeri uallatum sit. mittitur quidem in possessionem earum rerum, quæ testatoris mortis tempore fuerunt, non autem legitimo modo ab alio detinentur: Et eam testificatione publicarum personarum accipiet: Sin autem aliquis contradictor extiterit: Tunc in iudicio competenti, causæ in possessionem missionis, & subsecutæ contradictionis uentilentur, & ei possessio acquiretur, qui potiora ex legitimis modis iura ostenderit: siue qui missus est, siue qui antea detinens contradicendum putauit: nullis angustiis temporum huiusmodi missione coarctanda: sed siue tardius, siue præmature aliquis missus est, legis tantummodo arbitrium requiratur, & causa, unde uel missio, uel contradictio exoriatur. Siue enim post annale tempus, siue post maioris æui curricula aliquis fuerit missus (si tamen ex legitimè formato testamento missio procedet) nullum ei temporis obstaculum obiiciatur: Nisi tantum temporis effluxerit, quod possit, uel possessori plenissimè securitatem super dominio præstare, uel ipsi, qui missus est, omnem intentionem excludere. Si enim vel ex vna parte, uel ex utroque latere temporis prolixitas occurrerit: manifestissimum est, non solum missionem, sed etiam ipsam principalem causam esse sopitam, C. eod. l. fi.

DE HIS, QVI ANTE APERTAS TABVLAS HAEREDITATES TRANSMITTVNT.

Titulus III.

FIlii seu filiæ, nepotes, aut neptes, pronepotes aut pronepotes, à patre uel à matre, auo uel auia, proauo uel proauia scripti hæredes, licet non sint inuicem substituti, seu cum extraneis, seu soli sint instituti, & ante apertas tabulas defuncti: (siue se nouerint scriptos hæredes, siue ignorauerint) in liberos suos cuiusque sint sexus, uel gradus, derelictam sibi hæreditariam portionem possunt transmittere: memorata que personæ (si tamen hæreditatem non recusant) nulla huiusmodi præscriptione sibi obstante, eam tanquam debitam uendicant. Quod scilicet etiam super legatis, seu fideicommissis à patre, uel matre, auo, uel auia, proauo, uel proauia derelictis locum habet: siquidem perindignum est, fortuitas ob causas, uel casus humanos, nepotes, aut neptes, pronepotes, aut proneptes, auita, uel proauita successione defraudari, aliosque aduersus auitum, uel proauitum desiderium, uel institutum insperato legati commodo, uel hęreditatis gaudere. habent uerò solatium tristitiæ suæ, quibus est meritò consulendum, C. de his, qui ante aper. tab. l. unica.

Soror

Soror prius defuncta, quã cognosceret, an à fratre sibi aliq̃d hæreditatis fuisset relictũ: manifestũ atq; euidens est, anteq̃ pro hærede gereret, defuncti succes sionẽ eã nõ potuisse ad hæredes suos transmittere, C. de iu. delib. l. septima.

SI QVIS OMISSA CAVSA TESTAMENTI AB INTESTATO, VEL ALIO MODO POSSIDEAT HAEREDITATEM.

Titulus IIII.

PRætor uoluntates defunctorũ tuetur: & eorũ calliditati occurrit: qui omissa cã testamenti ab intestato hęreditatem, partemve eius possident, ad hoc ut eos circumueniant, quib. quid ex iudicio defuncti deberi potuit, si nõ ab intestato possideretur hæreditas, & in eos actionem pollicetur, ff. si quis omiss. cau. l. prima, in princ.

Et parui refert, utrum quis per semetipsum, an per alium adquirere potuit hæreditatem. nam quõcunq; potuit, si non adquisiit hęreditatem: in ea causa est, ut incidat in edictum Prætoris. Prætermittere aũt causam testamẽti uidetur: qui cũ possit iubere filium adire, noluit id facere, d. l. prima, §. & parui refert.

Prætermittere cãm testamẽti est, si q̃s repudiauerit hæreditatẽ. Qui sũt in ptãte, statim hęredes sũt ex testõ: nec ꝙ se abstinere possunt, quicq̃ facit. Quòd si postea se immiscuerint, ex testõ uidẽtur hęredes, nisi abstinuerint q̃dẽ se testõ, uerũ ab intestato petierint bonorũ possessionẽ. hic n. incident in edictum, d. l. 1.

Qui sub cõditione hæres institutus potuit parere cõditioni, nec paruit, cũ conditio talis sit, ut in arbitrio sit hæredis instituti, deinde ab intestato possideat hęreditatem, debebit edicto teneri: quia eiusmodi conditio pro pura haberi debet, ff. si quis omiss. cau. l. prima. §. prætermittere, vers. qui sub conditione.

Si quis sub conditione dandorum decẽ, uel qua alia, quæ in dando, uel in faciendo fuit, hæres institutus omissa causa testamenti ab intestato possideat hæreditatem, magis est, ne huius, in cuius personam conditio collata est, subueniri debeat: neque enim legatarius est, ff. eod. l. si quis, viii.

Sed & si adhuc conditioni tempus habeat, hoc edicto nõ tenetũ, ff. eo. l. sed & si, ix.

Non simpliciter Prætor pollicitus est se daturũ actionẽ, sed cã cognita. Nã siue inuenerit testatorem huius rei autorẽ esse, ipsumq; permisisse ab intestato succedere, aut si qua alia iusta cã omittendi inuenerit, vtiq; non dabit actionẽ in eũ legatorũ. Itẽ si inuenerit bona ad aliũ pertinere, non actionẽ, si mõ nulla collusionis suspicio religionem Prætoris instruxerit. Si aũt is, cui auferri hæreditas põt, aliq̃d possideat de hæreditate, & possidere desiit, siue dolo malo desinet cõueniri, & possideat, necne tẽpus litis cõtestatæ spectari dẽt. Certè si uacãtia bona q̃s possederit, & quadriẽniũ ꝑterierit, indubitanter conueniri poterit ex hac parte edicti, & q̃a omisit cãm testamẽti, & q̃a ab intestato possidet, & q̃dẽ sic, ut ꝑscriptione quadriennii tutus sit, ff. eod. l. quia aũt, 6. §. non simpliciter.

Si ꝓponatũ idẽ & institutus & substitutus & ꝑtermiserit institutionẽ, nõ incidit in edictũ, q̃ si testator hãc ei dederit facultatẽ, q̃ cũ substituit, d. l. 1. §. si ꝓponatũ.

Si testator fratrẽ suũ scripsit hæredẽ, & codicillos fecit ab intestato; petiitq; à fratre, ut si legitima hæreditas ad eũ ꝑtineret, fideicõmissa ꝑstaret quibusdam. Si iste frater omissa cã testamenti ab intestato possideat hæreditatẽ: cogetũ oĩmodo legata ꝑstare: neq;. n. utiq; omittere ei hæreditatẽ ꝑmisit, q̃ fideicommissa ab eo reliquit intestatò. Sed ordo adhibetur: ut prius legata præstentur: deinde ex superfluo fideicommissa: dummodo quadrans non tangatur. Vnde si legata absumant dodrantem; nihil fideicõmissariis præstandum est. habere. n. integrum quadrantem legitimum hæredem oportet. Planè si nominatim permisit testator legitimo hæredi omittere hæreditatem ex testamento, non in-

cidit in edictum, ff. si quis omiss. cau. l. quia autem, 6. in princ.

Si iidē & ex testamento legata, & fideicōmissa ab intestato fuerint relicta, & prę rea aliis fideicōmissa, magis est; ut ita distinguamus, multū interesse, utrum inciderit in edictum hæres, an non: nam si incidit, præferendi erunt hi, quibus testamento relicta fuerunt quædā. Sin uero non incidit: quia hæc fuit testatoris uoluntas: ut daret ei facultatem, & ab intestato succedendi, uel quia alia causa interfuit, quæ non offendit edictum; dicendum est, contribui fideicommissa debere quasi exæquata, d. l. quia autem §. quid deinde dicemus.

Quidā Titium, & Mæuium instituit hæredes, & certum Titio legauit: uterque omisso testamento legitimā adiit hęreditatem: non probè legatorum actionē Titius postulabit. Idē est, si utriq; legasset, ff. si quis omiss. cau. test. l. quidā, vii.

Cum substitutis ab institutis legata fuissent relicta, & tam instituti, q̄ substituti omissa causa testamēti possiderent ab intestato hæreditatē: neq; improbè, neque imprudenter instituti legata recusabunt substitutis dare: quibus liberum fuit adeundi hæreditatem, non fideicō missum petere, sed uniuersa bona obtinere, ff. si quis omiss. cau. l. si non solus, x. §. cum substitutus.

Si duo sunt hæredes institutus, & substitutus, & ambo omissa cā testamenti possideant hæreditatē, in solidum aduersus singulos legatorum petitio datur. Nō solum eorum, quæ ab instituto relicta sunt, sed ēt a substituto, si dolo substituti perueniat ad institutos hæreditas, sine pecunia: nā si pecuniam accepit substitutus: ipse erit conueniendus. Item si solus substitutus possideret, siquidem pecunia accepta institutus omisisset: dicemus institutum suis legatariis respōdere debere: substitutum suis, si aūt sine pecunia: aduersus substitutum daretur actio: Quando autem ambo possident: melius dicetur singulos suis legatariis respondere debere, ff. si quis omiss. cau. l. si non solus, x. §. si duo.

Si ab instituto, & substituto eadem res mihi legata sit, & omissa causa testamenti possideant hæreditatem lege etiam si ab utroque hærede in solidum mihi debetur, tamen ab uno legatum consecutus ab altero petere non potero, eligere itaque reum potero, ff. eod. l. si ab instituto, xi.

Si pecuniam à substituto acceperis, ut prætermitteres, isque adierit, in utrunque vestrum datur actio, ut ei tamen, cui ab utroque legatum sit, in alterutrum detur actio, ff. eod. l. si pecuniam, iii.

Si in fraudem legatorum transmissam hæreditatē ad substitutum probatur utilis actio aduersus eum cum quo fraudis consiliū participatum est legatario competit. Planè si pecunia accepta hæres omisit aditionem, legata & fideicommissa præstare cogitur, C. si omiss. sit cau. test. l. prima.

Duo hęredes instituti si ambo omissa causa testamenti ab intestato possideant hæreditatē, tunc quia uterq; Prętorio iure perinde habetur, atq; si testamento hæreditatem adiisset, pro partib. in singulos cōpetit actio, ff. eod. l. duo, xviii.

Si eadem res diuersis personis fuerit relicta: non uterque, sed qui ab instituto accepit, solus uindicabit, ff. eod. l. si eadem, xx.

Si quis hoc modo testamentum scripserit, TITIVS HAERES ESTO, SI TITIVS HAERES NON ERIT: MAEVIVS HAERES ESTO: QVISQVIS MIHI EX SVPRASCRIPTIS HAERES ERIT, MAEVIO, (SI MIHI HAERES NON ERIT) CENTVM DATO: deinde Titius omisso testamento legitimā hæreditatē possideat, Mæuio, cuius in ptāte fuit, ut ex substitutione adeundo totam hæreditatē haberet, legatorum actio dari debet: quia nihil prohibet Mæuium iustam causam habuisse, propter quā nolet negotiis hæreditariis implicari, ff. si quis omiss. cau. test. l. si in testamento, xxii. §. si.

Si quis pecuniā non accepit: ſimpliciter aūt omiſit cauſam teſtamenti, dum uult præſtitum ei, qui ſubſtitutus eſt, uel legitimo certè indignandū eſt, circumuentam uoluntatem defuncti: & ideo ſi liquidò conſtiterit in necē legatariorum hoc factum, quamuis non pecunia accepta, ſed nimia gratia collata, dicēdum erit locum eſſe uirili actioni aduerſus eum, qui poſsidet hæreditatem, & rectè dicetur, ubicunque quis, dum uult præſtitum ei, qui ſe repudiāte uenturus eſt, non repudiaturus, niſi præſtitum uellet: & maxime ſi ob euertenda iudicia id fecerit, aduerſus poſſeſſorem competere actionē: ſic tamen, ut vbi quidē pecunia accepta repudiauit; ibi dicamus eum, qui omiſit, cōueniendum: vbi uerò gratis, in fraudē tamen eorum, quibus quid relictū eſt, poſſeſſorem debere cōueniri utili actione, ff. ſi quis omiſſ. cau. teſt. l. ſi quis pecuniā, quarta, in princ.

Si quis per fraudem omiſerit hæreditatem, ut ad legitimum perueniat legatorū petitione tenebitur, ff. eod. l. prima. §. fi.

Licet pro hærede gerere nō uideatur, qui precio accepto prætermiſerit hæreditatem; tamen exemplo eius, qui omiſſa cauſa teſtamenti ab inteſtato poſsidet hęreditatem: datur in eum actio: proinde legatariis, & fideicommiſſariis tenebitur, ſed poſſeſsor hæreditatis prior excutitur: maxime ſi lucratiuam habet poſſeſsionem, ff. eod. l. ſecunda.

Si nō ſolus, ſed cū alio poſsideat hæreditatē: is, qui omiſit cauſam teſtamenti, rectiſsime datur in ipſum quoq; legatorum utilis actio: nec. n. aſpernari debet obeſſe ſibi factum hæredis ſcripti, cui etiam profuerit. Hoc autem ita eſt: niſi ſi pecuniam accepit is, qui omiſit cauſam teſtamenti. Tunc enim in ſolidum tenebitur, ff. eod. l. ſi non ſolus, x. in princ.

Et ſi non totam hæreditatem quis, partemve eius, ex qua hæres inſtitutus eſt, ab inteſtato poſsideat, ſed minimam portionem, uel etiam unam aliquam rem, tenetur hoc edicto, quamuis non propriè pars hęreditatis in una re intelligatur: cum & hæreditas ab eo quoque peti poſsit, qui unam aliquam rem hæreditario nomine poſsideat: Nec id iniquum eſt, cum ex ſuo quiſque uitio hoc incōmodo adficiatur, ff. eod. l. & ſi non totam, xiii. cum tribus ſequentibus.

Hæredem eius, qui omiſſa cauſa teſtamenti ab inteſtato poſsidet hæreditatem in ſolidum legatorum actione teneri conſtat: magis eſt enim rei perſecutionem, quàm pœnam continere: & ideo perpetuum eſſe. Hoc aūt ita eſt: niſi propter dolum defuncti conueniatur hæres. Tunc enim in id, quod ad eum peruenit, conuenietur, ff. ſi quis omiſſ. cau. teſt. l. de libertatibus, xii. §. fin.

Non quærimus, qui prætermiſſa cauſa teſtamenti ab inteſtato hæreditatē poſsidet, utrū iure legitimo poſsideant, an non: Nā quoquo iure poſsideāt hęreditatē, uel partē eius, cōueniri ex edicto poterunt: vtiq; ſi nō ex alia cauſa poſsideant: utputa, ſi quis omiſit quidem hęreditatem, ſed ex cauſa fideicōmiſſi poſſidet, miſſus in poſſeſsionem fideicōmiſſorū ſeruandorum cauſa, uel ſi proponas eum crediti ſeruandi cauſa ueniſſe in poſſeſsionem: Nam nec ex hac cauſa legatariis reſpōdere cogetur. Toties igitur edictū Prætoris locū habebit, quoties aut quaſi hæres legitimus poſsidet, aut ſi forte quaſi prædo poſsideat hæreditatē fingēs ſibi aliquē titulū ab inteſtato poſſeſsionis: quocunq;.n modo hęreditatē lucrifacturus quis ſit, legata p̄ſtabit, ff. eo. l. prima, §. Non quærimus.

Sanè interueniēte cautione EVICTA HAEREDITATE LEGATA REDDI: & ſi non poſsideat quis hæreditatē, dolo aūt malo fecerit, quominus poſſideat, eueniet: ut perinde teneatur, atq; ſi hæreditatem adiiſſet. Dolo autem malo feciſſe uidetur, quominus poſsideat, qui ad alium tranſtulit poſſeſsionē

per fraudem, ut legatarii, cæteriq;, qui quid in teſtamento acceperunt, careāt his, quæ ſibi relicta ſunt: & ſanè non ſolum dolo malo facere uidetur, qui per dolū eā poſſeſsionē dimitteret, quā aliquādo habuit: ſed ēt is, qui hoc ipſum malitioſè facit, ne ab initio poſsidere incipiat, d.l. prima. §. ſanè interueniēte.

Quamquam de hæredibus inſtituendis uideatur Prætor loqui: attamen etiā ad alios hæc res ſerpit: ut ſi ſit legatarius, à quo fideicommiſſum relictum eſt, & hic id egerit: ut omittatur hæreditas, doloque id fecerit; conueniri debet, ff. eod. l. quarta, §. quamquam.

In eum, qui teſtamento hæres ſcriptus non fuit, ſi fraudis conſilio cū hæredibus ſcriptis participato legitimam hæreditatem ſolus poſsideat, actio legatorum ex ſententia Prætoris debetur, ff. ſi quis omiſſ. cau. teſta. l. mater, xxvii. §. fi.

Si quis uendiderit hæreditatem, utiq; poſsidere uidetur, nō dolo feciſſe, quomi nus poſsideat, d.l. quarta in fine.

Si quis omiſſa cauſa teſtamenti omnino eam hęreditatē nō poſsideat, excludun tur legatarii. Nā liberum cuiq; eſſe debet ēt lucroſam hæreditatē omittere: li cet eo modo legata intercidunt, ff. ſi quis omiſſ. cau. teſ. l. ſi quis omiſſa, xvii.

Inſtitutus hæres, & rogatus reſtituere hęreditatē, ſi omiſſa cā teſtamēti legitimā hæreditatē poſsideat, nō dubiè, ut legata, cæteraq; fideicōmiſſa, ita hæreditatem quoq; reſtituere compellendus eſt, ff. ſi quis omiſſ. cau. teſta. l. ſi ſeruum, xxviii. §. fin.

Si filius meus à matre ſua hæres ſcriptus fuerit, & ego teſtamenti cauſa omiſſa bonorum poſſeſsionem eiuſdem filii nomine petiero, actio legatorum in me dari debebit non ſecus, ac ſi ipſe hæres ſcriptus omiſſa cauſa teſtamenti bono rum poſſeſsionem ab inteſtato accepiſſem, ff. eod. l. ſi filius, xxi.

Pater, qui filiā ſibi ſubſtitutam iuſſit adire hęreditatem, legata, quæ ab ipſo data ſunt, ex ſententia edicti pręſtabit: quoniam ipſa filia patri ſubſtituitur in caſu, non ut arbitrium eligendi relinquatur: Sed ſi uaria legata ſupra dodrantem data ſunt, eorum prius ratio habenda eſt, quę à filia relicta ſunt. Non enim ca ret dolo pater, qui honore proprio omiſſo propter compendium alienam inſtitutionem maluit. Denique ſi filiæ pater ſubſtitutus adiit hæreditatem, nihil dolo facit, quia nemo filiæ patrem contra uotum parentum ſubſtituere uidetur, ſed ut arbitrium eligendi relinquat, ff. eod. l. Iulianus, xxvi.

Mater ſecundis tabulis impuberi filio ſubſtituta locum edicto facit, ſi omiſſo te ſtamento legitimam hæreditatem filii poſſideat. Idem iuris erit, & ſi filio hæres data ſit, & ſubſtituta, ff. eod. l. mater, xxvii.

Si dolo tutoris omiſerit pupillus cauſam teſtamenti, & legitimam hæreditatem poſſideat, danda eſt legatorum actio in pupillum, ſed eatenus, quatenus hære ditas ei adquiſita eſt. Quid enim ſi cum alio poſſideat hęreditatem? ſed hoc & in eo, qui pubes eſt, obſeruatur: vt pro qua parte poſſideat, teneatur: quamuis Prætor perinde in eum det actionem, atque ſi adiſſet hæreditatem, ff. ſi quis omiſſ. cau. teſta. l. ſi dolo, xxiiii.

Si in teſtamento ita ſcriptum fuerit, TITIVS HAERES ESTO, ET SI TITIVS HAERES NON ERIT: MAEVIVS HAERES ESTO: & Titius omiſſa cauſa teſtamenti hæreditatem legitimam poſſederit: Mæuio aduerſus eū petitio hæreditatis dari non debet pro parte, quam habiturus eſſet, ſi teſtamenti cauſa omiſſa non fuiſſet. Cum enim omiſſo teſtamento hæreditas poſſidetur, legatorum quidem ratio habetur, quia aliter quàm ab hærede dari nō potuerunt: hæreditatis uerò, quæ ita data eſt, rōnem habere Prętor

non

non debet: sua enim culpa testator sub hac conditione hæreditatis partem dedit, quam potuit purè dare, ff. eod. l. si in testamento, xxii. in princ.

In sententiam edicti propter legatorum causam pater incidisse non uidetur, qui filium suum substitutum impuberi testamento patris non emancipauit: sed ab intestato per eum bona possidere cœpit, ff. eod. l. mater, xxvii. §. in sententiã.

Qui omissa causa testamenti pro emptore, uel pro dote, uel pro donato, siue alio quolibet titulo, exceptis pro hærede, & pro possessore, possidet hæreditatem, à legatariis, & fideicommissariis non conuenitur, ff. si quis omiss. cau. testamen. l. fin.

Si Proculiana patri cuius filii sunt hæredes testamento quid reliquit, & hæredes iure scripti secundum eius iudicium, uel omissa causa testamenti successerunt ab intestato aditus competens iudex quatenus modus legis Falcidiæ patitur relicta patri restitui filiis iubebit, C. si omissa sit cau. test. l. fi.

Quoniam longa est legatorum materia, ideo vtile vobis uisum est, quædam summatim addere ad maiorem facilitatem, & intelligentiam.

1 *De legatis quæ materiei Institutionum non potuerunt accommodari, & sunt quædam generalia.*
2 *Hæredis res, & aliena legari potest.*
3 *Quando res obligata legatur.*
4 *Quando legatarius res alienæ legatæ dominus fit.*
5 *Si ex duobus testamentis res debetur.*
6 *Res, quæ in rerum natura non est si modo futura est, legari potest.*
7 *Quando eadem res duobus legatur, siue coniunctim, siue disiunctim.*
8 *Quando legato fundo alieno acquiritur proprietas deducto vsufructu, vel vsusfructus peruenerit, ac petitur fundus.*
9 *Obligatio legati non extinguitur, nisi eo modo legatarij facta fuerit, quo auelli non possit.*
10 *Re legatarijs legata inutile est legatum: et quid si alienatur post testamentum.*
11 *Quando res mea sub conditione legatur.*
12 *Fundus vectigalis legari potest. Item superficies ei cuius in solo fuit.*
13 *Quando res sua quasi aliena legatur.*
13 *Quando res legata alienatur.*
15 *Quando prædia legata pignori dantur.*
16 *Quaudo pras alienatur tantum.*
17 *Quando fundo legato pars additur.*
18 *De liberatione debitori legata.*
19 *Quando debitor creditori legat.*
20 *Qaando maritus dotem, aut alia legata vxori.*
21 *Si res legata sine facto hæredis decedit.*
22 *De Naue legata, & refecta.*
23 *Lana legata vestis ex ea facta non debetur, neque extimatio ex ornamentis. Auro legato, & conflacto, aut ex poculis massa facta debetur.*
24 *Quando dubitatur an res legata in rerum natura sit.*
25 *De Area legata, & domo.*
26 *De grege, aut pecudibus legatis.*
27 *Quando legatur maior summa, quàm testator habeat.*
28 *Aedibus legatis columnæ, & marmora adiecta legato cedunt, & hortus, & insula uicina addita debentur.*
29 *De peculio legato.*
30 *Tam corporales res legari possunt, quàm incorporales nõ tamen ea, quæ ædibus iniuncta sunt.*

31 Legato marmore non putatur statuas legatas esse.
32 Librorum Appellatione quid contineatur.
33 De bibliotheca legata.
32 Ligni appellatione quid contineatur.
35 De Auibus legatis.
36 Lana legata quid contineatur.
37 Quando legato aliquid adijcitur an ueniat in legatum.
38 Corintheis vasis legatis debentur corinthiæ bases, non autem æneæ.
39 Testudineis legatis debentur lecti pedibus inargentati.
40 Chyrographis, & debitoribus legatis.
41 Tessera frumentaria legata.
42 Potest grauari hæres domum alicuius reficere, vel ære alieno aliquē liberare.
43 Adiecto hærede, qui hæres non sit, hæres verus totum legatum debet.
44 De hærede damnato fundum vendere.
45 In legato generali cuius electio sit.
46 Legato equo, aut boue quid iuris sit.
47 De bonorum parte legata.
48 Numero numorum legato, si non appareat quales sint, quid iuris sit.
49 Legata domo simpliciter nec appareat de qua senserit: hæres præstat, quā uelit.
50 In legato si æstimauerit hæres, tenetur quasi bonus uir.
51 De optionis legato.
52 Legari potest illis cum quibus testamenti factio est.
53 De legatis relictis incertis personis.
54 De conditionalibus legatis.
55 De legatis sub falsa demonstratione.
56 De falsa causa in legatis.
57 Legatum relinquitur ante hæredis institutionem, & inter medias hæredum institutiones.
58 Post mortem hæredis vtiliter legatur.
59 Pœne nomine vtiliter legatur.
60 De legatis dubijs.

COMPEN-

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omißis ijs, quibus à iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperij mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Quartus.

DE LEGATIS TITVLVS VNICVS.

1 *De legatis quæ materiei institutionum non potuerunt accommodari, & sunt quædam Generalia.*

POST hæc uideamus de legatis, quæ pars iuris, extra propositam quidem materiam uidetur, nam loquimur de iis iuris figuris, quibus per uniuersitatem res nobis acquiruntur. Sed cum omnino de testamentis, & de hæredibus, qui in testaméto instituuntur, locuti simus, non sine causa sequenti loco potest hæc iuris materia tractari, Inst. de leg. in princ.

Legatum itaque est donatio quædam à defuncto relicta ab hærede præstanda, Inst. eod. §. legatum, & ff. de leg. ii. l. legatum, xxxvii.

Item legatum est delibatio hæreditatis, qua testator ex eo quod uniuersum hæredis foret alicui quid collatum uelit, ff. de leg. primo, l. legatum est, cxiii. aliàs cxvi. in princip.

Et fideicommissum, & mortis causa donatio appellatione legati continetur, ff. de lega. iii. l. & fideicommissum, lxxxv. aliàs lxxxvii. & Instit. de donat. §. hæ mortis causa.

Cum iam constitutum sit, fieri posse temporales donationes, & contractus: Consequens est etiam legata, & fideicommissa, quæ ad tempus relicta sunt ad eandem similitudinem confirmari. post complectum, uidelicet. Tempus ad hæredem iisdem legatis, uel fideicommissis remanentibus: necessitatem habente legatario, uel fideicommissario cautionem in personam hæredis exponere, ut si post transactum tempus, res non culpa eius deterior restituatur, C. de legat. l. finali.

Olim quidem erant legatorum genera quatuor, quæ penitus sublata sunt: Nam ut defunctorum uoluntates ualidiores essent, & non uerba, sed uoluntates eo-

rum

rum attenduntur:& dispositum est, ut omnibus legatis una sit natura, & quibuscunque uerbis aliquid relictum sit, liceat legatariis id persequi non solum per actiones personales, sed etiam per in rem, & per hypothecariam, Quia & necessarium uisum est omnia legata fideicommissis exequare, & nulla sit inter ea differentia, sed quod deest legatis hoc repleatur ex natura fideicommissorum, & si quid est in legatis, per hoc crescat fideicommissorum natura, Inst. de leg. §. sed olim & seq. & ff. de leg. primo, l. prima, & C. communia de lega. L. secunda.

In legatis, uel fideicommissis necessaria non est uerborum obseruantia ita ut nihil prorsus intersit, quis talem uoluntatem uerborum casus exceperit, aut quis loquendi usus effuderit, C. de leg. l. in legatis, xxi.

Sed ne in primis legum Cunabulis permixtim de legatis, & fideicommissis exponendo studiosis adolescentibus quædam introducatur difficultas, operæ pretium esse duximus, interim separatim prius de legatis, & postea de fideicommissis tractare, ut natura utriusque iuris cognita, facile possint permistionem eorum eruditi subtilioribus auribus accipere, Inst. de leg. §. sed ne in primis.

Verbis legis duodecim tabularum his VTI QVISQVE LEGASSIT SVAE REI ITA IVS ESTO latissima potestas tributa uidetur, & hæredes instituendi, & legata dandi tabulas quoque constituendi; sed uel interpretatione coangustatum est legum, uel authoritate iura constituentium, ff. de uerb. sign. l. uerbis legis, cxx.

Dictantibus testamenta, uel aliam quamlibet ultimam uoluntatem, legatum, uel fideicommissum, uel quodcunque aliud quolibet legitimo titulo testatorem posse relinquere non dubitatur. Testibus ad efficiendam uoluntatem adhibitis pro suo libito, quod uoluerit testator relinquere non prohibetur, C. de testamen. l. dictantibus, xxii.

Non iure tutore dato mater legauit: si consentiat ut decreto Prætoris confirmetur, & prętor non idoneum existimet actio legati non denegabitur, ff. de leg. ii. l. cum filius, lxxix. §. non iure.

Hæredi à semetipso legatum dari non potest à cohęrede potest: itaque si fundus legatus sit ei, qui ex parte dimidia hæres institutus est, & duobus extraneis: ad hæredem cui legatus est, sexta pars fundi pertinet, quia à se uendicare non potest à cohærede uero semissario: duobus extraneis coniunctibus non amplius tertia parte: extranei uero, & ab ipso hærede, cui legatum est, semissem: & ab alio hęrede trientem uendicabunt, ff. de leg. primo l. legatum, cxiii. aliàs cxvi. §. hæredi.

Si duobus sit legatum, quorum alter hæres institutus sit, à semetipso ei legatum inutiliter uidetur: ideoque quod ei à se legatum est, ad collegatarium pertinebit. Inde dicitur si duo sint hæredes, unus ex uncia, alter ex undecim unciis, & ei fundus legatus sit: unciarium hæredem undecim partes in fundo habiturum cohæredem unciam. Plane si alter ex legatariis hæres extiterit hæredi à quo legatum erat relictum: non ideo minus partem collegatario faciet, retinet enim pro parte legatum, ff. de leg. primo, l. planè, xxxiiii. §. si duobus.

Nam amplius legatorum nomine ad quemquam pertinere uidetur, quàm quod deducto eo, quod explendæ conditionis causa datum esset, superesset, ff. de lega. primo. l. non amplius, xxvi. in princip.

Si quis alicui legauerit licere lapidem cedere. hoc legatum ad hæredem non trãsmittitur nisi nomen hæredis legato adiectum fuerit, ff. de leg. primo l. cum

ſeruus,§.hæres cogitur.

LVCIO SEMPRONIO LEGO OMNEM MEAM HAEREDITATEM P. MAEVII. Sempronius ea demum onera ſuſcipiet,quæ Mæuianæ hæreditatis fuerunt,ff.de leg.ii.l.cum filius,lxxvi.alias lxxviii.§.Lucio.

Legatum ita dominium rei legatarii facit, ut hæreditas, hæredis res ſingulas, quod eo pertinet,ut ſi pure res relicta ſit, & legatarius non repudiauit defuncti uoluntatem: recta uia dominium, quod hæreditatis fuit, ad legatarium tranſeat non per factum hæredis,ff.de leg.ii.l.legatum,lxxx.aliàs lxxxi.

Res ſub conditione legata interim hæredis eſt,exiſtente autem conditione ad legatarium tranſit,ff.de vſufr.& quemad.50.

Omnia,quæ teſtamentis ſine die,uel conditione adſcribuntur ex die aditæ hæreditatis præſtantur,ff.de leg.ii.l.omnia,xxxii.in princ.

Fundum ante conditionem complectam ab hæreditate non traditum,ſed à legatario detentum hæres uindicare eum fructibus poterit,d.l.omnia.§.fundum.

Si ſub conditione, uel ex certa die nobis legatum ſit, ante conditionem, uel diem certum repudiare non poſſumus: nam nec pertinet ad nos, antequàm dies ueniat,vel conditio exiſtat,ff.de leg.ii.l.ſi ita ſcriptum, xlv. aliàs xlvi.§.ſi ſub conditione.

Si fundum ſub conditione legatum,hæres pendente conditione,uel alia conditione,alii legaſſet: & poſt exiſtentem conditionem, quæ priore teſtamento præpoſita fuiſſet, tunc ea conditio ſub qua hæres legauerit extitiſſet dominium à priore legatario non diſcedit, ff. de legat. primo, l.ſi fundum, lxxxi. in princip.

Si quis hæredes inſtituerit,& ita legauerit QVISQVIS GALLICANARVM RERVM HAERES ERIT DAMNAS ESTO DARE: ab omnibus hæredibus legari uidetur,quando ad omnes Gallicanæ res pertinent, ff.de lega. primo,l.quarta,§.fina.

Cum certa res legatur,ita QVAE MEA ERIT CVM MORIAR HAERES DATO: & communis ſit pars debetur, item cum fundus communis legatus ſit,non adiecta portione,ſed MEVM nominauerit portionem deberi conſtat,ff.eod.l.ſerui.v.

Si Titio,& Mæuio legatus fuerit equus,qui Titii erat, debebitur pars equi Mæuio: nam Titius quamuis ad partem non admittatur partem facit, ff.de legat. primo,l huiuſmodi,lxxxiiii.aliàs,lxxxvi.§.ſi Titio.

Si pluribus hæredibus inſtitutis,ita ſcriptum ſit, HAERES MEVS DAMNAS ESTO DARE AVREOS QVINQVE non quilibet hæres, ſed omnes uidebuntur damnati,ut una quinque dent, ff.de leg. ii.l. ſi plures, xliiii.aliàs xlv.in princ.

Si ita ſcriptum fuerit, L. TITIVS HAERES MEVS QVINQVE AVREOS TITHASO DARE DAMNAS ESTO. deinde alio loco ita P. MAEVIVS HAERES MEVS TITHASO QVINQVE AVREOS DARE DAMNAS ESTO: niſi Tithaſus oſtenderit additamenti cauſa id à P. Mæuio legatum eſſe relictum quinos aureos ab utroque accipiet, d. l. ſi pluribus, xliii.aliàs xliiii.§.fin.

Si binæ tabulæ teſtamenti eodem tempore exemplarii cauſa ſcriptæ (ut vulgò fieri ſolet) eiuſdem patrisfamiliàs proferãtur in alteris centum: in alteris quinquaginta Titio legati ſint: non centum,& quinquaginta habiturus eſt Titius, ſed onus eſt hæredi, ut tantummodo quinquaginta det, ff.de lega.ii.l. Sempronius,

pronius,

pronius xlvii. aliàs xlviii.

Si plures gradus sint hæredum, & scriptum sit HAERES MEVS DATO, ad omnes gradus hic sermo pertinet, sicut hęc uerba. QVISQVIS MIHI HAERES ERIT. itaque si quis uelit non omnes hæredes onerare legatorum pręstatione, sed aliquos ex his nominatim damnare debet, ff. de leg. iii. l. si plures, xcvii. aliàs xcviii. nominatim accipiendum est, quod à quo legatum sit intelligitur: licet nomen pronuntiatum non sit, ff. de lega. iii. l. nominatim, xc.

Qui plures hæredes instituit testamento, & quibusdam nominatim reliquit legata, Postea codicillis ad omnes hæredes scripsit, licet codicillos ad omnes hęredes, scripserit, apparet tamen ea, quæ codicillis dedit ab his præstanda esse, quos munere fungi debere testamento suo ostendit testator, ff. de leg. ii. l. legatorum, xxxiii. aliàs xxxiiii. §. fi.

Quoties nominatim plures res in legato exprimuntur, plura legata sunt, si uero supellex aut argentum, aut peculium, aut instrumentum legatum sit unum legatum erit, ff. de leg. ii. l. secunda.

Si illud, aut illud legatum sit unum legatum est. Item si sub contrariis conditionibus, aliud atque aliud legatum est; unum legatum erit, neque refert hæredum, & eorum quibus legatum est diuersas personas esse, ueluti si ita legatum est. SI NERVA CONSVL FACTVS ERIT, TITIVS HAERES ATTIO DET FVNDVM: SI NON ERIT NERVA CONSVL FACTVS SEIVS HAERES MAEVIO CENTVM DATO, ff. de leg. ii. l. si illud, xxvii.

Cum illud, aut illud legatur enumeratio plurium rerum disiunctiuo modo comprehensa plura legata non facit, nec aliud probari poterit, si pure fundum alterum, uel alterum sub conditione legauerit, nam pendente conditione non erit electio, nec si moriatur ad hæredem transisse legatum uidebitur, ff. quando dies leg. cedat, l. cum illud, xxv.

Si à pluribus hæredibus legata sint ea, quæ unus ex his præcipere iubebatur, & præstare: in potestate eorum, quibus sit legatum, debet esse, utrum ne à singulis hæredibus petere uelint, an ab eo, qui pręcipere sit iussus: Itaque is, qui percipere iussus sit, cauere debet cohæredibus indemnes eos præstare, ff. de lega. primo, l. si a pluribus, cvii. aliàs cx. in princ.

Si hæredes nominatim enumerati dare quid damnati sunt: propius est, ut uiriles partes debeant: quia personarum commemoratio hunc effectum habet: ut exequentur in legato pręstando, quod si nominati non essent: hæreditarias partes debituri sunt, ff. de leg. primo, l. si hæredes, cxxiiii. aliàs cxxvii.

Si pars hęredum nominata sit in legando, uiriles partes hæredes debent: si uerò omnes: hæreditarias, ff. eod. l. turpia, liiii. aliàs lvii. §. fi.

Si fundus ab omnibus hæredibus legatus sit, qui unius hæredis esset, is quidem, cuius fundus esset, non amplius quàm partem suam pręstabit, cæteri in reliquas partes tenebuntur, ff. eod. l. si tibi, lxxxvi. aliàs lxxxviii. §. fi.

Legatorum petitio aduersus hæredes pro portionibus hæreditariis competit, nec pro his, qui soluendo non sunt, onerari cohæredes oportet, ff. de leg. ii. l. legatorum, xxxiii. aliàs xxxiiii. in princ.

Qui duos reos eiusdem pecuniæ habebat Titium, atque Mæuium, ita legauit: QVOD MIHI TITIVS DEBET, MAEVIO HAERES MEVS DATO: QVOD MAEVIVS, SEIO DATO: his uerbis onerat hæredem: Nam

cum

cum actiones suas hæres Mæuio præstiterit: aduersus Titium uidetur Mæuius facto eius liberatus esse: & idcirco Seio hæres tenebitur. Si is, qui unum reum habebat: quod is sibi deberet, duobus in solidum separatim legasset, oneratur hæres duobus satisfacere, uni actionem cedendo, alteri pecuniam soluendo, ff. de leg. ii. l. qui duo, xiii.

ILLE, AVT ILLE HAERES SEIO CENTVM DATO: potest Seius, ab utro uelit, petere, ff. de leg. iii. l. Ille, xxiiii.

Paulo Callimaco ex parte hæres instituto filiæ eiusdem decem, cum in familia nupsisset, testamento legauit: Deinde post tempus codicillis factis eidem Calimaco reliquerat non adiecto, HOC AMPLIVS pronunciatum est, utranque summam deberi, maxime cum in codicillis filiæ Calimachi nihil legatum fuisset, ff. de leg. iii l. Paulo, xxvii. in princ.

Si ita scriptum sit: DECEM, AVT QVINDECIM HAERES DATO: pro eo est, ac si decem sola legata sint: at si ita sit: POST ANNVM, AVT POST BIENNIVM, QVAM EGO DECESSERO, HAERES DATO: post biennium uidetur legatum, quia hæredis est potestas in eligendo, ff. de lega. ii. l. si ita, xliii. §. fi.

Si ita relictum fuerit: QVANTVM HAERES MEVS HABEBIT, TANTVM THIMASO DARI VOLO: pro eo est, quasi ita sit scriptum: quantum omnes hæredes habebunt: quòd si ita fuerit, QVANTVM VNVS HAERES HABEBIT, TANTVM THIMASO HAEREDES MEOS DARI VOLO: minor pars accipienda erit, quæ uenit in legato, d. l. si ita, xliii. in princ.

Verba huic §. & infrascriptis alio charactere inserta: literis maiusculis imprimi deberent.

Si ita legatum fuerit: *Lucius Titius hæres meus quinque aureos Thimaso dare damnas esto:* deinde alio loco ita: *Publius Mæuius hæres meus Thimaso quinque aureos dare damnas esto:* nisi Titius ostenderit adimendi causa, à Publio Mæuio legatum esse relictum: quinos aureos ab utroque accipiet, ff. de lega. ii. l. si pluribus, xliiii. aliàs xlv. §. fi.

Lucio Titio fundum, vel vsumfructum fundi lego: potest legatarius, uel fundum uindicare, uel fructum, quod facere non potest, cui tantum fructus legatus est, ff. eod. l. Lutio, xxiii.

Cùm ita legatum esset. *Titia vxor mea tantam partem habeat; quantum vnus hæres:* si non æquales partes essent hæredum, minima pars debetur: quia cum hæres damnatus esset, in potestate eius esset, quam partem daret, ff. de leg. iii. l. qui concubinam, xxix. §. cum ita.

Cum ita legatum esset, *Quanta pecunia ex hæreditate Titij ad me peruenerit, tantam pecuniam hæres meus Seio dato:* Id legatum erit, quod acceptum in rationes suas ex ea hæreditate testator retulisset, & cauere debet hæres legatario, si quid forte postea eius hæreditatis nomine hæres damnatus esset, quia non potest uideri ad hæredem peruenisse, quod eius hæreditatis nomine præstaturus esset, d. l. qui concubinam, xxix. §. cum ita.

Qui quatuor pocula oleagina habebat, ita legauit: POCVLA OLEAGINA PARIA DVO; unum par legatum erit, quia non ita esset BINA PARIA, neque ita, POCVLORVM PARIA DVO, d. l. qui concubinam, §. qui quatuor.

Si ita scriptum sit, FILIABVS MEIS CENTVM AVREOS DO: an & masculini generis, & fœminini generis legatum uideatur? nam si ita scriptum es-

sci

set; FILIIS MEIS HOSCE TVTORES DO: responsum esset, etiam filiabus tutores datos esse: quod non est ex contrario accipiendum, ut filiarum nomine etiam masculi contineantur. Exemplo enim pessimum est, fœminino uocabulo etiam masculos contineri. ff. de legatis secundo. l. si ita scriptum sit.

Filiam hæredem scripserat, & ita cauerat. VETO AVTEM AEDIFICIVM DE MEO NOMINE EXIRE: SED AD COGNATOS MEOS, QVOS HOC TESTAMENTO NOMINAVI, PERTINERE VOLO defuncta hærede, & legatariis ad unum, qui remansit uirilis pars pertinebit. ff. de legat. tertio. l. pater filium. xxxvi. aliàs xxxviii. §. filiam.

Sempronio ita legauit. SEMPRONIVS SVMITO PRAEDIA MEA OMNIA, QVAE SVNT VSQVE AD PRAEDIVM QVOD VOCATVR GAAS, FINIBVS GALATIAE, SVB CVRA VILLICI PRIMI, ITA VT HAEC OMNIA INSTRVCTA SVNT. cum in confinio prædiorum unum sit prædium non in Galatiæ, sed Capadociæ finibus, sub cura tamen eiusdem Villici: id etiam prædium cum cæteris Sempronio debetur. ff. de leg. tertio. l. patronus. xxxiiii. aliàs xxxv. §. Sempronio.

Paterfamiliàs legauit. LANCES NVMERO DVAS LEVES QVAS DE SIGILLARIBVS EMI DARI VOLO. is de sigillaribus leues quidem non emerat: lances autem emptas habebat, & dictauerat testamentum ante triduum quàm moreretur hæ lances, quas emptas de sigillaribus habebat, cum nullas alias emptas emerit legato cedunt. ff. de legatis tertio. l. his uerbis, c. aliàs ci. §. paterfamilias.

Prædiis legatis, & quæ eorum prædiorum colendorum causa empta parataque essent, neque topiarium, neque saluarium legatum uidetur. Topiarium enim ornandi, saluarium autem tuendi custodiendique fundi magis, quàm colendi causa paratum est. At asinus Machinarius legatus uidetur. Item oues, quę stercorandi fundi causa pararentur. ff. de lega. tertio, l. cum quæreretur, lviii. aliàs lx. §. prædiis.

Ex his uerbis, LVCIO TITIO PRAEDIA MEA, ILLA CVM PRAETORIO, SICVT A ME IN DIEM MORTIS MEAE, POSSESSA SVNT DO: instrumentum rusticum, & omnia quæ ibi fuerint, quo dominus fuisset instructior deberi conuenit colonum reliqua non debeatur. ff. de legat. iii. l. prædiis xci. §. ex his verbis.

Pater filiæ Tabernam Purpurariam cum purpuris, quæ in diem mortis eius ibi fuerunt legauit testator. neque prædia purpuræ condita, neque debita, neq; reliqua legato contineri placuit. d. l. prædiis. §. pater filiæ.

TITIO SEIANA PRAEDIA SICVTI COMPARATA SVNT DO, LEGO, cum essent Gabiniana quoque simul uno precio cum Seianis comparata, non sufficit solum argumentum emptionis, sed inspiciendum est, an literis, & rationibus appellatione Seianorum, Gabiniana quoque contineantur, & utriusque possessionis confusi redditus titulo Seianorum accepto lati essent. d. l. prædiis, xci. §. Titio.

Si in testamento scriptũ esset, HAERES MEVS AVREOS LICINIO DAMNAS ESTO: neque adscripsisset DARE deberi ei legatum con-

ſtat.ff.de legatis primo,l.ſi in teſtamento,cvi.

Siquis teſtamenti Titio, & Seio decem dari iuſſerit, nullam hæc uerba recipiunt ambiguitatem, ut dena dixiſſe uideatur, qui decem dixerit.ff.de legat.primo l.ſi quis,lxxix.aliàs lxxxii.

Is,qui ſola triginta reliquerat Titio, triginta legauit: Seio uiginti, Mæuio decem: Titius quindecim Seius decem, Mæuius quinque conſequetur,ita tamen ut ex his pro rata portione falcidiæ ſatisfiat.ff.de leg.primo.l.is qui,lxxx.alias ſi quis teſtamento,lxxxii.§.apud Iulianum.

Si quis à primo hærede centum legauerit alicui, & eædem a Seio ducenta, poſteaque generaliter repetierit legata trecenta uidetur repetiſſe.ff.de lega.primo.l.ſeruo,cxiii.alias cxvi.§.ſi quis à primo.

Si Titio, & Mæuio hæredibus inſtitutis, qui quadringenta relinquebat a Titio ducenta legauit, & quiſquis hæres eſſet centum. neque Mæuius hæreditatem adierit, trecenta Titius debebit. ff.de lega.ii.l.ſi Titio,lxi.alias lxiii.

Si ſic loquutus erit teſtator, HAERES MEVS ILLI FVNDVM DATO. SEIO HOC AMPLIVS DECEM, non erit dubitandum,quin Seius, & fundi partem, & decem ex teſtamento percipere debeat. ff.de legat. tertio.l.ſi ſic loquutus,xiii.

Si hæres iuſſus ſit facere, ut Lucius centum habeat cogendus eſt hæres centum dare, quia nemo poteſt facere, ut ego centum habeam, niſi mihi dederit.ff. de legat.primo.l.ſi hæres,lxxiii.alias lxxvi.in prin.

Si ſcripſiſſet, qui legabat. QVIDQVID MIHI L. TITIVM DARE FACERE OPORTET SEMPRONIO LEGO, nec adieciſſet. PRAESENS IN DIEM'VE: non dubitatur quantum ad uerborum ſignificationem attinet, quin ea pecunia comprehenſa non eſſet, cuius dies moriente eo,qui teſtamentum feciſſet, nondum ueniſſet: adiiciendo autem hæc uerba, PRAESENS IN DIEM'VE, apertè uidetur oſtendiſſe eam quoque ſe pecuniam legare uoluiſſe.ff.de lega.ii.l.ſi ſcripſiſſet.xlvi.

Si pecunia legata in bonis legantis non ſit, ſoluendo tamen hæreditas ſit: hæres pecuniam legatam dare compellitur: ſiue de ſuo, ſiue ex uenditione rerum hæreditariarum, ſiue unde uoluerit. ff. de legatis ſecundo, l. ſi pecunia, xii. in principio.

Si fundus legatus ſit CVM HIS, QVAE IBI ERVNT: quæ ad tempus ibi ſunt, non uidentur legata, & ideo pecuniæ, quæ ibi fuerunt pro lucri cauſa non ſunt legatæ.ff.de leg. iii. l.ſi fundus,xlii.aliàs xliiii.

His uerbis, QVAE IBI MOBILIA MEA ERVNT, DO, LEGO. numi ibi repoſiti, ut mutuo darentur, non erunt legati: & ii, quos præſidii cauſa repoſitos habebat (ut quibuſdam bellis ciuilibus factitaſſet) legato continebuntur: ut ſæpe Proculus ait audiuiſſe ruſticos ſenes ita dicentes: pecuniam ſine peculio fragilem eſſe, peculium appellantes, quod præſidii cauſa reponerentur.ff.de lega.iii.l.ſi Chorus,lxxvii.§.his uerbis.

Si ita legatum eſt. DOMVM QVAE'QVE MEA IBI ERVNT, CVM MORIAR. numi ad diem exacti, ut aliis nominibus collocarentur, non erunt legati, & diſtinctio Labeonis probatur, qui ſcripſit: nec quod caſu abſit eſſe legatum, nec quod caſu ibi ſit,magis eſſe legatum.ff.eo.l.ſi ita, lxxxiiii.

In pecunia legata confitenti hæredi modicum tempus ad ſolutionem dandum eſt,

est, nec urgendum ad suscipiẽdum iudicium, quod quidem tempus ex bono, & æquo prętorem obseruare oportebit. Qui confitetur siquidem debere, iustã autem causam adfert, cur utique præstare non posit: audiendus est: utputa si aliena res legata sit, neget dominum eam uendere, uel immensum precium eius rei petere adfirmet: æquissimum est enim concedi ex hac causa æstimationem officio iudicis præstare. Cùm uero alicui poculum legatum est: uelitque hæres æstimationem præstare, quia iniquum esse aiat id separari à se: non impetrabit id à Prætore, ff. de legat. primo, l. si domus, lxxi. §. in pecunia legata.

TITIO CENTVM AVREOS HAERES PRAESENTI DATO. deinde prætulit diem legatorum: non est uerum centum præsenti die deberi, quia diem proprium habuerunt, ff. de legatis secundo, l. Titio, lxxv. aliàs lxxvi.

Legatarius pro parte adquirere, pro parte repudiare legatum non potest hæredes eius possunt, ut alter eorum partem suam adquirat, alter repudiet: si legatum nobis relictum constituerimus nolle ad nos pertinere: pro eo erit, quasi nec legatum quidem sit, & ideo dicimus nec confusas seruitutes, ff. de leg. primo, l. legatarius, xxxviii.

Si is, cui legatum fuerat, antequàm constitueret, qua actione uti uelit, decesserit, duobus hæredibus relictis, legatum accipere simul uenientes, nisi consenserint, non possunt. Quare quandiu alter rem uendicare uult, alter in personam agere non potest. sed si consenserint: rem communiter habebunt, consentire autem, uel sua sponte debent, uel iudice imminente, ff. de leg. primo, l. huiusmodi, lxxxiiii. §. fin.

Variis actionibus legatorum, simul legatarius, uti non potest, quia legatum datum in partes diuidi non potest, non enim ea mente datum est legatariis pluribus actionibus uti, sed ut laxior eis agendi facultas sit, ex una interim, quæ fuerit electa, legatum petere, ff. de legat. ii. l. cum filius, lxxvi. §. uariis actionibus.

Cùm res legata est. si quidem propria fuerit testatoris, & copiam eius habeat hæres, moram facere non debet, sed eam præstare, absque mora, qua intercedente interesse, & omnem utilitatem præstabit. sed si res alibi sit, quàm ubi petitur primum quidem constat ibi esse præstandam, ubi relicta est, nisi alibi testator uoluit. nam si alibi uoluit, ibi præstanda est. ibi testator uoluit, uel ubi uerisimile est, eum uoluisse, & ita Iulianus scripsit, tam in propriis, quàm in alienis legatis. sed si alibi relicta est, alibi autem ab hærede translata est, dolo malo eius, nisi ibi præstetur. ubi petitur, hæres condemnabitur doli sui nomine, cæterum si sine dolo, ibi præstabit, quo transtulit, ff. de leg. primo, l. cum res, xliii. in princ.

Sed si id petatur, quod pondere, numero, mensura continetur. siquidem certum corpus, ueluti frumentum ex illo horreo, uel uinum ex apotheca illa, ibi præstabitur, ubi relictum est, nisi alia mens fuit testantis. sin uero non fuit certa species, ibi erit præstandum, ubi petitur, ff. de legat. primo, l. cum res, xlvii §. sed si id.

Culpa autem æstimatur non solum ea, quæ dolo proxima est, uerum etiam quæ leuis est: quia & diligentia quoque exigenda est, ab hærede, dicta l. cum res, §. penultim.

Bonorum possessione dementis curatori data, legata, à curatore, qui furio

ſum defendit, peti poterunt, ſed qui petent, cauere debebunt, ſi hæreditas euicta fuerit, quod legatorum nomine datum ſit, redditum iri, ff. de leg. ii. l. Licinus, xlviii. §. bonorum.

Non eſt dubium denegari actionem legatorum ei, qui pro portione competenti in iis rebus, quas ſubtraxiſſe eum, de hæreditate apparuerit, C. de legat. l. quinta.

Si in fraudem eorum, quæ teſtamento relicta ſunt, admiſſus eſt accuſatur, qui teſtamentum falſum diceret, præſes prouinciæ ſolui legata iubebit, interpoſita cautione ſi euicta fuerit hæreditas, ea reſtituturum alias cautioni tunc locus ſit, cum ſine cautione legata ſoluantur, C. de leg. l. ſi in fraudem, ix.

Filia legatorum non habet actionem, ſi ea, quæ ei in teſtamento reliquit uiuus pater poſtea in dotem dederit, C. de leg. l. filia, xi.

Si uniuerſæ facultates defuncti debito fiſcali, aut priuato abſumuntur, nihil ex his, quæ teſtamento eius adſcripta ſunt, ualere poteſt, quod ſi deducto debito in relictis bonis ſuperfluum eſt. legata nec non fideicommiſſa ſalua lege Falcidia, præſtanda ſunt, C. de leg. l. ſi uniuerſæ, xv.

Si legatarius, uel fideicommiſſarius celauit teſtamentum, & poſtea in lucem emerſerit: prohibetur ne poſsit legatum ſibi relictum is, qui celauit ex eo teſtamento uindicare, ut non accipiat fructum ſuæ calliditatis, qui uoluit hæredē hæreditate ſua defraudare, & quaſi pro non ſcripto legatum erit, ac manebit apud hæredem. Quemadmodum ſi legatarius, cui propter tutelam aliquid relictum ſit, non ſubierit tutelam, ei quidem legatum aufertur, pupillo autem aſſignatur, C. de leg. l. penult.

2 *Hæredis res, & aliena legari poteſt.*

Non ſolum autem teſtatoris, uel hæredis res, ſed etiam aliena legari poteſt, ita ut hæres cogatur redimere eam, & præſtare, uel ſi eam non poteſt redimere æſtimationem eius dare. ſed ſi talis res ſit cuius commertium non eſt, uel adipiſci non poteſt, nec æſtimatio eius debetur, ueluti ſi Campum martium, uel baſilicas, uel templa, uel quę publico uſui deſtinata ſunt legauerit: Nam nullius momenti tale legatum eſt, Inſt. de leg. §. non ſolum, & ff. de leg. primo, l. cum ſeruus, xxxix. §. conſtat, uerſ. item Campum.

Nam conſtat etiam res alienas legari poſſe, utique ſi parari poſsint etiam ſi difficilis earum paratio ſit. ſi uero Saluſtianos hortos, qui fuerunt Auguſti, uel fundum Albanum, qui principalibus uſibus deſeruiebat legauerit quis, furioſi eſt talia legata teſtamento adſcribere. Sed & ea prædia Cæſaris, quæ in formam patrimonii ſunt, ſi legentur, nec æſtimatio eorum debet pręſtari, quoniā commertium eorum ſine iuſſu Principis non eſt, cum diſtrahi non ſoleant, d. l. cum ſeruus, xxxix. §. conſtat.

Sed ſi res aliena cuius commertium legatarius non habet, ei cui ius poſsidendi non eſt, per fideicommiſſum relinquatur, æſtimatio debetur, ff. eod. l. ſed ſi res, xl.

Sed & ſi cui legatum relictum ſit, ut alienam rem redimat, uel præſtet, ſi redimere non poſsit, quod dominus, id non uendet, uel in modico precio uendat iuxtam æſtimationem infert, ff. de leg. iii. l. non dubium, xiiii. §. fi.

Si ædes alienas, ut dares damnatus ſis, neque eas, ulla conditione emere poſsis æſtimare iudicem oportet, quanti ædes ſint, ut precio ſoluto hæres liberetur.

liberetur. Idem iuris est, & si cum potuisses emere non emeris, ff. de leg. iii. l. qui concubinam, xxx. §. fin.

Quod dictum est, alienam rem posse legari, ita intelligendum est. si defunctus sciebat alienam rem esse, non si ignorabat, forsitan enim si sciuisset alienam rem esse non legasset, & uerius est ipsum, qui agit, id est, legatarium probare oportere sciuisse, alienam rem legasse defunctum, nō hæredem probare oportere ignorasse alienam, quia semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit, Inst. de leg. §. quod autem dictum est.

Cum alienam rem quis reliquerit, si quidem sciens, tàm ex legato, quàm ex fideicommisso ab eo, qui legatum, seu fideicommissum meruit, peti potest. sed suam esse putauit, non aliter ualet relictum, nisi proximæ personæ, uel uxori uel alii datum sit, cui legaturus esset, & si scisset rem alienam rem esse, C. de leg. l. cum alienam, x.

Si quis rem sibi legatam ignorans adhuc legauerit, postea cognouerit, & uoluerit legatum ad se pertinere, legatum ualebit, quia ubi legatarius non repudiauit, retro ipsius fuisse uidetur res, ex quo adita hæreditas est, si uerò repudiauerit: retro uidetur repudiata fuisse hæreditas, ff. de leg. primo, l. seruum filii, xliiii. §. primo.

Si rem, quam existimabam meam, te hærede instituto, Titio legem, cogitur hæres, legatum præstare. Nam succursum quidem est hæredibus, ne cogantur redimere, quod testator suum existimans reliquit. sunt enim magis in legandis suis rebus, quàm alienis comparandis, & onerandis hæredibus facili testatores uoluntate: quod in hac specie non euenit, cùm dominium rei sit, apud hæredem, ff. de legat. secundo, l. si unum ex familia, lxvii. aliàs lxix. §. si rem tuam.

Si intestata decesserit, quæ tantum vsumfructum rerum habebat, eas non potuit legare, C. de leg. l. vxor, xx.

Si vsumfructum habeam, eumque legauerim, nisi post ea proprietatem eius nactus sim inutile legatum est, ff. de leg. primo, l. quod in rerum, xxiiii. §. si vsumfructum.

Si rem meam obligatam creditori aliquis legauerit necesse habet hæres eam luere, & in hoc quoque casu idem placuit, quod in re aliena, ut ita demum luere necesse habeat hæres, si sciebat defunctus rem alienam obligatam esse, si tamen defunctus uoluerit legatarium luere, & hoc expresserit non debet hæres eam luere, inst. de leg. §. sed si rem suam.

3 *Quando res obligata legatur.*

Si res obligata per fideicommissum fuerit relicta: si quidem scit eam testator obligatam ab hærede luenda est. Nisi si animo alio fuerit. si nesciat à fideicommissario. Nisi si uel hanc, vel aliam rem relicturus fuisset, si scisset obligatam: uel potest aliquid esse superfluum ex soluto ære alieno. Quod si testator eo animo fuit, vt quaquam liberandorum prædiorum. onus ad hæredes suos pertinere voluerit, non tamen aperte, utique de his liberandis senserit, poterit fideicommissarius per doli exceptionem, à creditoribus, qui hypothecaria secum agerent consequi, ut actiones si exhiberentur, quod quamquam suo tempore non fecerit tamen per iurisdictionem Præsidis Prouinciæ id ei præstabitur, ff. de legat. primo, l. si res obligata, lvii. & C. de fideicommissis l. sexta.

Si equus, quem pignori dederas legatos ab alio fuerit actione ex testamento habebis aduersus hæredem, ut pignus luatur, ff. de lega. primo. l. si tibi homo, lxxxvi. aliàs lxxxviii.

Qui fundum colendum in plures annos locauerat decessit, & eum fundum legauit. si colonus uellet colere, & ab eo cui legatus esset fundus prohiberetur, cum hærede actionem habet colonus, & hoc detrimentum ad hęredem pertinet: sicuti si quis rem quam uendidisset, nec dum tradidisset alii legasset: hæres eius emptori, & legatario esset obligatus, ff. locati, l. qui fundum, xxxii.

Si res aliena legata fuerit, & eius rei uiuo testatore legatarius dominus factus fuerit, si quidem ex causa emptionis ex testamento actione precium consequi potest; si uero ex causa lucratiua, ueluti ex donatione, uel alia simili causa, agere non potest, Nam traditum est duas lucratiuas causas in eundem hominem, & eandem rem concurrere non posse, hac ratione si ex duobus testamentis, eadem res eidem debeatur, interest utrum rem an æstimationem ex testamento consequutus sit. Nam si rem habet agere non potest, quia habet eam ex causa lucratiua, si æstimationem agere potest, Inst. de leg. §. si res aliena.

4 *Quando legatarius res alienæ legatæ dominus fit.*

Equum, quem de te stipulatus eram Titius à te hærede mihi legauit, siquidem non ex lucratiua causa stipulatio intercessit, utile legatum esse placuit. sin è duobus, tunc magis placet inutile esse legatum, quia nec absit quicquam, nec bis eadem res præstari possit. Sed si cum mihi ex testamento Titii equum deberes eundem à te hærede, Sempronius mihi legauerit, fideique meę commiserit, ut eum alicui restituam: legatum utile erit, quia non sum habiturus. Idem iuris erit, & si pecuniam à me legauerit, multo magis si in priore testamento fideicommissum sit. Item si in priore testamento Falcidiæ locus sit: Quod inde abscidit ratione Falcidiæ ex sequenti testamento consequar, ff. de leg. primo, l. si seruus, cv. aliàs cviii. §. Stichum quem.

Si mihi, & tibi eadem res legata fuerit, deinde die legati cedente hæres tibi extitero: liberum mihi erit ex meo legato, an ex eo, quod tibi hæres sim adquiram, & si uoluero eam rem ex meo legato, ad me pertinere, ut tota mea sit, ex hæreditario legato, petere eam non potero, ff. eod. l. si mihi, & tibi, xii. in prin.

Mæuius fundum mihi, ac Titio sub conditione legauit; hæres autem eius eundem, sub eadem conditione mihi legauit, existente cõditione uerendum est, ne pars eadem ex utroque testamento debeatur uoluntate tamen quæstio erit. nam incredibile uidetur id egisse hæredem, ut eadem portio, bis eidem debeatur: sed uerisimile est, de altera parte eum cogitasse. sanè constitutio principis, qua placuit eidem sæpe legatam corpus non onerare hæredem: ad unum testamentum pertinet. debitor autem semper, quod debet iure legat, sed ita, si plus sit in specie legati. si enim idem sub eadem conditione reliquit: quod emolumentum legati futurum est? ff. de legat. ii. l. Mæuius, lxvi. aliàs lxviii. in princip.

Si quod ex equa nasceretur legatum mihi fuerit, & ego equam emam, eaque apud me sit enixa, summa ratione responsum est, non ex causa lucratiua fœtum intelligi meum factum, ideoque petendum ex testamento quantum illum emissem, ut scilicet precii contributione facta consequar tantum quanti equulum deducta matris æstimatione mihi constitisse iudex æstimauerit, ff. de leg. ii. l. si quod, lxxiii. aliàs lxxv.

Si quis

Si quis duos hæredes ſcripſerit, & damnauerit unum quemque ſolidam rem legatario præſtare; Idem eſt, atque ſi duobus teſtamentis legatum eſſet. Nam ſi mihi,& filio meo eſſet eodem teſtamento legatum, ſine dubio ualet legatum utriuſque,ff.de leg.primo.l. quid ergo,liii.§.ſi quis.

Si ex pluribus hæredibus,ex diſparibus partibus inſtitutis duobus eadem res legata ſit: hęredes non pro hæreditaria portione,ſed pro uirili,id legatum habere debent,ff.de leg.primo,l.ſeruus,lxvii.§.ſi ex pluribus.

Titius equi partem tibi legauit eiuſdem equi partem Seius tibi legauit,ex utroque teſtamento conſequeris,ff.eod.l.Titius, lxxxiii.

Si teſtamento equus ab uno hærede legatus fuerit Mæuio, & eidem codicillis, idem equus ab omnibus hæredibus, & antequam codicilli aperirentur, Mæuius litis ęſtimationem conſequutus fuerit, ipſo iure uindicare, & codicillis non poteſt,quia teſtator ſemel ad eum peruenire uoluit,ff.de leg.primo.l. ſi tibi homo,lxxxvi.§.ſi teſtamento.

Si res mihi per fideicommiſſum relicta,eadem tibi legata, uel per fideicommiſſum relicta ſit, non communicandi animo, ſed utrique in ſolidum ambigendum non eſt. ſi alteri ſit ſoluta alterum quidem nullum ius in ipſa re habere, ſed actionem de præcio integram eum habiturum, ff. de legat. iii.l. ſi res mihi, xx.

Alumno militiam præcepit his uerbis. SEMPRONIO ALVMNO MEO ILLVD, ET ILLVD ET CVM PER AETATEM LICEBIT, MILITIAM ILLAM CVM INTROITV COMPARARI VOLO: HVIC QVOQVE OMNIA INTEGRA. ſi Sempronius ipſe ſibi militiam comparauit,precium eius,& id,quod pro introitu erogari ſolet,ex cauſa fideicommiſſi ab hæredibus conſequi poteſt,ff.de leg.iii.l.his uerbis,cii.§.alumno.

Item Lucius Titius in teſtamento, Mæuio Militiā ſuā reliquit, ſiue pecuniā eius quæcunque redegi ex uenditione eius potuerit,cum ſuis commodis. ſed cum ſuperuixit,teſtamento Lucius Titius militiam uendidit,& precium exegit, & dedit ei,cui illam militiam,uel precium eius teſtamento dari uoluit poſt mortem Lucii Titii. Iterum P. Mæuius,uel militiam, uel precium eius ab hæredibus Lucii Titii exigebat. Celſus exiſtimauit precium militiæ præſtari non oportere,niſi legatarius oſtenderit teſtatorem,& poſt factam ſolutionem,iterum eum precium militiæ accipere uoluiſſe. Quod ſi non totum precium militię,ſed partem uiuus teſtator legatario dedit,reliqui ſupereſt exactio, niſi hæres,& ab hoc receſsiſſe teſtatorem oſtenderit. Onus enim probandi mutatam eſſe defuncti uoluntatem ad eum pertinet,qui fideicommiſſum recuſat, ff. de leg.ii.l.Lucius, xxii.

Si eadem res ſæpius legetur in eodem teſtamento amplius,quâm ſemel peti non poteſt: ſufficitque uel rem conſequi,uel rei æſtimationem. ſed ſi duorum teſtamentis mihi eadem res legata eſt, bis petere potero, ut ex altero teſtamento rem conſequar,ex altero æſtimationem. ſed ſi non corpus ſit legatū,ſed quantitas eadem,in eodem teſtamento ſępius. Tunc ſæpius præſtatur ſumma, ſi euidentiſsimis probationibus oſtendatur, teſtatorem multiplicare legatum uoluiſſe. Idemq; & in fideicommiſſo conſtituitur: eiuſque rei ratio euidens eſt, quòd eadem res ſæpius præſtari non poteſt, eadem ſumma uolente teſtatore multiplicari poteſt. ſed hoc ita erit accipiendum ſi non certorum numorum corpus ſit ſæpius relictum: ut puta centum,quæ in arca habet,ſæpius legauit. Tunc enim fundo legato comparatur. ſed ſi pondus auri, uel argenti ſæpius

ſit

sit relictum magis summæ legato comparatur: meritò quoniam non species certa relicta uidetur. proinde & si quid aliud est, quod pondere numero mensura continetur sæpius relictum, idem erit dicendum. Quod si rem emissem mihi legatam, usque ad pretium, quod mihi abest competit ex testamento actio, & multo magis hoc dicendum est, si duobus testamentis mihi eadem res legata sit, si alter me restituere rogauerit, uel ipsam rem, uel aliud pro ea. aut sub conditione legasset dandi quid pro ea. Nam hactenus mihi abesse res uidetur quatenus sum præstaturus, ff. de lega. primo, l. planè, xxxiiii. §. si eadem res, & §. quod si rem.

Si Sempronius Titium hæredem instituit, & ab eo post biennium fundum dare iusserit Mæuio. Titius deinde ab hærede suo eundem fundum Mæuio præsente die legauit, & Mæuius pretium fundi ab hęrede Titii acceperit. si ex testamento Sempronii fundum petere uelit exceptione repelli poterit si pretio fundi contentus non erit, ff. de leg. primo, l. huiusmodi, lxxxi. aliàs lxxxiiii. §. si Sempronius.

Fundus mihi legatus est, proprietatem eius fundi redemi detracto usufructu postea uenditor capite minutus est, & vsusfructus ad me pertinere cœpit, si ex testamento egero, iudex tanti litem extimari debebit, quantum mihi aberit. Idem erit & si partem redemero, pars mihi legata est, aut donata: partem enim duntaxat petere debeo, ff. de legat. primo. l. non quocunque, lxxix. aliàs lxxxii. §. fundus.

Si legatum mihi est, quod ex equa natum erit, & ego equam mercatus sum, & ea apud me peperit, non possum uideri fætum ex causa lucratiua habere, quia matrem eius mercatus sum. argumentum rei est, quod euicto eo actio exempto competit, d. l. non quocunque, §. Iulianus.

Cum mihi equus, aut bos, legati fuissent duorum testamentis, & equum ex testamento consequutus fuissem, ex altero bouem petere possum: quia & si uno testamento, & equus, & bos legati fuissent, & equus ex causa lucratiua meus factus fuisset nihilominus bouem petere possum, d. l. non quocunque, §. si.

Si quis duos hæredes scripserit, & damnauerit unumquenque solidam rem legatario præstare. Idem est, ac si duobus testamentis legatum esset. Nam & si mihi, & filio meo esset eodem testamento legatum. sine dubio ualeret legatum utriusque, ff. de leg. primo, l. quid ergo, liii. §. si quis duos.

Duorum testamentis pars fundi, quæ Mæuii est, Titio legata est, ab uno hærede soluta parte, ex alio testamento liberatio obtinget, nec postea parte alienata reuocauit. sed si pars fundi simpliciter non quæ Mæuii fuit legetur, solutio prior non perimit alteram actionem. non idem respondetur cum duobus testamentis generaliter equus legatur. nam qui soluente altero legatarii factus est, quamuis postea sit alienatus ab altero hærede idem solui non poterit. eademque ratio stipulationis est: equi enim legatum orationis compendio singulos equos continet, & quemadmodum ab initio non consistit in his, quæ legatarii fuerunt ita frustra soluitur, cuius dominium postea legatarius adeptus est. Tam & si dominus esse desierit, ff. de lega. ii. l. Mæuius, lxvi. aliàs lxviii. §. duorum.

Is, qui ab uno ex hæredibus, qui solus oneratus fuerat, litis æstimationem legatæ rei abstulit, postea codicillis apertis ab oĩbus hæredibus eiusdẽ rei relictæ dominiũ non quæsiit. is enim qui pluribus speciebus iuris uteretur, non sæpius eandem rem eidem legare uidetur, sed loqui sæpius, d. l. Mæuius, §. is, qui.

Qui

5 *Si ex duobus testamentis res debetur.*

Hæc Summa v. superius ante l. Titius equi imprimi deberet.

Qui equum sibi ex testamento legatum, ignorans eum sibi legatum, ab hærede emit: si cognito legato ex testamento egerit, & equum acceperit: actione ex uendito absolui debet. Quia hoc iudicium bonæ fidei est, & continet in se doli mali exceptionem. quod si precio soluto agere ex testamento instituerit, equum consequi debebit actione ex empto precium recuperabit: quemadmodum recuperaret, si equus euictus fuisset. Quod si iudicio ex empto actum fuerit, & tunc actor compererit legatum sibi equũ esse, & agat ex testamento, non aliter absolui hæredem oportebit, quàm si precium restituerit, & equum actoris fecerit, ff. de leg. primo, l. huiusmodi, lxxxiiii. §. qui seruum.

Titia Seio tesseram frumentariam comparari uoluit, post diem tricesimũ à morte ipsius: cum Seius uiua testatrice tesseram frumentariam ex causa lucratiua habere cœperit precium tamen tesseræ præstandum est: quoniam tale fideicommissum magis in quantitate, quàm in corpore consistet, ff. de leg. ii. l. Titia, lxxxvii. aliàs lxxxix. in princ.

Impuberem filium hæredem instituit, uxori dotem relegauit item ornamenta, & auros decem, & si impubes decessisset substituit, à quibus ita legauit QVAECVNQVE PRIMIS TABVLIS DEDI, EADEM OMNIA AB HAEREDIBVS QVOQVE HAEREDIS MEI DARI VOLO. mortuo impubere non uidetur de dotis legato duplicando testatorem sensisse. Item & si corpora legata etiam non ex causa lucratiua possideantur, à substitutis peti non possunt, ff. de leg. ii. l. Lucius, lxxxviii. §. impuberem.

Sed cum pater pro filia sua dotis nomine centum promisisset, deinde eidem centum eadem legasset, doli mali exceptione hæres tutus erit, si & gener ex promissione, & puella ex testamento agere instituerit, conuenire enim inter eos oportet, ut alterutra actione contenti sint, ff. de legat. primo, l. huiusmodi, lxxxviii. §. cum pater.

Si quis in principio testamenti adscripserit. CVI BIS LEGAVERO SEMEL DEBERI VOLO. postea eodem testamento, uel codicillis sciens sępe eidem legauerit: suprema uoluntas prior habetur: nemo enim eam sibi potest legem dicere, ut à priore ei recedere, non liceat. sed hoc ita locum habebit si specialiter dixerit prioris uoluntatis sibi pœnituisse, & uoluisse, vt legatarius plura legata accipiat, ff. de leg. iii. l. si quis, xxvii. in princ.

6 *Res, quæ in rerum natura est, si modo futura est, Legari potest.*

Ea quoque res, quæ in rerum natura non est (si modo futura est) recte legatur, ueluti fructus, qui ex illo fundo nati erunt, uel ita. EX VINO, QVOD IN FVNDO MEO NATVM ERIT, VEL FOETV, TANTVM DATO, Inst. de lega. §. ea quoque res, & ff. de legatis primo, l. quod in rerum, xxiiii.

Item etiam ea, quæ futura sunt, legari possunt, ut insula in mari, vel in flumine nata, ff. de leg. iii. l. etiam ea, xvii.

Et hæres testatoris legata, quę in profundo esse dicuntur, quandocunque apparuerint præstat, ff. eod. l. hæres.

Id, quod apud hostes est legari potest, & postliminium iure consistit, ff. de leg. primo, l. id quod, ix.

Si res, quæ legata est, an in rerum natura sit, dubitetur (forte si dubium sit an equus

quis legatus uiuat) placuit agi quidem ex testamento posse, sed officio iudicis continetur, ut cautio interponeretur, qua hæres caueret eam rē persequuturum, & si natus sit legatario restituturum, ff. de legat. primo, l. seruo legato, lxix. §. finali.

Si quis legauerit fundum Cornelianum exceptis uineis, quæ mortis eius tempore erunt: si nullæ uineæ erunt legato nihil decedit, ff. de legat. primo, l. si quis, lxxii.

7 *Quando eadem res duobus legatur, siue coniunctim, siue disiunctim.*

Si eadem res duobus legata sit, siue coniunctim, siue disiunctim, si ambo perueniant ad legatum scinditur inter eos legatum: si alter deficiat, quia aut spreuerit legatum, aut uiuo testatore decesserit, uel alio quoquo modo defecerit, totum ad collegatarium pertinet: coniunctim autem legatur, ueluti si quis dicat Titio, & Seio, frontinum equum do, lego disiunctim, ita Titio frontinum equum do lego: Seio frontinum equum do lego, sed & si expresserit eundem equum æque disiunctim legatum intelligitur, Inst. de leg. §. si eadem res.

Coniunctim hæredes institui, aut coniunctim legari, hoc est totam hæreditatem & tota legata esse data singulis partis autem concursu fieri, ff. de leg. iii. l. coniunctim, lxxviii. aliàs lxxx.

Si duobus coniunctim res legata sit, quamuis alter in rerum natura non fuerit, alteri debetur sola pars, ff. de leg. primo, l. si duobus, xvi. in princ.

Si pluribus eadem res legata fuerit, si quidem coniunctim etiam si alter uendicet, alter ex testamento agat non plus quàm partem habebit is, qui ex testamento aget. Quod si separatim si quidem euidentissime apparuerit ademptionem à priore legatario factam ad secundum legatum testatorem conuolasse: solum posteriorem ad legatum peruenire placet. sin autem hoc minime apparere potest, pro uirili portione ad legatum omnes uenire, scilicet nisi ipse testator ex scriptura manifestissimus est, utrunque eorum solidum accipere uoluisse. Tunc enim uni precium alii res ipsa assignatur: electione rei, uel precii seruanda ei, qui prior de legato, siue fideicommisso litem contestatus est. ita tamen, ut non habeat licentiam altero electo ad alium transire, ff. de leg. primo, l. si pluribus, xxxiii.

Si coniunctim res legetur, constat partes ab initio fieri, nec solum hi partem faciunt in quorum persona legatum consistit, uerum hi quoque in quorum persona non consistit legatum. Sed & si in pupillari testamento legauerit alii eandem, quam mihi in suo legauit concursu partes non habentur. interim igitur partem habebit is, cui in suo testamento legauit, ff. de legat. primo. l. plane, xxxiiii. §. si coniunctim.

Nihil differt utrum ita legetur. TITIO, ET MAEVIO, an ita. TITIO CVM MAEVIO, utrobique enim coniunctim legatum uidetur, ff. de leg. primo, l. Titiæ, xxxxvi. §. nihil.

Si quis legauerit Titio cum Mæuio, & sine altero, alter ad legatum admittitur. Nam & cùm dicit Prætor. VENTREM CVM LIBERIS IN POSSESSIONEM ESSE IVBEO. & si non sint liberi uenter in possessionem mittitur, ff. de leg. primo, l. si quis, cxxi.

AGRI PLAGAM, QVAE EST IN REGIONE ILLA MAEVIO PVBLIO ET CAIO TRANSCRIBI VOLO, PRECIO FACTO VIRI

BONI

BONI ARBITRATV, ET HAEREDITATI ILLATO, DVPLAE EVICTIONE EXPROMISSA A RELIQVIS HAEREDIBVS, ITA VT SVB POENA CENTVM PROMITTANT EAM AGRI PLAGAM PARTEM'VE EIVS AD SEIAM POSTEROS'VE EIVS NON PERVENTVRAM QVAQVA RATIONE. Si Publius emere uelit Caius nolit, is qui fideicommissum petere sibi præstari uelit, potest partem dimidiam eius agri, qui legatus est, petere, quamuis prose qui nolit. & cautio, quæ interponi debet secundum uoluntatem pro ea parte præstanda est, quæ ex fideicommisso præstatur. ff. de legatis iii. l. uxorem, xxxix. aliàs xli. §. agri plagam.

LVCIO TITIO FVNDVM SEIANVM VEL VSVMFRVCTVM FVNDI SEIANI LEGO: potest legatarius uel fundum vindicare, uel fructum, quod facere non potest is, cui tantum fundus legatus est. ff. de lega. ii. l. Lucio, xxiii.

Si ita Titio legetur FVNDVM SEIANVM VEL VSVMFRVCTVM EIVS SIBI HABETO duo legata sunt, & in arbitrio eius est, an uelit vsumfructum vindicare: sed & si quis ita leget Titio, FVNDVM DO LEGO, VT EVM PRO PARTE HABEAT. Partem hebiturum. videtur enim fundi appellatione non totum fundum, sed partem appellasse, nam & pars fundi, fundus rectè appellatur. ff. de lega. primo, l. plane, xxxiiii. §. fi.

Si quis unam summam filiabus legauerit, ut etiam de posthuma sentiret, si ea non est nata superstiti solidum debebitur. ff. de lega. primo. l. Qui quartam partem, xv. §. si quis.

Si Titio & posthumis legatum sit: non nato posthumo totum Titius vindicabit. Sed & si testator Titio & posthumis viriles partes dari voluerit, vel etiam id expresserit, totum legatum Titio debetur non nato posthumo. ff. eod. l. si duobus, xvi. §. finali.

Qui filiabus legauit si mentionem aliqua parte testamenti posthumæ fecit: videtur in filiarum legato, & de posthuma sensisse. Si quis ita legauerit. SI QVA FILIA MIHI GENITVR, EI HAERES MEVS CENTVM DATO: pluribus natis, videtur singulis tantundem legasse. Quod ita accipiendum est, nisi euidens sit contraria sententia testatoris. ff. eod. l. qui filiabus. xvii. in princip.

His verbis, LVCIO, ET TITIO, EORVM'VE, CVI FVNDVM DO, LEGO, vtiliter legatur. & si vtrique vixerint. vtrique: si alter, alteri totum debebitur. ff. de legatis primo. l. si fundum, lxxviii. alias lxxxi. §. his verbis.

LVCIVS TITIVS, ET CAIVS SEIVS. PVBLIO MAEVIO DECEM DARE DAMNAS SVNTO. Si Caius Seius hæres non erit, Lucius Titius solus legatum debebit. ff. eod. l. ciuitatibus, cxxii. §. LVCIVS.

Si Fortidianum fundum primo pater aliquibus filiis per perceptionem, ac mox alteri filio legauit concursu dominium eius ipsi quoque filio quæritur. error autem nominis in scriptura factus. si modo de possessionibus legatis non ambigitur, ius legati dati non minuit. C. de leg. l. si Fortidianum, vii.

Cùm eadem res alteri pure, alteri sub conditione legatur, aut cum alter pure, alter sub conditione hæres scriptus est: pars legati, uel hæreditatis deficiente conditione accrescit etiam hæredi eius, cui pure legatum est, uel hæreditas data. si tamen hæreditas eius adita fuerit. ff. de condit. & demonst. l. hæc scriptura, xxi. aliàs xxvi. §. finali.

Si quis forte ex his, quibus cõmuniter ab Imperatore aliquid donatum sit nullo

hæredi

hęrede relicto decesserit ad cõsortem potius solatiũ quam ad personam aliam pars decedentis perueniet. C. si liberal. Imperat. l. vnica, lib. decimo.

MAEVIO FVNDI PARTEM DIMIDIAM, SEIO PARTEM DIMIDIAM LEGO: EVNDEM FVNDVM TITIO LEGO, si Seius decesserit pars eius vtrique accrescit. Quia cum separatim, & pars fundi, & totus legatus sit, necesse est, ut ea pars, quæ cessat, pro portione legati, cuique eorum, quibus fundus separatim legatus est adcrescat. ff. de leg. ii. l. MAEVIO, xli. in princ.

Si testator dari quid iusserit, aut opus fieri, aut munus dari: pro portione sua eos præstare, quibus pars hæreditatis accresceret æquè atque cætera legata placet, ff. eodem, l. mortuo, xlix. §. fina.

Si cui res legata fuerit, & omnimodo aliqua ex parte uoluerit suam esse, totam acquirit, ff. eodem, l. si cui, lix.

Duobus legatis relictis: unum quidem repudiare, alterum uerò amplecti potest, ff. eodem, l. quinta, in princip.

Re coniuncti uidentur, non etiam uerbis, cùm duobus separatim eadem res legatur. Item verbis non etiam re, TITIO, ET SEIO FVNDVM AEQVIS PARTIBVS DO LEGO. Quoniam semper partes habent legatarii. præfertur igitur omnimodo cæteris, qui re & uerbis coniunctus est. quòd si re tantum coniunctus sit: constat non esse potiorem. Si vero uerbis quidem coniunctus sit, re autem non magis est, vt ipse præferatur. ff. de lega. iii. l. re coniuncti, lxxxvii. aliàs lxxxix.

MAEVIO FVNDI PARTEM DIMIDIAM, SEIO PARTEM DIMIDIAM LEGO, EVNDEM FVNDVM TITIO LEGO, si Seius decesserit pars eius utrique accrescet: Quia cùm separatim, & partes fundi, & totus legatus sit; necesse est, ut ea pars, quæ cessat de portione legati cuiq; eorum, quibus fundus separatim legatus est, adcrescat, ff. de lega. ii. l. MAEVIO, xli.

Duobus coniunctim fundus erat legatus, alter ex his partis æstimationem per actionem personalem abstulit, alter si fundum totum vindicare velit exceptione doli mali pro parte dimidia repellitur, quia defunctus semel ad eos legatum peruenire voluit. ff. de lega. primo, l. duobus, lxxxv.

Si mihi & Titio eadem res legata fuerit: & die legati cedente is decesserit me hærede relicto, ut uel ex mea propria causa, uel ex hæreditate legatum repudiauero placet uideri partem defecisse, ff. de lega. ii. l. si mihi, lv. aliàs lvii.

Si quis agrum forte Cornelianum, uel quandam rem cuidam legauerit, & postea iterum, uel sæpius ei eandem rem per legatum vel fideicommissum dederit: Post talia autem verba testamenti; Sempronio eundem agrum vel aliam rem legauerit, vt sæpius quidem fuisset Titii mentio semel autem Sempronii æqua lance res legata diuidetur, & ad dimidiam partem unusquisque uocatur: Et hoc idem si coniunctim aut separatim eis relinquatur: nisi specialiter expresserit testator tantas quidem partes velle vnum, tantas autem alterum habere, C. de lega. l. cùm quæstio, xxiii. §. sed & aliam.

8 *Quando legato fundo alieno acquiritur proprietas deducto usufructu, uel usufructus peruenit, ac petitur fundus.*

Si cui fundus alienus legatus sit, & emerit proprietatem deducto vsufructu, uel usufructus ad eum peruenerit: & postea ex testamento agat, rectè agit, & fundum petit, quia usufructus in petitione, seruitutis locum obtinet:

sed

Sed officio iudicis continetur, ut deducto vsufructu iubeat æstimationem pręstari, Inst. de leg. §. si cui fundus.

Fundus mihi legatus est, proprietatem eiusdem fundi redemi detracto usufructu: Postea uenditor capite minutus est, & usus fructus ad me pertinere cœpit. Si ex testamento egero iudex tanti litem æstimare debebit, quantum mihi aberit: Item si partem redemero, & pars mihi legata, aut donata sit, partem duntaxat petere debeo, ff. de leg. primo, l. non quocunque, lxxix. aliàs lxxxii. §. fundus.

Dominus hærede fructuario scripto fundum sub conditione legauit uoluntatis ratio non patitur, ut hæres ex causa usus fructus emolumentum retineat. Diuersum in cæteris prædiorum seruitutibus, quas hæres habuit responsum est, quoniam fructus portionis instar obtinet, ff. de leg. ii. l. cum filius, lxxvi. aliàs lxxviii. §. Dominus.

9 *Obligatio legati non extinguitur, nisi eo modo legatarii facta fuerit, quo auelli non possit.*

Non quocunque modo legatarii res facta fuerit, die cedente obligatio legati extinguitur, sed ita si eo modo fuerit eius, quo auelli non possit: Ponamus rem, quæ mihi pure legata sit, accipere me per traditionem die legati cedente ab eo hærede, à quo eadem sub conditione alii legata fuerit: nempè agam ex testamento: quia is status est eius, ut existente conditione discessurum sit à me Dominium. Nam etiam si ex bonis eius, qui Reipublicæ causa aberat rem usu adquisierim, & ea, ante quàm euinceretur mihi legata fuerit, deinde postea euincatur, rectè ex testamento petam eam mihi dari oportere, ff. de lega. primo, l. non quocunque, lxxix. aliàs lxxxii. in princ.

10 *Re legatarijs legata inutile est legatum: & quid si alienatur post testamentum.*

Si rem legatarii quis legauerit, inutile est legatum, quia quod proprium ipsius est, amplius eius fieri non potest: & licet alienauerit eam non debetur, nec ipsa res, nec æstimatio eius: Inst. de legat. §. sed si rem legatarii, & C. de legatis, l. proprius, xiii.

Res mea legata, mihi si post testamentum factum, fuerit alienata, legatum non conualescit, quia uires ab initio legatum non habuit, ff. de legat. primo, l. cætera, xli. §. tractari.

Si tibi legatus est fundus, qui testamenti scribendi tempore tuus esset, si eum uiuo testatore alienaueris legatum tibi debetur, quod non deberetur, si testator statim decessisset, ff. de Reg. Caton. l. prima, in fi.

Quod intelligitur quādo alienatio fit mortuo testatore propter infrascriptam legē si tibi, ut etiam aduertit glossa in prima solutione.

Filius decedens Seiæ matri fundum, qui prius matris erat legauerat, & ab eo petiit, ut eundem, cum moreretur Flauiæ Albinæ, coniugi suæ restitueret: post mortem testatoris mater, apud Magistratum professa est, nihil se aduersus uoluntatem filii sui facturam: paratamque se fundum Flauiæ Albinæ tradere, si sibi annua bina pręstarentur redditúum nomine. sed neque possessionem, neque annua bina accepit, ipsa Seia fundum uendere potest, nam fideicommissum non ualuit, quia matri suum legauit: si modo nihil præterea mater cepisset, ff. de leg. iii. l. cum quis, xxxv. aliàs xxxvii. in princ.

11 *Quando res mea sub conditione legatur.*

Mea res sub conditione legari mihi potest, quia in huiusmodi legatis non testamenti facti tempus, sed conditionis explectæ spectari oportet, ff. de condit. & demonst. l. mea res, xcvi.

Si existentis conditionis tempore res mea non sit, uel ædibus iuncta non sit: secundum eos, qui & emi rem meam sub conditione, & promitti mihi stipulari, & legari posse aiunt. Purum igitur legatum Catoniana regula impediet, conditionale non, quia ad conditionalia Catoniana regula non pertinet, ff. de lega. primo, l. cætera, xli. §. tractari circa finem.

Si Titius rem à me emisset, & eandem mihi legasset: antequam ei traderem, mox ei tradidero, & precium recepero uidetur, quidem is prima facie rem meam mihi legasse, & ideo legatum non consistere, sed ex empto actione liberatus, utique per legatum rem uendicare potero, quam tradidi. sed si nondum erat solutum mihi precium: ex uendito ego quidem acturus sum, ut precium consequar: ex testamento uero, ut rem, quam uendidi, & tradidi recipiam. Idem si precium quidem mihi erat solutum, rem autem nondum tradideram, nam ex testamento agens liberationem consequar. Idem si fundum testator, quem ab alio emerat mihi legauit, nam hæres cogetur mihi actionem ex empto præstare, scilicet si nondum res tradita fuerit, uel defuncto, uel hæredi, ff. de lega. primo, l. cum seruus, xxxix. § si Titius.

Si fundum legatum sub conditione, hæres pendente conditione alii legasset, & post existentem conditionem, quæ priore testamento præposita fuisset, tunc ea conditio, sub qua heres legauerat, extitisset: Dominium à priore legatario non discedit, ff. eod. l. si fundum, lxxxi. in princ.

12 *Fundus uectigalis legari potest, item superficies ei, cuius in solo fuit.*

Quamuis fundus municipium uectigalis ipsis Municipibus legatus sit. legatum consistit, quia aliquod ius in eo is, qui legauit habet. Sed, & si non municipibus, sed alii fundum uectigalem legauerit, non uidetur proprietas rei legata, sed id ius, quod in uectigalibus fundis habemus, ff. de lega. primo, l. si domus, lxxi. §. fina.

Valet legatum si superficies legata sit, ei, cuius in solo fuerit, licet is Dominus soli fuerit, nam consequetur, ut hac seruitute liberetur, & superficiem lucrifaciat, ff. de legat. primo, l, si tibi homo, lxxxiii. aliàs lxxxvi. §. ualet legatum.

13 *Quando res sua, quasi aliena legatur.*

Si quis rem suam, quasi alienam legauerit, ualet legatum. nam plus ualet, quod in ueritate est, quàm quod in opinione: sed & si legatarii esse putauit, ualere constat, quia exitum uoluntas defuncti habere potest: Inst. de legatis, §. si quis rem suam.

Qui quartam partem bonorum legare uoluit, dimidiam scripsit: potest defendi quartam legatam, quia inesset dimidiæ. Idem erit, & si quinquaginta uoluit legare, & centum scripta sunt: quinquaginta enim debebuntur, sed & si plus legare uoluit, & minus scripsit: ualet legatum, ff. de leg. primo, l. qui quartam, xv. in princ.

Quando

14 *Quando res legata alienatur.*

Si rem suam legauerit testator, posteaque eam alienauerit, si non adimendi animo uendidit nihilominus legatum debetur, Inst. de leg. § si rem suam.

Cùm equus legatus à testatore, & alienatus rursus redemptus sit a testatore, non debetur legatario, opposita exceptione doli mali. Sanè si probat legatarius nouam uoluntatem testatoris, non submouebitur, ff. de adimend. lega. l. cum seruus, xv.

Rem legatam testator uiuus alii donauit, omnimodo extinguitur legatum, nec distinguitur utrum propter necessitatem rei familiaris, an mera uoluntate donauerit, ut si necessitate donauerit legatum debeatur: si nuda uoluntate non debeatur. Hæc enim distinctio in donantis munificentiam non cadit, cum nemo in necessitatibus liberalis existat, ff. de adimen. leg. l. si rem, xviii.

Hæc lex non est contraria dispositioni institutionũ, quia in dubio alienatio legatum adimit, si mera uoluntate fit, ut deciditur in l. rem legatam intra scripta.

EQVVM, QVI MEVS ERIT, CVM MORIAR, HAERES MEVS DATO, magis conditionem legato iniecisse, quàm demonstrare uoluisse patremfamilias apparet, eò quod si demonstrandi causa hæc Oratio poneretnr: ita concepta esset. EQVVS, QVI MEVS EST, non QVI MEVS ERIT. sed conditio talis recipi debet, quatenus meus erit: ut si totum alienauerit, legatum extinguatur: si partem pro ea parte debeatur, quæ testatoris mortis tempore fuerit, ff. de leg. primo, l. sexta.

Si ex toto fundo legato testator partem alienasset reliquam duntaxat partem deberi placet: quia etiam si adiecisset aliquid ei fundo augumentum legatario cęderet, ff. eod. l. septima.

Si quis legauerit, rem ita si mortis tempore eius erit. Nec tunc eius inueniatur, nõ æstimatio eius legata uidebitur. Quid ergo si quis ita scripserit, EQVVM ET BOVEM TITIO DO LEGO SI MEI ERVNT CVM MORIAR, & unum ex his alienauerit, an uel alter possit à legatario uindicari, & placet uindicari, nam hunc sermonem licet pluraris sit, pro eo oportet accipi, atque si separatim dixisset: EQVVM SI MEVS ERIT CVM MORIAR BOVEM SI MEVS ERIT CVM MORIAR, ff. de cond. & demonst. l. falsa, xxxiii. § si quis legauerit.

Is, qui post testamentum factum prædia, quę legata erant pignori dedit: ademisse legatum non uidetur: & ideo legatarius cum hęrede eius agere potest, ut prædia à creditore luantur, Inst. de leg. § idem rescripserunt.

15 *Quando prædia legata pignori dantur.*

Qui post testamentum factum prædia, quę legauit pignori, uel hypothecæ dedit. mutasse uoluntatem circa legatariorum personam non uidetur, & ideo etiam si in personam actio electa sit, rectè placuit ab hærede prædia liberari, C. de legatis, l. tertia.

Si testator quosdam ex hæredibus iusserit alienum soluere, non creditores habebunt aduersus eos actionem: sed cohæredes, quorum interest hoc fieri. Nec solum hoc casu alius habet actionem, quam cui testator dari iussit: sed alio quoque ueluti si filiæ nomine genero, aut sponso dotem dari iusserit, non enim gener, aut sponsus, sed filia habet actionem, cuius maximè interest, ff. eodem l. seruo, lxix. § si testator.

Si fundus, qui legatus est, seruitutem debeat impositam: qualis est dari debet. Quòd si ita legatus sit. VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE: li-

ber præstandus est,d.l.seruo,§.si fundus.

Qui habebat in prouincia,ex qua oriundus erat propria prædia, aliaque pignori sibi data ob debita codicillis ita scripsit: QVO MAGIS, DVLCISSIMA PATRIA MEA FINES, AC TERRITORIA SVA TVEATVR DECERNO ASSIGNOQVE ILLI VNIVERSA PRAEDIA, QVAE IN SYRIA POSSIDEO CVM OMNIBVS, QVAE ILLIC SVNT. PECORIBVS FRVCTIBVS RECONDITIS OMNI APPARATV: Prædia quæ pignori habuit testator patriæ suæ reliquisse non uidetur. si modo in proprium patrimonium, quod ferè cessantibus debitoribus fit,non sint redacta,ff.de leg.iii.l. qui habebat,C.in princip.

16 *Quando pras alienatur tantum.*

Si quis partem rei legatæ alienauerit, pars quæ non est est alienata omnimodo debetur: pars autem alienata ita debetur, si non adimendi animo alienata sit,Inst.de leg.§.si uerò quis.

17 *Quando fundo legato pars additur.*

Si quis post testamentum factum fundo Titiano legato,partem aliquam adiecerit, quam fundi Titiani destinaret. id,quod adiectum est exigi à legatario potest, & similis est causa alluuionis. Et maximè si ex alio agro, qui fuit eius, cùm testamentum faceret eam partem adiecit. Quod si post testamentum factum, ex fundo Titiano aliquid detraxit, & alii fundo adiecit: uidendum est, utrum eam quoque partem legatarius petiturus sit, an hoc minus, quasi fundi Titiani esse desierit, cum nostra destinatione fundorum nomina, & domus non natura constituerentur. Et magis est, ut quod alii destinatum est, ademptum esse uideatur, ff. de lega. primo, l.quod in rerum,xxiiii. §.si quis.

Cùm fundus nominatim legatus sit, siquid ei post testamentum factum adiectũ est,id quoque legato cedit; etiam si illa uerba adiecta non sint: QVI MEVS ERIT. si modo testator eam partem non separatim possedit,sed uniuersitati prioris fundi adiunxit,ff.de leg.ii.l.cum fundus, x.

Cùm post mortem emptoris uenditiones prædiorum fuerint recisæ ex hæredibus precio restituto, cui prædium emptor ex ea possesione legauerat coniectura uoluntatis pro modo æstimationis pars soluenda erit, ff.de leg. ii. l. qui solidum,lxxviii.§.primo.

18 *De liberatione debitori legata.*

Si quis debitori suo liberationem legauerit, legatum utile est: & neque ab ipso debitore, neque ab hærede eius potest hæres petere, neque ab alio, qui hæredis loco sit, sed etiam potest à debitore conueniri, ut liberet eum, potest etiam quis, uel ad tempus iubere, ne hęres petat, Instit. de legatis, §. si quis debitori.

Materia

Materia de liberatione legata habetur in hac Tertia Parte, Lib. Quinto. Titulo decimo tertio.

19 *Quando debitor creditori legat.*

Si debitor creditori ſuo,quod debet, legauerit, inutile eſt legatum, ſi nihil amplius eſt in legato, quàm in debito, quia nihil amplius per legatum conſequi poteſt,Inſt.de leg.§.ex contrario,& C.de leg.l.vxor, xx.

Creditori ita poteſt legari,ne indebitum ab eo repetatur,ff.de legat.iii.l.creditori, xxiiii.

Si debitor creditori leget, nulla eſt utilitas, ſi ſine quantitate legauit: ſed &ſi id demonſtrat,quod debere ſe confitetur: nulla utilitas eſt,niſi in his ſpeciebus, in quibus emolumentum debiti ampliatur. Quod ſi centum aureos, quos ſe debere dixit, legauit,ſiquidem debet inutile eſt legatum, quòd ſi non fuit debitor, placuit, utile eſſe legatum: certa enim numorum quantitas ſimilis eſt, equo legato, cum demonſtratione falſa. Idemque incerta pecunia dotis acceptæ nomine legata, ff. de lib.leg.l.legaui,xxv.§.contra qui eſt, fin.

Creditor,cui res pignoris iure obligata à debitore legata eſſet, non prohibetur pecuniam creditam petere,ſi uoluntas teſtatoris compenſare uolentis euidēter non oſtenderetur,ff.de leg.ii.l.creditorem,lxxxv. aliàs lxxxvii.

Creditor ſi à debitore ſuo rem; quam pignoris nomine ſuſceperat, legatam ſibi contendit,etiam debito ab hæredibus eius oblato,quominus reſtituat,defendi poteſt,C.de leg.l.creditor,xvi.

Quidam ita legauit. VXORI MEAE REDDI IVBEO AB HAEREDIBVS MEIS QVINQVAGINTA, EAQVE MVTVO ACCEPERAM CHIROGRAPHO PARTICVLATIM IN MEA NEGOTIA. ſi uere vxoris debitor fuerit fideicommiſſum non conſiſtit: & ſi uxor hanc pecuniam,ut debitam apud iudicem petierit, & uicta fuerit adhuc fideicōmiſſum peti poteſt,quòd apparuiſſet non fuiſſe ex alia cauſa debitum, ff.de liberatione leg.l. Aurelius, xxviii.§. penul.

Si debitor,quod in diem,uel ſub conditione debet creditori purè legauerit,utile eſt legatum propter repræſentationem. Quod ſi uiuo teſtatore dies uenerit,uel conditio extiterit,utile nihilominus eſt legatum, quia ſemel conſtitit, non enim placuit ſententia exiſtimantium extinctum eſſe legatum,quia in eā cauſam peruenerit,à qua incipere non poteſt,Inſt.de leg.§.quòd ſi diem,& ff. de libe.lega.l.idem eſt,xiiii.

Debitor decem legauit creditori,qui ei poſt annum ſub pignore debebat: non medii temporis tantum commodum ex teſtamento debetur: ſed tota decem peti poſſunt, nec tollitur petitio, ſi interim annus ſuperuenit, nam ſufficit, quod utiliter dies ceſsit. Quod ſi uiuo teſtatore annus ſuperueniat dicendum eſt: inutile effici legatum quamquam conſtiterit ab initio. Sic & in dote prælegata reſponſum eſt: totam eam ex teſtamento peti poſſe. item ſi fundus legatus ſit ex die debitus: quia pecunia peti non poteſt, quæ non eſt legata, nec pars fundi facile inueniretur, quæ poſsit pro commodo peti, ff. de legat. ii.l. debitor, lxxxii. in princ.

Si creditori meo tutus aduerſus eum exceptione id, quod ei debeo legem

utile legatum est, quia remissa ei exceptio uidetur. Item si rem, quam ex stipulatu debes, mihi legaueris, utile est legatum, ut neque Falcidia hoc minuat. si autem neque modo, neque tempore, neque conditione, neque loco debitum differatur: inutile est legatum, ff. de leg. primo, l. si creditori, xxviii. cum l. seq. & ff. de liberatione leg. l. si creditor, xiii.

Si Titio decem, quæ ego debeo legauero, & rogauero eadem creditori præstare, fideicommissum quidem in creditoris personam non ualet, quia nihil eius interest: hæres uerò potest cum legatario agere, quia ipsius interest creditori solui, ne eum conueniat, ergo propter hoc ualebit legatum. sed & si testator decem mihi sub fideiussore debuit, fideicommissi petitio non solum hæredi, sed & fideiussori competit: interest enim eius solui mihi, quàm ipsum conuentum mandati actionem intendere: Nec interest soluendo sit, nec ne. item si fideiussor creditori legasset, quod ei debet, idem est, nam creditoris nihil interest: uerum debitor habet ex testamento actionem. interest enim ipsius liberrai. Quippe conueniri a fideiussoris hærede non poterit. Quod si idem fideiussor Titio leget, & fidei eius commiserit, ut creditori soluat: & debitor, & fideiussoris hæres agere cum Titio ex causa fideicommissi poterunt, quia utriusque interest legatarium soluere, ff. de leg. primo, l. si cui legetur, lxxxix. §. si Titio, & §. Iulianus.

20 *Quando maritus dotem, aut alia legat vxori.*

Si vxori maritus dotem legauerit, ualet legatum, quia plenius est legatum, quàm de dote actio: sed si quam non accepit dotem legauerit: si quidem simpliciter, inutile est legatum, si uero certa pecunia, uel certum corpus, aut instrumẽta dotis in prælegando demonstrata sunt, ualet legatum, Instit. de leg. §. sed si vxori.

Si quando quis vxori suæ ea, quæ uiuus donauerat vulgari modo leget, non de aliis donationibus eum uidetur sensisse, quàm de his, quæ iure ualituræ non sunt. alioquin frustra ei legaturus sit, si ita exprimat. QVAE VXORI MEAE DONAVERO, EA EI LEGO, ff. de lega. primo, l. si quando, cix.

Cùm quidam vxori suæ dotem reddidisset, & quadraginta ei legare uoluisset, & quamquam sciret dotem redditam, hoc tamen prætextu usus esset, quasi dotis reddendæ nomine eam summam legaret: existimatur deberi quadraginta. Etenim reddendi uerbum, quamquam significationem habeat retro dandi, recipit tamen, & per se dandi significationem, ff. de legat. secundo, l. cum quidam, xxi.

A me hærede instituto vxori meæ, ita legatum est. QVIDQVID PROPTER TITIAM AD SEIVM DOTIS NOMINE PERVENIT, TANTAM PECVNIAM. SEIVS HAERES MEVS DET TITIAE. Non dubitatur totam dotem deberi, sine deductione impensarum, quæ fierẽt si de dote ageretur. Non autem idem ius seruari debet, ex testamento extranei, quod seruatur in testamento uiri, qui dotem uxori relegauit. hoc enim taxationis loco habendum est. QVIDQVID AD TE PERVENIT, illic autem ubi uir vxori relegat, id uidetur legare, quod in iudicio dotis mulier consecutum fuerit, ff. de leg. ii. l. Mæuio, xli. §. a me.

Cùm ab uno hærede mulieri, pro dote compensandi animo legatum esset, eaque dotem

dotem suam ferre, quàm legatum maluerit: utrum in omnes hæredes, an in eum solum à quo legatum est, actio ei, de dote dari debeat. quæritur. Iulianus in eum primum, à quo legatum sit, actionem dandam putat. nam cùm aut suo iure, aut iudicio mariti contenta esse debeat: æquum esse eum, a quo ei maritus, aliquid pro dote legauerat, usque ad quantitatem legati onus, huius æris alieni sustinere. reliqua parte dotis ab hæredibus ei præstanda: Eadem erunt dicenda, si hæres instituta pro dote amiserit hæreditatem, ut in substitutum actio detur, & hoc uerum est, ff. de leg. ii. l. cum ab uno, liii. in princ.

Si uxor iumenta æstimata in dotem dederit, & maritus fecerit conditionē in relegandа dote, utrum malit iumenta, quæ in dotem dederat, an pecuniam numeratam. Et vxor maluerit iumenta recipere, fœtus eorum ad ipsam non pertinebit, ff. de leg. ii. l. Licinnius, xlviii. in princ.

Qui dotale prædium, contra legem Iuliam uendidit vxori legatum dedit, & emptoris fideicommisit, ut amplius ei precium restituat, emptorem fideicommissi non teneri constabat. si tamen accepto legato mulier uenditionem irritam faceret, eam oblato precio doli placuit exceptione submoueri, ff. eod. l. cum pater, lxxvii. §. qui dotale.

FILIA MEA PRAECIPIAT, HABEATQVE SIBI VOLO REM MATRIS SVAE. fructus, quos medio tempore percipiet, nec in separato habuit, sed assumpsit, uel in patrimonium suum conuertit, non uidentur filiæ relicti, ff. eod. d. l. cum pater, lxxvii. § filia mea.

Filiæ matris prędium pater ita legauit. PRAECIPITO SVMITO EXTRA PARTEM HAEREDITATIS, cum hæreditati matris filia renunciasset, nihilominus eam rectè legatum uindicare uisum est, C. de leg. l. cum responso, xii.

VXORI MEAE DVM CVM FILIO MEO CAPVAE ERIT DVCENTA DATO, filius à matre migrauit, si ambo capuæ habitassent legatum matri debebitur, quamuis una non habitassent. Sin autem in aliud municipium transissent unius tantummodo anni debebitur, quo una habitassent, quantolibet tempore. sed legatum debetur, si per mulierem mora non est, quominus cum filio habitet, ff. de leg. iii. l. qui concubinam. xxix. §. vxori.

Vxori suæ inter cætera, ita legauit. ET DOMVS EAM PARTEM, IN QVA MORARI CONSVEVIMVS. cùm tam testamenti faciendi tempore, quàm mortis totam domum in usum habuerit, nec quidquam ex ea locatum sit, non tantummodo cubicula legasse uidetur, in quibus dormire cō sueuerat. sed omnem partem uidetur legasse, in qua morari cum familia consueuisset, ff. de leg. iii. l. uxori, xxxiii. in princ. al. às xxxiii.

Vxori suæ inter cætera ita legauit. VXORI MEAE QVIDQVID VIVVS DEDI, DONAVI: VSIBVSVE EIVS COMPARAVI CONCEDI VOLO. id, quod post testamentum factum ei donatum est, non intelligitur esse concessum, quia nihil pro futuro tempore significatur, d. l. vxori, xxxiii. §. vxori.

Cum Seius pro vxore centum aureos creditori soluerit: Et ornamentum pignori positum luerit, postea autem testamento facto uxori suæ legauit, quidquid ad eum, inve stipulatum eius concessit. Et hoc amplius uicenos aureos annuos. si donationis causa centum aurei soluti sunt, hæredes si repetant ab uxore, uel hæredibus eius, tenentur ex causa fideicommissi, atque exceptione petentes submouebuntur, quod præscriptum esse debet, nisi contrarium ab hæredi-

redibus probetur, ff. de leg. iii. l. vxori, xxxiii. §. fin.

Titius hæredes instituit, Seiam uxorem ex parte duodecima, Mæuiam ex reliquis partibus, & de monumento, quod sibi extrui uolebat, ita cauit. CORPVS MEVM TRADI VOLO SEPELIENDVM AB VXORE IN MONVMENTO EXTRVENDO VSQVE AD QVADRINGENTOS AVREOS, cùm in duodecima parte non amplius, quàm centum quinquaginta aurei, ex bonis mariti ad vxorem perueniant non ipsa sola monumentum extruet, sed ab utraque hærede pro hæreditariis partibus extruetur, ff. eod. l. Titius, xl. aliàs xlii.

A TE PETO TITI FIDEIQVE TVAE COMMITTO, VTI CVRAM CONDENDI CORPORIS MEI SVSCIPIAS: ET PRO HOC TOT AVREOS E' MEDIO PRAECIPITO. Si Lucius Titius, minusque decem aureos erogauerit, reliqua summa hæredibus commodo proficiet, ff. de leg. ii. l. Lucius, lxxxviii. §. a te peto.

De dote relegata, habetur in Libro Quinto, Titulo IIII.

81 *Si res legata sine facto hæredis decedit.*

Si res legata sine facto hæredis perierit legatario decedit, Instit. de legat. §. si res legata.

Si certum corpus hæres dare damnatus sit, nec fecerit quominus ibi, ubi id esset traderetur, si postea sine dolo, & culpa hæredis perierit deterior fit legatarii conditio, ff. de leg. primo, l. non amplius, xxvi. §. primo.

Si legatarius petierit legatum, id tantum, quod per iudicem exegerit præstare fideicommissario cogetur, uel si non exegerit litis periculum præstare iniquum est, si non culpa legatarii lis perierit, ff. de leg. iii. l. si legatarius, octaua in prin.

Si hæreditatis iudex contra hæredem pronuntiauerit, non agentem causam, uel lusorie agentem: nihil hoc nocebit legatariis. item si per iniuriam fuerit pronuntiatum, & hæres non prouocauerit, iniuria ei facta non nocebit legatariis. si tamen secundum substitutum pronuntietur ille legatariis tenebitur, cum ius faciat hæc pronuntiatio, quod attinet ad eius personam. Nec enim tam improbè causari potest. secundum se iudicatum per gratiam. respondebit igitur & legatariis, & creditoribus, ff. de leg. primo, l. si seruus plurium, l. aliàs, l. iii. §. si hæreditatis.

Testator legata, ante quinquennium uetuit peti, præstarique: sed hæres quædam sua sponte, ante quinquennium soluit. quæsitum est, an eius quod ante diem existentem solutum est, repræsentationem in reliqua solutione reputare possit, & responsum est. non propterea minus relictum deberi, quod aliquid ante diem sit solutum, ff. de leg. ii. l. Lucius, lxxxviii. aliàs xc. §. testator.

Quamuis hæres institutus hæreditatem uendiderit, tamen legata, & fideicómissa ab eo peti possunt, & quod eo nomine datum fuerit, uenditor ab emptore, uel fideiussoribus eius petere poterit, C. de leg. l. secunda.

Si cui equus legatus fuisset, & per legatarium stetisset quominus equum, cum hæres tradere uolebat acciperet mortuo equo exceptio doli mali proderit hæredi, ff. de leg. primo, l. huiusmodi, lxxxiiii. §. si cui.

Species nominatim legatæ si non reperiantur, nec dolo hæredis deesse probétur peti ex eodem testamento non possunt, ff. de leg. ii. l. omnia, xxxii. §. species.

Si alteri equum hæres dedit, quem duobus dare damnatus fuerat, & antequam inter-

interpellaretur ab altero, equus mortuus est, hæres non tenetur, quia nihil per eum factum intelligitur, ff. de leg. primo, l. Titiæ, xxxvi. §. fin.

Si res aliena, uel hæreditatis sine culpa hæredis perierit, uel non compareat, nihil amplius, quàm cauere eum oportebit, sed si culpa hæredis res perierit statim damnandus est, ff. de leg. primo, l. cum res, xlix. §. item si res aliena.

Culpa autem æstimanda est, non solum ea, quæ dolo proxima est, uerum etiam, quæ leuis est. sed & diligentia exigenda est, ab hærede, dicta l. cum res, §. culpa autem.

Si hæres animal legatum occiderit, tenetur. non ut carnem præstet, uel cætera, sed ut præstet precium quanti esset, si uiueret, ff. de leg primo, l. quid ergo, liii. §. si hæres.

Mortuo boue, qui legatus est: nec corium, nec caro debetur, ff. de lega. ii. l. mortuo, xlix. in princ.

Si hæres rem legatam ignorans in funus consumpserit, ad exhibendum actione non tenebitur, quia nec possidet, nec dolo malo fecit, quominus possideret: sed per in factam actionem legatario consulitur, ut indemnitas ei ab hærede præstetur, ff. de leg. ii. l. si hæres, lxii. aliàs lxv.

Si fundus chasmate perierit, æstimatio non debebitur, si non post moram factam id euenerit, potuit enim eum acceptum legatariis uendere, ff. de leg primo, l. cum res, xlvii. §. fin.

Quadrigæ legato æquo mortuo legatum periit, sed si medio tempore deminuta suppleantur ad legatarium pertinebunt, ff. de leg. ii. l. peculium, lxv. siue lxvii §. quadrigæ.

22 *De Naue legata, & refecta.*

Si nauem legauero, & specialiter eam adscripsero eamque per partes totam refecero. carina eadem manente nihilominus recte à legatario uindicabitur, ff. de leg. primo. l. quod in rerum, xxiiii. §. fin.

23 *Lana legata uestis ex ea facta non debetur, neque æstimatio ex ornamentis: Auro legato, & conflacto, aut ex poculis massa facta debetur.*

Lana legata, uestem, quæ ex ea facta sit deberi non placet: sed & materia legata nauis, armariumque ex ea factum non uindicentur. Naue autem legata dissoluta, neque materia, neque nauis debetur. Massa autem legata Scyphi ex ea facti, exigi possunt, ff. de leg. iii. l. lana, lxxxvi. siue lxxxviii.

Seia ab hęrede ita legauit. ANTONIAE DO, LEGO AVRI PONDO TOT, ET VNIONEM CVM HYACINTHIS. postea unionem soluit, neque ullam mortis tempore inter ornamenta sua, unionem reliquit: Hæres ex causa fideicommissi æstimationem rei, quæ in hæreditate nõ est, præstare non debet. Item si probari possit Seiam vniones, & Hyacinthos quosdam in aliam speciem ornamenti additis aliis gemis, & Margaritis conuertisse, hæres non compellitur ornamenta posteriora eximere, & præstare Vniones, & Hyacinthos: Nec enim fieri potest, ut legatum, uel fideicommissum durare existimetur cum id, quod testamento dabatur in sua specie non permanserit, & quodammodo extinctum sit, ut interim omittatur, quod etiã dissolutione permutatione talis uoluntas uideatur quoque mutata, ff. de auro,

auro,& argen. legat.l.sexta.

Si vxori aurum,quod eius causa paratum est legatum sit, & postea sit conflatum : materia tamen maneat,ea ei debetur, ff.de leg.iii.l.si legatum, xlvii. siue xlix. § penultim.

Illud fortasses quæsiturus sit aliquis. cur argenti appellatione etiam factum argentum compræhendatur,cum si marmor legatum sit, nihil præter rudem materiam demonstratum uideri posit : cuius hæc ratio redditur, quippe ea quæ talis naturæ sint,ut sæpius in sua posint reddi initia, ea materiæ potentiæ uicta nunquam uires suas effugiant, ff. de leg.iii.l. quæsitum est, lxxviii. §. illud fortasse.

Si Pocula quis legauerit,& massa facta est,uel e contra item si lana legetur,& uestimentum ex ea fiat: legatum in omnibus suprascriptis consistit : & debetur quod extat.si modo non mutauerit testator uoluntatem : sed,& si lancem legauerit, & massam fecerit, mox poculum, debebitur poculum : durante scilicet uoluntate, ff.de leg.primo,l.seruum filii,xliiii.§ si pocula.

Hæc lex siue,§ si pocula habet contrarietatem cum legibus supra descriptis in exemplo de lana legata: ex qua uestimentum factum sit, quia in illis legibus deciditur vestimentum non deberi: in hoc autem § contrarium habetur, & glos. in §. si pocula soluendo dicit hic hæres fecit, ibi. i. in l. Lana, testator, quæ solutio non potest esse vera, quia si hæres fecisset ex lana uestimentum fuisset in culpa, & ad præstationem legati teneretur, ut etiam dicunt Ang. & Pau. Castren addentes, quod non posset dubitari de voluntate mutata, vel ne testatoris : similiter gl. in l. lana soluendo dicit, uestem ex lana factam fuisse nondum cedente die legati alioquin contra, quæ solutio est diuinatiua, cum in § si pocula nulla sint verba de die cedente, immo est idem casus in vtroque textu, Ang vero, & Paulus Castren. in d. § si pocula soluunt contrarietatem, vt in dubio duret voluntas, si materia est reducibilis ad formam, vel è contra, secus in legato lanæ ex qua vestimentum factum sit, quia præsumitur mutata voluntas, cum materia non sit reducibilis ad formam: sed hæc solutio caret fundamento: quia est diuinatiua, nec habet rationem in se, quod magis in uno casu, quàm in alio præsumatur mutatio voluntatis, immo est solutio omnimodo falsa, quia in § si pocula ponitur casus de materia reducibili, item de non reducibili, & terminatur eandem esse dispositionem. Quibus stantibus est contrarietas fortasse non amplius visa, quia vtraque lex est Pauli I. C. & cogimur dicere ipsum errasse in decisione § si pocula, nam vera est dispositio legis lana: quia concordat cum multis ll. & causa erroris potuit esse, quia Paulus in d. §. si pocula, refert Iulianum tenere eam opinionem, & eum sequutus est.

24 *Quando dubitatur an res legata in rerum natura sit.*

Si res, quæ legata est in rerum natura sit dubitetur, placuit agi quidē ex testamēto posse, sed officio iudicis continetur, ut cautio interponatur, quæ hæres caueret eam se præstaturum, & ei nactus esset legatario præstaturum, ff. de lega. primo,

primo,l.seruo legato,lxix.§.fin.

Si Areæ legatæ domus imposita sit: debebitur legatario, nisi testator mutauerit uoluntatem,ff.de leg.primo,l.seruum, xliiii.§.si Areæ.

Item si Areæ legatæ post testamentum factum ædificium, impositum est: utrunque debebitur,& solum,& superficium,ff.de leg.ii.l.si areæ,xl.

25 *De Area legata, & domo.*

Area legata. si inædificata medio tempore fuerit,ac rursus Area facta sit, quamquam tunc peti non potuerat,nunc tamen debetur, ff. de legat.iii.l. si chorus, lxxix §.area.

Si domus fuerit legata,licet particulatim ita refecta sit, ut nihil ex pristina materia,supersit tamen dicemus utile manere legatum. at si ea domo destructa, aliam eodem loco testator ædificauerit: dicemus legatum interire, nisi aliud testatorem sensisse fuerit adprobatum, ff. de legat. primo, l. si ita legatum, lxv.§. fina.

Domos hæreditarias exustas, & hæredis numis extructas boni uiri arbitratu sumptuum rationibus deductis, & ædificiorum quantitatibus extantibus æstimatis,respondit Papinianus,si modo nulla culpa eius incendium contigisset. Quòd si nulla retentione facta domum tradidisset, incerti conditio ei competit,quasi plus debito soluerit. sumptus autem in reficienda domo necessariò a legatario factos petenti ei legatum,cuius postea conditio extitit,non reputabuntur,ff. de leg.primo,l. domo,lviii.cum tribus seq. ll.

Si hæres domos legatas ob damnum infectum possidere passus est, tenebitur: debuit enim repromittere,ff.de leg.primo,l. quid ergo,liii.§.item si ædes.

Qui fundum excepto ædificio legat,appellatione ædificii,aut superficiem significat,aut solum quoque cui ædificium superpositum est. si de doli superficie exceperint nihilominus iure legati totus fundus uindicabitur. sed exceptione doli mali posita,consequetur hæres id, ut sibi habitare in uilla liceat, in quo inerit,ut iter quoque,& actum in ea habeat. Si uerò solum quoque exceptum fuerit. fundus excepta uilla uindicari debebit, & seruitus ipso iure uillæ debebitur,non secus,ac si duorum fundorum Dominus alterum legauerit,ita ut alteri seruiret, sed inclinandum est, testatorem etiam de solo cogitasse, sine quo ædificium stare non potest, ff. de legat. primo, l. si fundum, lxxxi.§. qui fundum.

Aedes quibus hæredis ædes seruiebant,legatæ sunt traditæ legatario non imposita seruitute, potest legatarius ex testamento agere, quia non plenum legatū accepisset,ff.eod.l.huiusmodi,lxxxiiii.§.ædes.

Aedes destructæ,neque legari,neque per fideicommissum relinqui possunt,ff.de leg.primo,l. filiusfamilias,cxiiii.§.ædes.

Nihil proponitur cur prohibeatur hęres ędificia destruere,è quorum reditu sportulæ sint relictæ: salua in causa legati, ff. de legat. primo, l. nihil in Cxx. in princip.

Si cui ædes legatæ sint, is omne habebit id ædificium, quæ solum earum ædium erit, sed tunc hoc falsum est.cum Dominus binarum ædium aliquid conclaue, quod supra concamerationem alterarum ædium esset, & in usum alterarum conuertit,atque ita is usus fuerit,namque eo modo alteris ædibus id accedet,alteris decedet,ff.de leg.iii.l.si cui ædes,xxxi.

Balneas

Balneas legatæ domus esse portionem constat, quòd si eas publicè præbuit, ita domus esse portionem Balneas constat, si per domum quoque intrinsecus adirentur,& in usu patrisfamil. uel uxoris nunquam fuerunt, & mercedes eius inter cæteras meritoriorum domus rationibus accepto ferebantur, & uno precio comparatæ, uel instructæ communi iure coniunctæ fuissent, ff. eod. l. prædiis, xci. §. Balneas.

26 *De grege, aut pecudibus legatis.*

Si Grex legatus fuerit,& postea ad unam ouem peruenerit, quod superfuerit uindicari potest. Grege enim legato etiam oues eas, quæ post testamentum factum gregi adiiciuntur, legato cedunt. Est enim gregis unum corpus ex distantibus capitibus, sicut ædium unum corpus est ex cohærentibus lapidibus, quã uis Grex desiisset esse. Quemadmodum insula legata, si combusta esset, area posset uindicari, Instit. de lega. §. si Grex,& ff. de legat. primo, l. grege, xxi. & l. sequen.

Pecudibus legatis,& Boues, & cætera iumenta continentur: armento autem legato, etiam boues contineri conuenit: non etiam greges ouium,& caprarum. Ouibus legatis, atque Agnis, neque aries continentur. Ouium uero Grege legato,& Arietes,& Agnos deberi nemo dubitat, ff. de lega. iii. l. seruis legatis, lxxxi. § pecudibus.

Grege legato non potest quædam res sperni, quædam uindicari: quia non plura, sed unum legatum est. Idemque dicimus peculio legato, uel ueste, uel argento,& similibus, ff. de leg. ii. l. grege, vi.

Si Agni legati sint: uerius est eos legatos esse, qui minores anniculi essent, ff. de leg. iii. l. cum quæreretur, lviii. uel lx. in princ.

Qui duos Mulos habebat, ita legauit. MVLOS DVOS, QVI MEI ERVNT, CVM MORIAR SEIO HAERES DATO: idem nullos mulos, sed duas mulas reliquerat, legatum debebitur, quia mulorum appellatione etiam mulę continentur. Idem autem eo uenit, quod semper sexus Masculinus fœmininum continet, ff. de leg. iii. l. qui duos, lx. aliàs lxi.

Pecoribus legatis quadrupedes continentur, quæ gregatim pascuntur. item & suos quia,& hi gregatim pascuntur, ff. eod. l. legatis, lxiii. § pecoribus.

Iumentis legatis, boues non continentur, nec è contra: equis autem legatis, equæ continentur. ouibus legatis non continentur agni, quandiu autem agnorum loco fiat, ex usu cuiusque loci sumendum est. nam in quibusdam locis ouium numero esse uidentur, cum ad tõsuram uenerint, d. l. legatis, §. iumẽtis.

Qui saltum ęstiuum legauit,& hoc amplius etiam eas res, quæ ibi essent, non uidetur de illis pecoribus sensisse, quæ hyeme in Hybernis, aut estate in æstiuis esse solent. sed de illis sensit, quæ perpetuò ibi sunt, ff. eod. l. qui saltum, lxvii.

Qui quinque in area habebat. ita legauit, uel stipulanti promisit. DECEM QVAE IN ARCA HABEO: & legatum,& stipulatio ualebit, ita tamen ut sola quinque uel ex stipulatione, uel ex testamento debeantur. Quinque autem quæ deerunt ex testamento peti non poterunt, nam quodammodo certum corpus, quod in rerũ natura nõ sit legatum uidetur. quod si mortis tempore plena summa fuerit,& postea aliquid ex ea deperierit: sine dubio soli hæredi deperit, ff. de leg. primo. l. si seruus, cv. aliàs cviii. §. qui quinque.

27 *Quando legatur maior summa, quàm testator habeat.*

Si quis legauerit. EX ILLO DOLIO AMPHORAS DECEM. & si non decem, sed pauciores inueniri possint non extinguitur legatum, sed hoc tantummodo accipit, quod inuenitur, ff. de legatis, ii. l. si quis seruum octaua, §. si quis legauerit.

28 *Aedibus legatis columnæ, & marmora adiectæ legato cedunt, & hortus, & insula vicina addita debentur.*

Aedibus denique legatis, columnas & marmora, quæ post testamentum factum adiecta sunt, legato cedere dicitur, Inst. de leg. § Aedibus.

Qui domum possidebat, hortum uicinum ædibus comparauit, ac postea domum legauit: si hortum domus causa comparauit, vt ameniorem domum, ac salubriorem possideret. aditumque in eum per domum habuit, & ædium hortos additamentum fuit: domus legato continebitur. item appellatione domus insula quoque adiuncta domui, uidetur legata, si uno precio cum domo comparata fuisset, & utriusque pensiones similiter accepto latas rationibus ostenderetur, ff. de leg. iii. l. prædiis, lxxxix. aliàs xci. §. qui domum.

29 *De peculio legato.*

Si peculium legatum fuerit: sine dubio quidquid peculio accedit, vel decedit viuo testatore legatarii lucro, vel damno est, Inst. de leg. §. si peculio.

Peculium legatum augeri, & minui potest, si res peculii postea esse incipiant, uel desinant, ff. de leg. iii. l. peculium, lxv. aliàs lxvii. in princ.

30 *Tam corporales res legari possunt, quàm incorporales non tamen ea, quæ ædibus iniuncta sunt.*

Tam autem corporales res legari possunt, quàm incorporales: & ideo quod defuncto debetur, potest alicui legari, vt actiones suas hæres legatario præstet, nisi exegerit uiuus testator pecuniam: nam hoc casu legatum extinguitur, Insti. de leg. §. tam autem corporales.

Corpora legari omnia, & seruitutes possunt, sed ea, quæ ædibus iuncta sunt, legari non possunt, quia hæc legari non posse Senatus censuit. Et si legatum sit, quando marmora, uel columnæ fuerint separatæ ab ædibus, legatum ex post facto non conualescit, quia ab initio legatum non constitit. sed si sub conditione legentur, poterit legatum ualere, si existentis conditionis tempore ædibus iuncta non sint, ff. de leg. primo, l. cætera, xli. in princ. & §. tractari.

Si quis binas ædes habens alteras, legauerit, ex alteris aliquid iniunctum ei, cui ædes legauerit, ualet legatum, quia licet nobis ex ædibus nostris in alias ædes transferre possessoribus earum futuris, legari tamen non poterit ei, cui alienam domum leget, quia cum legatum est, non est possessor futurus, d. l cætera, §. item quæri.

Si duobus domum legauerit Sempronianam, & ex ea alteri eorum marmora ad extructionem domus Seianæ, quam ei legauerat. item si quis domum deductis marmoribus legauerit, quæ uoluit habere ad extruendam

domum, quam retinebat in hæreditate. Et melius est in utroque detractionem non valere: legatum tamen ualebit, vt æstimatio eorum præstetur, d. l. cætera, xli. §. si duobus.

Si quis ad opus Reipublicæ faciendum legauerit, legatum valebit, quia potest detrahi ex ædibus vrbanis, & rusticis, eoque ad id opus vti: quia hi quoque nõ promercii causa id haberent, d. l. cætera, §. sed & si, ff. de leg. primo.

Sed non permittitur de alia ciuitate in aliam transferri, quamquam constitutũ sit, vt de domo, quam aliquis habet ei permittatur in domus alterius ciuitatis transferre, d. l. cætera, §. sed videamus.

Hoc Senatusconsultum ad omnes ciuitates pertinet, & Diui fratres denegauerunt ius esse distrahendi ob debitum publicum, ff. de legat. primo, l. cætera, §. hoc Senatusconsultum.

Hoc Senatusconsultum, non tantum ad ædes, sed & ad balnea, vel aliud quod ædificium, vel porticus in ædibus, vel tabernas, vel popinas extenditur, d. l. cætera. § hoc Senatus consul. ii.

Prohibentur hæc legari, quæ non alias præstari possunt, quàm ut ædibus detrahantur, vel subducantur. idest marmora, vel columnæ. idem in tegulis, lignis, ostiis, sed & in bibliothecis parietibus inhærentibus, sed si cancelli, vel vela sint, legari poterunt. non tamen fistulæ, vel castella, sed & automataria, & cantari per quos aquæ salium, poterunt legari, maximè si impositicii sint. In statuis, si quidem inhærent parietibus non licebit. si vero alias existant, mens Sen. cons. plenius accipienda est, vt si quæ ibi fuerint perpetuò, quasi porro ædium distrahi non possint. Proinde dicendum est, nec tabulas ædium adfixas, & parietibus adiunctas, vel singula sigilla adæquata legari posse, d. l. cætera, xli. §. item prohibentur.

Sed si parauit quædam testator, quasi translaturus in aliam domum, & hæc legauit, legatum valet, sed si ea, quæ legauit ædibus iũxit, extinctum erit legatum, at si hæres ea iniunxerit legatum non extinguitur, siue sciuit, siue ignorauit, ff. de leg. primo, l. cætera, xli. §. fi. & l. seq. Senatus enim ea, quæ sunt ædiũm legari permisit, hæc autem mortis tempore ædium non fuerunt, hæres ergo æstimationem præstabit. sed si detraxerit vt præstet pœnis locus erit. quamuis non ut vendat detraxit, sed vt exsoluat, ff. de leg. primo, l. Senatus enim xliii.

Si maritus Diætam in vxoris hortis, quos in dotem acceperat, fecerit: potest hæc detrahere, quæ vsui eius futura sint, sine mulieris tamen damno, neque hoc ei Senatusconsultum futurum est impedimento: quo stante dici oportebit posse eum hæc legare, quæ detrahere potest, d. l. Senatus. §. Marcellus.

Si quis illicitè ædificasset, idest hoc quòd dirui constitutiones iubent, fideicommisso relinquere ex eo poterit, cum enim dirui necesse sit, nulla dubitatio est, qnia Senatusconsultum impedimento non sit, ff. de legat. iii. l. fideicommissa, xi. §. si quis illicitè.

Columnis ædium, vel tignis per fideicommissum relictis, ea tantummodo præstantur, (nulla æstimationis facta mentione) quæ sine domus iniuria auferri possunt, ff. eo. l. nutu, xxi. §. fin.

31 *Legato marmore non putatur statuas legatas esse.*

Duæ statuæ marmoreæ cuidam nominatim: item omne marmor erat legatum: nulla statua marmorea præter duas debetur; quia duas statuas legando

potest uideri non putasse in marmore se statuas legare, ff. de legat. iii. l. hæres xxviii. §. duæ statuæ.

32 *Librorum appellatione quid contineatur.*

Librorum appellatione continentur omnia uolumina, siue in carta, siue in membrana sint, siue in quauis alia materia. sed & si phylira, aut tilia, ut nonnulli conficiunt, aut in quo alio corio: idem erit dicendum. quod si in codicibus sint membraneis, uel cartaceis uel in eboreis, uel alterius materiæ, uel in ceratis codicillis debebuntur, & consequenter cætera quoque debebuntur si non aduersatur uoluntas testatoris, ff. de leg. iii l. librorum, 50. aliàs 52. in princip.

§i cui centum libri sint legati, centum uolumina ei dabimus: non centum, quæ quis ingenio suo metitus est, qui ad libri scripturam sufficerent. utputa, cum haberet Homerum totum in uno uolumine, non quadraginta octo libros computamus: sed unum Homeri uolumen pro libro accipiendum est, d. l. librorum, §. si cui centum.

§ Homeri corpus sit legatum, & non sit plenum, quantæcunque partes inueniūtur debentur, d. l. librorum, §. si Homeri.

Libris legatis Bibliotheca non continetur, membranæ enim, quę scriptæ sint, cōtinentur, sed neque scrinia, neque cætera in quibus libri continentur debentur, d. l. librorum, lii. § libris.

Quod Cassius scripsit de membranis, uerum est, nam nec cartæ purę libris legatis, nec cartis legatis libri debebuntur, nisi forte, & hic nos urserit uoluntas. utputa si quis forte cartas sic reliquerit. CARTAS MEAS VNIVERSAS, qui nihil aliud quam libros habebat studiosus studioso, nemo enim dubitabit libros deberi. nam & in usu plerique libros cartas appellant. At si quis cartas legauerit puras membranæ non continebuntur, neque cæteræ adscribendum materiæ, d. l. librorum, §. quod tamen.

Cassius. Sed nec libri cœpti scribi, item necdum perscripti, libris legatis continebuntur. non magis, quàm uestis appellatione nondum detexta, sed perscripti libri nondum maleati, vel ornati continebuntur. Proinde & nondum conglutinati, uel emendati continebuntur, sed & membranæ nondum consutæ continebuntur. d. l. librorum, §. sed nec libri.

Cartis legatis, neque Papyrum ad cartas paratum, neque cartæ nōdum perfectæ continebuntur, d. l. librorum, §. cartis.

33 *De bibliotheca legata.*

§i Bibliotheca legata sit: vtrum armarium solum, vel armaria, an vero libri contineantur, interest. quid testator senserit. nam & locum significat bibliothecas; sicuti dicimus in bibliotheca est, alias armarium, sicuti dicimus eboream bibliothecam emit: aliàs libros, sicuti dicimus bibliothecam emisse. Libros igitur bibliothecam non sequi, non per omnia uerum est: nam interdum armaria quoque debentur, quæ plerique bibliothecas appellant. planè si proponatur adhærentia esse membro armaria, vel adfixa, sine dubio non debebuntur, cum ædificii portio sint, d. l. librorum, lii. §. sed si bibliothecam.

Quod in bibliotheca tractatum est, idem tractatur in dactylotheca, quia annuli

quoque continentur,nō solum theca,quę annulorum quoque parata sit,& hoc quia propositum fuit, quædam ita legasse. DAC IYLIOTHECAM MEAM, ET SI QVOS PRAETEREA ANNVLOS HABEO, d.l.librorum §.quod in bibliotheca.

Sunt tamen quædam,quæ omnino legatum sequuntur: vt legatum lectum continet & fulcra,& armariis & loculis claustra,& claues cedunt,d.l.librorum, §.fi.

43 Ligni appellatione quid contineatur.

Ligni appellatio nomen generale est,sed sic separatur: ut sit aliquid materia aliquid lignum. Materia est,quæ ad ædificandum,fulciendum necessaria est, lignum,quidquid comburendi causa paratum est. siue concisum sit,siue non sit. nam si cui ligna legata essent,quæ in fundo erant, arbores materiæ causa succisæ debentur,& si non comburendi gratia succisæ sint,ff.de leg.iii.l. ligni, liiii. aliàs lv.in princip.

Cui ligna legata sunt, ad eum omnia ligna pertinent, quæ alio nomine non appellantur: ueluti uirgæ, carbones, nuclei oliuarum, quibus ad nullam aliam rem,nisi ad comburendum posit uti,sed & balani,uel siqui alii nuclei. Item ligni appellatione continetur, id quod nondum minutatim concisum est, si iam concidendo fuerit destinatum. proinde si Syluam huic rei habeat, quis destinatam, Sylua quidem non cedet. deiectę autem arbores lignorum appellatione continebuntur: nisi aliud testator sensit,ff.de legat.iii.ligni, lv. Ofilius.

Lignis legatis,quod comburendi causa paratum est continetur: siue ad balnei calefactionem,siue Diætarum hypocastrarum,siue ad calcem, siue ad aliam rem coquendam solebat uti. sarmenta vero ligni appellatione non continentur: sed si voluntas non refragatur,& virgulæ,& gremia,& sarmenta,& superamenta materiarum,& uitium stirpes,atque radices continebuntur,d.l.ligni, 50.§. Ofilius, libro quinto.

Lignorum appellatione in quibusdam regionibus,& in Aegypto, vbi Arundine pro ligno vtuntur,& Arundines,& Papirum comburitur, & herbulæ quædam vel spinæ, vel vepres continebuntur. nec mirum cum lignum uectrices lignorum a paludibus appellant, & in quibusdam prouinciis, & editu bubum ad hanc rem utuntur,dicta l.ligni,§.lignorum.

Si lignum sit paratum ad carbones coquendas, atque conficiendas: huiusmodi materia carbonum appellatione non continetur. sed nec lignorum: non enim lignorum gratia hæc testator habuit. sed & Titiones,& alia ligna cocta, ne fumum faciant,nec ligno,ne carboni, sed proprio suo generi adnumerabimus. sulfurata quoque de ligno æque eandem habebunt diffinitionem. Ad faces quoque parata non erunt lignorum appellatione compræhensa: nisi hæc fuit uoluntas. De Pinu autem integri strobili ligni appellatione continebuntur, d.l.ligni,§.fin.

Pali,& perticæ in numero materiæ redigendi sunt,& ideo legnorum,appellatione non continebuntur,ff.de leg.iii.l.pali,liiii.

31 De Auibus legatis.

Auibus legatis anseres,phasiani,& gallinæ,& auiaria debebunt,ff.eo.l.auib. 64.

36 *Lana legata quid contineatur.*

Si cui lana legetur, id legatum uidetur, quod tinctum non est, sed naturale, siue autem facta est, siue infecta, lanæ appellatione continetur. quæsitum est utrum lanæ appellatione ea sola contineatur, quę neta non est, an & ea, quæ neta est, utputa stamen, & subtegmen, & Sabinus, et netam contineri putat. cuius sententia utimur. Lanæ appellationem eatenus extendi placet, quoad ad telam peruenisset, & sciendum succidam quoque contineri, & lotam, si modo tincta non sit. Lanæ appellatione tomentum non continebitur, sed nec ea lana, ex qua quis quasi uestimentum fecerit ualetudinis, uel deliciarum gratia, continebitur: Nec ea quidem, quæ fomentationis gratia parata sint, uel medicinæ, lanarum appellatione continentur. Sed & pelles lanatæ continentur: & has lanæ cedere manifestum est. Lana legata etiam leporinam lanam, & anserinam, & caprinam creditur contineri, & de ligno, quam ligneam lanam appellant, ff. de legatis tertio, l. si cui lana, lxx. in princip.

Lana legata linum non continet. lino uero legato, tàm factum, quàm infectum continetur, quodque netum, quodque in tela est, quod & nõdum detextum, ergo aliud in lino, quàm in lana est. & quidem si tinctum linum sit, creditur, lino contineri, ff de leg. iii. l. si cui, lxx. § linum.

Lanæ appellatione uersicoloria non continentur, sed iis omnia uidentur legata, quæ tincta sunt, & neta, quæ neque detexta, neque contexta sunt. Purpuræ verò appellatione, & quæ tincta non sunt, uersicoloribus non adnumerantur. Et ideo nec album naturaliter, neque nigrum continet, nec alterius coloris naturalis. Purpuram uero, & coccum, quoniam nihil natiui coloris habent: continet, nisi aliud testator senserit. Item Purpuræ appellatione omnis generis purpura continetur, sed coccum non continebit Buccinum, & Ianthinum continebitur. Item purpurę appellatione etiam subtegmen factum contineri nemo dubitat, lana uero tingendæ purpuræ destinata, non cõtinebitur, ff. eod. de leg. iii. l. si cui, lxx. §. de uersicularibus.

37 *Quando legato aliquid adijcitur, an ueniat in legatum.*

Cùm ita legatur. QVIDQVID IN HORREO MEO ERIT, & is cui legatum est ex rebus legatis, ignorante eo, applicandi legati sui gratia in horreum intulit, quod illatum est, non uidetur esse legatum, ff. de leg. ii. l. omnia, xxxii. §. cum ita legatur.

Cui, quæ Romæ essent legata sunt, ei etiam, quæ custodiæ causa in horreis extra urbem reposita sunt, debentur, ff. de leg. iii. l. cui, lxxxiiii.

Pater pluribus filiis hæredibus institutis claues, & annulum custodiæ causa maiori natu filiæ tradidit, & res, quas habuit cõmune filiorum negotium gestum intelligitur: nec ob eam rem, apud arbitrum diuisionis pręcipua causa filiæ erit, ff. de leg. ii. l. cum pater, lxxix. §. pater pluribus.

Qui Hortos publicos à Republica conductos habebat, eorum hortorum fructus, usque ad lustrum, quo conducti essent Aufidio legauerat, & hæredem eam conductionem, eorum hortorum ei dare damnauerat, sinereque eum uti frui: hæres tenebitur. sinere uti frui. hoc amplius idem hæres mercedes hortorum eorum Reipublic. præstabit, ff. de legatis tertio

l. qui concubinam, xxviii. aliàs l. qui quatuor. xxx. §. qui hortos.

Rebus, quæ in fundo sunt legatis accedunt etiam ea, quæ tunc non sunt si esse solebant, nec quæ casu ibi fuerunt legata existimantur, ff. de leg. iii. l. quæsitum est, lxxviii. §. fin.

38 *Corintheis vasis legatis, debentur corinthiæ bases, non autem æneæ.*

Cui Corinthia uasa legata essent, & bases quoque eorum uasorum collocandorum causa paratæ, si æneæ quidem sint, non autem corinthiæ non debentur, ff. de leg. iii. l. hæres, xcviii. §. cui Corinthia.

39 *Testu lineis legatis debentur lecti pedibus inargentati.*

Cui testudinea legata essent, ei lectos testudineos pedibus inargentatos deberi uerum est, d. l. hæres, § fi.

40 *Chyrographis, & debitoribus legatis.*

Eum, qui chyrographum legat, debitum legare non solum tabulas argumento est uenditio: nam si chyrographa ueneunt: nomen uenisse uidetur. sed & si nomen legetur, benignè id, quod debetur accipiendum est, ut actiones aduersus debitorem cedantur, ff. de leg. primo, l. seruum filii, xliiii. §. eum qui.

Item qui chyrographum legat, non tantum de tabulis cogitat, sed etiã de actionibus, quarum probatio tabulis continetur: appellatione enim chyrographi uti nos pro ipsis actionibus, palam est, cum uenditis chyrographis intelligimus nomen uenisse, quin etiam si nomen quis legauerit, id quod in actionibus est legatum intelligitur, ff. de leg. iii. l. qui chyrographum, lvii. alias lix.

Qui Gaium, & Lucium eiusdem pecuniæ reos habebat, si ita legauerit. QVOD MIHI GAIVS DEBET ID HAERES MEVS SEMPRONIO DAMNAS ESTO DARE: QVOD MIHI LVCIVS DEBET, ID HAERES MAEVIO DAMNAS ESTO DARE. eam conditionem hæredis sui constituit, ut is necesse habeat alteri actiones suas, alteri litis æstimationem præstare, si tamen uiuus testator Gaio acceptum fecit, necesse est, ut Sempronii, & Mæuii legatum inutile sit, ff. de leg. primo, l. non quocunque, lxxxii. §. qui Gaium.

Testator ita dixit. CIVIBVS MEIS DO LEGO CHYROGRAPHVM GAII SEII. postea codicillis uetuit à Seio exigi, & ab hærede petiit, ut ex alterius debitoris debito, quæ codicillis nominasset, eandẽ summam Reipub. daret. si posterior Idoneus non esset, hæredes Reipublicę aduersus eum duntaxat debitorem, qui nouissimis codicillis designatus est, actionem præstare debent, ff. de leg. ii. l. Lucius, lxxxviii. aliàs, xc. §. ciuibus.

Nomen debitoris in hæc uerba legauit. TITIO HOC AMPLIVS DARI VOLO DECEM AVREOS, QVOS MIHI HAEREDES GAII SEII DEBENT, ADVERSVS QVOS EI ACTIONEM MANDARI VOLO, EIQVE EORVNDEM PIGNORA TRADI. hæredes non tantum decem dare debent: sed etiam omne debitum, hoc est, etiam interesse, quia uniuersa eius nominis obligatio legata est, ff. de leg. iii. l. nomen, xxiii. aliàs xxiiii.

Lucius

Lucius Titius testamento ita cauit. *Si quid cuique liberorum meorum dedi, aut donaui, aut in usum concessi, aut sibi adquisiit, aut ei ab aliquo datum, aut relictum est: id sibi præcipiat, sumat, habeat:* filii nomine Klendarium fecerat, postea sententia dicta est, & placuit id, quod sub nomine ipsius filii in Klendario remanserat, ei deberi non etiam id quod exactum in rationes suas pater conuertisset: Item si id, quod exegisset pater ex nominibus filii, ante testamentum factum, & iterum post testamentum in nomen filii conuertisset ad filium pertinebit, quoniam id, quod ex eadem causa exactum in eandem causam reddisset, debetur, ff. de leg. ii. l. Lucius, lxxxviii. aliàs xc. in princ.

Hæc uerba alio charactere, hic ac inferius inserta, literis maiusculis imprimi deberēt.

Filio ex parte hærede scripto præceptionem dedit, inter cætera his uerbis. *Titio filio meo. nomina ex Klendario, quæ elegerit filius meus sibi viginti dari damnas sunto: sine dolo malo:* eidem filio uiuus omnium rerum suarum administrationem permisit, qui post testamentum factum ante mortem patris annos decem, quibus procurabat patri, contra ueterem cōsuetudinem patris, qua Klendarium exercebatur, nouos debitores amplarum pecuniarum fecit. & in priores, quos pater exiguarum fortunarum habebat, maius creditum contulit, adhuc, ut uiginti nominibus propè omnis substantia calendarii esset, quæsitum est. an huic filio eorum nominum, quæ ipse fecit præceptio permittenda esset, & responsum fuit, ex his electionem eum habere, quæ testamenti tempore testator in Klendario habuit, ff. de legat. iii. l. nomen xxxiii. aliàs xxxiiii.

Prædiis per præceptionem filiæ datis cum reliquis colonorum ea reliqua uidentur legata, quę de reditu prædiorum in eadem causa manserunt, alioquin pecunia à colonis exacta, & in Klendarium in eadem regione uersa reliquis non contineri colonorum, facile constat, ff. de legat. iii. l. prædiis, lxxxi. aliàs xci. in princip.

His uerbis domibus legatis. *Fidei hæredum meorum committo vti sinant eum habere domus meas, in quibus habito nullo omnino excepto. cum omni instrumento, & repositis omnibus* non uidetur testator de pecunia numerata, aut instrumentis debitorum sensisse, ff eodem. l. si mihi Mæuia, xc. aliàs xcii. §. fi.

Quisquis mihi hæres erit, damnas esto dare, fideique eius committo, vti det quantas summas dictauero dedero. res quoque corporales continentur, ut prædia, uestē, argentū, quia & hoc uerbū. QVANTAS non ad numeratā duntaxat pecuniā referri, ex dotis prælegatione, & stipulationibus emptæ hæreditatis apparet. & SVMMAE appellatio similiter accipi debere, ut in his argumentis, quæ relata essent, ostenderetur. uoluntas prętereà defuncti, quæ maxime in fideicommissis ualeret, ei sententiæ suffragatur. neque enim post eam præfationem testator adiecturus fuisset res corporales, si duntaxat pecuniam numeratam præstari uoluisset, ff. de leg. iii. l. quisquis, xcii. aliàs xcv.

Quidam instituta filia hærede institori prædia certa, & peculium, & reliqua legauerat tam sua, quàm colonorum. legatarius proferebat manum patrisfamiliàs reliquatorum, tam suo, quàm colonorum nomine. Item in eadem scriptura adiectum est, in hunc modum. *Item quorum rationem reddere debeat, scilicet, quæ incondito habuerat paterfamiliæ frumenti vini, & cæterarum rerum,* quæ ab ipsa filia legatarius petebat, & ex reliquis esse dicebat, & apud iudicem obti-

obtinuerat: ex diuerso contradicebatur, reliqua colonorum ab eo non peti, nec propria: diuersam autem causam esse eorum, quæ in condito essent: imperator interrogauit partem legatarii quærendi causa. pone (inquit) in condito centies aureorum esse, quæ in usum sumi solerent, diceres totum, quod esset relictum in arca deberi: Et placuit recte appellasse. A parte legatarii subgestum est. quædam à colonis post mortem patrisfamilias exacta. responsum est, hoc quod post mortem exactum fuisset, reddendum esse legatario, ff. de lega. iii. l. Offidius, xcv. aliàs xcvii.

PETO FVNDVM MEVM ITA VTI EST ALVMNAE MEAE DARI. reliqua colonorum si qua mortis tempore in eo fundo fuerint, non sunt legata. cætera uerò uidentur legata his uerbis. ITA VTI EST. data, ff. de leg. ii. l. qui habebat, xcix. aliàs ci. §. peto fundum.

His uerbis. *uxori meæ lateralia mea uiatoria, & quidquid in his conditum erit, quæ membranulis mea manu scriptis continebuntur. nec ea sint exacta cum moriar licet in rationes meas translata sint*. hic chyrographa debitorum, & pecuniam, cum esset profecturus in urbem, in lateralibus condidit. Ea nomina non debentur, quæ mortis tempore in his lateralibus essent, & membranulis manu eius scriptis continerentur, ff. de leg. iii. l. his uerbis, cii. in princ.

Cùm uerò emptiones prædiorum in eisdem lateralibus condiderit, non quidem manifestè apparet. quid de prædiis senserit, an uoluerit, ut legato cedant, uerum si ea mente emptiones ibi haberet, ut his legatariæ datis, proprietas prædiorum præstaretur. potest defendi prædia quoque deberi, d. l. his uerbis, §. idem quæsiit.

41 *Tessera frumentaria legata.*

Si Titio Tessera frumentaria legata sit, & is decessisset, legatum non extinguitur: nam cui tessera, uel militia legatur æstimatio uidetur legata, ff. de leg. ii. l. mortuo, xlix. §. si Titio.

Titia Seio tesseram frumentariam comparari uoluit, post diem tricesimum à morte ipsius: cùm Seius uiua testatrice tesseram frumentariam ex causa lucratiua habere cœperit, & non possit id, quod habet petere, precium tesseræ præstabitur, quoniam tale fideicommissum magis in quantitate, quàm in corpore consistit, ff. de leg. ii. l. Titia, lxxxvii. in princ.

42 *Potest grauari hæres domum alicuius reficere, uel ære alieno aliquem liberare.*

Sed & tale legatum ualet. DAMNAS ESTO HAERES MEVS DOMVM ILLIVS REFICERE, VEL ILLVM AERE ALIENO LIBERARE. Inst. de leg. §. sed, & tale.

43 *Adiecto hærede, qui hæres non sit, hæres uerus totum legatum debet.*

Hæres adiecto ei nomine cuiusdam, qui hæres non sit dare damnatus totum legatum debet: nã & si duos ex hęredibus suis nominatim quis damnasset, & alter hæreditatem non adiisset, qui adiisset totum deberet, si pars eius, qui non adiisset,

adiisset, ad eum, qui adiisset perueniret, ff. de legat. primo, l. si duobus, xvii §. hæres adiecto.

44 *De hærede damnato fundum vendere.*

Meminisse oportet eum, qui damnatur fundum uendere, nō gratis damnari hoc facere, sed solum ut uendat iusto precio: Quòd si certo precio sit damnatus facere necesse habebit, tanti uendere, quanti damnatus est, ff. de lega. primo, l. si cui, xlix. §. fina.

Si fundum mihi uendere certo precio damnatus es, nullum fructum eius rei ea uenditione excipere tibi liberum erit: quia id precium ad totam causam fundi pertinet, ff. de leg. iii. l. qui quatuor, xxx. si fundum.

Si cui fundus centum dignus legatus fuerit, si centum hæredi, uel cuilibet alii dederit: vberrimum uidetur esse legatum. nā aliàs interest legatarii fundum potius habere, quàm centum. sępe enim confines fundos, etiam supra iustam æstimationem interest nostra adquirere, ff. de leg. ii. l. si cui, liiii. aliàs lvi.

45 *In legato generali cuius electio sit.*

Si generaliter res legetur, electio legatarii est, nisi aliud testator dixerit, Inst. de leg. §. si generaliter.

Legato generaliter relicto: ueluti equi id obseruatur, ne optimus, vel pessimus eligatur. item si de certo fundo sensit testator, nec appareat de quo cogitauit electio hæredis erit, quem uellit dare. aut si appareat ipse fundus uindicabitur: sed & si lancem legauerit, nec appareat quam, æquè electio est hæredis, quam uelit dare, ff. de leg. primo, l. legato generaliter, xxxvii.

Cum equus Titio legatus esset, non in arbitrio hæredis erit, quem uelit, dandi, sed electio eius erit, cui potestas est, qua actione uti uelit, ff. de lega. primo, l. si seruus, cviii. §. cum homo.

Si hæres, æquo tibi generaliter legato album tradiderit, isque à te euictus fuerit: potes ex testamento agere, quia non uidetur hæres dedisse, quod ita dederat, ut habere non posis, sed tu debes priusquàm iudicium accipiatur denuntiare hæredi, nam si aliter feceris agenti ex testamento opponetur tibi doli mali exceptio, ff. de leg. iii. l. qui concubinam, xxix. §. si hæres tibi.

46 *Legato equo, aut boue quid iuris sit.*

EQVVM, AVT BOVEM VTRVM HAERES MEVS VOLET TITIO DATO. si dixerit hæres equum uelle dare: mortuo equo liberabitur: cum autem semel dixerit, hæres utrum dare uelit mutare sententiam non poterit, ff. de leg. primo, l. huiusmodi, lxxxiiii. §. sticum.

Si Titio equus, aut bos utrum eorum malit legatus sit, deinde equum testator donauerit bos in obligatione uenit, d. l. huiusmodi, §. si Titio.

EQVVM AVT BOVEM VTRVM HAERES MEVS VOLET TITIO DATO: DVM VTRVM VELIT DARE EO DIE QVO TESTAMENTVM MEVM RECITATVM ERIT DICAT: si non dixerit hæres equum, aut bouem dare malit, perinde obligatus erit, ac si equum, aut bouem dare damnatus esset, utrum legatarius elegerit.

Si dixerit

Si dixerit equum dare uelle, equo mortuo liberabitur, si superërit in obligatione manebit. Cum autem semel dixerit utrum dare uelit, mutare sententiam non poterit, ff. de leg. ii. l. statuti eorum, xi. §. stichum.

Si Titius mihi equum, aut decem debeat, & legauerit tibi equum quem mihi debet, placet extingui legatum, decem mihi solutis. Ex diuerso si alii decem alii equus legatus fuerit, ex euentu solutionis legatum ualet, ff. eod. l. si Titius, lii. in princip.

Quibus ita legatum fuerit: TITIO, ET MAEVIO SINGVLOS EQVOS DO, LEGO: constat eos non concursuros in eundem equum: sicut non concurrunt, cum ita legatur: TITIO EQVVM DO, LEGO MAEVIO ALTERVM DO, LEGO, ff. de leg. primo, l. huiusmodi, lxxxiiii. §. quibus.

Si is cui legatus sit equus, aut bos, cum equus sibi legatum putaret, uindicauerit, amplius uindicationis ius non habet: nam & si damnatus hæres alterutrum dare equum dederit, cum ignoraret sibi permissum, uel bouem dare nihil repetere poterit, ff. de leg. primo, l. si is cui, xix.

47 *De bonorum parte legata.*

Cum bonorum parte legata dubium esset, utrum rerum partes, an æstimatio deberetur: succursum est hæredi, ut ipse eligat, siue rerum partes, siue æstimationem dare maluerit. In his tamen rebus partem dare hæres conceditur, quæ sine damno diuidi possunt. Sin autem uel naturaliter indiuisæ sint, uel sine dāno earum fieri non potest: æstimatio ab hærede omnimodo præstanda est, ff. leg. primo, l. non amplius, xxvi. §. cum bonorum.

Potest autem hæres, uel paucioribus, uel in una re, relictam partem legatario dare, in quam uel legatarius consenserit, uel iudex æstimauerit. ne necesse haberet legatarius in omnibus rebus uindicare portionem, ff. eo. l. potest, xvii.

Si Titio, au Seio utri hæres uelit, legatum relictum est: hæres alteri dando ab vtroque liberatur. si neutri dat, uterque perinde petere potest, atque si ipsi soli legatum foret. nam ut stipulando duo rei constitui possunt, ita & testamento potest id fieri, ff. de leg. ii. l. si Titio, xvi.

Qui duos equos habebat, si unum ex his legasset, ut non intelligeretur, quem legasset, legatarii est electio, ff. de leg. primo, l. qui duos, xx.

Sed si plures equos albos habēs, equum album legauerit, si non appareat de quo albo senserit, quem hæres elegerit debet præstari, ff. eod. l. si quis à filio, xxxii. §. si quis plures.

48 *Numero numorum legato, si non appareat quales sint, quid iuris sit.*

Si numerus numorum legatus sit, nec appareat quales sint legati: ante omnia ipsius patrisfamiliàs consuetudo, deinde regionis in qua uersatus est, exquirenda est, sed & mens patrisfamiliæ, & legatarii dignitas, uel caritas, & necessitudo. item earum, quæ præcedunt, uel quæ sequuntur summatim scripta sunt, spectantur. sed si certos numos, ueluti quos in arca habet, aut certam lancem legauit: non numerata pecunia, sed ipsa corpora numorum, uel rei legatæ cōtinentur, neque permutationem recipiunt, & exemplo cuiuslibet corporis æstimanda sunt, ff. de leg. primo, l. si sereus plurium, 50. §. fi. cum l. seq.

49 *Legata domo simpliciter nec appareat de qua senserit: hæres præstat, quam velit.*

Si domus alicui simpliciter legata sit, neque adiectum sit, quæ domus, cogetur hæres, quam domum uolet ex his, quas testator habebat, legatario dare, quòd si nullas ædes reliquerit, magis derisorium, quàm utile est legatum, ff. de lega. primo, l. si domus, lxxi. in princ.

50 *In legato si æstimauerit hæres, tenetur quasi bonus vir.*

Si sic legatum, vel fideicommissum sit relictum. SI AESTIMAVERIT HAERES, SI COMPROBAVERIT, SI IVSTVM PVTAVERIT: & legatum, & fideicommissum debebitur, quoniam quasi bono uiro potius ei commissum est, non in meram uoluntatem hæredis collatum, ff. de leg. primo, l. si sic legatum, lxxv. in princ.

51 *De optionis legato.*

In optionis legato, idest, ubi testator ex rebus suis optare legatarium iusserat, datur licentia hæredi optandi, licet uiuus legatarius hoc non fecerit, & siue plures legatarii extiterint, quibus optio relicta est, & discentiant in corpore eligendo, siue unius legatarii, alio aliud corpus eligere cupiente, ne pereat legatum fortuna huius optionis iudex erit: nam sorte dirimitur, vt ad quem sors deueniat, illius sententiæ in optione præcellat. cæteris autem æstimationem præstet contingentium partium, Insti. de lega. §. in optionis, & C. com. de leg. l. fin. in princip.

Equi electione legata, semel duntaxat optare possumus, ff. de leg. primo, l. quinta, in princ.

Si quis optionem alicuius rei non ipsi legatario dederit; sed quem Titius forte elegerit, Titius autem, vel noluerit eligere, vel non potuerit, vel morte fuerit præuentus, si intra annale tempus, ille, qui eligere iussus est, hoc facere supersederit, vel minime potuerit, vel quandocunque decesserit: ipsi legatario datur electio, ita tamen, vt non optimum ex rebus quidquam eligat, sed mediæ æstimationis. Ne dum legatario satis foueatur hæredis commoda defraudentur, C. com. de leg. l. fi. §. sed, & si quis.

Si ita scriptum sit. LVCIVS TITIVS HAERES MEVS, AVT MAEVIVS HAERES MEVS DECEM SEIO DATO. cum utro uelit Seius aget, vt si cum vno actum sit, & solutum: alter liberatur, quasi si duo rei promittendi, insolidum obligati fuissent. quid ergo si ab altero partem petierit? liberum ei erit ab altero reliquum petere, idem erit: & si alter partem soluisset, ff. de leg. primo, l. octaua, §. si ita.

Si olei pondo quinquaginta, aut in singulas libras certum æs, utrum legatarius valet legatum sit, non potest legatarius partem olei, & partẽ æris petere, quia vnum in alterutra causa legatum sit, nec interest diuisa summa an iuncta ponatur. Certè octo equis legatis, aut pro equis certa pecunia legata: non posse inuitum hæredem partem pecuniæ, partem equorum debere constat, d. l. si ex toto, viii. §. fin.

Si quis duobus hæredibus institutis, ita legauerit. EQVVM AVT DECEM HAERE-

HAEREDES DANTO. non poteſt alter hæredum quinque, alter partem equi dare. ſed neceſſe eſt utrumque, aut equum totum, aut decem ſoluere, ff. de leg. ii. l. ſi quis, xv.

Neminem ejuſdem rei legatæ ſibi partem uelle, partem nolle, uerius eſt, ff. de legat. ii. l. quarta.

Sed duobus legatis relictis, unum quidem repudiare, alterum uero amplecti poteſt, ff. eod. l. quinta, in princ.

Si Sempronio decem legentur, aut ſi noluerit, equus, hoc caſu duo legata ſunt, ſed uno contentus eſſe debet, ff. eod. l. octaua, §. ſi ita.

A filiofamil. ſine patris iuſſu optari non poteſt, nec ante aditam hæreditatem, ff. de leg. primo, l. Iulianus, x.

Si ita ſtipulatus. EQVVM, AVT DECEM VTRVM EGO VELIM, legauerit, quod ei debebatur, tenebitur hæres eius, ut præſtet legatario actionem, electionem habituro utrum equum, an decem conſequi malit. Proinde ſi equum legauerit, cùm ille ei equum, aut decem deberet: incerti actio legatario, aduerſus hæredem competit, per quam actionem compellat hæredem experiri, & ſi equum conſecutus fuerit, præſtabit ei: ſi decem nihil conſequetur, ſecundum quod erit in Arbitrio debitoris, an ſit legatarius is, cui equus legatus eſt, ff. de leg. primo. l. ſi ſic. lxxv. §. fi.

Quod ſi quis equum, aut bouem ſtipulatus Sempronio equum legaſſet Mæuio bouem: oneratus hæres intelligitur, vt neceſſe habebat, alteri actionem ſuam, alteri æſtimationem equi, aut bouis dare, ff. eo. l. quod ſi quis, lxxvi.

Si is, qui unum reum habebat, quod ſibi deberet duobus inſolidum ſeparatim legaſſet: oneratur hæres duobus ſatisfacere, uni actionem cedendo, alteri pecuniam ſoluendo, ff de leg. ii. l. qui duos, xiii. §. fi.

52 *Legari poteſt illis, cum quibus teſtamenti factio eſt.*

Legari autem illis ſolis poteſt, cum quibus teſtamenti factio eſt, Inſt. de lega. §. legari autem.

Si poſt mortem patris filio legetur: dubium non eſt quin mortuo patre ad filium pertineat legatum, nec interſit an patri hæres extiterit, nec ne, ff. de legat. primo, l. ſi poſt mortem, lxviii. in princ.

Non tantum duorum menſium, ſed etiam minoris temporis, maritus uxoris teſtamento ſcriptus ſuccedit: nec legata, ſeu fideicommiſſa, ſeu donationes tẽporis huius anguſtia capi prohibet, C. de leg. l. non tantum, xix.

Cùm ei, qui partem capiebat, legatum eſſet: ut alii reſtitueret, placuit ſolidum capere poſſe, ff. de leg. ii. l. cùm ei, xliii.

Si quid alicui licitè fuerit relictum, quod ipſe quidem propter corporis ſui uitium, vel propter qualitatem relicti, vel aliam quamcunque probabilem cauſam habere non potuit, alius tamen habere potuit, quanti ſolet comparari tantam æſtimationem accipiet, ff. de legat. primo, l. filius famil. cx. aliàs, cxiiii. §. ſi quid.

Si Titio, & ei, qui capere non poteſt decem legata ſint: quia duobus hæres damnatur, & unus capere non poteſt quinque ſola Titio dantur, ff. de legat. ii. l. ſi Titio, x.

Si quis hæredem ſuum, eum fundum cuius commercium is hæres non habebat, dare iuſſerit ei, qui eius commercium habet: hæres obligatus erit, uel ipſam

rem,

rem, si in bonis testatoris fuerit, vel si non est eius æstimationem præstare, ff. de leg. ii. l. mortuo, xlix. §. labeo.

Si ita quis testamento suo cauisset. *Illi quantum plurimum per legem accipere potest, dari volo.* vtique tunc cùm quando capere potuerit, uidetur ei relictum. sed & si dixerit. *Quam maximam partem dare possum, damnas esto hæres meus ei dare:* idem erit dicendum, ff. de leg. ii. l. si ita, 51. aliàs liii.

Hæc verba alio charactere, hic ac inferius inserta, literis maiusculis imprimi debebant.

Non oportet prius de conditione cuiusquam quæri, quàm ad eum hæreditas legatumve pertineat, ff. eod. l. non oportet, lii. aliàs liiii.

Mæuius, cui fundus legatus est, si Callimaco, cum quo testamenti factionem non habebat ducenta dedisset: conditioni parere debet, & ducenta dare ut ad eum legatus fundus pertineat: licet numos non faciat accipientis. Quid enim interest, vtrum tali persona dare iubeatur, non aliquo loco ponere, vel in mare deiicere? Neque enim illud quod ad talem personam peruenturum est, testamenti nomine, sed mortis causa capitur, ff. de conditionib. & demonstra. l. Mæuius, liiii.

Cuidam non solidum capienti, amplius lege concessa portione relictum est, si hæredi aliquid dedisset, tanto amplius capturus est, quantum conditionis implendæ causa dare eum oporteret, nec interest hæredi, an extraneo dare iussus sit, quia computatione facta, quæ semper in personam eius introduceretur, non amplius lege concessa portione ad eum subsisteret, ff. de cond. & demon. l. sed si hoc, lxi. §. cuidam.

Quoties cuidam amplius legatum sit, quàm ei capere liceret, & lex Falcidia locum haberet. prius Falcidiæ ratio habenda est, scilicet ut subducto eo, quod lex Falcidia exceperit, reliquum, si non excedat statutam legi portionem, debeatur, ff. ad l. Falc. l. quoties, lxvii.

Qui testamentum faciebat, ei qui usque ad certum modum capere poterat, legauit licitam quantitatem, deinde ita loquutus est. *Titio centum do, lego, quæ mihi pertulit. Quæ ideo ei non caui, quòd omnem fortunam, et substantiam, si quam à matre susceperat, in sinu meo habui, sine vlla cautione. Item eidem Titio reddi, & solui volo de substantia mea centum quinquaginta, quæ ego ex reditibus prædiorum eius, quorum ipse fructum percepi, & distraxi: item de Klendario, si qua à matre receperat Titius, in rem meam conuerti.* Titius si supra scripta ex ratione sua, ad testatorem peruenisse probare potuerit: exiget. uidetur enim eo quod ille plus capere non poterat, in fraudem legis, hæc in testamento adiecisse, ff. de probationib. l. qui testamentum, xxvii.

Ei, qui testamento capere non poterat testamento facto, ita cautum est. *Constitui darique volo callimacho mercedis loco, decem millia denariorum.* hæc pecunia ex causa mercedis ab hæredibus non poterit exigi, quia in fraudem legis relicta sit, ff. de leg. iii. l. cùm quis, xxxv. aliàs xxxvii. §. Titia.

Etiam si partis bonorum se excusauerit tutor, puta Italicarum, uel Prouinciarum rerum totum, quod testamento datum est, ei aufertur, ff. de lega. primo, l. etiam si, cxi.

Quod conditiones implendæ datur, licet non ex bonis mortui proficiscatur, capere tamen supra modum non poterit is, cui certum modum ad capiendum lex concesit, ff. de don. cau. mor. l. quod conditionis, xxxvi.

Collegiis legari potest, si corpori cui licet coire legatum sit, cui autem non licet, si legetur non ualebit, nisi singulis legetur. Hi enim non quasi collegium, sed quasi certi homines admittuntur ad legatum, ff. de reb. dub. l. si cognatis, xx.

Si quid relictum sit ciuitatibus omne ualet, siue in distributione relinquatur; siue in opus, siue in alimenta, siue in eruditione puerorum, siue quid aliud, ff. de leg. primo, l. si quid, cxiiii. alias cxvii.

Ciuitatibus etiam legari potest; quod ad honorem ornatumque ciuitatis pertineat: puta quod ad instruendum forum, theatrum, stadium, legatum fuerit: ad honorem puta, quòd ad edendum munus, uenationem, ludos scenicos: aut ad diuisionem singulorum ciuium, vel æpulum relictum fuerit. hoc amplius quod in alimenta infirmæ ætatis, puta, senioribus, vel pueris, puellisque relictum fuerit, ad honorem ciuitatis pertinere uidetur, ff. de leg. primo, l. ciuitatibus, cxix. alias cxxii.

Si in opere ciuitatis faciendo aliquid relictum sit, unusquisque hæres insolidum tenebitur. tempus tamen cohæredi præstabitur intra quod mittat ad opus faciendum: post quod alius hæres opus faciet imputaturus cohæredi sumptuum pro parte eius: ergo & in statuto, & in seruitute, & in cæteris, quæ diuisionem non admittunt. idem erit, ff. de legat. iii. l. fideicommissa, xv. §. si in opere.

Si quis opus facere iussus paratus sit, pecuniam debere Reipublicæ, ut ipsa faciat cum testator per ipsum fieri uoluerit, non audietur, d. l. fideicommissa, § fin.

Codicillis confirmatis, ita cauit. TYBVRTINIS MVNICIPIBVS MEIS AMANTISSIMISQVE SCITIS BALINEVM IVLIANVM IVNCTVM DOMVI MEAE, ITA, VT PVBLICE SVMPTV HAEREDVM MEORVM, ET DILIGENTIA DECEM MENSIBVS TOTIVS ANNI PRAEBEATVR GRATIS: videtur testator super calefactionis, & præhibitionis onus de his quoque sensisse, quæ ad quotidianam tutelam pertineant, quibus balineæ, aut instruuntur, aut denique inter solitas cessationum uices parari, purgariq;, ut habiles ad lauandum fierent, sint solitæ, ff. de legat. iii. l. patronus, xxxv. §. codicillis.

Quod Principi relictum est, qui antequàm dies legati cedat, ab hominibus ereptus est, successori eius debetur, ff. de leg. ii. l. quod principi, lvi.

Si autem Augustæ legetur, & ea inter homines esse desierito, quàm testator decederet: deficit, quod ei relictum est, ff. eo. l. si Augustæ lvii.

Vicis legata perinde licere capere, atque ciuitatibus rescriptum est, ff. de leg. primo, l. si hæres, lxxiii. §. vicis.

Pater filio, quem in potestate retinuit, hærede pro parte instituto legatum quoque reliquit, durissima sententia est, existimantium denegandam ei legati petitionem, si patris abstinuerit hæreditate: non enim impugnatur iudicium ab eo, qui iustis rationibus noluit negotiis hæreditariis implicari, ff. de lega. primo, l. filio, lxxxvii.

Sed si non alias uoluit pater habere eum legatum, nisi hæreditatem retineat: tunc nec aduersus cohæredem datur ei legati petitio, cum ipsi filio non videretur esse soluendo hæreditas, & hoc ita est licet non conditionaliter expressisset, intellexisse tamen manifestissime adprobetur, ff. eodem l. sed si non alias, lxxxviii.

Nam

Nam nec emancipatus hæreditate omissa legatum ab hęrede petere prohibetur. Prætor enim permittendo his, qui in potestate fuerint, abstinere se hæreditate paterna manifestum facit, ius se in persona eorum tribuere, quod futurum esset, si liberum arbitrium adeundæ hæreditatis habuissent, ff. eodem. l. nam nec, lxxxix.

Quid ergo si ita legauerit? HOC AMPLIVS FILIO MEO, non dubiè uoluntatis quidem quæstio erit. sed non absimilis est prioris casus, circa filii prouidentiam, nisi euidens uoluntas contraria patris probetur. planè si pluribus filiis institutis ratione legatorum actio denegabitur ei, qui non adgnouerit hæreditatem, ff. eod. l. quid ergo, xc.

Item à filio hærede etiam patri legari potest, nec interest, an die legati cedente in patris potestate sit. igitur, & si iussu patris adita sit hæreditas, imputabitur ei in Falcidiam, ff. de leg. primo, l. à filio, xxv.

83 *De legatis relictis incertis personis.*

Incertis personis, neque legata, neque fideicommissa relinquere concessum est: nam nec miles quidem incertę personæ potest relinquere: incerta autem persona uidetur, quam incerta opinione testator animo suo subiiciebat, ueluti si quis ita dicat: quicunque filio meo, filiam suam in matrimonium dederit ei hæres meus fundum illum dato: illud quoque quod iis relinquitur, qui post testamentum scriptum primi consules designati erunt, æquè incertæ personæ legari uidetur, & denique multæ aliæ huiusmodi species sunt, Instit. de legat. §. incertis.

Quãuis Imp. in inst. in hoc §. loquatur de præterito tempore, & postea fit mentio de emendatione, sua constitutione. tamen, quia ipsa constitutio in emendatione Codicis sublata est, remanet antiqua dispositio ualida.

Si inter duos dubitetur de eodem legato, cui potius dari oportet: utputa si Titio relictum est, & duo eiusdem nominis amici testatoris ueniant, & legatum petant, & hęres soluere paratus sit, deinde ambo defendere hæredẽ parati sint: eligere debet hæres cui soluat, ut ab eo defendatur, ff. de leg. ii. l. viii. § si inter.

Id, quod pauperibus testamento, vel codicillis relinquitur non ut incertis personis relictum euanescit, sed omnibus modis ratum firmumque consistit, C. de epis. & cler. l. id quod pauperibus, xxiiii. & l. nulli, xxviii.

Sub certa uero demonstratione, idest, ex certis personis incertæ personæ recte legatur: ueluti ex cognatis meis, qui nunc sunt, si quis filiam meam vxorem duxerit, ei hæres meus illam rem dato, Inst. de leg. §. sub certa verò.

De hoc est dispositio, l. si seruus legatus, xci §. huiusmodi de legat. primo, & demonstratur esse uerũ incertis personis relinqui nõ posse: cum fuerit dubitatũ certos de incertis.

Incertis autem personis legata, vel fideicommissa relicta, & per errorem soluta: repeti non posse sacris constitutionibus cautum est, Inst. de leg. §. incertis autem personis.

Tutor etiam incertus dari non debet, quia certo iudicio debet, pro tutela, quis suæ posteritati cauere, Inst. de leg. §. tutor.

Quidam testamento ita scripsit. REIPVBLICAE GALLICANORVM LEGO TVTELAM VIAE REFICIENDAE, QVAE EST IN COLONIA EORVM VSQVE AD VIAM AVRELIAM: propemodum quidem imperfecta est, hæc scriptura. IN TVTELAM AVRELIAE VIAE, quia summa adscripta non est, potest tamen uideri tanta summa legata, quanta ei rei sufficere: si modo non apparet aliam fuisse defuncti uoluntatem, aut ex magnitudine eius pecuniæ, aut ex mediocritate facultatum, quam testator reliquit: tunc enim officio iudicis secundum æstimationem patrimonii, & legati quantitas designari potest, ff. de legat. ii. l. quidam, xxx.

Institutio, vel fideicommissum, vel tutela sic scriptis: ILLE, AVT ILLE MIHI HAERES ESTO, VEL ILLI, AVT ILLI DO, LEGO, VEL DARI VOLO, AVT TVTOREM ESSE VOLO, ET IVBEO. melius visum est omni uerbositate explosa coniunctionem, AVT pro, ET, accipi, vt uideatur copulatiuo modo esse prolatum, ut primã personam inducat, & secundam non expellat, C. de verb. sign. l. quarta.

Huiusmodi legatum, ILLI, AVT ILLI VTER EORVM PRIOR AD CAPITOLIVM ASCENDERIT, vtile esse uidetur, ff. de leg. primo, l. seruis legatus, cv. aliàs cviii. §. huiusmodi.

His uerbis. LVCIO, ET TITIO, EORVMVE CVI FVNDVM DO, LEGO, utiliter legatur, & si utrique vixerint vtrique: si alter alteri totum debebitur, ff. de leg. primo, l. si fundum, lxxxi. §. his uerbis.

Grauatus hæres illis, qui testamẽtum signauerint decem dare, vtile est legatum, ff. de reb. dub. l. si quis ita, xiiii.

Posthumus alienus hæres institui potest: nisi in utero eius sit, quæ vxor esse non potest, Inst. de lega. §. posthumus.

14 *De conditionalibus legatis.*

Legatis, quæ relinquuntur, aut dies incertus, aut conditio adscribitur, aut si nihil horum factum sit, præsentia sunt, nisi si ui ipsa conditio insit. Cùm dies certus adscriptus est, quamuis dies nondum uenerit, solui tamen possunt: quia certum est ea debitu iri. Dies autem incertus est, cùm ita scribitur. HAERES MEVS CVM MORIETVR, DECEM DATO. non diem incertum mors habet eius, & ideo si legatarius ante decesserit, ad hæredem eius legatum non transit, quia non cessit dies uiuo eo, quamuis certum fuerit moriturum hæredem. Inest autem cõditio legati, veluti cum ita legamus: QVOD EX ARETHVSA NATVM FVERIT, HAERES DATO: aut FRVCTVS, QVI EX EO FVNDO PERCEPTI FVERINT, HAERES DATO: aut EQVVM, QVEM NON LEGAVERO, SEIO DATO, ff. de cond. & demon. l. prima.

Conditionum quædam sunt, quæ quandoque impleri possunt, etiam uiuo testatore, vtputa. SI NAVIS EX ASIA VENERIT. nam quandocunque venerit nauis conditioni paritum uidetur. quædam, quæ nõ, nisi post mortem testatoris: SI DECEM DEDERIT: SI CAPITOLIVM ASCENDERIT, nam ut paruisse quis conditioni uideatur, etiam scire debet hanc conditionem insertam: nam si fato fecerit, non uidetur obtemperasse uoluntati, ff. eod. l. secunda.

Dies incertus conditionem in testamento facit, ff. eod. l. dies, lxxv.

Si iam facta sint, quæ conditionis loco ponuntur, & sciat testator, quæ iterum fieri possunt, expectentur, ut fiant. Si vero nesciat præsenti debentur. Item sciendum est, promiscuas conditiones post mortem impleri oportere, si in hoc fiat, ut testamento pareatur: veluti, SI CAPITOLIVM ASCENDERIT: & similia. non promiscuas, etiam uiuo testatore existere posse, veluti. SI TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT, ff. eod. l. si iam, xi.

Si ita scriptum sit, SI IN QVINQVENNIO PROXIMO TITIO FILIVS NATVS NON ERIT, TVM DECEM SEIAE HAERES DATO. si Titius antea mortuus sit, nõ statim Seiæ decẽ debẽtur, q̃a hic articulus, TVM,

extremi

extremi quinquennii tempus significat,ff.eod.l.quarta,§.si ita.

Is,cui in tempus liberorum,tertia pars relicta est, utique non poterit adoptando tertiam partem consequi,ff.de leg.ii.l.si ita quis,liii.§. fin.

Conditionibus pupillus,& sine tutoris auctoritate parere potest,nec quē moueri,quod expleta conditione necessarius hæres aliquando esse potest.nam hoc iure potestatis fit.non conditionis explectæ. item filiusfamilias sine iussu patris conditionem implere potest:quia eo facto nemo fraudatur,ff.de condi.& demon.l.quinta.

Si fundus alicui legatus fuerit,si pupillo,uel furioso pecuniam dedisset: uidetur explectæ conditionem curatori,vel tutori dando,ff.eo.l.si fundus,xiii.

Multa testamento non committitur ab hærede, vel legatario, vel eo, qui ex ultima uoluntate aliquid lucratur,qui alicuius arbitratu monumentum facere iussus est,si is,cuius arbitrium est,non uiuat,uel adesse non possit,aut rei arbitrari nolit,ff.eo.l.sexta,in princ.

Quibus diebus vicinus tuus te uia publica,cùm ad parendum conditioni ire velles,ire prohibuerit,nec per te staret,quominus agendo ob calumnias eum submoueas,hi dies conditioni non imputabuntur,ff.eod.l.quibus, xxx. in prin.

Si pars rei legatæ vsucapta sit,an in solidum parendum sit,dubitatur,& potest dici,pro parte parendum ex sentētia testatoris,ff.eo.l.qui hæredi,xliiii.§.si pars.

Cùm ita esset scriptum. SI FILIA, ET MATER MEA VIVENT, altera iam mortua,non deficit conditio. Sabinus quoque,& Cassius aiunt,quasi impossibiles eas conditiones in testamento positas,pro nō scriptis esse,quæ sententia admittenda est,ff.eo.l.sexta,§.fi.& l.tertia,eod.tit.

Non dubitamus,quin turpes conditiones remittendæ sunt, quo in numero plerunque sunt etiam iusiurandi,ff.eo.l.non dubitamus, xx.

Municipibus,si iurassent,legatum est: hæc conditio non est impossibilis: per eos, enim iurabunt per quos municipii res geruntur,ff.eo.l.municipibus,xcvii.

Hæres quoque cui iusiurandi conditio remittitur legatum, & fideicōmissum debet,ff.de leg.iii.l.non dubium,xiiii.§.hæres.

Si quis ita legauerit. DVM VXOR MEA CVM FILIO ERIT. HAERES MEVS EI TANTVM DATO. si ea latitans de medio discesit, & tamen consilium retineret secum habendi liberos.deberi ei legatum Trebatius,& Labeo aiunt.quia non oē momentum exigēdum sit, ut cum liberis sit: sed si eam mentem,& id propositum habeat, ne filium à semet dimittat, ne ve per eam stet,quominus cum ea filius educetur,ff.eo.l.si quis ita,octaua.

Solemus dicere eum, qui in tempus liberorum vxori legat de his non sensisse, quos iā tunc uxor habuit,cùm testaretur maritus,ff.eo.l.solemus, ix.

Item si vir vxori ad tēpus liberorum legauerit, non de his tantum sensit testator, qui post mortem eius nati fuissent,sed etiam de his, qui uiuo eo suscepti fuissent post testamentum factum,ff.eo.l.si uir,lxi.

Sed si specialiter expresserit testator etiam si ex alio post mortem suam liberos procreauerit: nihilominus ea ad legatum admittitur, ff. eod.l. sed si,lxii.in princip.

Hæc conditio. FILIAE MEAE CVM NVPSERIT. talis est, vt qui testatus est impleri solummodo conditionē uoluerit nō satis egerit: quando, & ideo,& si uiuo testatore nupserit post testamentum factum, implecta conditio videtur: præsertim cum conditio hæc talis est,vt semel impleri debeat. sed enim non omnes coniunctiones cōditionem implent: puta.n. nondum nubilis

ætatis in domum mariti deducta non paruit conditioni, sed & si ei coniuncta sit, cuius nuptiis ei interdictum sit: idem dicemus: An tamen nubendo postea parere conditioni posit, quasi non nupserit, dubitari potest. Et si testator de primo nuptiali iugo sensit, uidetur defectam conditionem esse. benigne tamē dicendum est, nondum implectam conditionem defectam, ff. eo. l. x. in prin.

Cui fuerit sub hac conditione legatum. SI IN FAMILIA NVPSISSET, uidetur impleta conditio statim, atque ducta est vxor, ff. eod. l. cui, xv.

In conditionibus primum locum uoluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones: denique & in ea conditione SI FILIA MEA CVM TITIO NVPTA ERIT. placuit non semper mortis tempus obseruari, sed uoluntate patrocinante produci, ff. eo. l. in conditionibus, xix. in princ.

Filiæ suæ ita quis legauit. SI ATTIA FILIA MEA ARBITRATV LVCII TITII NVPSERIT, EI TOT HAERES MEVS DATO. Titio ante testatorem mortuo Attia nupserat: legatum ei debebitur, ff. eo. l. filiæ, xxviii. in princ.

SI ARBITRATV TITII SEIA NVPSERIT, HAERES MEVS EI FVNDVM DATO, viuo Titio etiam sine arbitrio Titii eam nubentem legatum accipere respondendum est, eamque legis sententiam uideri, ne quod omnino nuptiis impedimentum inferatur. Sed si Titius uiuo testatore decedat, licet conditio deficit, quia tamen suspensa quoque pro nihilo foret, mulieri succurritur. ITEM MAEVIAE SI NON NVPSERIT, FVNDVM CVM MORIETVR LEGO, potest dici, & si nupserit, eam confestim ad legatum admitti: non idem probatur si certus dies, incertusve alius legato fuerit adscriptus, ff. eod. l. cum tale, lxxii. §. si arbitrario.

Cùm vir vxori, SI A LIBERIS NE NVPSERIT, in annos singulos aliquid legauerit, quid iuris sit? Iulianus respondit, posse mulierem nubere, & legatum capere. Quod si ita scriptum esset, SI A LIBERIS IMPVBERIBVS NE NVPSERIT, legem locum non habere: quia magis cura liberorum, quàm viduitas iniungeretur, ff. eod. l. sed si lxii. §. fin.

Cum ita legatum sit, SI TITIO NON NVPSERIT, vel ita. SI NEQVE TITIO, NEQVE SEIO, NEQVE MAEVIO NVPSERIT. & denique si plures personę compræhensæ fuerint, magis placuit, cuilibet eorum si nupserit amissuram legatum. nec uideri tali conditione uiduitatem iniunctam, cum alii cuilibet satis commodè posit nubere: uidendum est, & si ita legatum sit. SI TITIO NVPSERIT, & quidem si honestè Titio posit nubere, dubium non erit, quin nisi paruerit conditioni, excludatur à legato. Si uero indignus sit, nuptiis eius iste Titius: dicendum est, posse eam beneficio legis cuilibet nubere: quæ enim Titio nubere iubetur cæteris omnibus nubere prohibetur. Itaque si Titius indignus sit, tale est, quale si generaliter scriptum esset, SI NON NVPSERIT. imo, si uerū amamus, durior hæc conditio est, quàm illa. SI NON NVPSERIT. nam & cæteris omnibus nubere prohibetur, & Titio, cui inhonestè nuptura sit, nubere iubetur, ff. eo. l. cum ita legatum, lxiii.

Hoc modo legato dato. SI LVCIO TITIO NON NVPSERIT non esse locum legi, Iulianus aiebat, quod si ita scriptum esset. SI ARICIAE NON NVPSERIT: interesse, an legi fraus facta esset. nam si ea esset, quæ alibi nuptias non facilè posit inuenire: interpretandum, ipso iure rescindi, quod fraudādæ legis gratia esset adscriptum. legem enim utilem Rei-

publicæ

publicæ ſcholis ſcilicet procreandi cauſa latam, adiuuandam interpretatione ff.eo.l.hoc modo,lxiiii.

Dubium non eſt, quin ſi vxori relictum ſit, ſi non nupſerit, idque alii reſtituere rogata ſit, cogenda ſit, ſi nupſerit, reſtituere, ff.de legat.ii.l.non dubitari, xiiii. in princip.

Legatum alii ſub conditione ſic relictum. *Sic vxor mariti ſe poſt mortem mariti non collocauerit*, contractis nuptiis conditio deficit. ideoque legatum peti nequaquam poteſt, C.de indict.uiduit.l.prima.

Si ita legatum eſſet. CVM NVPSERIT. ſi nupta fuerit, & hoc teſtator ſciſſet, alterum matrimonium erit expectandum, nihilque intererit, utrum uiuo teſtatore, an poſt mortem ea, iterum nupſerit, ff. de condit. & demonſtra.l. ſi ita, lxviii.

Titio centum relicta ſunt, ita, ut Mæuiam, quæ vidua eſt ducat, conditio non remittetur, & ideo nec cautio remittenda eſt. Huic ſententiæ non refragatur, quòd ſi quis pecuniam promittat, ſi Mæuiam vxorem non ducat, Prætor actionem denegat, aliud eſt enim eligendi matrimonii pœnæ metu libertatem auferri, aliud ad teſtamentum certa lege inuitari, ff. eod.l. Titio centum, lxxi.§. Titio centum, i.

Titio Genero meo hæres meus Seiæ filiæ meæ nomine centum dato. Legati quidẽ emolumentum ad Seiam, quæ dotem habere incipit, pertinebit. Sed quia non tantum mulieri, ſed Titio quoque, cui pecuniam legauit, conſultum uidetur: prope eſt, ut ipſe legatarius intelligatur: & legatum petere debeat. ſi poſt diuortium genero pecuniam hæres ſoluerit, æquè liberabitur: quoniam in dotem ſolutio conuertitur. conſtante autem matrimonio, etiam prohibente muliere Titio rectè ſoluetur. Hoc enim & mulieris intereſt, vt incipiat eſſe dotata. nam & ſi quis ipſam quoque petitionem habere reſponderit, eaque pecuniam petat, neque dotis fieri uelit: non dubiè doli ſubmouebitur exceptione. Ante nuptias verò Titio, uel muliere defunctis, legatum apud hæredem manet. quòd ſi nolit eam hæredem ducere cauſæ legati, quòd mulieris perſonam attinet, ſatiſfactum intelligeretur. ſed Titio legatum petenti nocebit exceptio doli. Sabinus autem exiſtimabat nupta muliere Titio, ſine cautione legatum deberi: quoniam pecunia dotis efficeretur. Sed cùm ante nuptias, (quia purum legatum eſt) peti non poteſt, cautio. *Mulieri pecuniam reddi*, neceſſaria erit. Quòd ſi maritus uitio ſuo cauſa ceciderit, neque ſoluendo ſit: aduerſus hæredem mulieri, quæ nihil deliquit, non ſuccurretur ob eam pecuniam, quæ doti fuerat deſtinata, ſed quoniam ambo legati petitionem habuerunt, ſaluam habebit, non ſoluta pecunia uiro, mulier actionem, ff. de cond. & demon.l. Titio centum, lxxi.§. Titio genero.

Cùm tale legatum eſſet relictum. *Titiæ ſi à liberis non diſceſſerit*: negauerunt eam recte cauere: quia vel mortuis liberis legati conditio poſsit exiſtere. ſed diſplicuit ſententia, non enim voto matris, tàm ominoſa non interponendæ cautionis interprætatio debuit, ff.eod.l.cùm tale, lxxii.

Cùm uni ita legatũ ſit, *Titio ſi Seiam vxorem duxerit, hæres meus centum dato*: ſiquidem Seia moriatur defectus conditione intelligitur, at ſi ipſe decedat, nihil ad hæredem ſuum is tranſmittatur: quia morte eius conditio defeciſſe intelligitur. Vtroque autem uiuente, ſiquidem ipſe nolit vxorem ducere, quia ipſius facto conditio deficit, nihil ex legato conſequitur. Muliere autem nolẽ-

te,

te nubere,cum ipse paratus esset: legatum ei debetur,ff.eod.l.in testamento, xxxi.§.nam cum uni.

Mulieri,& Titio usufructus,si non nupserit mulier, relictus est: si mulier nupserit,quandiu Titius,& viuus, & in eodem statu erit, partem vsusfructus habebit: tantum enim beneficio legis ex legato concessum esse mulieri intelligendum est,quantum haberet,si conditioni paruisset. nec si Titius qui conditione defectus est, legatum repudiet, ea res mulieri proderit, ff. eod. l. mulieri, lxxiiii.

Conditionum, quæ in futurum conferuntur, triplex natura est: ut quædam ad id tempus,quo testator uiuat quædam ad id, quod post mortem eius futurum sit,quædam alterutrum pertineant. tempus autem, vel certum, vel infinitum compræhendatur. quæ omnia non minus in fideicommisis, quàm in institutionibus,ac legatis incidere solent, vt hæc conditio. TITIAE SI MIHI NVPSERIT. non dubiè nisi uiuente testatore: illa autem. SI AD EXEQVIAS FVNERIS MEI VENERIT. nisi post mortem impleri non posit. Illa vero. SI FILIO MEO NVPSERIT, vel uiuente, vel mortuo testatore impleri posit,& prima quidem, & tertia ex relatis conditionibus infinitum tempus habent: quandocunque enim nupserit,impletur conditio. secunda ad certum tempus adscripta est,ff.eo.l.conditionum,xci.

Titiæ si non nupserit ducenta: si nupserit centum legauit nupsit mulier, ducenta,non etiam centum residua petet,ridiculum est enim eandem,& ut uiduam, & ut nuptam admitti,ff.eo.l.Titio,C.

Quotiens sub conditione mulieri legatur,si non nupserit, & eiusdem fidei commissum sit,vt Titio restituat,si nubat: commodè statuitur, & si nupserit, legatum eam petere posse,& non esse cogendam fideicommissum præstare,ff.eo. l.quotiens,xxii.

Pater Seuerinam Proculam Aelio Philippo cognato, nuptiis testamento designauit. eidemque filiæ prædium, si ælio Philippo nupsisset, uerbis fideicommisi reliquit. quod si non nupsisset,idem prædium Philippo dari uoluit. non dum viripotens puella,diem suum obiit. Cum in conditionibus testamentorum uoluntatem potius,quàm verba considerari oporteat. Aelio fideicommissum ita datum uidetur,si ei procula defuncti filia nubere noluisset. quare cùm ea prius,quàm uiri potens fiat,vita decesserit, conditio extitisse non uidetur, ff.eod.l.pater Seuerinam,ci.in princ.

Quod in fraudem legis ad impediendas nuptias scriptum est, nullam uim habet. veluti, TITIO PATRI CENTVM SI FILIA, QVAM HABET IS IN POTESTATE NON NVPSERIT, HAERES DATO, vel FILIOFAMILIAS SI PATER EIVS VXOREM NON DVXERIT HAERES DATO, ff.eo.l.hæres meus,lxxix.§. fin.

Hoc genus legati. SI TITIO NON NVPSERIT. perinde habendum est, ac si post mortem Titii legatum fuisset,& ideo nec Muriana satisdatione inter posita capere legatum potest: sed & tali nubendo nihilominus legatum consequitur,ff.eo.l.hoc genus,cvi.

Si Titiæ legatum relictum esset,si arbitratu Seii nupsisset: & uiuo decesisset, & ea nupsisset,legatum ei debebitur,ff. de legat. primo. l. turpia, liiii. aliàs lvii. §.si Titiæ.

Si pater filiæ suæ testamento aureos tot hæredem dare iusserit, ubi ea nupsisset: si filia nupta sit,cum testamentum fit,sed absente patre,& ignorante nihilomi

nus

nus legatum debetur: si enim hoc pater nō ignorabat, uidetur de aliis nuptiis sensisse, ff. de leg. ii. l. si ita, xlv. §. fi.

Si filiæ pater dotem arbitratu tutoris dari iussisset, perinde hoc habendum est, ac si uiri boni arbitratu constitui oporteat, id non est difficile ex dignitate, & facultatibus, è numero liberorum testamentum facientis æstimare, ff. de lega. iiii. l. si filiæ, xli. aliàs xliii.

Hæc scriptura. *Si primus hæres erit, damnas esto dare.* pro conditione non est accipienda: magis enim demonstrabit testator, quando legatum debeatur, quàm conditionem inseruit, nisi forte hoc animo fuerat testator, ut faceret conditionem. Proinde nec illud dicendum erit facere conditionem. *Quidquid mihi Ephesi oportet dari, hoc do lego.* sed si leget. *Si primus mihi hæres non erit damnas esto secundus dare.* & primus hæres extiterit legatum nō debebitur. Si primus adierit cum secundo, non extitisse conditionem, nequaquam ambigendum est, ff. eod. l. in conditionibus, xix. §. hæc scriptura.

Hæc verba alio charactere, hic ac inferius inserta, literis maiusculis imprimi deberent.

Si à primo ita legatum est, *Si secundus hæres non erit, viginti Titio dato:* simili modo à secundo eidem Titio, ita legatum est, *Si primus hæres non erit,* & ambo hæredes extiterint: legati conditio deficiet. si alter hæres extiterit, alter hæres non extiterit, legatum non debebitur, ff. eod. l. si in conditionibus, xix. § fin.

Qui duobus hæredibus decem dare iussus est, & fundum sibi habere, uerius est, vt conditionem scindere non posit: ne etiam legatum scindatur. igitur quamuis alteri quinque dederit, nullam partem fundi uindicabit: nisi alteri quoque adeunti hæreditatem reliqua quinque numerauerit, aut illo omittente hæreditatem ei, qui solus hæres adierit hæreditatem, tota decem dederit, ff. eo. l. qui duobus, xxiii.

Iure ciuili receptum est; quotiens per eum, cuius interest, conditionem impleri, fit quominus impleatur, ut perinde habeatur, ac si impleta conditio fuisset. quod plerique, & ad legata, & ad hæredum institutiones produxerunt. Quibus exemplis stipulationes quoque committi quidam recte putauerunt, cùm per promissorem factum esset, quominus stipulator conditioni pareret, ff. eo. l. Iure ciuili, xxiiii.

Hæc conditio. *Si in capitolium ascenderit,* sic accipienda est, cùm primum potuerit capitolium ascendere, ff. eod. l. hæc conditio, xxix.

In arbitrium alterius conferri legatum, veluti cōditio, potest. quid enim interest: *Si Titius in capitolium ascenderit:* mihi legetur, an. SI VOLVERIT? sed cùm ita legatum sit pupillo, siue pupillæ, ARBITRIO TVTORVM: neque conditio inest legato, neque mora. cum placeat, in testamentis legatum in alterius arbitrium collatum pro viri boni arbitrio accipi. quæ enim mora est, in boni viri arbitrio, quod iniectum legato, velut certam quantitatem exprimit, pro uiribus videlicet patrimonii, ff. de leg. ii. l. prima.

Si à filio impubere, sub conditione legatum sit: & filius hæres extiterit; deinde mortuus sit, potest dici patremfamiliàs, qui à filio sub conditione legauit, & à substituto pure repetiit, statim uoluisse à substituto dari; si filius pendente conditione decesserit, ff. de leg. primo, l. si cui seruus, lii. aliàs lv. §. si à filio.

At si maiorem quantitatem à substituto reliquit, quod excedit, hoc erit, quod à substituto relictum est: quoduero concurrit cum summa superioribus tabulis inscripta inde debebitur. Sed & si repetierit legatum cum alio: forte fundum

mihi

mihi legauerat: ab impubere,& repetiit, hunc ab impuberis hæredi mihi, & Seio, repetitio hoc efficiet, ut pars mihi debeatur, ff. eod. l. quid ergo, liii. aliàs lvi. in princip.

Si paterfamilias ab impubere filio fundum legauerit, & à substituto eundem eidem Titio, & pupillus patri hæres extiterit, siue uindicauerit Titius legatum: siue repudiauerit (quamuis filius impubes decesserit) à substituto uindicare non poterit. Hoc enim quod rursus à substituto legatur: perinde habendum est: ac si repetitum esset legatum. Quare & si pure à filio sub conditione à substituto legatum fuerit: perinde omnia seruabuntur, ac si tantum à filio legatum fuisset. Contra autem si à filio sub conditione, à substituto pure legatum fuerit, & pupillus pendente conditione decesserit, ex substitutione sola legatum ualebit, ff. de legat. primo, l. si fundum, lxxxi. aliàs lxxxiii. §. si paterfamiliàs.

Si ab impubere legatum fuerit sub conditione, si ad pubertatem peruenerit, & à substituto repetitum fuit legatum, debetur & à substituto: nec uidetur repetita conditio: quæ inutile legatum fuit, ff. eod. l. seruo, cxiii. aliàs cxvi. §. si ab impubere.

Si primo, & secundo, & tertio hæredibus institutis sic legata dentur: *Si mihi primus mihi hæres non erit, secundus Titio decem dato: si secundus mihi hæres non erit: primus Seio fundum Tusculanum dato*, vtrisque omittentibus hæreditatem primo, & secundo: quærebatur substituti, quos eis dederat, an et cui legata præstare debeant: ab utroque substituto legata debentur, ff. de leg. ii. l. debitor, lxxxii. aliàs lxxxiiii. §. si primo.

Impuberem filium hæredem instituit, vxori dotem prælegauit: Item ornamenta, & aureos decem, & si impubes decesisset, substituit: à quibus ita legauit. *Quæcunque à primis tabulis dedi, eadem omnia ab hæredibus, quoque hæredis mei in duplum dari volo*: Quæritur, an ex substitutione impubere mortuo dos, quoque iterum debeatur; & responsum est, non uideri de dotis legato duplicando testatorem sensisse: item cum corpora legata etiam nunc ex lucratiua causa posideantur à substituto peti non possunt, ff. de legat. ii. l. Lucius, lxxxviii. aliàs xc. §. impuberem.

Ab omnibus hæredibus legatum ita erat: *Quisquis mihi hæres erit, damnas esto Titio dare centum*: deinde intra cõpræhensum erat, ne unus ex hæredibus ei daret: uerius est reliquos hæredes tota centum dare debere, cùm & significatio uerborum non repugnet huic sententiæ, & uoluntas testatoris congruat, ff. de leg. primo, l. ab omnibus, ciiii. aliàs cvii. in princ.

Cùm quidam hæredem instituisset, quandocunque mater eius decesisset, deinde secundus hæres institutus fuisset, & ab eo legato ei, qui sub conditione hæres scriptus erat, relicta fuissent: isque uiua matre decesisset, postquam dies legati cesserat. Quæsitum est, an hæredi eius legata deberentur, uerius est legatum deberi hæredi; siue pure instituto legatum datum est, primo hæredi, siue sub hac conditione, SI HAERES NON FVERIT, quia moriente eo conditio impletur, d. l. ab omnibus, cxiiii. §. cùm quidam.

Si filiusfam. qui filium habebat hæres institutus fuisset, cùm esset uterque in potestate aliena, dubitatum fuit, an ab eo filius eius legari posit, & cùm posit à filio patri legari, consequens est, vt uel fratri ipsius, vel filio legetur, ff. de lega. primo, l. quæsitum est, xci. aliàs xciii.

Cum

Cum ita legatum est: QVANTAM PECVNIAM HAERES MEVS A TITIO EXEGERIT: TANTAM MAEVIO DATO: statim dies legati cedet,& legatarius agere potest,vt actiones ab hærede præstentur,ff.de leg.ii.l.ut hæredibus,50.aliàs l.si Titius,52.

Seio, quem hæredi substituerat, ita legauit, SEIO SI MIHI HAERES NON ERIT, VT VXORI EIVS MARCELLAE ARGENTI LIBRAS QVINDECIM DARI VOLO: & si Seius hæres extiterit,Marcellæ legati dimidia portio debebitur,ff.da leg.ii.l.testamento,lxxxix. aliàs xcii.§.Seio.

Si primo,& secundo,& Tertio hæredibus institutis sic legata dentur, SI PRIMVS MIHI HAERES NON ERIT, SECVNDVS TITIO DECEM DATO, SI SECVNDVS MIHI HAERES NON ERIT, PRIMVS SEIO FVNDVM TVSCVLANVM DATO, vtriusque omittentibus hæreditatem primo, & secundo ab vtroque instituto legata debentur, ff.eo.l.debitor,lxxxii.alias lxxxiiii.§.si primo.

Sempronia substituta hæredi instituto legata accepit: si hæres non esset: mouit contra institutum actionem, quod dolo eius factum esse dicebat, quo minus testatrix testamentum mutaret, nec obtinuit: hoc non obstante legati persecutionem saluam habebit,ff.eod.l.Lucius,lxxxviii.alias xc.§.Sempronia.

ILLI SI VOLET EQVVM DO, conditionale est legatum, & non aliter ad hæredem transit,quàm si legatarius uoluerit,quamuis alias si sine adiectione si VOLET, legatum ad hæredem legatarii transmittatur, Aliud est enim iuris,si quid tacite contineatur,aliud si verbis exprimatur,ff.de leg.i.l. si ita leg atum,lxv.alias lxviii.§.illi si uolet.

Si ita legetur: HAERES DARE DAMNAS ESTO: SI IN CAPITOLIVM NON ASCENDERIT: vtile legatum est,quamuis in potestate eius sit ascendere,vel non ascendere,ff.de leg.ii.l. tertia.

Si ita legatum est: HAERES CVM MORIETVR LVCIO TITIO DATO DECEM: cùm incerta die legatum sit, ad hæredes legatarii non pertinet, si uiuo hærede decesserit,ff.eod.l.si pecunia,xii.§.fin.

Si mihi Sempronius à Titio hærede legauerit, Titiusque mihi sub eadem conditione eandem rem legauerit, existente conditione capiam legatum ex testamento Sempronii,ff.de leg primo.l.si mihi,100.alias 103.

Si pure tibi legauero, deinde postea scripsero ita; HOC AMPLIVS SI NAVIS EX ASIA VENERIT, HAERES MEVS EI FVNDVM DATO: uerius est, eo uerbo AMPLIVS superiora repeti, sicuti diximus, *Lucius Titius plebi quina millia dedit, hoc amplius Seius rationem:* Quina millia quoque Seium dedisse intelligimus, & *Titius accepit quinque Seius hoc amplius fundum:* Seium quinque accepisse intelligimus, ff. de leg. iii.l.si pure,liiii.

Hæc verba alio charactere,hic ac inferius inserta, literis majusculis imprimi debebant.

Nonnunquam contingit,vt quædam nominatim expressa officiant, quamuis omissa tacitè intelligi potuissent,nec essent obfutura. quod euenit, si alicui ita legetur. *Titio decem do, lego si Mæuius capitolium ascenderit*, nam quamuis in arbitrio Mæuii sit, an capitolium ascendat, & uelit efficere, vt Titio legatū debeatur, non tamen poterit aliis uerbis utiliter legari. *Si Mæuius voluerit Titio decem do.* nam in alienam uoluntatem legatum conferri non potest. inde dictum est,expressa nocent,non expressa non nocent,ff. de conditio. & demon.

mon. l. nonnunquam, lii.

Si ita expressum erit. *Titio si uoluerit do, lego:* apud Labeonem Proculus notat, non aliter ad hæredem legatarii pertinere, quàm si ipse legatarius uoluerit ad se pertinere, quia conditio personæ adiuncta uidetur, ff. eod. l. si ita, lxix.

Si separatim mihi totus fundus purè, tibi sub conditione legatus fuerit, & tu decesseris antequam conditio extiterit: non habebo necessitatem implere conditionem: utpote cum etiam si conditio defecerit, pars, quam uindicaturus eras, mihi adcrescat, ff. eo. l. si separatim, xxx.

Si ita scripsero. *Quantum codicillis Titio legauero*, licet codicillis legatum explicetur tamen ex testamento ualet: solaque quantitas in codicillo delata est. Nam & apud veteres legata talia fuere. *Quantum ei per epistolam scripsero: quantum ex illa actione detraxero, hæres dato* ff. eod. l si ita, xxxviii.

Quidam ita legauerat. *Si Publius Cornelius impensam, quam in fundum Seianum feci, hæredi meo dederit, tum hæres meus Publio Cornelio fundum Seianum dato.* impensæ uerbo precium non significauit, sed sumptus duntaxat, quos in eum, posteaquam emptus esset, fecit. adiecto eo, quòd non deductis fructibus impensarum ratio haberi debebit, ff. eo. l quibus, xl. §. quidam ita legauerat.

Quidam Titio centum legauerat, deinde infra ita iusserat, *Quas pecunias cuique legaui, eas hæres meus, si mater mea moritur, dato.* mortuo patrefamil. Titius uixerat: & uiua matre famil. decesserat, mortua matre hæredibus Titii legatum deberi Offilius respondit, quoniam non sub conditione esset legatũ, sed ante legatum purè, deinde dies soluendi adiecta. Labeo hoc falsum esse dicit, quia nihil intersit, utrum ita scribatur. *Quas pecunias cuique legaui, eas hæres meus, si mater mea moritur, dato* an ita. *Nisi mater mea moritur ne dato:* vtrobique enim sub conditione, vel datum, uel ademptum esse legatum. Labeonis responsum probatur, ff. eod. l. quibus, xl. § quidam Titio centum.

Legata sub conditione relicta non statim, sed cùm conditio extiterit, deberi incipiunt: ideoque interim delegari non poterunt, ff. eo. l. legata, xli.

Filio familias legatum est, sub conditione si in potestate patris mansisset, magis patri legatum uidetur, & pater suo nomine legatum petet, ff. eod. l. filiofamil. xlii. in princ.

Si hæredi legatarius, cui sub conditione legatum fuerat. SI HAEREDI DECEM DEDERIT, id quod ei deberet hæres accepto tulisset, non quidem uidetur conditioni paruisse, quasi dederit, sed quasi per hæredem stet, quominus pareat: potest petere legatum, quasi extiterit conditio, ff. eodem l. Iulianus ait, xlv.

Si quis legata, quibus dies adposita non esset annua, bima, trima die dari iussit: & alicui, cum pubes esset, pecuniam legauit id, quoque legatum annua, bima, trima die post pubertatem præstandum esse, in commentariis Caii scriptum est: quia magis conditio, quàm dies legato adiecta esset. Contra uerum est, quia ferè dies ad proroganda ea, quæ ad præsens tempus, non etiam, quæ in futurum legata sunt. diesque pubertatis habet, aliquam temporis demonstrationem, ff. eo. l. si quis legata, liiii.

Duobus eadem res, si hæredi centum dedissent, legata est. Si alter ex his quinquaginta dederit, partem legati consequetur, & pars eius, qui non dederit, alteri

teri cum sua conditione adcrescit.ff.eo. d.l.si quis. §.duobus fin.

Cui fundus legatus est, si decem dederit, partem fundi consequi non potest, nisi totam pecuniam numerasset. Dissimilis est causa cum duobus eadem res sub conditione legata est, in hac enim quæstione statim à testamento, quo pluribus conditio adposita est diuisa quoque in singulas personas videri potest. Et ideo singuli cum sua parte, & conditioni parere, & legatum capere possunt: nam quamuis summa vniuersæ conditionis sit adscripta enumeratione personarum, potest videri esse diuisa. In eo verò, quod vni sub conditione legatum est, scindi ex accidenti conditio non debet, & omnis numerus eorum, qui in locum eius substitnuutur, pro singulari persona est habendus. ff. eodem.l. cui fundus.lvi.

Intercidit legatum si ea persona, cui legatum est sub conditione decesserit, sed si non decesserit, sed in ciuitate esse desierit, puta alicui legatum est, si consul fuerit, & is in insulam deportatus est, non extinguitur legatum, quia restitui in ciuitate potest.ff.eod.l.intercidit.lix.

Legato sub conditione relicto, si hęres à quo sub conditione legatū est, pendente conditione moriatur, hæredem suum obligatum relinquit.ff.eo.l.legato.lxv.

Titio fundus, si in Asiam non venerit, & idem si peruenerit Sempronio legatus est: cùm in omnibus conditionibus, quæ morte legatariorum finiuntur, receptum est, vt Mutiana cautio interponatur: hæres cautionem a Titio accepit, & fundum ei dedit, si postea in Asiam peruenerit, Sempronio hæres, quod ex stipulatu cautionis interpositæ consequi potest, vtili actione præstare cogitur. Sed si cautio medio tempore defecerit, quæ solicitè fuerat exacta, non de suo præstabit hæres: sed quà nihil ei potest obiici, satis erit actiones præstari. Si tamen Titius, cum Asiam venisset, Sempronins prius, quàm legatum accipiat, decesserit: hæredi eius deberetur, quod defunctus petere potuit. ff. eo.l. Titio fundus.lxxiii.

Cùm pupillus aut tutor eius conditionem in personam pupilli collatam impedit legati conditio impleta videtur, ff.eod.l.cum pupillus.lxxviii.

HAERES MEVS, CVM MORIETVR TITIVS CENTVM EI DATO, purum legatum est, quia non conditione, sed mora, suspenditur. non potest.n. conditio non existere. HAERES MEVS, CVM IPSE MORIETVR CENTVM TITIO DATO. legatum sub cōditione relictum est, quamuis.n. hæredem moriturum certum sit, tamen incertum est, an legatario viuo dies legati non cedit, & non est certum ad eum legatum peruenturum, ff. eodem.l. hęres. lxxix. in princi.

Quod traditum est in legatis nouissimam conditionem spectandam esse non ad ea dumtaxat pertinet, quæ sæpius sub diuersis conditionibus, sed etiam quæ primò pure, deinde sub conditione dantur, itaque quod hæres purè dare iussus est, quodve pure legatum est, cùm id ex interuallo sub conditione legatum est, posterius valet. si prius sub conditione, deinde purè legatum est, præsens debetur: qnòd si purè legatum, ex continenti hęres sub conditione damnatus, aut rogatus est dare, perinde est, ac si iuncta subiecta scriptura idem legatum esset, vel vt præsens vindicari, si hoc voluerit legatarius, vel cū conditio extiterit ab hærede peti posit, nisi commemoratione superioris legati posterius scriptum fuerit, veluti. EQVVM QVEM ILLI LEGAVI, HAERES MEVS EI, SI ILLVD FACTVM DATO, tunc enim reuocandi animo præsens legatum, & sub conditione dandi, ita scripsisse videbitur.

& si ante conditionem rem vindicet, & doli exceptio locum habere poterit. ff.eod.l.quod dicitur, & l.non ad ea.lxxvii.& lxxxix.

Si cui legatum fuerit relictum, isque rogatus sit liberos suos emancipare: extra ordinem constitui debet, eum, qui adgnouit id, quod sibi relictum est hac contemplatione, vt liberos suos emanciparet cogendum esse emancipare: neque enim debet circumueniri testantium voluntas. sic deinde hoc accipiendum est, quemadmodum si sub conditione liberorum emancipandorum ei fuisset legatum, vel ita relictum, vt eos emanciparet. ff. eodem, l.si cui, xcii. in principio.

Mea res sub conditione legari mihi potest: quia in huiusmodi legatis non testamenti facti tempus, sed conditionis expletæ spectari oportet. ff. eod. l. meas res, xcviii.

Conditiones extrinsecus non ex testamento venientes, i.quę tacitè inesse videãtur, non faciunt legata conditionalia. ff.eod. l.conditione, xcix.

Si ita legatum sit. TITIO POST DECEM ANNOS DATO, SI SATIS AB HAEREDE NON EXEGERIT, & Titius intra decimum annum decesserit, ad hæredem suum transmittit legatum, quia moriente eo conditio extitit. ff.eod.l.si ita.ciii.

Si fundum a testatore sub conditione legatum hæres, alii sub conditione legauit, post existentem conditionem, quæ priori testamento præposita fuerat, itaque proprietas a priore legatario recedit, nec seruitutem hæres imponere poterit, sed & imposita seruitus finietur existente conditione.ff.eodem, l.si fundum.cv.

Aliquando accidit, vt sub conditione datum legatum purum intelligatur, veluti quod sub eadem conditione relictum est, sub qua etiam hæres alius institutus est. Item quod sub hac conditione relictum est.[SI HAEREDITATEM ADIERIT] ex diuerso quoque purum datum legatum conditionale videtur, veluti quod sub conditione ademptum est. quia sub contraria conditione datum intelligatur.ff.eod.l.aliquando.cvii.

Tales conditiones. SI MONVMENTVM, puta, FECERINT pluribus propositæ non possunt nisi in omnibus personis existere. Item SVMPHORO ET IANVARIO CENTVM TITIVS PRAESTITERIT, FVNDVM EI LEGO. Sumphoro mortuo benigna interpretatione legatum non petit, sed si non post moram Titii Sempronius decessit, partem dimidiam Ianuario dante partem dimidiam fundi legatarius consecuturus est. Item si fundus quibusdam legatus est, si pecuniam certam in funus impensamque perferrendi corporis in aliam regionem dedissent, humanius interpretari solemus, vt cum duobus fundus legatus sit, si decem dedissent, & alteri dando partem, legatum quoque debeatur. ff.de cond.& dem.l.penultima, in princip.

Cùm ita legatum sit. QVONIAM FILIVS MAIOR EX ARCA MEA DECEM SVSTVLIT, HAERES MINOR FILIVS DECEM E MEDIO SVMITO. debetur legatum: quia idcirco relictum est, vt conditio filiorum exæquaretur. & sanè causa hæc est. nam causa in præteritum pœna in futurum confertur. ff.eod.l.si ita, xii.

Si cui legetur, cum quatuordecim annorum erit, certo iure vtimur, ut tũc sit quatuordecim annorum, cum impleuerit. & ita Imperatorem decreuisse Marcellus scripsit. Ergo & cum sic relictum est, CVM AD QVATVORDECIM ANNOS PERVENERIT ANNVA, BIMA, TRIMA DIE, & decẽ, &

ſeptem annorum mortis tempore inueniatur, præſens legatum erit: proinde ſi quindecim annorum, conſequenter dicemus poſt biennium deberi, ſi ſexdecim, poſt annum debebitur ſi menſes deſint ad decimumſeptimum annum, reſiduis menſibus debetur. Hæc ita ſi putans minorem eſſe quatuordecim annorum, cum iam excreuiſſet, ſic legauit, ſi vero ſcit triennium ad legati præſtationem ex die teſtamenti facti numerabimus. Hoc autem legatum, & conditionale eſt, & in diem, conditionale tam diu, quandiu quartuſdecimus annus ſit complectus. poſtea in diem, & ideo ſiquidem ante quartumdecimum annum deceſſerit, ad hæredem nihil tranſit, Certè poſtea ad hæredem transfertur, quod ſi teſtamenti facti tempore minor quatuordecim annis filius inueniatur, tempus ANNVA BIMA, TRIMA DIE præſtationis ex die complecti decimiquarti anni ſtatim cedet, niſi euidens alia mens probaretur teſtatoris aliud ſentientis. ff. de leg. 1. l. ſi cui legetur, xlix. in princip.

Si quis in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarii, teſtator errauerit, cum de perſona conſtet, nihilominus valet legatum. Idemque in hęredibus ſeruatur, & recte. Nomina. n. ſignificandorum hominum gratia reperta ſunt, qui ſi alio quolibet modo intelligantur nihil intereſt: inſt. de leg. §. ſi quis in nomine.

Si in perſona legatarii deſignanda aliquid erratum fuerit, conſtet autem cui legare voluerit, perinde valet legatum, ac ſi nullus error interueniſſet. ff. de condit. & demonſtr. l. demonſtratio, xvii. §. nam, & in perſona.

Error nominum in ſcriptura factus, ſi modo de poſſeſsionibus legatis non ambigitur, ius legati non minuit. C. de leg. l. ſeptima.

Si quis in re errauerit, (vt puta dum vult lancem relinquere, veſtem leget) neutrum debebitur, hoc ſiue ipſe ſcripſit, ſiue ſcribendum dictauit. ff. de hæredibus. inſt. l. quoties, ix. in princip.

Si quis in fundi vocabulo errauerit, & Cornelianum pro Semproniano nominauit debebitur Sempronianus, ſed ſi in corpore errabit, non debebitur. Quòd ſi quis non vellet veſtem legare ſuppellectilem adſcripſit, dum putat ſuppellectilis appellatione veſtem contineri: Pomponius ſcripſit veſtem non deberi. Quemadmodum ſi quis putet auri appellatione electrum, vel aurichalcum contineri, vel (quod ſtultius eſt) veſtis appellatione etiam argentum contineri. rerum. n. vocabula immutabilia ſunt, hoīum mutabilia. ff. de leg. 1. l. quarta.

15 *De legatis ſub falſa demonſtratione.*

Huic proxima eſt illa iuris regula falſa demōſtratione legatum non perimi, inſt. de leg. §. huic proxima.

Inter demonſtrationem, & conditionem hoc intereſt: quòd demonſtratio plerunque factam rem oſtendit, conditio futuram, ff. de cond. & demonſtr. l. nominatim, xxxiiii. §. inter.

Demonſtratio falſa eſt veluti ſi ita ſcriptum ſit. FVNDVM TVSCVLANVM, QVI MITTI A TITIO BONVS EST, nam ſi conſtat de quo fundo ſenſit teſtator, ad eum non pertinet is, quem ſe emiſſe ſignificauit, donatus ſit, aut quem donatum ſibi eſſe ſignificauit, emerit. ff. de cond. & demonſt. l. demonſtratio, xvii. in princ.

Falſa demonſtratio neque legatario neque fideicomiſſario nocet, neque hæredi īſtituto, veluti ſi fratrem dixerit, vel ſororē, vel nepotem, vel quodlibet aliud, & hoc ita iuris ciuilis ratione, & conſtitutionib. diuorum Seueri & Antonini

cautum est. Sed si controuersia sit de nomine inter plures: qui probauerit sen sisse de se defunctum, ille admittetur. ff. eod. l. falsa demonstratio xxxiii. in princip.

Nominatim alicui legetur ita LVCIO TITIO an per demonstrationē corporis, uel artificii, uel officii uel necessitudinis uel affinitatis, nihil interest, nam demonstratio plerunque uice nominis fungitur, nec interest falsa, an uera sit, si certum sit, quem testator demonstrauerit. ff. de cond. & demonstr. l. nominatim. xxxiiii. in princ.

Qui dotalem fundum nullum habebat, ita legauerat. FVNDVM CORNELIANVM, QVEM ILLA MIHI DOTI DEDIT, EI HAERES DATO. fundus nihilominus legatus erit: quia cùm fundus Cornelianus in rerum natura sit, demonstratio falsa legatum non perimit. ff. eod. l. quibus xl. §. qui dotalem.

Falsa legati demonstratio legatum non facit, ueluti, si quis cum Titio nihil legasset ita scriptum reliquerit. HAEC CENTVM QVAE TITIO LEGAVI QVINQVAGINTA HAERES SEIO DATO. idq; sumptum est ex defuncti uoluntate, quia non animo legandi sed deminuendi legatum, quod falso datum existimaret ita scriberet. propter falsam tamen demonstrationem legati non plus Seius adsequetur, quàm si uerè demonstratum fuisset. ff. eod. l. cum tale, lxxii. §. fin.

Etiam si ueritas debiti non subest, falsa demonstratio non perimit legatum, sed ex testamento, eius quoque nomine competit actio. C. de falsa causa adiecta. l. secunda.

Si mihi, quod Titius debet, fuerit legatum, neq; Titius debeat, sciendum est nullum esse legatum, & quidem si quantitas non sit adiecta euidenti ratione nihil debebitur, quia non apparet quantum fuerit legatum. nam & si quid ego Titio debeo, ei legauero quantitate non adiecta, constat nullum esse legatum, cùm si decem, quæ Titio debeo legauero: nec quidquam Titio debeam, falsa demonstratio non peremit legatum. vt in legato Dotis Iulianus respondit. quod si addiderit. DECEM, QVAE MIHI TITIVS DEBET, LEGO. sine dubio nihil erit in legato, nam inter falsam demonstrationem, & falsam conditionem, siue causam multum interest, proinde & si Titio decem, quæ mihi Seius debet, legauero, nullum erit legatum. esse enim debitor debet: nam & si uiuus exegissem extingueret̄ legatum & si debitor maneret, actiones aduersus eum hæres meus duntaxat præstare cogeretur. ff. eod. de conditionibus & demonstr. l. si sic, lxxv. §. primo.

HAERES MEVS TITIO DATO, QVOD EX TESTAMENTO SEMPRONII DEBETVR. cùm iure nouationis, quam legatarius idemque Testator ante fecerat, legatum ex testamento non debeatur placuit, Falsam demonstrationem legatario non abesse, nec in totum falsum uideri, quod ueritatis primordio adiuuaretur. ff. de leg. ii. l. cum filius. lxxvi. §. hæres meus.

Si ita scriptum erit. AMPLIVS QVAM TITIO LEGAVI HAERES MEVS SEIO DECEM DATO. dubitandum non erit, quin & Titio suum legatum maneat, & Seio nihil ultra decem debeatur. Nam & usitatum ferè est sic legare. LVCIO TITIO TOT, ET HOC AMPLIVS VXORI, ET LIBERIS EIVS TOT, Si ei cui nihil legatum est, cum hac adiectione. HOC AMPLIVS aliquid legetur minime dubitandum est. quin id, quod legauerit, debeatur, multoq; minus dubitandū, si ab eo, qui mihi nihil debet ita

stipulatus

ftipulatus fuero. AMPLIVS QVAM MIHI DEBES DECEM DARE SPONDES? quindecim debeantur. ff. de le. I. l. si seruus. C. viii. §. si ita scriptũ.

Testator ita legauit FVNDVM TREBATIANVM, QVI EST IN REGIONE ATELLATA. ITEM FVNDVM SATRIANVM, QVI EST IN REGIONE NIPHANA CVM TABERNA DARI VOLO si nullus esset Satrianus in Regione Niphana, & de eo sensisse testatorẽ certum sit, qui alibi esset non minus debetur, quamuis in regione designanda lapsus sit. ff. de leg. iii. l. patronus. xxxv. §. libertis.

56 *De falsa causa in legatis.*

Longe magis legato falsa causa adiecta non nocet, veluti cum quis ita dixerit. TITIO QVIA ME ABSENTE NEGOTIA MEA CVRAVIT, DECEM LEGO. licet enim negotia testatoris Titius gesserit. Legatum tamen valebit. ITEM FVNDVM TITIVS FILIVS PERCIPITO, QVIA FRATER EIVS EX ARCA TOT AVREOS SVMPSIT, licet enim frater huius pecuniam ex arca non sumpserit, vtile tamen legatum est. Sed si conditionaliter enunciata fuerit causa, veluti hoc modo. TITIO SI NEGOTIA MEA CVRAVIT, FVNDVM DO, LEGO. TITIVS FILIVS MEVS, SI FRATER EIVS CENTVM EX ARCA SVMPSIT, FVNDVM PERCIPITO. ita vtile eius legatum, si & ille negotia mea curauit, & huius frater centum ex arca sumpsit. Inst. de leg. §. longe magis, &. ff. de cond. & demonstr. l. Demonstratio. xvii. §. quod autem iuris.

Quod si cui in hoc legatum sit, vt ex eo aliquid faceret puta, vt monumentum testatori, vel opus aut epulum municipibus faceret, vel ex eo partem alii restitueret sub MODO legatum videtur. d. l. demonstratio xvii. §. fin.

Falsam causam legato non obesse verius est, quia ratio legandi legato non cohæret, sed plerunque doli exceptio locum habebit, si probetur alias legaturum non fuisse. ff. de cond. & demonstr. l. eum tale legatum. lxx. alias. lxxi. §. falsam causam.

57 *Legatum relinquitur ante hæredis institutionem, & inter medias hæredum institutiones.*

Quoniam inciuile est, scripturæ quidem ordinem sequi, sperni autem testatoris voluntatem. Ideo licere visum est ante hæredis institutionem, & inter medias hæredum institutiones legatum relinquere. insti. de leg. §. quoniam.

Nemo potest in testamento suo cauere, ne leges in suo testamento locum habeant, quia nec tempore, aut loco, aut conditione finiri obligatio hæredis legatorum nomine potest. ff. de leg. I. l. nemo. lv.

Si quis scripserit testamento fieri, quod contra ius est, vel bonos mores: non valet. veluti si quis scripserit contra legem aliquid, vel contra edictum prætoris, vel etiam turpe aliquid. ff. de leg. I. l. si quis 112. §. si quis scripserit.

Si vni ex hæredibus fuerit legatum, hoc deberi ei officio iudicis familiæ herciscundæ manifestum est: sed & si abstinuerit se hæreditate consequi eum hoc legatum posse constat, Et quidem totum legatum petere potest, quamuis à semetipso inutiliter ei legatum fuisset. ff. de leg. I. l. qui filiabus. xvii. §. fin., cum, l. sequen.

58 *Post mortem hæredis vtiliter legatur.*

Post mortem quoq; hæredis, aut legatarii vtiliter legatur ad similitudinem fidei commissorum, ne in hoc casu deterior causa legatorum, quàm fideicommissorum inueniatur. inst. de leg. §. penultimo.

Si quis equos quos Gadibus haberet eo Testamento, quod Romæ morans fecerat triduo. quo mortuus fuerit hæredem dare mihi damnauerit, ratum est legatum, & angustiæ tempus nihil legato nocet. ff. de legatis. 1. l. si mihi, xii. §. si quis seruos.

59 *Pœnæ nomine vtiliter legatur.*

Pœnæ quoq; nomine vliter legabatur, & adimuntur, vel transferuntur legata, pœnæ autem nomine legari videtur, quod coercendi hæredis causa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat, veluti si quis ita scripserit. HAERES MEVS SI FILIAM SVAM MATRIMONIO TITIO COLLOCAVERIT, DATO DECEM AVREOS SEIO. nam generaliter ea, quæ relinquuntur, licet pœnæ nomine fuerint relicta, vel adempta, vel ad alium translata nihil distant à cæteris, vel in dando, vel in adimendo vel transferendo, exceptis his videlicet, quæ imposibilia sunt, vel legibus interdicta, aut alias probrosa. inst. de leg. §. fin. &. c. de his, quæ pœnæ nomine. l. vnica.

Pœnam à conditione voluntas Testatoris separat, & pœna, an conditio, an translatio sit ex voluntate defuncti apparet. ff. de his quæ pęnæ cau. relinquunt. l. fi.

Filio etiam fam. hærede instituto, ẽt si in patris pęnam illicitè, uel probrosè datũ est, nullius momenti legatũ esse respõdi. Non. n. id solũ, quod in hæredes, sed oẽ, quod in cuiusq; lucrũ aliquod ex vltima voluntate sentientis talẽ pœnam in Testamento scriptum sit: nullius momenti habendum esse. ff. eod. l. prima.

Turpia legata, quæ denotandi magis legatarii, gratia scribuntur odio scribentis, pro non scriptis habentur. ff. de leg. 1. l. turpia, l. quarta, in princ.

Ineptas defunctorum voluntates circa sepulturam veluti, vt vestes, aut quæ alia superuacua ei in funus perpendantur non valent. ff. de leg. 1. l. seruo alieno cxiii. §. fin.

Ex imperfecto Testamento legata, vel fideicommissa Imperatorem vindicare uerecundum est, decet enim tantæ Maiestati eas seruare leges, quibus ipse solutus esse uidetur. ff. de leg. 3. l. ex imperfecto, xxiii.

Quotiens bona uacantia ad fiscum pertinent, & legata, & fideicommissa præstantur, quæ præstare cogeretur hæres à quo relicta erant. ff. de le. 1. l. quidam testamento. xcix. §. quoties.

60 *De legatis dubijs.*

Fundum Mæuianum, aut Seianum Titio legauerat, cùm uniuersæ possesio plurium prædiorum sub appellatione fundi Mæuiani rationibus demonstraretur, non uidetur defunctus uoluisse cætera prædia legato cedere. si fundi Seiani pretium à fundi Mæuiani pretio non magna pecunia distingueretur. ff. de rebus dubiis. l. prima.

Ciuibus ciuitatum legatum uel fideicommissum datum ciuitatibus relictum uidetur. ff. eod. l. secunda.

In ambiguo sermone non utrunque dicimus, sed id duntaxat, quod uolumus, itaque qui aliud dicit, quàm vult, neque id dicit, quod vox significat, quia non vult neque id, quod vult, quia id non loquitur. ff. eod. l. tertia.

Quod conditionis implendæ causa dandum est: sine dubio certis, & incertis per

sonis

ſonis dari debet, vt fideicommiſsi petitio poſsit competere. ff. eod. l. quarta.

Cùm nomen fideicommiſſarii teſtamento adſcriptum nō ſit nulli perſonæ neque certæ, neque incertæ datum fideicommiſſum videri indubitatum eſt. ff. eod. l. quarta, aliàs quinta.

Quidā relegatus facto teſtamento poſt hæredis inſtitutionem & poſt legata quibuſdam data ita ſubiecit: SI QVIS EX HAEREDIBVS CAETERISVE AMICIS, QVORVM HOC TESTAMENTO MENTIONEM HABVI, SIVE QVIS ALIVS RESTITVTIONEM MIHI IMPETRAVERIT AB IMPERATORE, ET ANTE DECESSERO, QVAM EI GRATIAS AGEREM: VOLO DARI EI, QVI ID EGERIT A CAETERIS HAEREDIBVS AVREOS TOT: vnus ex his, quos hæredes ſcripſerat impetrauit ei reſtitutionem, & antequam id ſciret deceſsit: cùm de fideicommiſſo quæreretur, an deberetur, conſultus Iulianus reſpondit deberi: ſed etiam ſi non hæres, vel legatarius, ſed alius ex amicis iurauit eum reſtitui: & ei fideicommiſſum præstari, ff. eod. l. quinta alias ſexta.

Si tibi, & poſthumo ſuo, vel alieno hæreditatem reſtituere quis rogauerit, vel ex parte te, & ex parte poſthumum hæredem inſtituiſſet legatumve, vel fideicommiſſum dediſſet. Vtrum ita poſthumus partem faciat ſi natus ſit, an & ſi natus non ſit: quæritur. Et ſi quidem poſthumus natus non eſt, minime partem faciet: ſed totum ad te pertinebit, quaſi ab initio tibi ſolido relicto ſin autem natus fuerit vterque accipiet, quantum cuique relictum eſt: vt vno nato pars tibi dimidia debeatur, duobus natis tertia tibi debeatur tribus natis, quia trigemini quoque naſcuntur, quarta debeatur. Nam Serapias Alexandrina mulier à Diuo Hadriano producta eſt, cum quinque liberis, quos vno fætu enixa eſt: ſed tamen quod vltra tres naſcitur ferè portentoſum videtur, ff. eo. l. quidem quinta. §. fi. cum l. ſexta, & ſeptima, l. vtrum, in prin.

Quædam ſunt in quibus res dubia eſt: ſed ex poſt facto retroducitur, vt apparet, quid actum eſt, vt ecce ſi res legata fuerit, & deliberante legatario eam rem hæres alii tradiderit: nam ſiquidem voluerit legatarius habere legatum, traditio nulla eſt, ſi vero repudiauerit valet. Tantumdem eſt, & ſi pecuniam hæreditariam legatam crediderit hæres, nam ſi quidem non repudiauerit legatarius, alienam pecuniam credidit: ſi vero repudiauerit, ſuam pecuniam credidiſſe videtur. Quid ergo ſi conſumpta fuerit pecunia? vtique idem erit ex euentu dicendum, ff. eod. l. quædam xvi.

Si cognatis legatum ſit, & hi cognati quidem eſſe deſierint, in ciuitate autem maneant: dicendum deberi legatum: cognati enim teſtamenti facti tempore fuerunt certè ſi quis teſtamenti facti tempore cognatus non fuit, mortis tempore factus eſt per adrogationem: facilius legatum conſequitur, ſi quis cognationi leget, idem eſt, atque ſi cognatus legaſſet. ff. eo. l. ſi cognatis xix.

Cùm teſtamento ambiguè, aut etiam perperam ſcriptum eſt: benigne interpretari, & ſecundum id, quod credibile eſt cogitatum, credendum eſt, ff. eo. l. cum in teſtamento xxv.

Finis libri Quarti.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis iis,quibus à iure Canonico,Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione,contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE-GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Quintus.

DE ANNVIS LEGATIS.

Titulus I.

CVM in annos singulos quid legatum sit neque adscriptum quo loco detur : quocunque loco petatur dari debet sicuti ex stipulatu,aut nomine facto peteretur. ff. de annuis legatis,l.prima.

Si in singulos annos alicui legatum sit plura legata sunt,& primi anni purum sequentium conditionale;videtur enim hâc conditionem in esse. SI VIVAT, & ideo mortuo eo ad hæredem legatum non transibit,ff.eod. l. quarta.

Cùm in annos singulos legatur: Plura legata esse placuit & per singula legata ius capiendi inspicitur.ff.eo.l.cum in annos,xi.

In singulos annos legatum relictum,simile est vsufructus cum morte finiatur : sanè capitis diminutione non finitur cùm vsusfructus finiatur : illud certe amplius est in hoc legato,quod in ingressu cuiuslibet anni si decesserit legatarius eius anni legatum hæredi suo relinquit,quod in vsufructu non ita est: cùm fructuarius, etiam si maturis fructibus, nondum tamen perceptis decesserit, eos fructus hæredi suo non relinquet,ff.de annuis lega.l. in singulos.viii. in princ. & §.finali,xxii.

Legatum in annos singulos vel menses singulos relictum vel si habitatio legetur, morte quidem legatarii legatum interciditur: capitis diminutione tamen interueniente perseuerat.Videlicet quia tale legatum in facto potius, quàm in iure consistit,ff.de capitis dimin.l.penul.

A VOBIS QVOQVE CAETERI HAEREDES PETO, VT VXORI MEAE PRAESTETIS QVO AD VIVERET, ANNVOS DECEM AVREOS, vxor superuixit marito annis quinque & quatuor mensibus: hæredes eius integri sexti anni legatum debebunt,ff.eod.l. à vobis, quinta.

FILIAE MEAE QVOTIESCVNQVE, VIDVA ERIT, IN ANNOS SINGVLOS CENTVM HAERES MEVS DATO, si filia minus annuo tempore vidua fuisset, ei tamen centum debentur,ff.eo.l.filiæ,xxii.

In

In annos singulos hæres damnatus sinere me fundo frui si initio anni, quo colere deberem, moram fecerit : licet postea patiatur, quia cultura sim exclusus, tamen totius anni nomine mihi tenebitur. ff. eod. l. secunda.

Si legatum sit relictum annua bima trimadie triginta forte : dena per singulos debentur annos licet non fuerit adiectũ AEQVIS PENSIONIBVS. proinde & si adiectũ fuerit PENSIONIBVS, licet non sit insertum. AEQVIS: item si scriptum fuerit AEQVIS licet non sit adiectum PENSIONIBVS: dicendum erit æquas fieri. Sed si adiectum PENSIONIBVS INAEQVIS, inæquales debebuntur, & illi debentur (nisi specialiter testator electionem hæredi dederit) quas vir bonus fuerit arbitratus vt pro facultatibus defuncti & depositione patrimonii debeantur. Sed & si fuerit adiectum. VIRI BONI ARBITRATV, hoc sequemur, vt pro positione patrimonii sine vexatione, & incommodo hæredis fiat, QVOD si ita PENSIONIBVS, QVAE PVTAVERIT LEGATARIVS, non totum simul petendum est sicut, & in hæredis electione, fieri enim pensiones debere testator voluit, quantitates duntaxat pensionum in arbitrio hæredis, aut legatarii contulit. Sed si ita sit legatũ HAERES MEVS TITIO DECEM TRIMADIE DATO. hoc legatum sic accipiendum est, quasi pater familias de annua bima Trimadie sensisse proponatur, ff. de annuis legatis l. tertia in princ.

Si quis in testamento ita scripsit LIBERI MEI IBI SVNTO VBI EOS MATER SVA ESSE VELLET nullam obligationem parit, sed ad auctoritatem defuncti conseruandam id pertinebit, vt vbi iusserit, ibi sint. Nec tamen semper voluntas eius aut iussum conseruari debet. Veluti si prætor doctus sit, non expedire pupillum eo morari, vbi pater iusserit, propter vitium, quod pater forte ignorauit in eis personis esse, apud quas morari iussit. Si autem pro cibariis eorum in annos singulos aurei decem relicti sint: siue hoc sermone significantur apud quos morari mater pupillos voluerit; siue ita acceperimus hunc sermonem, ut ipsis filiis id legatum debeatur, vtile erit: & magis enim est, vt prouidentia, filiorum suorum hoc fecisse videatur, & in omnibus, vbi auctoritas sola testatoris est, neque omnimodo spernenda, neque omnimodo obseruanda est, sed interuentu iudicis hæc omnia debent, si non ad turpẽ causam feruntur, ad effectum perduci. ff. de annu. leg. l. Quintus, vii. §. itaque hæc Quinti Mutii.

Quamuis verbis his QVO AD CVM CLAVDIO IVSTO MORATI ESSENT alimenta & vestiaria legata sint, tamen hanc fuisse defuncti cogitationem interpretatur, vt & post mortem Iusti Claudii eadem legatarius præstari voluerit. C. de leg. l. prima.

Fundus, quem paterfamilias amico legatorum nomine, quæ in annos singulos reliquit: pignori esse voluit ex causa fideicommissi rei seruanda gratia recte petetur & hoc admittendum est & in aliis rebus hæreditariis, vt in eas legatarius mittatur, ff. eod. l. fundus, ix.

SEIO AMICO FIDELISSIMO, SI VOLVERIT, SICVT MEIS NEGOTIIS INTERVENIEBAT, EODEM MODO FILIORVM MEORVM INTERVENIRE: ANNVOS SENOS AVREOS ET HABITATIONEM, QVA VTITVR, PRAESTARI VOLO. non ideo minus annua seio pro parte hæreditaria viuentis filiæ deberi placuit, quòd ex tribus filiis Titiæ duo aliis hæredibus institutis vita decesserunt: Cùm tam labor, quàm pecunia diuisionem recipiat, ff. de annu. leg. l. seio. x. in principio.

MEDICO

MEDICO SEMPRONIO, QVAE VIVA PRAESTABAM, DARI VOLO, ea videntur relicta, quæ certam formam erogationis annuæ, non incertam liberalitatis voluntatem habuerunt, d.l. Quintus, §. medico.

VXORI PRAETER ID QVOD A ME VIVO ANNVI NOMINE ACCIPIEBAT, AVREOS CENTVM DARI VOLO, annuum videtur, & semel centum aureos reliquisse, d.l. Quintus §. vxori.

Si cui annuum fuerit relictum sine adiectione summæ verius est, quod testator præstare solitus fuit, id relictum videri sin minus ex dignitate personæ statui oportet, ff. de annuis legatis. l. si cui, xiiii.

Legatum ita est, ATTIAE DONEC NVBAT, QVINQVAGINTA DAMNAS ESTO: neque adscriptum est in ANNOS SINGVLOS rectè dicetur id legatum in annos singulos deberi, ff. eod. l. legatum, xvii. in prin.

VINI FALERNI, QVOD DOMI NASCERETVR, QVOTANNIS IN ANNOS SINGVLOS BINOS CVLEOS HAERES MEVS ATTIO DATO, etiam pro eo anno, quo nihil vini natum esset debentur duo culei, si modo ex vindemia cæterorum annorum dari possint, d.l. legatum, xvii. §. vini.

QVI Marco homini docto certa annua præstabat testamento cauit. DOMINA SCIO TE DE AMICIS MEIS CVRATVRAM, NE QVID HIS DESIT: VERVNTAMEN ET MARCO DARI OCTINGENTA quæsitum est, an Marcus præstitis sibi ex causa legati octingentis, annua quoque consequi debeat responsum est nihil proponi, cur non debeantur, ff. eod. l. Titia, xix. §. qui Marco.

LVCIO TITIO AVRI PONDO TRIA, QVAE VIVA PRAESTABAM. cum testatrix quadraginta Titio quoad viueret, salarii nomine certam summam, & amplius festorum dierum nomine certum pondus argenti, aut pro eo pretium præstiterit, eadem ex causa legati ab hæredibus eius Titio præstari debent, d.l. Titia, xix. §. Lucio Titio.

ANNVA his verbis legauit, SI MORENTVR CVM MATRE MEA, QVAM HAEREDEM EX PARTE INSTITVI. mortua matre conditio adposita non defecisse videtur: ac per hoc vestiaria, atque cibaria his debentur, ff. de annuis leg. l. annua, xx. in princ.

Philoni ita legauit. PRAESTARI VOLO PHILONI, VSQVE DVM VIVET, QVINQVAGESIMAM OMNIS REDITVS, QVAE PRAEDIIS A COLONIS, VEL EMPTORIBVS FRVCTVS, EX CONSVETVDINE DOMVS MEAE PRAESTATVR. hæredes prædia vendiderunt ex quorum reditu quinquagesima relicta est. Pretii interesse, quod ex consuetudine in prouincia præstaretur debetur. nam reditus duntaxat quinquagesimum legatum est, licet prædia vendita sint, ff. de ann. leg. l. liberto, xxi. in principio.

Lucius Titius testamento patriæ suæ ciuitati Sebastenorum centum legauerat, vt annis alternis ex lucro percepto ex dictis centum certamina, sub nomine ipsius celebrarentur, & adiecit hæc verba, QVOD SI CONDITIONE SVPRASCRIPTA RECIPERE LEGATAM SIBI PECVNIAM CIVITAS SEBASTENORVM NOLVERIT, NVLLO MODO HAEREDES MEOS OBLIGATOS EI ESSE VOLO. SED HABERE SIBI PECVNIAM. Postea præses prouinciæ ex nominibus debitorum hæreditariorū elegit idonea nomina, & in causam legati Reipublicæ adiudicauit. Post cuius SENTENTIAM respublica à plerisque adiudicatis sibi pecunias percepit:

cepit: Si respublica conditionibus testamento adscriptis non paruerit, compelletur parere voluntati testatoris: ac nisi faciat in his quidem summis, quæ per numerationem, vel nominatim solutę sunt vtili repetitione hæredes adiuuabuntur: ab his vero nominibus quæ neque soluerunt reipublicæ, neque nouatione abscesserunt à pristina obligatione non prohibendi sunt, quo minus debitum petant, ff. de ann. leg. l. liberto, xxi. §. Lucius Titius.

Pater duos filios æquis ex partibus instituit hæredes, maiorem, & minorem, qui etiam impubes erat: & in partem eius certa prædia reliquit, & cum quatuordecim annos impleuerit, certam pecuniam ei legauit, idque fratris eius fideicommisit, à quo petit in hæc verba. A TE PETO SEI, VT AB ANNIS DVODECIM AETATIS AD STVDIA LIBERALIA FRATRIS TVI INFERAS MATRI EIVS ANNVA TOT VSQVE AD ANNOS QVATVORDECIM. EO AMPLIVS TRIBVTA FRATRIS TVI PRO CENSV EIVS DEPENDAS, DONEC BONA RESTITVAS. ET AD TE REDITVS ILLORVM PRAEDIORVM PERTINEANT, QVOAD PERVENIAT FRATER TVVS AD ANNOS QVATVORDECIM: defuncto maiore fratre, alio hærede relicto intelligitur testatorem, quasi cum tutore locutum, vt tempore quo tutela restituenda esset, hæc quæ pro annuis præstari iussisset, percipiendisque fructibus, finiantur. sed cum maior frater morte præuentus sit, omnia quæ relicta sunt ad pupillum, & tutores eius confestim post mortem fratris transiit, ff. de annu. lega. l. liberto, xxi. §. Pater duos filios.

Cùm quidam decurionibus diuisiones dari voluisset die natalis sui: Diui Seuerus, & Antoninus rescripserunt, non esse verisimile, testatorem de vno anno sensisse. sed de perpetuo legato, ff. eod. l. cum quidam, xxiii.

Cùm erat certa pecunia, idest centum reipublicæ Sardianorum relicta per quadriennium certaminis Chrysantiani: Diui Seuerus, & Antoninus rescripserunt, videri perpetuam pensitationem reliquisse testatorem per quadrienniũ, non in primum quadriennium, ff. eod. l. cùm erat, xxiiii.

Filiofamiliàs quoad in patris potestate est, in annos singulos dena dari possunt, ff. eo. l. finali.

In annalibus legatis, vel fideicommissis, quæ testator nõ solum certè personæ, sed & eius hæredibus præstari voluit eorum exactionem omnibus hæredibus, & eorum hæredum hæredibus seruari, pro voluntate testatoris præcipitur. C. de legatis, l. in annalibus, xxii.

DE VSV, ET VSVFRVCTV, ET REDITV: ET HABITAtione per legatum, vel fideicommissum datis.

Titulus II.

NEC vsus, nec vsusfructus, itineris, actus, viæ, aquæve ductus legari potest, quia seruitus seruitutis esse non potest, nec erit vtilis ex senatusconsulto, quo cauetur vt omnium, quæ in bonis sint, vsusfructus legari possit, quia id neque ex bonis, neque extra bona sit, sed incerti actio erit cum hærede, vt legatario quamdiu vixerit, eundi, agendi, ducendi facultatem præstet, aut ea seruitus constituatur sub hac cautione, vt si decesserit legatarius, vel capite deminutus ex magna causa fuerit, restituatur, ff. de vsu, vsufruct. leg. l. prima.

Cùm

Cùm vsusfructus alternis annis legatur non vnum, sed plura legata sunt: aliud est in seruitute aquæ, & viæ, via enim seruitus vna est, quia natura sui habet intermissionem, ff. eod. l. cum vsusfructus, xiii.

Si pure proprietas legata erit, ea ad legatarium perueniet quam uis fructuarius hæres institutus sit. ff. eod. l. quarta.

Vsusfructus cùm moriar inutiliter legatur, quia & constitutus vsusfructus morte intercidere solet, ff. eo. l. quinta.

Si vsumfructum habeam eumque legauerim nisi postea proprietatem eius natus sim inutile legatum est, ff. de legat. i. l. quod ni rerum xxiiii. §. si vsumfructum.

Si vsusfructus mihi in biennium continuum à morte testatoris legatus sit, & per hæredem steterit, quo minus eum mihi daret: præterito biennio nihilominus tenetur quemadmodum teneretur, si res legata in rerum natura esse desiisset, quam, quis deberet, moratusque esset in ea danda, vt peti quidem iam vsusfructus, qui legatus sit, non possit, quia alius futurus sit, quam qui legatus fuerit, sed æstimatio eius bima dumtaxat facienda, sit. ff. de vsufructu lega. l. si vsusfructus, vi.

Licet testatori repetere legatum usufructus, vt post capitis deminutionem debeatur, tunc tamen hoc locum habet cum in annos singulos relegetur. ff. eod. l. licet. xxiii.

Nam, & usufructus ita legari potest. TITIO VSVMFRVCTVM FVNDI LEGO: ET QVOTIENSQVE CAPITE MINVTVS ERIT, EVNDEM VSVMFRVCTVM EI DO. ff. de ann. leg. l. in singulos. viii. §. sed & usufructus.

Si usufructus municipibus legatus erit: quæritur quousque in eo usufructu tuendi sint. nam si quis eos perpetuo tuetur, nulla utilitas erit nudæ proprietatis, semper abscendente usufructu, unde centum annos obseruandos esse constat: qui finis vitæ longissimus esset, ff. eod. l. si usufructus, viii.

Si Titio fundum. & eiusdem fundi usufructus legatus fuerit: erit in potestate eius, fundum, an usumfructum uindicare malit. Et si fundum elegerit, necessario plenam proprietatem habebit, licet usumfructum à se repulerit, si uerò vsumfructum habere maluerit, & proprietatem fundi repulerit: solum usumfructum habebit, ff. de usu, & usufruc. leg l. si Titio, x.

Cui usufructus legatus esset, donec ei totius dotis satisfieret: cum ei hæres pro sua parte satisdedisset, quatenus reliqui satis non darent tamen pro ea parte usumfructum fundi desinit habere mulier. Idem fieret, & si per mulierem mora fieret, quominus satis acciperet, ff. de usufructu lega. l. cui xxx. in princ.

Filios hęredes instituit, vxori uestem muliebrem lanam linum, & alias res legauerat, & adiecit PROPRIETATEM AVTEM EORVM, QVAE SVPRASCRIPTA SVNT REVERTI VOLO AD FILIAS MEAS QVAEVE EX HIS TVNC VIVENT, non usufructus, sed proprietas legata uidetur, ff. eod. l. filios, xxxix.

Qui duos fundos habebat unum legauit: alterius fundi vsumfructum alii legauit si fructuarius ad fundum aliunde uiam non habeat, quam per illum fundum, qui legatus est fructuario, seruitus debebitur: quemadmodum si in hæreditate esset fundus, per quem fructuario potest præstari uia, secundum uoluntatem defuncti uidetur id exigere ab hærede: ita & in hac specie non aliter concedendum est legatario fundum uindicare, nisi prius ius transeundi usufructuario præstet, vt hæc forma in agris seruetur, quæ viuo testatore obtinuerit: siue

donec

donec usufructus permanet, siue dum ad suam proprietatem redierit, ff. eod. l. damnas, xv. §. qui duos fundos.

Si alii fundum, alii usumfructum eiusdem fundi testator legauerit: si eo proposito fecit, ut alter nudam proprietatem haberet, errore labitur. nam detracto usufructu, proprietatem eum legare oportet, eo modo, TITIO FVNDVM DETRACTO VSVFRVCTV LEGO, vel SEIO EIVSDEM FVNDI VSVM FRVCTVM HAERES DATO quod nisi fecerit: vsusfructus inter eos cõicabit: qa interdum plus ualet scriptura q̃ peractum sit, ff. eo. l. si alii fundum, xix.

Sempronius Attalus fundum in Italia Caio post decennium detracto usufructu dari iussit, quæritur cum medio hoc decennii spacio hæres uita functus sit: an post tempus decennii plenus fundus ad legatarium pertineat, & dubitatio est, quia dies legati siue fideicommissi cesserit, ac per hoc, & ad hæredem legatarii pertinere potuerit: & ideo quasi circa debitum iam legatum mortuo hærede usus fructus extinctus sit, nec ad hæredem hæredis pertinere possit: responsum est dies quidem fideicommissi, uel legati cedit statim, cùm post tempus certũ hæres dare rogatur, siue iubetur, sed usus fructus nondum est hæredis, nisi cùm dominium deducto usufructu præstitit. & ideo capitis diminutione, uel morte perire non potest, quod nondum habuit. Idem euenit, si proprietas deducto usufructu sub conditione legata sit, & pendente conditione hæres decesserit. Tunc enim ab hæredis hærede incipit usus fructus qui ex persona eius finietur, sed his casibus de sententia testatoris quærendum est, qui utique de eo usufructu detrahendo sensit, qui coniunctus esset hæredis personæ, quo extinto, solã proprietatem ad legatarium uoluit pertinere, nec plus transmitti ad successorem suum, qui nondum habere cæpit usumfructum, quàm si iam habere cæpisset, ff. de usu, & usufr. leg l. Sempronius, xxvi. in prin.

Si fundus duobus: alii usus fructus legatus sit: non trientes in usumfructum, sed semisses constituuntur idemq; est, ex contrario, si duo sint fructuarii, & alii proprietas legata est, & inter eos tñ adcrescendi ius est, d. l. sempronius, §. finali.

Fundo legato, si usus fructus alienus sit nihilominus petendus est ab hærede: usus fructus. n. & si in iure non in partẽ consistat, emolumentum tamen rei cõtinet: enimuero fundo relicto, & ob reliquas præstationes, quæ legatum consequunt̃, agetur. v. g. si fundus mihi pignori datus, vel aliena possessio sit non idem placuit de cæteris seruitutibus, si autem res mea mihi legetur, præter istas causas legatum non valebit, ff. de legat. ii. l. Mæuius, lxvi. §. fundo.

Is, qui fundum tecum communem habebat vsumfructum fundi vxori legauerat: Post mortem eius tecum hæres arbitrum communi diuidundo petierat: si arbiter certis regionibus fundum diuisisset: eius partis, quæ tibi obtigisset vsumfructum mulieri nulla ex parte deberi, sed eius, quæ hæredi obtigisset totius vsumfructum casu habituram falso adiudicauit, nam cùm ante arbitrum communi diuidundo coniunctus pro indiuiso ex parte dimidia totius fundi vsusfructus mulieris fuerit, non potuit arbiter inter alios iudicando, alterius ius mutare, ff. de vsu, & vsufr. leg. l. is qui fundum, xxxi.

Generali capite proposito quidã testamento suo ita adiecit: FOELICI VSVMFRVCTVM FVNDI VESTIGIANI LEGO: CVIVS PROPRIETATEM PVTO TE CONSECVTVRVM, SI NON CONTENDERIS CVM HAEREDE MEO, SED POTIVS CONCORDAVERIS, SED ET TV HAERES OMNIA FAC, VT AMICI SITIS. HOC ENIM VOBIS EXPEDIT. viuente hærede Fœlix proprietatem fundi exigere non poteris

ff.eodem,l.generali,xxxii. in principio.

Filios ex Seio: & filiam alio marito hæredes instituit æquis portionibus, & matri ita legauerat. AELIAE MATRI MEAE DARI VOLO QVOAD VIVAT VSVMFRVCTVM BONORVM MEORVM, ITA VT POST OBITVM EIVS AD LIBEROS MEOS, AVT AD EVM, QVI EX HIS VIVET, PERTINEAT: filii post aditam hæreditatem decesserant: mortua matre superstite filia testatoris vsusfructus ad eos redibit, apud quos proprietas esset,& non creditur ipsum vsumfructum in vicem portionum hære ditariarum post mortem auiæ inter ipsos datum: eo magis,quod æquis portionibus hæredes scripti erant,d.l.generali,xxxii.§.filios.

Vxori vsumfructum domus,& omnium rerum,quæ in ea domo erant, excepto argento,legauerat,item vsumfructum fundorum,& Salinarum, quæsitum est, an lanæ cuiusque coloris mercis causa paratæ,item purpuræ, quæ in domo erant, vsusfructus ei deberetur: & responsum est excepto argento, & his, quæ mercis causa comparatæ sunt: cæterorum rerum vsumfructum legatariam habere, ff. eo.& d.l.generali,xxxii.§.vxori.

Cùm in salinis, quarum vsusfructus legatus esset, salis inuentus sit non minimus modus: ad vxorem vsusfructus non pertinebit,quia testator in his legãdis,quæ venalia ibi essent: non sensit,d.l.generali,§.idem quæsiit.

Cùm testator ita cauerit. A TE PETO VXOR VTI EX VSVFRVCTV, QVEM TIBI PRAESTARI VOLO IN ANNVM QVINTVMDECIMVM, CONTENTA SIS ANNVIS QVADRINGENTIS: QVOD AMPLIVS FVERIT, RATIONIBVS HAREDIS HAEREDVMVE MEORVM INFERATVR. vr̃ à superiore capite recessum: ideoque vxor non amplius habebit ex vsufructu q̃ annuos quadringẽtos,d.l.gñrali.xxxii.§.idẽ q̃sitũ.

Hæres in fundo cuius vsusfructus legatus esset,villam imposuit: eam inuito fructuario demolire non potest: nihilo magis quàm si quam arborem posuisset,ex fundo is euellere vellet,sed si antequam vsufructuarius prohibuerit: demolierit impune facturum,ff.de vsu,& vsufr.leg.l.hæres,xii.

Lucius Titius testamento suo Publio Mæuio fundum Tusculanum reliquit, eiusque fideicommisit, vti eiusdem fundi partem dimidiam vsusfructus Titiæ præstaret. Publius Mæuius uillam uetustate corruptam,cogendis, & conseruandis fructibus necessariam ædificauit.quæro,an sumptus partem pro portione vsusfructus Titia adgnoscere debeat: respondit Scæuola, si priusquam usumfructũ præstaret,necessario ædificauit: non alias cogendum restituere, quàm eius sumptus ratio habeatur,ff.eo.l.generali,xxxii.§.Lucius Titius.

Duas filias,& filiũ mente captum hæredes scripsit, filiæ portionis mente captę datæ usumfructũ legauit,in his uerbis HOC AMPLIVS PVBLIA CLEMENTIANA PRAECIPIET SIBI QVARTAE PARTIS HAEREDITATIS MEAE, EX QVA IVLIVM IVSTVM FILIVM MEVM HAEREDEM INSTITVI: PETOQ. A TE PVBLIA CLEMENTIANA, VTI FRATREM TVVM IVLIVM IVSTVM ALAS, TVEARIS, DEPENDAS Q. PRO EO, PRO QVO TIBI VSVMFRVCTVM PORTIONIS EIVS RELIQVI, DONEC MENTIS COMPOS FIAT, ET CONVALESCAT. Cùm filius in eodẽ furore in diẽ suæ mortis perseuerans decesserit: vsusfructus perseuerat: nisi manifestissime probet̃,aliud testatorẽ sensisse,d.l.generali, xxxii. §.duas filias.

Vsumfructum tertiæ partis bonorum suorum vni ex hæredibus legauerat testator: an pecuniæ,quæ ex rebus diuisis secundum ęstimationem effecta est,tertia pars præstan-

præstanda sit, electio est hæredis aut æstimationis præstare velit, ff. eod. l. generali, xxxii. §. vsumfructum.

Tributa, quæ pro prædiis aut mouentibus debentur aut reddi necesse est præstanda sunt pro tertia parte: reliquæ pecuniæ si hæres elegerit pecuniam dare in casu supra narrato in præcedenti lege siue, §. d. l. generali. §. finali.

Si usustructus fundi legatus sit, & eidem fundo indictiones temporariæ indictæ sint; idem iuris erit in his speciebus, quod in uectigalibus pendendis responsum est, ideoque hoc onus ad fructuarium pertinet, ff. de vsu, & usufru. lega. l. quæro, xxviii.

Vxori usumfructum villæ legauit, in quinquennium à die mortis suæ: deinde hæc verba adiecit ET PRAETERITO QVINQVENNIO CVM EIVS VSVSFRVCTVS ESSE DESIERIT TVNC VSVMFRVCTVM TITIO ET MAEVIO DARI VOLO: cùm vxor intra quinquennium decesserit non statim proprietatis petitio competit, sed post complectum quinquennium fundus ad Titium, & Mæuium pertinebit, ff. eod. l. vxori, xxxv.

VXORI MEAE VSVMFRVCTVM LEGO BONORVM MEORVM, VSQVE DVM FILIA MEA ANNOS IMPLEAT OCTODECIM. prædiorum tam rusticorum, quàm urbanorum, & suppellectilis, itemque calendarii ususfructus ad uxorem pertinebit, ff. de usu, & usuf. le. l. uxori meæ, xxxvii.

Vxori usufructu bonorum legato: interesse quoque sortium, quas defunctus collocauit apud mercatorem pro honesto lucro, post implectam ex. S. C. cautionē præstabitur: igitur interesse nominum in hæreditate relictum ante cautionem interpositam debitum uelut sortes in cautionem deduci necesse est, non idem seruabitur in nominibus ab hærede factis. Tunc enim sortes duntaxat legatorum dabuntur, & quod propter moram interesse quoque reddi placuit: super his non cauebitur, ff. de vsu, & usufr. leg. l. uxori, xxiiii. in prin.

Cùm ita legatum esset FRVCTVS ANNVOS FVNDI CORNELIANI. P. MAEVIO DO LEGO: perinde accipiendum est, ac si ususfructus fundi similiter legatus esset, quia hæc mens fuisse testatoris uidetur, ff. eo. l. cum ita, xl.

Nihil interest utrum bonorum qnis an rerum tertiæ partis usumfructum legauerit: nam si bonorum vsusfructus legabitur, & æs alienum ex bonis deducetur: & quod in actionibus erit, computabitur. At si certarum rerum ususfructus legatus erit, non idem obseruabitur, ff. eod. l. finali.

In fructu id esse intelligitur, quod ad usum hominis inductum est, neque enim maturitas naturalis hic spectanda est, sed id tempus quo magis colono dominove eum fructum tollere expedit itaque cum olea immatura plus habeat redditus quàm si matura legatur: non potest videri si immatura lecta est in fructu non esse, ff. eod. l. penul.

Duos separatim uti frui sinere damnatus hæres communiter uti frui passus est, & tenetur utrique ex testamento, si testator utrunque solidum habere uoluisset: nam hæredis onus est, ut solidum singulis legatum præstet: qua parte igitur alterum uti frui sineret hæres, ea parte nō sine, alterū uti frui, Ideoq; per æstimationem unicuique, quod deest replere debet, ff. de vsu, & usufr. leg. l. duos, xiiii.

Quidam prædia reipublicę legauit de quorum reditu quotannis ludos edi uoluit & adiecit: QVAE LEGATA PETO DECVRIONES, ET ROGO, NE IN ALIAM SPECIEM AVT ALIOS VSVS CONVERTERE VELITIS, Respublica per quadrienniū continuū ludos nō edidit quæsitū est an reditus, quos quadriēnio respublica percepit. hæredibus restituere debeat, vel cō

penſare in aliam ſpeciem legati ex eodem teſtamento. Et reſponſum eſt, & inuitis hæredibus poſſeſsione adprehenſa perceptos fructus reſtituendos eſſe. Et non erogatum ſecundum defuncti voluntatem, in alia, quæ deberentur, cõpenſari, ff. eo. l. quidam, xvii.

PATRIMONII MEI REDITVM OMNIBVS ANNIS VXORI MEAE DARI VOLO: ad hæredem uxoris legatum non tranſibit, quia aut uſufructui ſimilis eſt, aut huic legato IN ANNOS SINGVLOS. ff. eod. l. patrimonii. xxii.

FVNDI TREBATIANI REDITVS VXORI MEAE QVOAD VIVAT DARI VOLO, tutor hæredis fundum vendere, & legatario quantitatem annuam offerre poteſt, quam uiuus paterfamilias ex locatione fundi exigere cõſueuerat, ff. de vſu, & uſufr. l. fundi, xxxviii. in prin.

SEMPRONIO DO LEGO EX REDITV FRVCTVVM HOLERIS ET PORRINAE, QVAE HABEO IN AGRO FARRARIORVM, PARTEM SEXTAM; his verbis non vſusfructus legatus uidetur, ſed ex eo, quod redactum eſſet partem eſſe legatam, & quotannis debetur: niſi contrarium ſpecialiter ab hærede probetur, ff. de uſufru. & quemad. quis uta. l. defuncta. lviii. §. Sempronio.

Habitationis legatum in ſingulos annos ab initio anni deberi conſtat, ff. de uſu, vſufr. & habit. leg. l. habitationis xi.

DAMNAS ESTO HAERES MEVS TITIVM SINERE IN ILLA DOMO HABITARE QVOAD VIVAT. unũ vr̃ eſſe legatũ, ff. eo. l. dãnas, xv.

SEMPRONIO EA, QVAE VIVVS PRAESTABAM, DARI VOLO. is etiam habitabat in teſtatoris domo, quæ vni ex hæredibus prælegata erat: ipſa habitatio quoque debebitur, ff. eod. l. Sempronio xxiii. in princ.

Fundi reditu legato: non erit obſtrictus hæres habitationem præſtare. ff. eo. l. fundi, xxxviii. §. item quæro.

ILLI CVM ILLO HABITATIONEM LEGO: perinde eſt, ac ſi ILLI, ET ILLI legaſſet, ff. eod. l. illi, xl.

DE SERVITVTE LEGATA.

Titulus III.

QVI duas Tabernas coniunctas habebat eas ſingulas duobus legauit: Si quid ex ſuperiore Taberna in inferiorem inædificatum eſſet, inferior oneri ferendo in ſuperioris Tabernæ loco, ſeruitus impoſita non uidetur, niſi aut nominatim hæc ſeruitus impoſita eſt: aut ita legatum datum eſt: TABERNAM MEAM VTI NVNC EST, DO LEGO. ff. de ſeruitute legata. l. prima.

Si is, qui duas ædes habebat, vnas mihi, alteras tibi legauit: & medius paries, qui vtraſque ædes diſtinguat, interuenit: eo iure ea communis nobis erit, quo ſi paries tantum duobus nobis communiter eſſet legatus, ideoque neque ego, neq; tu agere poſſumus ius non eſſe alteri, ita immiſſas habere. nam quod communiter ſocius habet, & in iure cum habere conſtitit, itaque de ea re arbiter communi diuidundo ſumendus eſt, ff. eod. l. quarta.

Pater filiæ domum legauit, eique per domum hæreditariam ius tranſeundi præſtari voluit, ſi filia domum ſuam habitet, viro quoque ius tranſeundi præſtabitur, alioquin filiæ præſtari non videbitur, quod ſi quis non vſum

transeundi

tran ſeundi perſonæ datum,ſed legatum ſeruitutis eſſe plenum intelligat: tantundem iuris ad hæredem tranſmittetur,quod hic nequaquam admittendum eſt:ne quod affectu filiæ datum eſt ,hoc & ad exteros hæredes eius tranſire uideatur,ff.eod.l.penult.

Fundum communem habentibus legari poteſt uia: & cum duo ei, qui ipſe uiam ſtipulatus fuerit,hæredes extiterint, non corrumpitur ſtipulatio, ff. eodem, l. ſecunda.

Si fundum Mæuio,& ad eum viam per alium fundum,& eundem fundum ſine uia Titio legaſſet,ſi uterque fundum uindicaſſet;ſine via fundus ceſſurus eſt, quia neque adquiri per partem ſeruitus poſſit, & ſi prius Mæuius fundum uindicaret,altero deliberãte, poteſt dubitari an ſi poſtea Titius omiſiſſet,uiæ legatum ſaluum eſſet,& hoc magis uidebatur. Quamquam ſi ſub conditione quis fundum legaſſet,uiam pure:aut pro parte fundum pure: pro parte ſub conditione, & uiam ſine conditione:ſi pendente ea legati dies ceſsiſſet, interiturum fore uiæ legatum,ut reſponſum eſt, cùm alteri ex uicinis,qui fundum communem habebant,uiam ſub conditione,alteri pure legaſſet, pendente conditione deceſsiſſet: quia alterius legatarii perſona impedimẽto eſſet, quo minus ſolidus fundus cum uia uindicaretur,ff.eod.l.tertia.

Cùm à pluribus hæredibus inſtitutis uia legata eſt,quia partem non recipit, ſinguli hæredes in ſolidum conueniuntur,quia & uno ex hæredibus adeunte uindicari poteſt,ff.eod.l.finali.

Quædam legata diuiſionem non recipiunt,ut ecce legatum uiæ,itineris, actuſve, ad nullum enim ea res pro parte poteſt pertinere.ff. ad legem Falcidiam, l. ſi is qui quadringenta,lxxi x.alias lxxx.§. quædam.

DE DOTE RELEGATA.
Titulus IIII.

CVM dos relegatur,uerum eſt id dotis legatum ineſſe, quod actione de dote inerat. Et ideo ſi inter virum,& uxorem conuenerat, ut morte uiri ſoluto matrimonio,filio communi interueniente, dos apud mariti hæredem remaneret,& maritus decedens dotem relegauerit: ſtari pacto non debet ob hoc quòd dos relegata eſt. uerum & citra relegationem hoc probari debet,nam quod eſt admiſſum, poſſe deteriorem conditionem dotis fieri interuenientibus liberis: totiens locum habet quotiens ipſa in matrimonio decedit: uel diuortium interuenit. Et uerum eſt commodum in dote relegata eſſe repræſentationis; quamuis annua die dos præſtaretur: eſt,& illud,quod ob res donatas hodie poſt ſenatuſconſultum nulla fit exactio: ſi modo uoluntatem nõ mutauit teſtator: impenſæ autem ipſo iure dotem minuant,ſed quod diximus,ipſo iure dotem impenſis minui, non ad ſingula corpora,ſed ad uniuerſitatem erit referendum, ff. de dote relegata. l.prima,in princ. *Intellige ſecundum eccleſiæ diſpoſitionem.*

Adeo autem dotis actionem continet dotis relegatio, ut ſi uiuus eam uxori, ſcilicet quibus licet caſibus ſoluerit, ceſſet legatum, ſed & ſi animalia fuerint in dote non æſtimata,& hæc demortua ſint: legatum dotis in his euaneſcit,ſed & ſi dotem promiſerit mulier,neque dederit, & decedens maritus uxori dotem plegauerit; mulier nihil amplius quã librationem habebit,nam & ſi quis ita legauerit, CENTVM,QVAE IN ARCA HABEO, aut QVAE ILLE APVD

ME DEPOSVIT: ſi nulla ſint nihil deberi conſtat, quia nulla corpora ſunt. Si quis vxori fundum Titianum his verbis legaſſet, IS ENIM FVNDVS PROPTER ILLAM AD ME PERVENIT: omnimodo debetur fundus, nam quicquid demonſtratæ rei additur ſatis demōſtrare fruſtra eſt, d.l. prima, §. adeo.

Si ſocer nurui dotem relegauit, ſi quidem ius actionis de dote voluit relegare nullius momenti legatum erit: quippe nupta eſt, ſed ſi voluit ipſam recipere dotalem pecuniam vtile legatum erit. Si tamen hæc dotem receperit: maritus dotis perſecutionē non habebit, quoniam non hoc voluit ſocer, vt bis dotē hæres præſtaret, ſi tamen hæc dotem receperit, & poſtea agat ex teſtamento cauere debet defenſum iri hæredem aduerſus maritum: Ergo & maritus itidem cauere debebit aduerſus mulierem defenſum iri, ſi prior agat, ff. eod. & d.l. prima. §. Celſus.

Per contrarium ſi ſocer filio ſuo exhęredato dotem nurus legaſſet: agi quidem cum Marito exhæredato de dote non poteſt: veruntamen ipſe dotem perſecuturus eſt, ex cauſa legati: ſed non alias is legatum conſequetur, quàm ſi cauerit hæredes aduerſus mulierem defenſum iri, ff. eo. & d.l. prima. §. per contrariū.

Si dotem Marito relegauerit ſocer, dote ſoluta mulieri, legatum mariti extinguitur, quia nihil eſſet iam quod marito poſſet præſtari, d. §. per contrarium. verſ. idem Iulianus.

Si fundus in dotem fuerit, & ſpecialiter ſit legatus, mox generaliter dos relegata, non bis, ſed ſemel fundus debebitur, d.l. prima. §. mela ſcribit.

Si fundus in dotem locatus ſit à marito ad certum tēpus: vxor non alias fundum ex relegatione conſequetur, quàm ſi cauerit, ſe paſſurum colonum frui. dummodo ipſa penſiones percipiat, d.l. prima. §. finali.

Qui ita legat vxori ſuæ TITIAE AMPLIVS QVAM DOTEM, AVREOS TOT HAERES MEVS DAMNAS ESTO DARE manifeſtum eſt quoque dotem relegaſſe, ff. eod. l. tertia.

Cùm vulgari modo dies legatornm profertur, nihil ea res ad dotis relegationem pertinet, quia ſuum diem habeat ff. de dote relegata l. quarta.

Cùm ita ſcriptum eſſet QVAE PECVNIA PROPTER VXOREM MEAM AD ME VENIT QVINQVAGINTA, TANTVNDEM PRO EA DOTE HAERES MEVS DATO. quamuis quadraginta dotis fuiſſent, tamē quinquaginta debentur: quia propoſita ſumma, quinquaginta adiecta ſint. Itē ei, quę dotem nullam habebat, vir ſic legauerat QVANTA PECVNIA DOTIS NOMINE, ET RELIQVA: PRO EA QVINQVAGINTA HAERES DATO: debetur ei legatum, quia his verbis non dos ipſa ſed pro dote pecunia legare uidetur, ff. de dote relegata, l. cum ſcriptum, vi.

VXORI MEAE FVNDVM CORNELIANVM, ET QVAE NVPTVRA OPTVLIT AESTIMATA IN SPECIEBVS RESTITVI VOLO: non æſtimatum prædium in dotem datum exceptum non videtur: ſed uniuerſa dote relegata, rerum æſtimatarum pretium non relictum eſſe verum ipſas res, quales inuenirentur, ff. eod. l. uxori, ix.

Qui dotem in pecunia numerata, & æſtimatis rebus acceperat: uxori ita legauit SEIAE VXORI MEAE, SI OMNES RES, QVAE TABVLIS DOTALIBVS CONTINEANTVR HAEREDI MEO EXHIBVERIT, ET TRADIDERIT SVMMAM DOTIS, QVAM MIHI PRO EA PATER EIVS INTVLIT DARI VOLO HOC AMPLIVS DENARIOS DE-

CEM cum res in dotē datę plures ipso vsu finitæ essent, nec moriente marito fuerint, videtur conditioni positum, si quod ex rebus in dotem datis supererat, in potestatem hæredis peruenit. ff. de dote relegata, l. qui dotem.

Si filius familias vxorem cùm haberet, dotem ab ea acceperat, deinde paterfamilias factus dotem ei, vt solet, legauit: quamuis patri hæres non erit, tamen id legatam debebitur. ff. eo. l. si filius familias. xiii.

Theopompus testamento facto duas filias, & filium partibus æquis instituit hæredes, & codicillis ita cauit. Filiam meam Crispinam, quam uellem tradi cuicunque amici mei & cognati approbabunt, prouidebit tradi Pollianus; sciens mētem meam inæqualibus portionibus in quibus & sororem eius tradidi. Pollianus autem à marito puellæ iuratus scripsit, voluisse patrem eandem quantitatem in dotem accipere etiam minorem filiam, quam maior accepisset: eadem quantitas ex communi præcipua extra partem hæreditatis, minori filiæ dotis nomine dabitur, ff. de dote relegata. l. Theopompus. xiiii.

Licet placeat pignoratas res vel in publicum obligatas hæredem, qui dare iussus est liberare debere: tamen si is, qui tales res in dotem accepit, dotem prælegauerit: non cogetur hæres liberare eas, nisi aliud specialiter testator dixerit. ff. eod. l. licet. xv.

Qui dotem à matre vxoris acceperat, & stipulanti ei promiserat, testamento vxori dotem legauit. cum quæsitum esset, an vxor dotis summam consequi posset respondit Scæuola, non videri dari vxori quod necesse sit matre reddi, alias sic respondit, non videri nisi manifeste vxor docuisset, eam testantis voluntatem fuisse, vt onerare hæredes duplici præstatione dotis vellet. ff. eo. l. qui dotem.

VXORI ita legauit, VXOR MEA QVICQVID EI COMPARAVI, ET QVOD MIHI DEDIT E MEDIO SIBI SVMMAT videtur & de dote prælegata loqui, nisi aliud testatorem sensisse probaretur. ff. eo. l. vxori si in pr.

TITIAE VXORI MEE QVANTA PECVNIA AD ME IN VESTIPVLATIONEM DOTIS EIVS NOMINE PERVENIT, QVAE DOS EST DO TALIBVS DVOBVS CONSIGNATIS INSTRVMENTIS CENTVM AVREORVM. Vtranque summam vxor consequi poterit. d. l. final. §. final.

DE OPTIONE VEL ELECTIONE LEGATA
Titulus V.

OPTIONE legata placet non posse ante aditam hæreditatem optari, & nihil agi si optetur. ff. de optione legato. l. optione. xvi.

Is, cui equorum legata sit electio tres poterit eligere, ff. eo. l. prima.

Quotiens equi electio, vel optio datur: legatarius optabit quem velit: sed equo generaliter legato, arbitrium eligendi, quem velit accipere ad legatarium pertinet, data igitur optione si quis optauerit alienū equum optio non consumitur. ff. eod. l. secunda in princip.

Cùm optio duorum equorum Titio data sit, reliqui Mæuio legati sint: cessante primo in electione reliquorum appellatione omnes ed Mæuium pertinent. ff. eod. l. cum optio. xvii.

Is, cui centum amphorarum electio data sit: acetum eligens non consumit electionem, si id acetum elegerit, quod vini numero paterfamilias non habuit, scilicet si ante exhibitionem hoc est ante degustationem acetum elegerit. ff. eod. l. secunda. §. fin. cum l. sequenti.

Scyphi

Scyphi electione data,si non omnibus scyphis exhibitis legatarius elegisset: integram si optionem manere placet,nisi ex his dumtaxat eligere uoluisset,cùm sciret,& alios esse. Nec solum si fraude hæredis sed etiam si alia qualibet causa id euenerit,ff.eod.l.quarta,& quinta.

Equorum electio legata est,ne uenditio quandoque eligente legatario interpelletur:decernere debet prætor, nisi intra tempus ab ipso præfinitum elegisset, actionem legatorum ei non competere,quid ergo si die præterito,sed antequã venderet hæres,vindicare legatarius velit audietur? quia non est damnum subiturus hæres, propter quod decernere id prætor solet. Vnde si die præterito, quem præfiniuit prætor pignori aliquos ex equis hæres dederit, vel uendiderit:prætor tuebitur alienationem,immo si quosdam equos distraxerit hæres: quosdam retinuerit,non est audiendus legatarius,si velit optare ex retentis ab hærede,ff.eo.l.sexta,cum l.sequenti.

Si tibi electio equi,& mihi reliqui legati sit: decernendum est à prætore,nisi intra certum tempus optaueris petitionem tibi non datum iri.ff.eo.l.si tibi,viii. in princ.

Emptore hæreditatis postulante,vt is,cui equi optio legata sit,optet à prætore cogetur id facere quemadmodũ si hæres institutus id postularet, ff. eo.l.si optio, xiii.§.finali.d.l.si tibi,§.si ex quatuor.

Si ex quatuor viriolis duæ,quas elegissem mihi legatæ sunt: siue duæ solæ relictæ sint. Siue ab initio duæ solæ fuerint, valet legatũ vnius equi mihi, & tibi optio data est,cùm ego optassem,si non mutassem uoluntatem, deinde tu eundem optaueris: utriusque nostrum futurus est,quòd si ante decessissem, vel furiosus factus essem: non futurum communem,quia non videor consentire, qui sentire non posim:humanius autem erit,ut & in hoc casu,quasi semel electione facta,fiat communis.

Si rerum depositatarum electio mihi relicta sit: & ad exhibendum cum eo, apud quem depositæ sint,agere potero: & cum hærede agere,vt is depositi agendo,facultatem mihi eligendi præstet.d.l.si tibi,§.finali.

Cùm ita legatur TITIO EQVVM DO LEGO SI BOVEM NON ELEGERIT, Simile est, atque si ita legatum fuisset TITIO EQVVM AVT BOVEM VTRVM EORVM VOLET, DO LEGO. ff.eodem.l.cum ita, ix. in principio.

Equo generaliter legato: verius est omnes hæredes, si eis electio data sit,eundem dare debere,& si non consentiãt hæredes ex testamento eos teneri, ff. eo.l.seruo generaliter.xii.

ILLVD, AVT ILLVD VTRVM ELEGERIT LEGATARIVS, nullo à legatario electo,decedente eo post diem legati cedentem,ad hæredem transmitti placuit,ff.de optione lega.l.illud,xix.

Cùm ita legatum est VESTIMENTA, QVAE VOLET, TRICLINARIA SVMITO, SIBIQVE HABETO, si ille dixisset.quæ vellet, deinde antequã ea sumeret,alia se velle dixisset: mutare uoluntatem is non potest, ut alia sumeret: quia omne ius legati prima testatione,qua sumere se dixisset, consumpsit, quoniam res continuo eius fit, simul ac si dixerit eam sumere,ff.eo.l.apud,xx.

Filium,& vxorem scripsit, filiam exhæredauit,& ei legatum dedit cùm in familia nuberet centum his uerbis, INSVPER ARBITRATV SEMPRONIAE MATRIS EIVS, EQVOS DECEM, QVOS CONFESTIM POST ADITAM HAEREDITATEM MEAM. A SEMPRONIA VXORE MEA

ELIGI

ELIGI VOLO QVOS EQVOS, CVM IN FAMILIAM NVPSERIT, ALIQVIS EX IIS EQVIS DECESSERIT: TVNC IN LOCVM EIVS ARBITRATV SEMPRONIAE MATRIS EIVS DARI VOLO, DVM AD EAM PLENVS NVMERVS PERVENIAT. QVOD SI SEMPRONIA MATER EIVS NON ELEGERIT: TVNC IPSA SIBI QVAE VOLET ELIGAT. Cùm mater elegerit: & legatum in tempus nuptiarum testator transtulit, id, quod medio tempore ex equis natum est, ad filiam non pertinet: sed fructus equorum ante nuptias, & vsus ad Semproniam matrem pertinebit, ff. eod. l. penult.

Maritus vxori suæ codicillis per fideicommissum dedit prædia, item lances, quas elegerit quatuor: quæsitum est, an ex his lancibus, quæ mortis tempore sint, eligere posit, & posse ait Scæuola. ff. eod. l. finali.

DE TRITICO VINO VEL OLEO LEGATO, *Titulus VI.*

VINO legato, acetum quoque continetur, quod paterfamilias vini numero habuit. ff. de triti. vino leg. l. prima.

Nam acetum vini appellatione non continetur. ff. eo. l. si quis. ix. §. si acetum.

Si acetum quis legauerit, non continebitur legato acetum, quod vini numero testator habuit, embamma autem continebitur, quia aceti numero fuit: item si quis vinum, quod habuit legauit, deinde hoc coacuit, licet postea in aceti locum translatum sit à patrefamilias vino legato cõtinebitur, quia id, quod testamenti facti tempore vinum fuit, demonstratum est. Et est hoc verum, nisi voluntas aduersetur. ff eo. l. si quis vinum. ix. §. si acetum.

Si cui vinum sit legatum, centum amphorarum, cùm nullum vinum reliquisset: vinum hæredem empturum, & præstaturum: non acetum, quod vini numero fuit. ff eod. l. secunda in princip.

Si vinum legatum sit: videamus, an cum vase debeatur: & Celsus inquit, vino legato etiam si non sit legatum cum vasis, vasa quoque legata videri: non quia pars sunt vini vasa, quemadmodum emblemata argenti, scyphorum, forte vel speculi, sed quia credibile est: mentem testantis eam esse, vt voluerit accessioni esse vino amphoras & sic, inquit, loquimur, habere nos amphoras mille, ad mẽsuram vini referentes. In doliis non est verum vt uino legato, & dolia debeantur, maximè si depressa in cella vinaria fuerint, aut ea sunt, quæ per magnitudinẽ difficile moueantur, in cupis autem, siue cupulis animaduertendum est eas deberi: nisi pari modo immobiles in agro ueluti instrumentum agri erant. vino legato vtres non debentur, ac ne cullei quidem debentur. d. l. secunda. §. si uinum alias tertia.

Vino legato ea demum uasa sequuntur, in qua ita diffusa sunt vina, vt non ad perpetuum vsum reseruantur veluti amphorę & cadi. ff. eod. l. vino. xiiii.

Vinum cum vasis legauit testator, quod in doliis sit: non debetur etiam si dolia in vasis vinariis non sunt, illud autem verum est cui uinum legatum erit, ei amphoras, cados, in quibus uina diffusa seruamus, legatos esse, uinum enim in amphoras, & cados hac mente diffundimus, ut in his sit, donec usus causa probetur, & scilicet id uendimus cum his amphoris, & cadis, in dolia autem alia mente cõiicimus. s. ut ex his postea vel in amphoras, & cados diffundamus, uel

vel siue ipsis doliis veneat,ff.eod.l.vinum.xv.

Qui vinum Surrentinum in urnalibus habebat diffusum is vinum legauerat in amphoris,omne illud quoque vinum quod in urnalibus fuisset legatum erit, ff.eod.l.fin.in princ.

Cui vinum hæres dare damnatus est,quod in amphoris,& Cadis diffusum est,dari debet,etiam si uasorum mentio facta non est. Item quamuis cum uasis cadis legatum est.tamen id quoque quod in doliis,legatum esse videtur.ff.eodem.l. cui uinum.vi.

Cùm certus numerus amphorarum uini legatus esset, ex eo, quod in fundo Semproniano natum esset, & minus natum esset: non amplius deberi placuit, & qu asi taxationis vicem optinere hæc uerba QVOD NATVM ERIT .ff. eodem l.v.

Si quis uinum legauerit omne continetur,quod ex uinea natum permansit,sed si mulsum sit factum,uini appellatione non continebitur proprie,nisi forte pater familias etiam de hoc sensit,certe Zithum , quod in quibusdam prouinciis ex tritico uel ex hordeo vel ex pane conficitur: non continebitur: simili modo nec Camum nec Ceruesia continebitur,nec hydromeli,quia Conditum est,nō debetur: nisi alia mens testatoris fuit, oenomeli plane,id est dulcissimum vinum continebitur, & passum.nisi contraria sit mens , continebirur. defructum non continebitur,quod potius conditurae loco fuit acinaticium planè uino continebitur. Cydoneum,& si qua alia sunt,quę non ex uinea fiunt,uini appellatione non continebuntur,hæc omnia ita demum uini nomine non continentur, si modo uini numero à testatore non sunt,habita alioquin omnia vini appellatione continentur , quę uini numero paterfamilias habuit igitur & acetum, quod vini numero paterfamilias habuit,& Zythum,& Camum , & Cætera,quæ pro hominum affectione:atq; vsu vini numero habebuntur: Quod si totum uinum, quod paterfamilias habuit, coacuerit, non extinguitur legatum. ff.de trit. vino,legat.l.si quis vinum viiii.in princip.

Vino paterno legato: id dem um legatum videtur,quod restator uini numero habuit,non quod patet.d.l.si quis uinum.§.uino autem paterno.

Quidam hæredem damnauerat dare vxori suæ uinum,oleum frumētum,acetum, mela,salsamenta:omne quantum paterfamilias relinquisset legatum uidetur. ff.eodem.l.quidam.vii.in princip.

LVTIO TITIO TRITICI MODIOS CENTVM, QVI SINGVLI PONDO CENTVM PENDEANT HAERES DATO, nihil legatum erit, quoniam huiusmodi triticum in rerum natura non esset d.l.quidam.§.fi.

Si hæres damnatus sit dare uinum,quod in doliis esset, & per legatarium stetit, quo minus accipiat : periculosè hæres facturus est si id vinum effundet , sed legatarium petentem vinum ab hærede doli mali exceptione placuit summoueri,si non præstet id,quod propter moram eius damnum passus sit.ff. de trit. uino leg.l.si hæres.viii.

Ex vsu testatoris legatum æstimabitur, id est, quot,annornm vino pro vetere utebatur. Quod si non appparet vetus accipietur,quod non est nouum,si quidem, & anni prioris vinum appellatione veteris continebitur. Nam aliter obseruantibus,quis finis,aut quod initium ueteris uini sumetur.ff. eodem. l.ex usu,x. cum duabus sequentibus.

Cùm dulcia legata essent, si nihil testamento significetur,omnia hæc esse legata, mulsum,passum,defrutum,& similes potiones,item uuas,ficos,palmas,caricas

quod

quòd si ita esset legatum, VINVM AMPHORARIVM, AMINALVM, GRAECVM. ET DVLCIA OMNIA nihil inter dulcia, nisi quod potionis fuisset, legatum putat Labeo ex collatione vini Amphorarii. ff. eod. l. fi. §. fin.

DE INSTRVCTO VEL INSTRVMENTO LEGATO, Tit. VII.

INSTRVMENTO fundi ea sunt, quæ fructus quærendi, cogendi, conseruandi gratia parata sunt: quærendi veluti boues domiti, & pecora stercorandi causa parata, vasaque vtilia culturæ, quæ sunt aratra, ligones, sarculi, falces putatorię, bidētes, & si quæ similia dici possunt. Cogendi quemadmodum torcularia, corbes, falcesque messoriæ, falces fenariæ, quali vendemiatorii, exceptoriique in quibus vna cō portātur, conseruandi, quasi doliæ licet deffossa non sint, & cuppæ, quibusdam in regionibus accedunt instrumento. Si fundus saltus pastionesque habet, greges pecorum accedunt. ff. eod. l. instrumento. viii.

Siue cum instrumento fundus legatus est, siue instructus: duo legata intelligūtur. Fundo cum instrumento legato, & alienato, instrumentum non vindicabitur ex sententia defuncti. ff. de instructo vel instrum. leg. l. prima.

De grege ouium, ita distinguendum est, vt si ideo comparatus sit, vt ex eo fructus caperetur: non debeatur si vero ideo, quod nō aliter ex saltu fructus percipi poterit, cōtra erit: q̄a p̄ greges fructus ex saltu p̄cipiūt. ff. eo. l. de grege. ix.

Eadem ratio est in auibus, quæ in insulis maritimis aluntur. ff. e. l. eadem. ii.

Si reditus ex melle constat, etiam aluei apesque continentur. ff. eod. l. x.

Cum pater pluribus filiis hæredibus scriptis, duobus præceptionem bonorum auiæ præter partes hæreditarias dedisset: pro partibus cohæredum uiriles habituros legatarios placuit. Dotes prædiorum, quæ græco vocabulo ἐνοίκια appellantur cum non instructa legantur, legatario non præstantur. ff. eo. l. secunda.

Cùm quidam duos fundos iunctos haberet, & ex altero boues, cùm opus fecissent in alterum reuerterentur: vtrunq; fundum cum instrumēto legauerat, boues ei fundo cessuri sunt, vbi opus fecissent non ibi manere cōsueuissent. ff. eod. l. iii.

Si cui fundum & instrumentum eius legare uis: interest quomodo leges FVNDVM CVM INSTRVMENTO, an FVNDVM ET INSTRVMENTVM an FVNDVM INSTRVCTVM. nā inter ea legata hoc interest, qđ si fundo alienato mortuus fuerit, q̄ ita legauit ex hac scriptura FVNDVM CVM INSTRVMENTO nihil erit, & cæteris instrumentū poterit esse legatū. ff. eo. l. 5.

Nepoti legauit prædia, q̄ regione certa habuerat, vt instructa sunt, cum vino, grano Kalendario, & adiecit hęc verba. QVICQVID ERIT CVM MORIAR, IN ILLA REGIONE, ET QVIDQVID IN QVACVNQVE SPECIE ERIT IN ILLA REGIONE, ET QVOD MEVM ERIT, uiua testatrice vnus ex debitoribus condemnatus viuente testatrice satis non fecit: id, quod ex sententia iudicis debetur ad nepotem pertinebit. ff. eo. l. sexta.

Taberna cū cœnaculo Pardulę testamento legauerat cum mercibus, & instrumentis & suppellectile, quæ ibi esset, item horreum, vinarium cum vino, vasis, & instrumento, & institoribus, quos secum habere consueuerat: cum viuo testatore insula, in qua cœnaculum fuit, q̄ ei legatum erat, exusta sit, & post biēnium eodē loco cōstituta noua, & horreum, quod eidem legatū erat, à testatore venierit, vini āt venditio dilata sit, ut ex eo cōmodè veniret: Pardulæ legata in quib. uoluntas mutata esset, non debentur. ff. de instruc. vel instr. l. taberna. vii.

Si fundus non sit cum instrumento legatus, sed ita, vt instructus est fatendum est plus esse, q̄ si cum instrumento legatur: Nam omnia, quæ eo sunt collata

vt instructior esset paterfamilias instructo continebuntur. Hoc ergo legato non tantum agri instrumentum sed & proprium instrumentum suum reliquisse videtur proinde si fundus sit instructus legatus,& suppellex continebitur,quæ illic fuit usus ipsius gratia: & uestis non solum stragula, sed & qua ibi uti solebat,mensæ quoque eboreæ, uel si quæ aliæ: item uitrea,& aurum, & argẽtum, uina quoque si quæ fuerint usus ipsius causa, continebuntur, sed & si quid aliud utensilium,sed si qua eo congesserat non usus sui gratia, sed custodiæ causa: non continebuntur. Vina etiam quæ in apothecis sunt,non cedent, & hoc iure utimur, ut quæ illic paterfamilias quasi in horreo habuit, hæc non contineantur, item fructus ibi repositi, ut uenirent, uel in alium usum, quàm fundi conuerterentur instructo fundo non continentur, ff. de instr. & instr. l. quæsitum, xii. §. sed si fundus.

Prędiis instructis legatis, quamuis ex fructibus uinum,& oleum, in eodem fundo habuit tamen si id uenale fuit item ea,quæ ad tempus propter incursionem latronum tutelæ causæ in prędium translata sunt: legato nõ cedere placuit,uinum uero,quod in apothecis fuit si ideo illic habuit: & cum in prædium uenisset materfamilias eo uteretur legato cedit. C. de uerborum signifi. l. prima.

Fundo,sicut instructus est,legato siue per fideicommissum relicto,omnia quę uel ipse paterfamilias cùm ibi ageret,uel ut fundus esset instructus: non temporis causa in eo habuit relicta sunt,ea etiam: quæ tam fructuum colligendorum, quàm seruandorum,item pecora stercorandi uel pascendi causa ibi constituta,vt de his fructus capiantur, uel ut fundus sit instructus legato siue fideicommisso cedere certi iuris est. C. de uerb. signifi. l. secunda.

Instructo item fundo & bibliothecam & libros, qui illic erant, vt quoties venisset vteretur,contineri constat,sed si quasi apotheca librorum vtebatur: contra erit dicendum: & instructo fundo suppellectilem & vina legato cedere certum est: imagines autem hę sole legatę videntur,quæ in aliquo ornatu villę fuerunt d. l. quæsitum. xii. §. instructo autem fundo.

Instructis horreis legatis, etiam vina,quę ibi fuerũt,quo dominus esse instructior continentur, aliud est si horrea ibi habuit, unde instructior,uel in vrbe, vel in aliis prædiis esset. d. l. quæsitum, xii. § idem respondit.

Si quis fundum ita vt instructus est legauerit: & adiecerit cum suppellectile, vel vna aliqua re quæ nominatim expressa non erat: adiiciendo speciem, legatum non minuit,sed potius ex abundantia adiecta species est, d. l. quæsitum, xii. §. si quis fundum.

Instructis hortis filio legatis,matre argentum muliebre filiæ legauerat: etiam id argentum muliebre,quod in hortis habuit,vt ibi esset instructior ad filium pertinet. d. l. quæsitum. xii. §. finali.

Tabernæ instrumento legato,non nisi loci instrumenta sunt,vt dolia, vasa, ancones,& calices,& trullæ,quæ circa cœnam solent traiici,item vrnæ æreæ,& cõgiaria,sextaria,& similia. ff. de instruc. vel instrum. leg. l. tabernę. xiii.

Si ita testamento scriptum sit QVAE TABERNARVM EXERCENANDARVM, INSTRVENDARVM PISTRINI, CAVPONIAE CAVSA FACTA PARATA QVE SVNT, DO LEGO his verbis,& caballi,qui in pistrinis essent mercesque, quæ in his tabernis essent legatæ videntur. ff. eod. l. si ita in testamento, xv. in princ.

Vineæ & instrumento eius legato: pallos, perticas, rastros, ligones instrumenti vineę esse, uerius est, ff. de instruc. vel instrum. leg. l. villæ. xvi. §. vnica.

Picto-

Pictoris instrumento legato: ceræ, colores, similiaque horum legato cedunt. item peniculi, & cauteria, & conchæ. instrumento piscatorio Nauicellæ, quæ pisciū capiendorū causa paratæ sunt, continentur. ff. eo. l. pictoris. xvii. in prin.

In instrumento medici: sunt colyria, emplastra, & cætera eius generis. ff. eodem, l. cum de lanionis, xviii. §. in instrumento.

Cùm de lanionis instrumento quæritur: semota carne, mensas, pondera, ferramēta, & alia, quæ laniandi carnes, causa paratę sunt: item trutinas, cultros, dolabras instrumento relinquimus, ff. eod. l. cum de lanionis. xviii. in princ.

Asinam molendinariā, & molam negat Neratius instrō fundi contineri. item cacabos, & patinas instrumento fundi esse dicimus: quia sine his pulmentarium coqui non potest, nec multum refert inter cacabum, & ahenum, quod supra focum pendet. hic aqua ad potandum calefit in illis pulmentarium coquitur. quod si ahenum instrumento continetur: vrcei quoque quibus aqua in ahenum funditur, in idem genus redigūtur: ac deinceps in infinitum primis quibusq; proxima copulata procedunt: optimum ergo est non propriam verborū significationē scrutari: sed in primis quid testator demōstrare voluerit, deinde in qua ꝑsumptione sint, qui in quaq; regione cōmorantur, ead. l. §. Asinam.

Cùm fundus ita legatus esset, MAEVIO FVNDVM SEIANVM, ITA VT OPTIMVS MAXIMVSQVE EST, CVM OMNI INSTRVMENTO RVSTICO, ET VRBANO: semina deberi verius est, nisi aliud testatorem sensisse hæres probaret. idem de frumento reposito ad familiæ exhibitionem, d. l. cum de lanionis, xviii. §. item cum fundus.

Cui fundus, quęq; ibi sint, legata sunt, ei fundus & oīa, q̄ in eo solita sunt eē, quęq; ibi maiore parte anni morabantur, & qui in eū manendi cā, recipere se consueuerunt, legati videntur, at si qua consulto in fundo cōgesta contrectatave sunt, quo legatū cumularetur: ea non vr̄r legata esse. d. l. cum de lanionis. §. sabinus.

Quidam cùm ita legasset, VILLAM MEAM ITA, VT IPSE POSSEDI, CVM SVPPELLECTILE, MENSIS, QVAE IBI DEPVTABANTVR, VRBANIS ET RVSTICIS, VINIS'QVE, QVAE IN DIEM MORTIS MEAE IBI ERVNT, ET DECEM AVREIS: & quæreretur, cùm in diem mortis ibi libros, & vitreamina, & vesticulam habuerat: an ea omnia legato cederent, quoniam quædam numerasset? Scæuola respondit, specialiter expressa, legato cedere. d. l. lanionis. §. quidam.

Seiæ ex parte hæredi institutæ, si hæres erit fundos per præceptionem dederat instructos, & codicillis ita scripsit, POSTEA MIHI IN MENTEM VENIT SEIAM FVNDOS QVOS RELIQVI, ITA VT SVNT INSTRVCTI RVSTICO INSTRVMENTO SVPPELLECTILE, PECORE ET RELIQVIS COLONORVM, ET APOTHECAM HABERE VOLO: quæsitum est an etiā ea, quæ paterfamilias vsus quotidiani causa in fundo fuerunt, legato continerentur. & responsum est, testamento quidem Seiæ insuper fundum legatum fuisse, verum non amplius debetur quàm in codicillis, quos sanè post obliuionē testamentatarię scripturæ fecisset, instrī appellatione contineri se velle manifeste ostendisset, ff. de instru. vel instru. leg. l. Seiæ, xx. in princ.

Prædia vt instructa sunt cum dotibus, & reliquis colonorum & pecore omni legauit, de reliquis quis colonorum qui finita conductione interposita cautione de colonia discesserant non videri cogitatum responsum est, d. l. seiæ. xx. §. prædia.

SI MIHI MAEVIA, ET NIGIDIA FILIAE MEAE HAEREDES ERVNT: TVNC MAEVIA E MEDIO SVMITO PRAECIPITO, SIBIQ. HABETO

FVNDVS MEOS ILLVM ET ILLVM CVM CASVLIS ET CVM OMNIBVS HIS AGRIS, QVI AD CONIVNCTIONEM CVIVS QVE EORVN FVNDORVM EMPTIONE, VEL QVOLIBET ALIO CASV OBTIGERINT, ITEM CVM OMNIBVS PECORIBVS IVMENTIS CAETERISQVE VNIVERSIS SPECIEBVS, QVAE IN IISDEM FVNDIS, QVOVE EORVM, CVM MORIAR, ERVNT: VT OPTIMI MAXIMIQVE SVNT, VTIQVE EOS IN DIEM MORTIS MEAE POSSEDI, ET (VT PLENIVS DICAM) ITA VTI CLAVDVNTVR, in fundo autem vno qui prælegati sunt tabularium est, in quo sunt fundorum & variorum contractuum, instrumenta, prꝑterea & nomina debitorum. Instrumenta emptionum, item debitorum, quę in fundo prælegato permanserunt, in legato non continentur. ff. de leg. iii. l. si mihi xc. aliis xcii. in princ.

His verbis domibus legatis FIDEI HAEREDVM MEORVM COMMITTO, VTI SINANT EVM HABERE DOMVS MEAS, IN QVIBVS HABITO, NVLLO OMNINO EXCEPTO CVM OMNI INSTRVMENTO, ET REPOSITIS OMNIBVS, non videtur testator de pecunia merata, aut instrumento debitorum sensisse. ff. de legat. iii. l, si mihi. xc, alias xcii.

Vxori cui vir, omnia, quæ in domo erant ab hærede filio præstari voluit, cautiones debitorum non videntur legatæ. d. l. quæsitum. §. Papinianus.

Domo instructa responsum est suppellectilem legatam non etiam vina, quia domus uinis instructa intelligi non potest. ff. de instruc. vel instr. leg. l. si ita testamento. 15. §. domo.

Villæ instrumento legato suppellectilem non contineri verius est. ff. eod. l. villæ, xvi. in princ.

Domum instructam legauit cum omnibus adfixis instrumentum debitorum legatarius habere non poterit, ff. de instru. vel instrum. leg. l. cum de lanionis. xviii. §. finali.

CAIO SEIO ALVMNO MEO FVNDOS MEOS ILLVM ET ILLVM, ITA VT INSTRVCTI SVNT, ET DOMVM SVPERIOREM DARI VOLO: Domum instructam ita videtur dedisse: nisi is à quo peteretur, aliud testatorem sensisse manifeste doceret, ff. de instruc. vel instr. leg. l. Seię. xx. §. Caio Seio.

Instructis domibus legatis grabatus argento inaurato tectus mortis Titiæ tempore in domibus non est repertus, sed in horreis tantisper conditus: is quoque præstandus erit, si in domo esse soleret, & quo tutiore loco haberetur interim in horrea adlatus esset. Quod adiecit testator, VTI POSSEDI: hoc non significat, sicut instructa in diem mortis habuerat, idest, cum pecoribus, & instrumento rustico, d. l. seiæ, xx. §. finali.

Ex his verbis LVCIO TITIO PRAEDIA MEA ILLA CVM PRAETORIO, SICVT A' ME IN DIEM MORTIS MEAE POSSESSA SVNT. instrumentum rusticum, & omnia, quæ ibi fuerunt, quò domus fuisset instructior deberi conuenit, colonorum reliqua non debentur, ff. de leg. iii. l. prędiis. lxxxix. §. ex his verbis.

Dolia fictilia, item plumbea, quibus terra adgesta est, & in his uiridiaria posita ædium sunt, si ita illigata sunt ædibus, vt ibi perpetuò posita sint, ff. de fundo instructo. l. Dolia. xxvi. in prin.

Pater mercator qui duos filios totidem filias hæredes instruerat & legauit FILIIS

LIIS

LIIS MARIBVS DOMVM MEAM INSTRVCTAM DO LEGO, DARIQVE IVBEO, merces an contineantur, facilis iudicii voluntatis conie-ctura erit cæteris patris facultatibus examinatis. ff. eod. l. quæsitum, xii. §. sed & papianus.

TVRANNAE SORORI MEAE FVNDVM GRAECIANVM CVM STABVLO ET INSTRVMENTO RVSTICO OMNI RELINQVO. fundi appellatione etiam pascua, quæ ad eum simul cum fundo peruenerunt, & quę semper in vsibus huius possessionis habuerat legato cedent si prata fundo Gratiano ita coniunxisset, vt sub vna fundi appellatione haberentur. ff. eod. l. Seię. xx. §. Turannæ.

Cùm fundus sine instrumento legatus sit, dolia, molæ oliuariæ, & prælum, & quæcunque infixa inædificataque sunt, fundo legato continentur, nullæ autem ex his rebus quæ moueri possunt, paucis exceptis, fundi appellatione continentur. de molis tum quæri solet, cùm ita adfixæ, itave inædificatæ sunt, vt partes ædificiorum esse videantur. ff. de instruc. vel instru. leg. l. cum fundus. xxi.

Fundus, qui locatus erat, legatus est cum instrumento, instrumentum, quod colonus in eo habuit legato cedit, si testatoris fuit, aut si coloni fuit, si dominus nullum habuit. ff. eod. l. fundus. xxiiii.

Quidam cùm in fundo figlinas haberet, fundi instrumentum legauerat, sed non videntur figlinas in instrumento fundi esse. Item cum instrumentum omne legatum esset excepto pecore, ouilia legato non continentur. ff. eo. l. fundi. xxv. §. finali.

Adfini suo ita legauit. FVNDVM CORNELIANVM TITIO, ITA VT EST INSTRVCTVS CVM OMNIBVS REBVS, ET RELIQVIS COLONORVM DARI VOLO: an fructus eiusdem fundi, qui ibi in diem mortis coacti manserint fideicommisso cedent: quærendum est, an manifestè appareat defunctam fructus dari voluisse. ff. de instruc. vel instr. leg. l. prędia. xxvii. §. ad fini.

Agnato, quem hæredem ex parte scripsit, fundum per præceptionem dedit in hæc verba, PRAECIPITO, TIBIQVE HABETO FVNDVM MEVM TITIANVM, ET AGELLVM SEMPRONIANVM CVM INSTRVMENTO, ET HIS, QVAE IN EODEM ERVNT, CVM MORIAR. cùm testator aliquantum vini in eo fundo habuerit in doliis, quod uiuus totum vendiderat, & partem certam prætii pro eo acceperat: vinum, quod in doliis fuit ad agnatum ex causa præceptionis pertinebit, nisi manifeste contrariam voluntatem cohæredes adprobent: item si in eo fundo instrumenta calendaria, & numos reliquit, de numis quoque responsum est. ff. eodem. l. prædia. xxvii. §. liberto.

Ita legatum est, SEPTITIAE SORORI MEAE FVNDI PATERNI MEI SEIANI PARTEM DARI VOLO, SICVT EST, ET ALTERAM PARTEM ITA, VT IN DIEM MORTIS FVERIT præla iam, disposita parataque, vt immitterentur ædificio item instrumentum vrbanum, & rusticum ad legatarium pertinebunt: Nam hæc verba, SICVT EST, ad instructum referuntur. dicta l. prædia, xxvii. §. ita legatum est.

Fundos legauit in hæc verba, SEMPRONIO FRATRI MEO HOC AMPLIVS FVNDOS MEOS, ITA VT INSTRVCTI SVNT, CASSIANVM, NOMIANVM CVM SVIS SALICTIS,

ET SYLVIS. cum syluæ & salicta non in fundis suprascriptis sint, sed in adiectis agellis, & quos simul testator comparauit, nec sine his fundi coli possint id tantum legato cedet, quod verbis comprehendisset testator, dicta. l. prædia. § finali.

Collegio Fabrorum fundum cum syluis, quæ ei cedere solent vti optimus maximusque esset legauit: ea quæ in diem mortis ibi fuissent, idest, fęnum, pabulum, palea, item machinæ, vasa vinaria, idest, cuppæ, & dolia, quæ in cella defixa sunt: item granaria legata non erunt, ff. de lega. iii. l. Lucius. xci. aliàs xciii. § collegio.

Lucius Titius, fundum vt erat instructus, legauerat, quæsitum est, fundus instructus quemadmodum dari debeat: vtrum sicut instructus fuit mortis patrisfamilias tempore, ut quæ medio tempore adgnata, aut in fundum illata sunt, hæredis sint, an uero instructus fundus eo tempore inspici debeat, quo factum est testamentum: an vero eo tempore, quo fundus peti cœpit: vt quicquid eo tempore instrumenti deprehendatur, legatario proficiat? & responsum est ea quibus instructus sit fundus, secundum verba legati, quæ sunt in eadem causa cum dies legati cedit instrumento contineri. ff. eod. l. penul.

Si nauem cum instrumento emisti, præstari non debet tibi scapha nauis, etenim scapha nauis, non est instrumentum nauis. etenim mediocritate, non genere ab ea differt, instrumentum autem cuiusq; rei necesse est alterius generis esse, atque ea cuius sit. ff. eod. l. finali.

DE PECVLIO LEGATO,

Titulus VIII.

PEculio legato constat hęredem nomina pecularia persequi posse. ff. de peculio leg. l. quinta.

Si peculium legetur & sit in corporibus (puta fundus vel ædes) siquidem nihil sit, quod patri liberisve eius debeatur, integra corpora vindicabuntur, si vero sit, quod patri liberis, ve debeatur: diminui singula corpora pro rata debebunt, ff. eodem. l. sexta in principio.

Si fuerit legatum peculium non deducto ære alieno, verendum est, ne inutile legatum sit: quia quod adiicitur contra naturam legati sit. Sed hanc adiectionem non vitiare legatum verum est: sed nihil ei adiicere, nec enim potest crescere vindicatio peculii per hanc adiectionem plane si proponatur legatarium nactum possessionem rerum, exceptione doli aduersus hæredem vindicantem vti potest, habet enim in solidis rebus voluntatem æris alieni non deducendi. d. l. sexta. §. & si fuerit.

Cùm pater peculium filiæ suæ, quod eius esset legasset & annuum, quod ei solitus erat dare biennio non dedisset, sed in rationibus suis retulisset: filiæ quinquaginta se debere, hæc quinquaginta legato non cedunt dicta. l. sexta. §. pegasus.

Non solum autem, quod patri debetur, Peculio legato deducitur: sed & siquid hæredi debitum fuerit. dicta l. sexta. §. finali. Et si quis creditori suo adrogandum se dederit, & agetur de peculio cum adrogatore idem dicendum est, quod de hærede dicitur. ff. eodem. l. septima.

Vtrum

Vtrum autem id demum peculium accipimus, quod mortis tēpore fuit: an vero & quod postea accessit, applicamus, vel quod decessit, detrahimus? & Iulianus aliter accipiendum legatum peculii ait si ipsi filio legetur aliter si alii: nam si ipsi id tempus in legato spectandum, quo dies legati cedit, si verò extraneo: mortis tempus, sic tamen, vt incrementa ex rebus peculiaribus ad eum perueniant, vt puta foetus pecorum, quod autem ex alia re accedit: id si alii quàm ipsi filio peculium legauit, non debebitur, hoc vtrunque Iulianus secundum voluntatem testatoris scribit, cùm enim ipsi suum peculium legatur, verisimile est, eum omne augumentum ad ipsum pertinere uoluisse, cui patrimonium futurum est: cum alii non sic ut tamen si in alterius persona, & hoc eum sentisse appareat idem dicendum sit. ff. eod. l. denique. viii. §. vtrum autem.

Si peculium filio prælegare velis, ne deducatur id, quod tibi debebitur: specialiter ea, quæ in peculio erunt leganda sunt, ff. eod. l. si peculium. &c.

Ei quoque qui nihil, in peculio habet, potest peculium legari. non enim tantum præsens, sed etiam futurum peculium legari potest. ff. eod. l. si quoque. xi.

TITI FILI E MEDIO PERCIPITO, SVMITO, TIBIQVE HABETO DOMVM ILLAM, ITEM AVREOS CENTVM, alio deinde capite peculia filiis prælegauit: quæsitum est: an peculio prælegato & centum aurei & interesse eorum debeantur, cùm rationibus breuiariis in ære alieno, & sortem & interesse inter cæteros creditores complexus sit: & responsum est, si pecuniam pro honesto lucro filii nomine exercuisset, & vtilitatem, ita vt proponeretur filio adscripsisse, id quoque peculio legato deberi. ff. eod. l. fi.

DE PENV LEGATO,

Titulus IX.

QVI penum legat, quid legato complectatur videamus, & Quirinus Mutius scripsit libro secundo iuris ciuilis, penu legata, contineri, quæ esui potuiq; sunt. idem Sabinus libris ad Vitellium scribit, quæ horum (inquit) patrisfamilias, vxoris, liberorumque eius, uel familiæ, quæ circa eos esse solet: item iumentorum, quæ dominici vsus causa parata sunt. Sed Aristo notat, etiam quæ esui potuique non sunt, contineri legato, vt puta ea in quibus esse solemus, oleum fortè, garum, muriam, mel, cæteraque his similia. Idem si penus esculenta legatur nisi contraria mēs testatoris appareat. ff. de penu legato. l. tertia, in princip. Esculenta vtrum ea, quæ esse, an & ea per quæ esse solemus, legauerit, & ea quoque legato contineri credendum est: nisi contraria mens patrisfamilias doceatur, mella certè semper esculentæ penui cedere: lacertas quoque cum muria sua contineri, nec Labeo negauit. dicta. l. tertia §. esculenta.

Poculenta penu legata ea, quæ vino loco paterfamilias habuit continebuntur, suprascripta uero non continebuntur. l. tertia, §. poculenta.

Penori acetum quoque cedere nemo dubitat, nisi extinguendi ignis causa fuerit paratum. tunc enim esui potuique non fuit, dicta l. tertia. §. penori acetum.

Quod diximus VSVS SVI CAVSA PARATVM: accipiendum erit, & amicorum eius & clientium & vniuersorum, quos circa se habuit dicta. l. tertia. §. sed quod diximus.

Simili modo,& iumentorum cibaria penu continentur, ſed eorum iumentorum, quæ uſibus ipſius,& amicorum deſeruiebant. cæterum ſi qua iumenta agris deſeruiebant,vel locabuntur: legato non cedere eorum cibaria,d.l.tertia.§.ſimili modo.

Siue autem frumentum,ſiue quid leguminis in cella penuaria habui : penore legato continebitur. Sed & ordeum (ſiue familiæ,ſiue iumentorum gratia paratum) contineri Offilius ſcribit. Ligna & carbones,cæteraque,per quæ penus cõficeretur,an penore legato contineantur,quæritur,& Quirinus Mutius, & Offilius negauerunt: nou magis,quam molæ(inquiunt) continentur. Idem,& thus, & cenas contineri negauerunt. Sed Rutilius ,& ligna,& carbones,quæ non vendendi cauſa parata ſint,contineri: ait. Sextus Cæcilius etiam thus, & cereos in domeſticum uſum paratum contineri legato ſcribit,d.l.tertia,§. ſiue autem.

Seruius, & vnguentum,& chartas epiſtolares penoris eſſe ſcribit, & odores quoque. Item & chartas ad ratiunculam,vel ad λογάριον paratas d.l.tertia. §. ſextus.

Vaſa quoque penuaria quin contineantur nulla dubitatio eſt, ſed dolia non continebuntur,d.l.tertia.§. vaſa quoque.

Nec frumenti, nec leguminum thecæ, vel arculæ fortè, vel ſportæ : vel ſi qua alia ſunt,quæ horrei penuarii,vel cellæ penuariæ inſtruendæ gratia habentur , non continebuntur,ſed ea ſola continentur,ſine quibus penus haberi non rectè poteſt,d.l.tertia,§. finali.

Nam quod liquide materiæ eſt(quia per ſe eſſe non poteſt,rapit ſecum in acceſsionis locum id,ſine quo eſſe non poteſt)vaſa autem acceſsio legatæ penus non legata ſunt. Denique penu conſumpta,vaſa non debentur. Sed & ſi penus cum vaſis ſpecialiter ſit legata,vaſa non debebuntur,vel cõſumpta penu , vel adempta. Si cui,quæ in promptuario ſunt,legata fuerint: non omnis penus legata eſt, ff. eod.l.quarta,in principio.

Penu certa cum vaſis certis legata , & conſumpta ne uaſa quidem cedunt legato, exemplo peculii,ff.eod.l.ſecunda.

Inſtrumentum piſtrini item vniuerſa vaſa concinnatoria penu non continentur, ff.eod.l.penul.

Non omne,quod bibitur,in penu habetur alioquin neceſſe erit, vt & omnia medicamenta,quæ biberentur,contineantur itaque ea demum penoris ſunt , quæ alendi cauſa biberentur,quo in numero antidotum non eſt, & ſanè verè Caſsius ſentit,ſed quod quidam negauerunt,piper,& liguſticum,& carreum, & laſer,& cætera huiuſmodi in penu non eſſe improbatum eſt. ff. eod.l.quinta.

Si quis ſolitus fructus ſuos vendere penum legauerit: non omnia, quæ & promercii cauſa habuit,legaſſe videtur: ſed ea ſola,quæ in penu ſibi ſeparabat , quod ſi promiſcuè vti ſolebat: tũc quantum ad annuum,uſum ei ſufficeret, familiæque eius,cæterorumque qui circa eum ſunt, legato cedet, quod ferè (inquit Sabinus) euenit in perſonis mercatorum,aut quoties cella eſt olei,& uini, quæ ueni re ſolebant,in hæreditate relicta. Nomen autem PENVS omnibus generibus dictum eſt,ff.eod.l.quarta,§.item ſi quis.

Si ita legetur PENVS QVAE ROMAE SIT utrum, quæ eſt intra continentia,legata uidetur,an uero ea ſola,quæ intra murum ? & quidem urbes ferè omnes muro tenus finiri,Romam continentibus,& urbem Romam æquè cõtinentibus. Quod urbana penus ſit legata: omne quod ubique eſt legatum uideri, Labeo ait : & ſi in uilla ſit urbico vſui deſtinata . ſicuti vrbica miniſteria dicimus, & quæ extra urbem nobis miniſtrare conſueuerunt. Si autem extra urbem Ro-

mæ

mæ tamen ſit: ſed & ſi in hortis ſit urbi iunctis: idem erit dicendum. Si cui penus legata ſit præter vinum: omnis penus legata uidetur, excepto uino: ſed ſi ita ſit ſcriptum OMNEM PENVM PRAETER VINVM, QVOD ROMAE ERIT: ſola penus, quæ Romæ eſt legata uidetur, d. l. quarta. §. finali.

PENVM MEAM OMNEM AD MATREM PERTINERE VOLO: Si tutores pupilli eam ſolummodo penum deberi, quæ in cænaculo ſit, dicant: ſint autem & horreis amphoræ, hæ quoq; debebuntur, nam quidquid penoris eius cauſa vbique habuiſſet debetur, ff. eod. l. finali.

Vxori ſuæ in annos ſingulos penoris aliquid hæres dare iuſſus eſt: ſi non dediſſet: numos dare damnatus eſt: quæritur, an penus legata peti poſsit: an verò ſolummodo ſit in præſtatione, & ſi non præſtetur, tunc quantitas petatur? Et ſi quidem ſemel penus ſit legata, non per ſingulos annos: certo iure vtimur (vt & Marcellus notat) in præſtatione eſſe duntaxat penum, quantitatem verò, & peti poſſe, habebit igitur hæres oblationem tamdiu, quàndiu lis cum eo de pecunia conteſtetur: niſi fortè aliud tempus, vel mente, vel verbis teſtator præſtituit. quod ſi in annos ſingulos penus legata ſit: per ſingulos annos adhuc poterit præſtari. ſi minus: ſummæ per ſingulos annos peterentur, quid ergo, ſi vna ſumma legata ſit, & primò penus non ſit præſtita? vtrum tota ſumma debeatur, quaſi toto penoris legato transfuſo: an uerò quantitas primi anni æſtimationis ſola ſit translata? dubitari poteſt, ſed tamen ſic uoluntates teſtatoris ſequenda eſt, ut tota ſumma illico, poſtquam ceſſauerit, hæres dare penum uxori: præſtetur, hæredis indeuotione coercenda, ff. eod. l. prima.

DE SVPELLECTILE LEGATA.
Titulus X.

SVPELLEX eſt domeſticum patrisfamilias inſtrumentum, quod neque argento, aureove facto, uel ueſti ad numerantur id eſt res mobiles non animales, ff. de ſupelle leg. l. prima, & ſecunda.

Suppellectilis eæ res ſunt, quæ ad uſum communem patris, quæ nomen ſui generis ſeparatim non haberent, quare quæ ad artificii genus aliquod pertinerent, neque ad communem uſum patrisfamilias accommodatæ eſſent: ſupellectilis non eſſe, ſed nec pugillares codices in ſupellectile ſunt ff. eod. l. ſexta.

Labeo ait originem fuiſſe ſupellectilis, quod olim his, qui in legationem proficiſcerentur, locari ſolerent, quæ ſibi pellibus uſui forent. Tubero hoc modo demonſtrare ſupellectilem tentat; inſtrumentum quoddam patris familias rerum ad quotidianum uſum paratum, quod in aliam ſpeciem non cederet; vt (uerbi gratia) penum, argentum, ueſtem, ornamenta, inſtrumenta agri aut domus. nec mirum eſt moribus ciuitatis & uſu rerum appellationem eius mutatam eſſe. Nam fictili, aut lignea, aut uitrea, aut ærea denique ſupellectili utebantur; nunc ex ebore, atque teſtudine, & argento; iam ex auro etiam, atque gemmis ſupellectili utuntur. Quare ſpeciem potius rerum, quàm materiam intueri oportet. ff. eo. l. ſeptima. in prin.

Sed his quidem, de quibus dubitari poteſt, ſupellectilis potius, an argenti, an ueſtis ſint: Seruius fatetur ſententiam eius, qui legauit, aſpici oportere, in quàm rationem eam ſolitus ſit referre uerum ſi ea, de quibus non ambigeretur, quin in alieno genere eſſent (utputa eſcarium argentum, aut penulas, & togas) ſupel

lectili

lectili quis adſcribere ſolitus ſit; non idcirco exiſtimare oportere, ſupellectili legata, ea quoque contineri. non enim ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi vſu nomina exaudiri debere. Id Tubero parum ſibi liquere ait. nam quorſum nomina, (inquit) niſi vt demonſtrent voluntatem dicentis? Equidem non arbitror quenquam dicere, quod non ſentiret: vt maxime nomine víus ſit, quo id appellari ſolet. nam vocis miniſterio vtimur. Cæterum nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitauerit. Sed etiam ſi magnopere Tuberonis ratio, & authoritas mouet, non videri quenquam dixiſſe, qui non ſuo nomine vſus ſit. nam & ſi prior atque potior eſt, quàm vox, mens dicentis: tamen nemo ſine voce dixiſſe exiſtimatur: niſi forte eos, qui loqui non poſſunt, conatu ipſo, & ſono quodam καὶ τῇ ἀνάρθρῳ φωνῇ dicere exiſtimemus. ff. eo. l. ſeptima. §. ſed his.

Supellectile legata hæc continentur, menſæ, trapezophora, delphicæ, ſubſellia, ſcãna, lecti etiam inargẽtati, culcitræ, toralia, mappæ, villoſæ, vaſa aquaria, pelues, aquiminaria, candelabra, lucernæ, trullæ, item vaſa ænea vulgaria, id eſt, quæ non propriè eſſent loco attributa, præterea capſæ, armaria. ſed ſunt, qui rectè putant capſas & armaria (ſi librorum, aut veſtium, aut armarorum gratia parata ſint) non eſſe in ſupellectile: quia ne hæ quidem ipſæ res quibus attributæ eſſent, ſupellectilis inſtrumento cederent. ff. eo. l. tertia in princ.

Vinea eſcaria, & potoria, in ſupellectile ſunt, ſicut fictilia nec ſolum vulgaria, ſed etiam, quæ in pretio magno ſunt. Nam & pelues argenteas, & aquiminaria argentea, & menſas, & lectos inargentatos, vel inauratos atque gemmatos in ſupellectili eſſe non dubitatur: uſque adeo, vt idem iuris ſit, ſi tota argentea, vel aurea ſint. d. l. tertia. §. vitrea.

De murrhinis & chriſtallinis dubitari poteſt, an debeant adnumerari ſupellectili, propter eximium uſum, & pretium. ſed & de his idem dicendum eſt. nec intereſt, cuius materiæ ſint res, quæ ſunt in ſupellectili, nec ullum uas argenteum ſecundum ſæculi ſeueritatem, nondum admittentis ſupellectilem argenteam hodie propter imperatorum uſum, ſi in argentea relatum candelabrum ſit argenteum, argenti eſſe videtur, & error ius facit. d. l. tertia. §. finali.

Rhedæ & ſedulantia ſupellectili adnumerari ſolent. ff. eod. l. quarta.

De tapetis quæri poteſt, quibus ſubſellia & cathedraria inſterni ſolent: vtrum in ueſte ſint, ſicut ſtragula, an ſupellectile, ſicut toralia, quæ propriè ſtragulorum non ſunt? & hoc magis placuit, ea ſuppellectile contineri. de tapetis autem, uel linteis, quibus inſternantur uehicula, dubitari poteſt, an ſint in ſupellectile. ſed dicendum eſt, potius inſtrumenti uiatorii ea eſſe, ſicut pelles, quibus inuoluuntur ueſtimenta: lora quoque, quibus hæ pelles conſtringi ſolent. ff. eodem l. quinta.

Cùm quidam uxori ſuæ legauerat DOMVM CVM IVRE SVO, ET OMNI INSTRVMENTO ET SVPELLECTILE. ſi quid in ſupellectile argentum eſt debetur: eſcale autem uel potorium argentum eſt debetur: niſi hoc quoque teſtatorem cenſiſſe legatarius doceat. ff. eod. l. cùm quidam. viii.

Legata ſupellectili, cùm ſpecies ex abundanti per imperitiam enumerantur: generali legato non derogatur. ſi tamen ſpecies certi numeri demonſtratæ fuerint: modus generi datus in his ſpeciebus intelligitur. idem ſeruabitur inſtructo prædio legato, ſi quædam ſpecies certum numerum acceperint. ff. eo. l. legata. viiii. in princ.

Supellectilis menſas eſſe cuiuſcunque materiæ (ſcilicet, uel argento incluſas) placet. Nam & argenteos lectos, item argentea candelabra ſupellectili cedere, poſterior

ſterior ætas recepit.cùm & Vlyſſes auro,& argento lectum viuentis arboris trũcis ædificatum ornaſſet,quem Penelope recognoſcendi viri ſignum accepit, vt voluit Homerus.d.l.legata.§.ſupellectilis.

Supellectile omni legata,acceptum argentum pignori non continebitur: quia ſupellectilem ſuam legauit. vtique ſi non in vſu creditoris id argentum voluntate debitoris fuit,ſed repoſitum propter contractus fidem ac reſtituendæ rei vinculum.d.l.legata.§.finali.

Qui veſtem omnem, & res plurium generum ſupellectilis nomine expenſo ferre ſolitus erat: is vxori ſupellectilem legauerat.rectè negabant ueſtem legato ceſſuram, Labeo, Offilius, & Caſcellius: quia non poſſet videri veſtis ſupellectilis appellatione contineri,ff.eod.l.qui ueſtem.x.

Vaſa ænea Salienti aquæ poſita. item ſi quid aliud magis deliciarum, quàm vſus cauſa paratum eſſet: non eſſe ſupellectilis,Labeo,& Trebatius putant. Murrhea autem uaſa,& uitrea,quæ ad uſum edendi,& bibendi cauſa parata eſſent, dicũt in ſupellectile eſſe,ff.eod.l.vaſa.xi.

Vrbana penus,& ſupellex ad uſum vrbanum,non ad locum vrbanum aut peregrinum dirigenda eſt.multumque intereſt,penus & ſupellex ea,quæ in vrbe ſit, an urbana legetur,vel promittatur,ff.eod.l.quemadmodum.xii.

Nunquam ex eo,quod ſupellectilem legauit maritus teſtamento: habitationem, in qua ſupellex fuit,legaſſe uidetur. Quare contra defuncti voluntatem habitationem ſibi mulierem uindicare,proculdubio eſt.ff.eod.l. nunquam penul.

Fundo legato, inſtrumentum eius non aliter legato cedit, niſi ſpecialiter id expreſſum ſit.nam etiam domo legata,neque inſtrumentum eius, neque ſupellex, aliter legato cedit,quàm ſi idipſum ad uſum nominatim expreſſum à teſtatore fuerit.ff.eod.l.finali.

DE ALIMENTIS VEL CIBARIIS LEGATIS.

Titulus XI.

SI alimenta fuerint legata: dici poteſt etiam aquam legato ineſſe, ſi in ea regione fuerint legata,vbi venundari aqua ſolet, ff.de alimentis leg.l.prima.

Quidam agnatis ſuis, vt alimenta ita aquam quoque per fideicommiſſum reliquerat. Cum in regione Aphricæ, uel forte Aegypti ea res agi proponebatur,vbi aqua venalis eſt,dicebatur eſſe emolumentum fideicommiſsis: ſiue quis habens ciſternas id reliquerit ſiue non : vt ſit in fideicommiſſo, quanto quis ſibi eſſet, aquam comparaturus : nec uidetur inutile eſſe fideicommiſſum quaſi ſeruitute prædii non poſſeſſori vicinę poſſesſionis relicta. nam & ſi hauſtus aquæ,vt pecoris ad aquam apulſus,eſt ſeruitus perſonæ: tamen ei,qui uicinus non eſt inutiliter relinquitur.in eadem cauſa erunt ſeruitutes geſtandi,uel in tuo uuas premendi, uel aræ tuæ ad frumenta cæteraque legumina exprimenda vtendi, hæc enim aqua perſonæ relinquitur. ff.eod. l.mela, xiiii. §.quidam libertis.

Solent Iudices ex cauſa alimentorum legatarios diuidere quoties plures ſunt hæredes,ne à ſingulis hęredibus minutatim alimenta petentes diſtringãtur. quam diuiſionem perinde tueri oportet, atque ſi paterfamilias ipſe legatarios diuiſiſſet. Solent & vnum eligere per quem alimenta præſtentur, aut ex uoluntate defuncti,aut ex arbitrio ſuo,ff.eod.l.tertia,in princip.

Quia multi teſtamentis ſuis legatariis præſtare iubet neceſſaria, quæ quia minimi æris ſunt, ad nihilum perducuntur, cum plures hæredes cæperunt per ſucceſsionem exiſtere, qua de cauſa legatarii rectè facturi ſunt, ſi conuocatis teſtatoris hæredibus procuratoribuſve eorum, conſtituerint cui à cæteris dari debeat pecunia ex cuius vtilitate alimenta præſtentur: debebit autem is, qui accipiet cauere eis, qui dabunt ſe redditurum, ut quiſque ex legatariis deceſſerit aliove modo in ciuitate eſſe deſierit, tantum ex ſorte, quantum efficeret pro portione computatio, d.l. tertia, §. quia multi.

Iudex uocatis his à quibus, legatariis alimenta debentur: vel omnes ab uno, uel facta pro rata diſtributione quid, & à quibus percipi debeant, decernet: Fiſcus etiam ſi eo nomine, quid ab eo legatariis debebitur: id exemplum ſequetur. Iã nunc ſciant legatarii partes eorum, qui ſoluendo eſſe deſierint, non pertinere ad onus reliquorum hæredum, d.l. tertia, §. conſules.

Verba teſtamenti, OMNIBVS AGNATIS MEIS CIBARIA PRAESTABITIS PRO ARBITRIO VESTRO: NON IGNORANTES, QVOS EX HIS CHAROS HABVERIM. Item alio loco: PROTIMVM POLLYCHRONIVM HYPPATIVM COMMENDO, ET VT VOBISCVM SINT, ET CIBARIA PRAESTETIS PETO, omnibus cibaria debentur: non his tantum, quos commẽdauit, quorum modus uiri boni arbitrio ſtatuendus eſt, ff. eod. l. quinta.

Legatis alimentis, cibaria, & ueſtitus, & habitatio debebitur: quia ſine his ali corpus non poteſt, cætera, quæ ad diſciplinam pertinent, legato non continentur. Niſi aliud teſtatorem ſenſiſſe probetur, ff. eod. l. ſexta, & ſeptima.

Alimentis uiri boni arbitratu filiæ relictis, ab hærede ſuo pro modo legatæ dotis, quam ſolam pater exhæredare filiæ nubenti dari uoluit: atque pro incrementis ætatis ea exhibenda eſt, non pro uiribus hæreditariis, ff. eodem l. cum unus, x. §. finali.

Is, cui alimenta relicta fuerant, in metallum damnatus, indulgentia principis reſtitutus eſt, & præcedentium annorum recte alimenta capit, & ſequentium ei debentur, ff. eod. l. is cui, xi.

Si puero, uel puellæ alimenta relinquantur non uſque ad pubertatem debentur: tandiu enim debebuntur donec teſtator uoluit: aut ſi non appareat quid ſentiat: per certum tempus vitæ debebuntur, certè ſi uſque ad pubertatem alimenta relinquantur: ſi quis exemplum alimentorum, quæ dudum pueris, & puellis dabantur, uelit ſequi: ſciat Hadrianum conſtituiſſe, ut pueri uſque ad decimũ & octauum, puellæ uſque ad decimumquartum annum alantur, & hæc forma ab Hadriano data, obſeruanda eſt, ff. eod. l. mela ait, xiiii. in prin.

Si alimenta, quæ uiuus præſtabat, reliquerit: ea demum præſtabuntur, quæ mortis tempore præſtare ſolitus erat, quare & ſi fortè uarie præſtiterit: eius tamen temporis præſtatio ſpectabitur, quod proximum eius morti fuit, quid ergo, ſi cùm teſtaretur, minus præſtabat, plus mortis tempore, uel contra? ad hoc erit dicendum, eam præſtationem ſequendam, quæ nouiſsima fuit, dicta. l. mela, §. ſed ſi alimenta.

Titia decedens teſtamento ita cauit OMNIBVS AGNATIS MEIS CIBARIA ET VESTIARIA, QVAE VITA PRAESTABAM, DARI PRAESTABAM, DARI PRAESTARIQVE VOLO; cùm tribus ſolis eo tempore, quo ea uixit (ſicut ex rationibus continebatur) cibaria, & ueſtiaria præſtiterit: hæres eius non à tribus ſolis conueniri poterit: ſed omnibus erit obnoxius,

ff. eod.

ff. eodem, l. à filio, xv. §. finali.

Alimentis, & vestiariis datis, quia nominatim à Moderato vno ex hæredibus iussit testator dari, non solum Moderatus debebit, sed etiam post mortem Moderati hæredes eius tenebuntur, ff. eod. l. alimentis, xvi. in prin.

Is, qui annuos viginti aureos, & menstruum frumentum atque vinum acceptauit, cibaria item vestiaria, quæ testatrix viua præstabat, reliquit, rectè fideicommissum petiturus est, ff. eod. l. alio hærede, ix. §. eum quoque.

Quibusdam agnatis alimentorum nomine menstruos decem legauerat: deinde codicillis generaliter omnibus agnatis menstruos septem, & annuos vestiarii nomine denos legauit: ea, quæ codicillis data proponerentur prestari debent: nam ab his, quę testamento cibariorum nomine legata essent recessum est propterea, quæ codicillis relicta sunt, ff. eod. l. libertis, xviii. in prin.

Legatariis testamento: cibaria annua si cum matre morabuntur per fideicommissum dedit filius: Mater filio triennio superuixit: neque cibaria, neque uestiaria eis præstitit, cùm in petitione fideicommissi legatarii cessarent. Sed & filia post ea quàm matri hæres existit, quoad vixit annis quatuordecim de eisdem soluendis interpellata non est: Sed nihilominus legatarii post mortem filiæ à nouissimo hærede petere potuerunt, & tam præteriti temporis, quàm futuri, id, quod cibariorum nomine, & vestiarii relictum est, si modo conditio extitisset, d. l. libertis, xviii. §. manumissis.

Quamuis verba testamenti ita se habeant, vt quoad cum Claudio Iusto morati essetis, vobis alimenta, & vestiaria legata sint: tamen hanc fuisse defuncti cogitationem interpretor, vt post mortem Iusti eadem vobis præstari voluerit, ff. eod. l. Caio, xiii. §. Imperator.

Titio si cum Seio moraretur, cibaria, & uestiaria præstari voluit à Seio: deinde hæc verba adiecit A TE AVTEM SEI PETO, VT CVM AD ANNVM VICESIMVMQVINTVM PERVENERIS, MILITIAM EI COMPARES SI TAMEN TE ANTE, NON RELIQVERIT· prius defuncto Seio, quā ad annum vigesimumquintum perueniret, ab his ad quos bona Sei peruenerūt militia Titio comparabitur, non statim, sed eo tempore quo Titius vigintiquinque expleturus fuisset si superuixisset, ff. eod. l: libertis, xviii. §. ab hæredibus.

Mater filio hærede instituto Amico filii cibariorum nomine legauit quinque aureos, & vestiarii in singulos annos quinquagenos, si cum filio eius moraretur, filio eius defuncto, alimenta debebuntur etiam post mortem, si conditioni paruisset, ff. eod. l. stichus, xx. §. finali.

Pecuniæ sortem alimentis legatariorum destinatam, vnum ex hæredibus secundum uoluntatem defuncti præcipientem, cauerę non esse cogendum, ex persona deficientem partes cohæredibus restitui, placuit. ob eam igitur speciem post mortem omnium legatariorum, nec indebiti competet actio, vel vtilis dabitur. Diuersa causa est, eius, cui legatorum diuisio mandatur. nam ea res præsentem ac momentariam curam iniungit, alimentorum verò præbendorum necessitas oneribus menstruis atque annuis, uerecundiam quoque pulsantibus, adstringitur, ff. de alimentis legatis, l. pecuniæ. viii.

Alio hærede instituto, ita scripsit A TE PETO CAI SEI, QVIDQVID EX HAEREDITATE MEA REDEGERIS, ILLIS MEIS ALVMNIS DES SINGVLIS DENOS AVREOS, EANDEMQVE SVMMAM PENES TE ESSE VOLO, CVIVS EX INCREMENTO EOS ALERE TE VOLO; RELIQVVM RESTITVES NVMERIO AGNATO NOSTRO;

quamuis distrahere bona Caius Seius alio hærede scripto non possit, tamen is alumnis relictam pecuniam, vt seruet, ac restituat intra falcidiam, rectè petiturus est: quando de superfluo probari non potest, ff. eod. l. alio hærede, ix. in prin.

Cùm vnus ex hæredibus certam peceniam præcipere iussus esset de cuius sorte legata alimenta præstaret: hæredem quoque hæredis ad præceptionem admitti placuit, si tamen plures hæredes hæres haberet, intentionem quidem defuncti prima facie refragari, sed aliud probari non oportere: quid enim si cæteros hæredes suos euitauit, & quietam ac ucrecundiam, atque etiam idoneam, legatariis consulens domum sequi maluit: & ideo ab omnibus hæredibus hæredis alimenta præstabuntur, ff. eod. l. cùm unus. x.

Lucius Titius Agnatis suis cibaria, & vestiaria annua certorum numerorum reliquit: Et posteriore parte testamenti ita cauit EIS OBLIGATOS OB CAVSAM FIDEICOMMISSI FVNDOS MEOS ILLVM ET ILLVM, VT EX REDITV EORVM ALIMENTA SVPRASCRIPTA PERCIPIANT: quęsitum est. an si quanto minores reditus peruenerint, quàm est quantitas cibariorum, & vestiariorum, hæredes ad supplendum eam onerari non debeant; vel si alio anno excesserint: an supplēdum sit, quòd superiore anno minus perceperint? Paulus respondit cibaria, & uestiaria agnatis defuncti integra deberi: neque ex eo, quod postea prædia his prgnoris iure testator obligare uoluit, ut ex reditu eorum alimenta perciperent: minuisse eum, vel auxisse ea, quæ reliquerat, videri, ff. eod. l. Lucius, xii.

Caio Seio trecentos aureos legauit, ut ex utilitate eius summæ legata cibaria, & uestiaria præstaret, quæ constitueret. Codicillls autem eandem summam vetuit dari Caio Seio, sed dari Publio Mæuio, uoluit: Mæuius (nisi aliud de quo non dubitaretur, doceat sibi à testatore iniunctum) uidetur secundum uoluntatem testatoris recepisse ea onera, quæ adscripta erant ei summæ, quæ in eum codicillis transferebantur, ff. eod. l. Caio Seio, xiii. in princ.

A filio hærede codicillis Seiæ decem reliquit, & alumno his verbis MAEVIO INFANTI ALVMNO MEO QVADRIGINGENTA DARI VOLO, QVAE PETO A TE SEIA SVSCIPIAS, ET VSQVE AD VIGESIMVM AETATIS PRAESTES, EVM'QVE SVSCIPIAS, ET TVEARIS, Seia, postquam legatum suum accepit, si noluerit pecuniam alumno relictam suscipere, uel in suscipienda ea cessauerit: onera alimentorum ex die mortis testatoris compellenda erit agnoscere. Item hæres quoque Seiæ in annos uiginti alimenta præstare debebit, ff. eod. l. à filio, xv. in prin.

Basilicæ decem dedit, quam apud Epictetum esse uoluit, & cùm fuerit Basilica annorum vigintiquinque id interesse restitueretur: ita ut ex ipso interesse aleretur, prout ætatem ampliaret: Sed cum ex alio capite quo generaliter cognatis cibaria, & vestiaria, & habitationem reliquit: Basilicæ non debentur: nisi hoc quoque ei datum proponeretur: quia destinauerat alimentis eius interesse pecunię, quod specialiter ei prælegauerat, ff. eod. l. alimentis, xvi. §. Basilicæ.

Titia usumfructum fundi legauit Mæuio, eiusque fideicommisit, vt ex reditu fundi legati præstaret Pamphilæ, & Sticho annuos centenos numos quoad uiueret. Mortuo Mæuio hęres Titiæ alimenta non præstabit, sed nec ab hærede legatarii præstabuntur nisi, id testatrix manifeste probetur uoluisse etiam finito usufructu præstari: si modo id, quod ex vsufructu receptum esset, ei rei præstandæ sufficeret, ff. eod. l. stichus. xx. Ticia.

Diariis relictis, neque habitationem, neque uestiarium, neque calcearium deberi palam

palam est: quoniam de cibo tantum testator sensit, ff. eo. l. Diariis. xxi.

Cùm alimenta per fideicommissum relicta sunt non adiecta quantitate: ante omnia inspiciendum est, quæ defunctus solitus fuerat ei præstare. deinde quid cæteris eiusdem ordinis reliquerit. si neutrum apparuerit: tunc ex facultatibus defuncti, & charitate eius, cui fideicommissum datum erit, modus statui debebit, l. cum alimenta, 22. in prin.

Qui Titio, & Sempronio alimenta debebat, is testamento vineas cum hac adiectione reliquerat VT HABEANT VNDE SE PASCANT: si pro alimentis vineas reliquisset: non aliter eis ex fideicommissi causa præstari debent: quàm si testamenti obligatione hæredes liberassent: aut si id omissum fuisset, & postea ex testamento agerent doli mali exceptione tutum hæredem futurum: scilicet si non minus valent vineæ, quàm alimentorum æstimatio VT HABEANT VNDE SE PASCANT, magis ad causam prælegangandi, quàm ad vsufructum constituendum pertinet, ff. eod. l. cum alimenta, 22. §. qui fratres.

Rogatus es, VT QVEMDAM EDVCES, ad victum necessaria ei præstare cogendus es: Nec plenius est legatum alimentorum, vbi dictum est, imo ambo exæquanda sunt, & vestiarium, & habitationem continet. ff. eod. l. finali.

DE AVRO, ARGENTO, MVNDO, ORNAMENTIS, veste vel vestimentis, & statuis legatis.

Titulus XII.

CVM certum pondus argenti dare hæres iussus est: ei pecuniam numeratam dando ipso iure liberatur: si in pecunia eadem æstimatio fuerit. quid ita verum est, si non certum genus argenti legatum sit. ff. de auro argento, l. prima. §. finali.

Cùm certum auri, vel argenti pondus legatum est, si non species designata sit: non materia, sed pretium præsentis temporis præstari debet. ff. eo. l. nona.

Species auri, & argenti Seiæ legauit, & ab ea petiit in hæc verba. A TE SEIA PETO, VT QVIDQVID TIBI SPECIALITER IN AVRO ET ARGENTO LEGAVI, ID, CVM MORIERIS, REDDAS, RESTITVAS ILLI ET ILLI COGNATIS MEIS: QVARVM RERVM VSVSFRVCTVS, DVM VIVES, TIBI SVFFICIET: non vsusfructus auri, & argenti, sed proprietas legata est addito onere fideicommissi, ff. eo. l. species. xv.

Cùm aurum argentum legatum est, quidquid auri argentique relictum est, legato continetur: siue factum, siue infectum sit. pecuniam autem signatam placet eo legato non contineri. proinde si certum pondus auri sit legatum, vel argenti magis quantitas legata uidetur, nec ex uasis tanget. sed si argenti facti pondo centum sint legata: ex facto argento debebitur legatum: vnde vascula non separabuntur licet ei optio fuerit relicta. ff. eod. l. cum aurum. xix.

Cùm centum pondo fuerint relicta replumbari debent, vt sic adpendantur, quia exempto plumbo adpendi debent nam & emptoribus replumbatę adsignantur, & in rationes argenti pondus sic defertur. Planè sicut vascula argentea. utputa lances quadratę sint legatæ: plumbum, quo continentur eum sequetur. d. l. cum aurum, xix. §. idem celsus.

Si cui argentum legetur an amblemata aurea, quæ in eo sunt id sequantur; distinguitur, multum interesse certum pondus ei argenti facti legetur, an verò argentum factum, si pondus, non contineri, si argentum factum, contineri, quoniam argento cedit, quod ad speciem argenti iunctum est, quemadmodum claui aurei, & purpuræ pars sunt uestimentorum. Et si non sunt claui uestimentis consuti: tamen ueste legata continentur. d.l. cum autem. xix. alias, xx. §. simili modo: & princ. l. v.

Auro legato, ea, quæ inaurata sunt non debentur; sed nec aurea emblemata, quæ in paropsidibus argenteis essent. d.l. cùm aurum. xix §. item Celsus libro.

Auri appellatione annuli auri continentur. d.l. cum aurum, xix. §. an autem. alias, xxi. l. & si.

Lectum planè argentum, vel si qua alia supellex argentea sit, argenti appellatione nō continetur, si numero argenti habita nō est, d.l. cùm aurum. §. lectum planè.

Argento facto legato Quinrus Mutius ait, vasa argentea contineri. veluti paropsidas, tabulas trullas, pelues, & his similia: non tamē, quæ supellectilis sunt. Sed si uasa sunt legata: non solum ea continentur, quæ ad quid in se recipiant edēdi bibendique causa paratam: sed etiam: quæ aliquid sustineant. & ideo scutellas, vel promulsidaria contineri. Respositoria quoque continebuntur. Nam vasorum appellatio generalis est. dicimus enim uasa, & vinaria, & naualia, d. l. cum aurum, xix. §. argento facto,

Argentum factum rectè quis ita diffinierit, quod neque in massa, neque in lamina, neque in signato, neque in supellectile, neque in mundo, neque in ornamētis, sit. ff. de auro argento lega. l. quintus, xxvii. alias xxix. §. finali.

Infecti argenti appellatio rudem materiam continet, id est, non factam. quid ergo, si cæptum sit argentum fabricari, nondum tamen perfectum: vtrum facti, an infecti appellatione contineatur, dubitari potest, sed puto magis facti. certè si iam erat factum, sed cælabatur: facti appellatione continebitur. an & cælati continebitur, quod cælari cæpit? & puto contineri: si cui fortè cælatum sit argentum legatum, ff. eod. l. cùm aurum. xix. alias, xxi. §. infecti autem.

Si cui escarium argentum legatum sit: solum debebitur, quod ad epulandum in ministerio habuit, id est, ad esum, & potum. unde & de aquiminario dubitatū est, & puto contineri. nam & hoc propter escam paratur. certè si cacabos argēteos habebat, uel miliarium argentuum, vel sartaginem, vel aliud vas ad coquēdum: dubitari poterit, an escario contineatur; & hæc magis coquinatorii instrumenti sunt. d. l. cùm aurum, xix. alias, xxi. §. si cui escarium.

In argento potorio utrum id duntaxat sit, in quo bibi posit: an etiam id, quod præparationem bibendi comparatum est, ueluti colum niuarium, & urceoli: dubitari potest. sed proprius est, vt hæc quoque insint. ff. de auro argento, l. in argento. 21. alias, 23. in prin.

SEIAE DVLCISSIMAE POCVLVM AVREVM, QVOD ELEGERIT, FIDEI HAEREDVM COMMITTO, VT DENT, cùm in hæreditate non sint nisi trullæ, siphi, modioli, phialæ, Seia ex his speciebus eligere potest cum omnia potui parata, pocula dicantur, ff. eod. l. Seiæ. 36.

Argento potorio, vel escario legato: in his, quæ dubium est, cuius generis sint, consuetudinem patrisfamiliàs spectandam: non etiam in his, quæ certum est, eius generis non esse, ff. eod. l. pediculis, 32. §. argento potorio.

Argentum factum uas argenteum uidetur esse, ff. eo. l. quintus, 27. in prin.

Qui lancem maximam, minorem, minimā relinquebat, ita legauerat, LANCEM MINO-

MINOREM ILLI DO LEGO. mediæ magnitudinis uideri legatam lancem responsum est: si non appareret, quam lancem ex his paterfamilias demonstrare uoluisset. ff. eod. l. qui lancem. 31.

Si cui argentum omne legatum sit, non facile quisquam argenti numero numos computat. Item argento facto legato, numi non continebuntur. ff. eod. l. quintus, 27. §. an cui.

Argento omni legato, quod suũ esset: sine dubio non debetur id, quod in credito est hoc ideo: quia non videtur suum esse, quod vendicari non posit. d. l. quintus, §. argento omni.

Cui aurum, vel argentum factum legatum est, si factum, vel collisum sit: non continetur. Seruius enim existimat, aurum vel argentum factum id uideri, quo cõmodè uti possumus, argentum autem fractum aut collisum non incidere in eã diffinitionem, sed infecto contineri. d. l. Quintus, §. cui aurum.

Cui legatum est aurum omne, quod suum esset, cum moreretur: eius omne aurũ fiet; quod tunc paterfamilias, cùm moreretur vendicare potuit suum esse. Sed si qua distributio eius rei facta est: tunc interest, quomodo sit legatum, d. l. quintus, xxii. §. cui legatum.

Si factum aurum legatum est: omne ad eum pertinet, cui legatum est, ex quo auro aliquid est effectum: siue id suæ, siue alterius vsionis causa paratum esset: veluti vasa aurea, emblemata, signa, aurum muliebre, & cętera, quæ his rebus sunt similia, sed si infectum legatum est: quod eius ita factum est, vt eum ad rem, ad quam comparatum est, non posit uti sine refectione quodque ab eo patrefamilias infecti numero fuerat: id videtur legatum esse. dicta l. quintus. 27. § si factum.

Si aurum, vel argentum signatum legatum est: id paterfamilias videtur testamento legasse, quid eius aliqua forma est expressum, veluti quæ Philippi sunt, item numismata, & similia. Argento legato ventris causa habita scaphia, non continentur, quia argenti numero non habentur. dicta l. quintus. §. penultimo.

Cùm in testamento alicui argentum, quod usus sui causa paratum esset, legaretur, itemque vestis aut suppellex: quæsitum est, quis cuiusque vsus causa uideretur esse paratum: utrumne id argentum, quod victus sui causa paratum, paterfamilias ad quotidianum usum parasset: an si quas mensas argenteas, & eius generis argentum haberet, quo ipse temere uteretur, sed commodare ad ludos, & ad cæteras apparationes soleret? & magis placet, quod victus sui causa comparatum esset, tantum contineri. ff. de auro argento legato. l. cum in testamento. 28.

Cùm quæreretur de tali legato HOC AMPLIVS FILIA MEA DVLCISSIMA E MEDIO SVMITO, TIBIQVE HABETO ORNAMENTVM MEVM OMNE MVLIEBRE CVM AVRO, ET SI QVA ALIA MVLIEBRIA APPARVERINT. cùm testatrix negotiatrix fuerit: an non solum argentum, quod in domo, vel intra horreum usibus eius fuit, legato cedat: sed etiam quod in basilica fuit muliebre? respondi. si testatrix habuit proprium argentum ad usum suum paratum: non uideri id legatum, quod negotiandi causa uenale proponi, soleret: nisi de eo quoque sensisse is, qui probet. ff. eod. l. pediculis. 32. §. item cum quæreretur.

Neratius Proculum refert ita respondisse vasis electrinis legatis, nihil interesse

quantum ea vasa, de quibus quæritur, argenti aut electri habeant: sed vtrum argentum electro, an electrum argento cedat. idque ex adspectu vasorum facilius intelligi posse, quod in obscuro sit: inspiciendum esse, in vtro numero ea vasa is, qui testamentum fecit, habuerit. d. l. pediculis, xxxii. § neratius.

Si aurum suum omne paterfamilias uxori suæ legasset: id aurum, quod deberetur puta si auri libras stipulatus fuerit, hoc aurum, quod ei deberetur ex stipulatu non pertinet ad uxorem cùm illius factum ad hæc non sit: id enim, quod suum esset: nõ quod in actione haberet legauit. At si aurifici aurum dederit, ita ut ex eo auro aliquid sibi faceret, tunc licet apud aurificem sit aurum, dominium tamen non mutauit. manet enim eius, qui dedit: & tantum uidetur mercedem præstaturus pro opera aurifici. per quod eò perducimur, vt nihilominus vxori debeatur. quod si aurum dedit aurifici, vt non tamen ex eo auro fieret sibi aliquod corpusculum, sed ex alio: tunc quatenus dominium transit eius auri ad aurificem (quippe quasi permutationem fecisse videatur) & hoc aurũ non transibit ad uxorem. ff. de auro & argento legato. l. scribit, xxxiiii. in prin.

Si maritus uxori suæ, cum haberet quinque pondo auri legasset ita AVRVM, QVODCVNQVE VXORIS CAVSA PARATVM EST, VTI HAERES VXORI DET: etiam si libra auri inde uenisset, & mortis tempore amplius, quàm quatuor libræ non deprehenderentur: in totis quinque libris hæres erit obligatus quoniam articulus EST præsentis temporis demonstrationem in se contineret. quod ipsum (quantum ad iuris obligationem pertinet) rectè dicetur, id, est ipso iure hæres sit obligatus. verum sciendum, si in hoc alienauerit testator inde libram, quod deminuere vellet ex legato uxoris suæ: tũc mutata voluntas defuncti locum faciet doli mali exceptioni: vt si perseueret mulier in petendis quinque libris, exceptione doli mali submoueatur, sed si ex necessitate aliqua compulsus testator, non quod vellet deminuere ex legato: tunc mulieri ipso iure quinque libræ auri debebuntur, nec doli mali exceptio nocebit aduersus petentem. quod si ita legasset vxori, AVRVM, QVOD EIVS CAVSA PARATVM ERIT: tunc rectissimè scribit Quintus Mutius, vt hæc scriptura habeat in se & demonstrationem legati, & argumentum. ideoque ipso iure alienata libra auri, amplius quatuor pondo non remanebũt in obligatione: nec erit vtendum distinctione, qua ex causa alienauerit testator. d. l. scribit, xxxiiii. §. idem scribit.

TITIAE AMIDAE, CVM QVA SINE MENDACIO VIXI, AVRI PONDO QVINQVE DARI VOLO. quæritur, an hæredes ad præstationem integræ materiæ auri, an ad pretium, & quantum præstandum compellendi sint? PAVLVS respondit, aut aurum ei de quo quæritur præstari oportet, aut pretium auri quanti comparari potest. Item quæro. si lite cõtestata prætor ita pronunciauerit, vt materia præstetur: an tutores audiendi sint ab hac sententia pupillum, aduersus quem pronunciatum est, apud successorem eius in integrum restituere volentes? Paulus respondit prætorem, qui auro legato certi ponderis materiam præstari iussit, rectè pronuntiasse uideri. ff. eo. l. Titiæ. xxxv.

Cùm ita legatum est ARGENTVM QVOD, DOMI MEAE ERIT, CVM MORIAR: Offilius nec quod depositum esset à se, nec quod cõmodatum reliquisset, argentum legatum uideri, respondit. idem Cascellius de commodato. Labeo, quod depositum esset, ita deberi, si præsentis custodiæ causa, non perpetuæ, veluti si depositus thesaurus esset: quia illa verba QVOD DOMI MEAE ERIT: sic accipi debere, ESSE SOLEBAT. & hoc probo. Atteius

Seruium

Seruium respondisse scribit: cui argentum, quod in Tusculano fundo, cùm moreretur, habuisset legatum esset, & quod ante, quàm moreretur, ex urbe in Tusculanum iussu testatoris translatum esset: deberi contra, fore, si in iussu translatum esset: ff. de auro, & argento legato, l. si uxori. xxxix. §. cum ita legatum.

Medico suo contubernali, & communium expeditionum comiti inter cætera, ita legauerat. ARGENTVM VIATORIVM MEVM DARI VOLO. quęsitum est, cùm paterfamilias in diuersis tẽporibus reipublicæ causa absfuerit: quod uiatorium argentum hoc legato comprehensum esse videatur? Respondit, quod habuisset argentum uiatorium eo tempore, cùm testamentum faciebat deberi, ff. eod. l. medico, xl. in princ.

Vxori suę testamẽto ita legatũ est, SEMPRONIAE DOMINAE MEAE HOC AMPLIVS ARGENTVM BALNEARE, quæsitum est, an etiam id argentum, quo diebus festis in balneo consueuit uti, legato cedat? respondit. omne legatum uideri. d. l. medico. §. uxori.

Si quis legauerit aurum, gemmas, margaritas, quæ in auro essent: etiam id aurum, cui neque gemmæ, neque margaritæ inessent legasse uidetur. ff. de auro argento legato. l. si quis. xi.

Gemmæ inclusæ argento, aurove: cedunt auro argentove legato, ei enim cedunt cuius maior est species, quod rectè expressum est. semper enim cùm quærimus, quid cui cedat, illud spectamus, quid cuius rei ornandæ causa adhibeatur: ut accessio cedat principali. cedant igitur gemmæ phialis, uel lancibus, inclusæ auro argentove. sed & in coronis mensarum gemmæ coronis cedent, ut hæ mensis, & in margaritis quoque & auro idem est. nam si margaritæ auro ornandi gratia adhibitæ sunt: auro cedunt. si contrà: aurum margaritis cedet. idem & in gemmis annulis inclusis. ff. eod. l. cum aurum. xix. §. perueniamus. alias xx. & si non sunt.

Auro facto adnumerantur gemmæ annulis inclusæ (quippe hæ annulorum sunt) cymbia argentea crustis aureis illigata. margaritæ, quæ ita ornamentis mulie bribus contextæ sunt, ut in his aspectus auri potentior sit, auro facto adnumerantur. Aurea emblemata, quæ in lapidibus paropsidibusque argenteis essent, & replumbari possent: deberi Gallus ait. sed Labeo improbat. Tubero autem, quod testator auri numero habuisset, legatum deberi ait alioquin aurata, & inclusa uasa alterius materia auri numero non habenda. ff. de auro argento lega. l. pediculis. xxxii. §. auro facto.

Gemmæ autem sunt pellucidæ materiæ, quæ lapillis eò distinguũtur: quod gemmæ essent pellucidæ materiæ, uelut smaragdi, chrysoliti, & amethysti. lapilli autem contrariæ superioribus naturæ, vt obsidiani, ucientani. margaritas autem nec gemmis, nec lapillis contineri, satis constitisse, ibidem Sabinus ait, quia concha apud rubrum mare & crescit & coalescit. Murrhina autem vasa in gemmis non esse Cassius scribit. d. l. cum aurum, xix. §. gemmæ.

Si quando alterius generis materia auro argento ve iniecta sit: si factum aurum, vel argentum legetur: & id, quod iniectum est, debetur, vtra autem vtrius materiæ sit acccessio: visu atque vsu rei, & consuetudine patrisfamiliàs æstimandum est, ff. eod. l. si quando. xxix.

Auro legato vasa aurea continentur: & gemmis gemmea. Secundum hoc, siue gemmæ in aureis sint uasis, siue in argenteis: auro argentoue cedent: quoniam hoc spectamus, quæ res cuius rei ornãdæ causa fuerit, adhibita nõ quæ sit

prætiosior, ff. de auro, & argento legat. l. cùm aurum, xix. §. finali.

Si ut habiliter gemmæ geri possint, inclusæ auro fuerint: tunc aurum gemmis cedere dicimus, ff. eod. l. si ut, xx. alias xxii.

De mundo & ornamentis.

Cùm alteri mundus muliebris, alteri argentum omnem legatū est, detractis muliebribus, & eis assignatis argentum, quod in mundo esset, debetur ei, cui specialiter legatum est, ff. de auro, & argen. mundo legato, l. prima, §. idem & cùm alteri.

Qui tibi mandauerat, ut ornamenta in vsum vxoris suæ emeres, eidem vxori (vt ad solet) legauit, quæ eius causa parata erant. tu deinde post mortem mandatoris, ignorans eum decessisse, emisti non debebuntur mulieri: quoniam ea verba ad mortis tempus referuntur, at si viuente testatore, muliere autem mortua emeris non eleganter dicetur, inefficax hoc legatum esse: quando non possit vere dici eius causa paratum videri, quæ prius decessit. eadem dicenda erunt, & si uiuat quidem mulier, sed diuerterit, & quæratur: an post empta ei debeantur, quasi non videantur vxoris causa parata, ff. eod. l. secunda.

Si mulier mandauit tibi, vt sibi vniones usus sui causa emeres. si tu post mortem eius, cùm putares eam viuere, emeris: Attilicinus negat esse legatos ei, cui mulier ita legauerat. ORNAMENTA, QVAE MEI CAVSA PARATA SVNT, ERVNTVE, non enim eius causa uideri parata esse, quæ iam mortua ea empta fuerint, ff. eod. l. quinta.

Scia ab hærede Publio Mæuio ita legauit, ANTONIAE TERTYLLIAE DO LEGO AVRI PONDO TOT, ET VNIONEM CVM HYACINTHIS. postea vnionem soluit, neque vllum mortis tempore inter ornamenta sua unionem reliquit. hæres ex causa fideicommissi æstimationem rei, quæ in hæreditate non est præstare non debet. Si vero probari possit, Sciam uniones, & hyacinthos quosdam in aliam speciem ornamenti, quod postea prætiosius fecit additis aliis gemmis, & margaritis conuertisse: hos uniones, vel hyacinthos petere non poterit, vt hæres compellatur ornamenta posteriori eximere, & præstare? nec enim fieri potest, vt legatum vel fideicommissum durare existimetur, eum id, quod testamento dabatur, in sua specie non permanserit, & quodammodo extinctum sit: vt interim omittat, quod etiam dissolutione ac permutatione tali voluntas quoque videatur mutata, ff. eod. l. sexta, in prin.

Vxori quis legauit his verbis MVNDVM MVLIEBREM OMNEM, ORNAMENTA, ET QVIDQVID VIVVS DEDI, DONAVI, EIVS CAVSA COMPARAVI, CONFECI: ID OMNE DARI VOLO. Carrucha dormitoria cum mulis, qua semper vxor usa sit ei debetur: si eius causa habita esset. ex eadem clausula uestis, quam ancillis, uel lecticariis eiusdem vxoris suæ comparauerat, uel fecerat præstanda erit, ff. eod. l. uxori, xiii.

Ornamenta muliebria sunt, quibus mulier ornatur: veluti inaures, armillæ, viriolæ, annuli (pręter signatorios) & omnia, quæ ad aliam rem nullam parantur, nisi corporis ornandi causa: quo ex numero etiam hæc sunt, aurum, gemmæ, lapilli, qui aliam nullam in se utilitatem habent, ff. eodem l. argumento, xxv. §. ornamenta.

Mundus muliebris est, quo mulier mundior fit, continentur eo specula, matulæ, vnguenta, uasa vngentaria, & si qua similia dici possunt, veluti labicioristus.

Ornamentorum hæc sunt. vittæ, mitræ, semimitræ, calática, acus cum margarita, quàm

ta,quàm mulieres habere solent: reticula,& crocofusa. Sed & mulier potest esse munda,non tamen ornata: vt solet contingere in his, quæ se mundauerint lotæ in balneo,neque se ornauerint, & contra est aliqua ex summo statim ornata,non tamen emundata. margarita, si non soluta sunt, uel qui alii lapides, si quidem exemptiles sint: dicendum est,ornamentorum loco haberi: sed & si in hoc sint resoluti, vt componantur ornamentorum loco sunt.quod si adhuc sint rudes lapilli, vel margaritæ,vel gemmæ ornamentorum loco non erunt: nisi alia mens fuerit testantis, qui hæc quoque,quæ ad ornamenta parauerat ornamentorum loco, & appellatione comprehendi voluit. Vnguenta, quibus ualetudinis causa vngimur, mundo non continentur, dicta. l. argumento, xxv. §. mundus.

Similiter ornamuntorum esse constat,quibus vti mulieres venustatis, & ornatus causa cœperunt, neque referre, si quædam eorum alium quoque vsum præbeant, sicuti mitræ & anademata, quamuis enim corpus tegant: tamen ornamentorum non vestis esse. ff. eod. l. quamuis xxvi. §. similiter.

Si quis ita legauerit, VXORI MEAE MVNDVM ORNAMENTA, SEV, QVAE EIVS CAVSA PARAVI, DO LEGO: placet omnia deberi, sicuti cùm ita lagatur, TITIO VINA, QVAE IN VRBE HABEO, SEV IN PORTV DO LEGO, hoc enim verbum, scilicet SEV, ampliandi legati gratia positum est, ff. eod. l. si quis ita. xxx.

Labeo testamento suo Neratiæ vxori suæ nominatim legauit. VESTEM MVNDVM MVLIEBREM OMNEM. ORNAMENTAQVE MVLIEBRIA OMNIA, LANAM, LINVM, PVRPVRAM VERSICOLORIA FACTA INFECTAQVE OMNIA, sed non mutauit substantiam rerum non necessaria verborum multiplicatio, quia Labeo testamento lanam, ac deinde versicolaria scripsit quasi desierit lana tincta, lana esse (versicoloria) nihilominus etiam versicolaria debebuntur: si non appareat aliam defuncti voluntatem fuisse. ff. de auro arg. mundo ornam. leg. l. pediculis. xxxii. §. labeo testamento.

Titia mundum muliebrem Septitiæ legauit, ea putabat sibi legata, & ornamenta, & monilia, in quibus gemmæ & margaritæ inessent, & annulos, & vestem, tam coloriam, quàm versicoloriam, quæsitum est, an hæc omnia mundo continerentur? Scæuola respondit, ex his, quæ proponerentur, dumtaxat argentum balneare mundo muliebri contineri, item cum inaures, in quibus duæ margaritæ elenchi & smaragdi duo legasset, & postea elenchos eisdē detraxisset, & quæreretur respondit deberi, si maneant inaures, quamuis margaritæ his detractæ sunt? De alio idem respondit, cùm quædam ornamenta mamillarum ex cylindris triginta quatuor, & tymphaniis margaritis trigintaquatuor legasset, & postea quatuor ex cylindris, & sex de margaritis detraxisset. d. l. pediculis, xxxii. §. finali.

Ornamentorum appellatione vestem muliebrem non contineri, nec errorem hæredis ius mutasse respondit Paulus, ff. eod. l. ornamentorum. xxxvii.

Si vxoris mundus muliebris legatus esset, ea tantummodo deberi, Offilius, Labeo responderunt, quæ ex his tradita vtendi causa vxori, à uiro fuissent. aliter enim interpretantibus, summam fore captionem, si vascularius, aut faber argentarius vxori ita legasset. ff. eod. l. si vxori. xxxix. in princ.

Mulier decendens ornamenta legauerat ita SEIE AMICAE MEAE ORNAMENTA VNIVERSA DARI VOLO. eodem testamento ita scripserat. FVNERARI ME ARBITRIO VIRI MEI VOLO ET INFERRI MIHI,

QVAE-

QVAECVNQVE SEPVLTVRAE MEAE CAVSA FERAM EX ORNAMENTIS, LINEAS DVAS EX MARGARITIS, ET VIRIOLAS EX SMARAGDIS, ſed neq; hæredes, neque maritus, cùm humi corpus darent, ea ornamenta, quæ corpori iuſſerat adiici dederunt. quæſitum eſt, vtrum ad eam. cui ornamenta, vniuerſa reliquerat, pertineant an ad hæredes? reſpondit, non ad hęredes ſed ad legatariam pertinere. ff. eod. l. fin. §. finali.

Si alii veſtimenta, alii veſtis muliebris ſeparatim legata ſit detractis muliebribus, & eis aſsignatis cui ſpecialiter legata ſunt: reliquum alteri debetur. ff. de auro argento mundo veſte lega. l. prima in princ.

Si ita legatum eſſet: VESTEM MEAM, ARGENTVM MEVM DAMNAS ESTO DARE: id legatum videtur, quod teſtamenti tempore fuiſſet: quia præſens tempus ſemper intelligitur, ſi aliud compræhenſum non ſit, nam cum dicit, VESTEM MEAM ARGENTVM MEVM: hac demõſtratione MEVM præſens non futurum tempus oſtendit. ff. eodem. l. ſi ita, vii. alias. viii.

Mulier ita legauit, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, TITIAE VESTEM, MVNDVM, ORNAMENTAQVE MVLIEBRIA DAMNAS ESTO DARE: Caſsius ait ſi non appareat, quid ſenſiſſet: omnem veſtem ſecundum verba teſtamenti legatam videri, quia veriſimile eſt teſtatricem tantum vniuerſitati degoraſſe, quibus ſignificationem muliebrium accommodaſſet: Accedere, eo quod illa demonſtratio MVLIEBRIA, neq; veſti, neque mundo applicari, (ſalua ratione recti ſermonis) poſsit. ff. eod. l. Plautius. viii.

Quintus Mutius ait, ſi paterfamiliàs vxori vas, aut veſtimentum, aut quippiam aliud ita legauit, QVOD EIVS CAVSA EMPTVM PARATVMVE ERIT. id uidetur legaſſe non ſolum ſi ipſius uiri & uxoris, ſed etiam ſi liberorum eius, aut alterius communis vſus fuerit. id enim videtur demõſtraſſe, quod proprio uſui uxoris paratum ſit & hoc quia generaliter legatum eſt: ſi verò ſpecialiter ita ſcriptum fuerit, VESTEM ILLAM PVRPVREAM, vt certam demonſtraret licet adiectum ſit, QVAE EIVS CAVSA EMPTA PARATAVE SIT, & neque empta neque parata neque in vſum ei data ſit: legatum omninò ualet: quia certo corpore legato, demonſtratio falſa poſita nõ perimit legatum, ueluti ſi ita legatum ſit, EQVVM QVEM EX VENDITIONE TITII EMI: nam ſi neque emit, aut ex alia uenditione emit: legatum nihilominus ualet. Plane ſi ita legatum fuerit, VASA, aut VESTIMENTA, aut QVAE VXORIS CAVSA PARATA SVNT id uidetur legaſſe, quod magis illius, quàm communis uſus cauſa paratum eſſet caſu ſciendum eſt, etiam ſi alienæ res hæ fuerint quos putauit teſtator ſuas eſſe, hæres tenetur eas dare. ff. de auro argento mundo orna. ueſtimentis leg. l. quintus. x. alias. xi.

Hoc legatum uxoris cauſa parata generale eſt, & continet tam ueſtem, quàm argentum aurum, ornamentum cæteraque, quę uxoris gratia parantur. Sed quæ videntur uxoris gratia parati? Sabinus libris ad Vitellium ita ſcripſit, quod in uſu frequentiſsimè verſatur, ut in legatis uxoris adiiciatur, QVOD EIVS CAVSA PARATVM SIT, hanc interpretationem obtinuit, quod magis vxoris, quàm communis promiſcuique uſus cauſa foret paratum, neque intereſſe uiſum eſt, ante ductam uxorem, id paterfamilias parauiſſet an poſtea, an etiam ex is rebus, quibus ipſe uti ſoleret, uxori aliquid aſsignaſſet, dum id mulieris uſibus propriè attributum eſſet. ff. de leg. iii. l. hoc leg. xliii. aliàs, xlv.

Ea tamen adiectio legatum aliàs plenius efficit, aliàs exiguus augetur, cum ſic ſcriptum eſt, QVAEQVE EIVS CAVSA PARATA SVNT. id enim

ſignificat

ſignificat,& ſi quid præterea, quæ dicta ſunt,eius cauſa paratum eſt. minuitur, detracta coniunctione: quia ex omnibus ſupra comprehenſis ea ſola definiuntur, quæ eius cauſa parata ſunt.ff.eod.l.ea tamen.xliiii.

Si quid earum rerum ante comparauit,quàm vxorem duxit: ſi id ei, vt uteretur, tradidit: perinde eſt,quaſi poſtea parauiſſet. ex eo autem legato ea pertinent ad uxorem,quæ eius cauſa empta,parata,quæque retenta ſunt: in quibus etiã, quæ prioris vxoris,quæque filiæ,neptis, vel nurus fuerunt,continentur.ff.eo. l.ſi quid,xlv.aliis xlvii.in prin.

Inter emptum,& paratum quid interſit,quæritur & reſponſum eſt,in empto paratum ineſſe; in parato non continuo emptum contineri.veluti ſi quis quæ prioris uxoris cauſa emiſſet, poſteriori uxori tradidiſſet: eas res cum poſterioris uxoris cauſa nihil emerit: tamen tradendo, quæ prior habuit, eius cauſa paraſſe uidetur; quæ enim poſterioris uxoris cauſa parata ſunt: & ſi ei adſignata non ſint,legato cedunt.at quæ prioris uxoris cauſa parata ſunt: ita poſteriori debentur,ſi ei adſignata ſint: quia non eſt ita de poſteriore, uxore cogitatum, cùm pararentur. nam ne id quidem, quod traditum eſt ſi poſtea ademptum ſit legato cedet.d.l.ſi quid.§ inter.cùm l. ſequenti.

Sed & ſi fortè uirilia ei quædam donauerit: quodammodo eius cauſa parata uidebuntur. proinde & ſi quædam promiſcui uſus ſint,ſolitus tamen fuerit ab ea quaſi vſu mutuari: dicendum erit,ipſius cauſa parata uideri. ff. de eod. l. item legato.xlvii.aliis.xlix.§.ſed & ſi forte.

Item intereſt ipſius cauſa parata ſint ei legata,an ipſius cauſa empta. paratis enim omnia continentur,quæ ipſius uſibus fuerunt deſtinata: emptis uerò ea ſola, quæ propter eam empta eius fecit maritus.vnde non continebuntur emptis ſolis legatis,quæ alia ratione paterfamilias adquiſita ei deſtinauit. utroque autem legato continebuntur, & quæ maritus emi mandauerat, uel quæ emerat, necdum tamen ei aſsignauerat, aſsignaturus ſi uixiſſet.ff.de leg.iii.l. item legato.xlvii.§.item intereſt.

Parui refert,uxori,an concubinæ quis leget,quæ eius cauſa empta paratave ſunt. ſanè enim,niſi dignitate,nihil intereſt.d.l.item legato.§.parui refert.

Qui concubinam habebat,ei veſtem prioris concubinæ utendam dederat: deinde ita legauit VESTEM, QVAE EIVS CAVSA EMPTA PARATA EST, prioris concubinæ cauſa parata debentur,quia in huiuſmodi legato nõ ius uxorium ſequendum eſt. Sed uerborum interpretatio eſt facienda. ff.de lega.iii.l.qui concubinam,xxviii.alias xxix.

Si uxori aurum,quod eius cauſa paratum eſt,legatum ſit, & poſtea ſit conflatum, materia tamen maneat: ei debetur.d.l.item legato.§ ſi uxori.

Hoc legatum QVAE EIVS CAVSA PARATA SVNT, & filio, & filiæ relinqui poteſt,& continebuntur,quæ ipſis ſunt attributa,vel deſtinata.d.l.item legato.47.alias.48.§.finali.

Cùm vxori ſuæ quis ea,quæ eius cauſa parata eſſent,legaſſet; deinde is purpuras comparaſſet in prouincia,necdum tamen aduexiſſet: reſcriptum eſt,ad mulierem purpuras pertinere.ff.de leg.iii.l.cum uxori.lvi.

Lana lino purpura uxori legatis,quæ eius cauſa parata eſſent: cum multam lanã, & omnis generis reliquiſſet: quærebatur an omnis deberetur? reſponſum eſt ſi nihil ex ea deſtinaſſet ad uſum uxoris,ſed omnis commiſta eſſet: non diſsimilem eſſe deliberationem,atque cum penus legata eſſet, & multas res, quæ penus eſſent,reliquiſſet,ex quibus paterfamilias uendere ſolitus eſſet, nam &

ſi vina diffudiſſet,habiturus, uſui ipſe & hæres eius: tamen in penum omne exiſtimari. ſed cùm probaretur eum, qui teſtamentum feciſſet,partem penus uẽdere ſolitum eſſe,conſtitutum eſſe,ut ex eo,quod ad uſum annuum opus eſſet, hæredes lagatario darent.ſic placet & in lana fieri, ut ex ea, quantum ad uſum annuum mulieri ſatis eſſet,ſumeretur.non enim deducto eo,quod ad uiri uſum opus eſſet,reliquum uideri uxori legatum eſſe: ſed quod uxoris cauſa paratum eſſet.ff.eod.l.cum quæretur.lviii.§.lana.

Cùm uir ita legaſſet, QVAE VXORIS CAVSA PARATA SVNT EI DO LEGO,æſtimatę res quarum pretium in dotem erant,legato non continentur, quia emptorum paratorumq; appellatione non continentur ea, quæ in dotem data eſſent,niſi maritus eas res poſtea quàm ipſius factæ eſſent in vxoris uſum conuertiſſet,ff.de leg.iii.l.quæſitum,lxxvi.§.cum uir.

VXORI MEAE VESTEM, MVNDVM MVLIEBREM ORNAMENTA OMNIA, AVRVM, ARGENTVM,QVOD EIVS CAVSA FACTVM, PARATVMQVE EST, OMNE DO LEGO: non ad aurum & argentum duntaxat,ſed ad omnia legatum refertur.ff.de leg.iii.l.heres meus.xcviii.alias 100.§.vxori.

Qui uxori ſuæ legauerat bonorum ſuorum decimam,& ſpecies argenti, quas expreſſerat: ei dem annulos & ueſtem reddi ab hæredibus petit quaſi propria uxoris fuiſſent: ſi uxoris non fuerint.præſtari ex cauſa legati debent, quia legandi animo dediſſe ea uidetur: niſi contrarium ab hærede probetur,ff.de auro argento leg.l.qui uxori.xviii. in princ. alias,xix.

Veſtimentum,ideſt,quod detextum eſt,& ſi deſectum non eſt ideſt ſi conſummatum quod in tela eſt,mõdum prætextum uel detextum contextum appellatur, quiſquis igitur ueſtem logauerit neque ſtamen, neque ſubtegmen legato continebitur,ff.eod.l.ueſtimentum.22.aliàs,24.

Veſtis an ueſtimenta legentur nihil refert,veſtimẽtorum ſunt lanea,omnia lineaque vel ſerica,vel bombycina,quæ induendi præcingendi,aniciendi,inſternendi,iniiciendi,incubandive cauſa parata ſunt,& quę his acceſsionis vice cedunt: quæ ſunt inſitæ picturæ, claniqùe qui veſtibus inſuuntur. veſtimenta omnia aut virilia ſunt,aut puerilia,aut muliebria,aut communia, aut familiaria. virilia ſunt,quæ ipſius patris familiàs cauſa parata ſunt veluti togæ,tunicæ,palliola veſtimenta ſtragula, amphitapa,ſaga,reliquaque ſimilia. Puerilia ſunt, quæ ad nullum alium vſum pertinent, niſi ad puerilem,veluti togæ prætextæ aliculæ chlamydes,& alia,quæ filiis noſtris comparamus. Muliebria ſunt, quæ matris familiàs cauſa cõparata ſunt,quibus vir non facilè vti poteſt ſiue uituperatione: veluti ſtolæ,palæ, tunicę,capitia,zonæ,mitræ(quæ magis capitis tegẽdi,q̃ ornãdi cauſa ſunt comparata)plagulæ,penulę. Communia ſunt, quibus promiſcuè vtitur mulier cum uiro: veluti ſi eiuſmodi penula palliumve eſt, & reliqua quibus ſine reprehenſione,uel uir,uel uxor utatur. Familiaria ſunt, quæ ad familiã ueſtiendam parata ſunt: ſicuti ſaga,tunicæ,penulæ,lintea,veſtimenta,ſtragula, & conſimilia. veſtis etiam ex pellibus conſtabit item pelles caprinæ, & agnitæ ueſtis erunt: Cum & tunicam,& ſtragula pellicia, à nonnullis habeant. Argumẽto ſunt etiam nationes quędam(ueluti Sarmatarum) quę pallibus teguntur.ff. eod.l.veſtis.xxiii.& l.cum & tunicam,xxiiii.cum.l.ſequenti in princ.

Ariſto etiam coactilia veſti cedere ait,ſed & tegumenta ſubſelliorũ huic legato cedere vice margaritarum. Item fibulæ ornamentorum magis, quàm veſtis ſunt. ff.eo.l.argumento.xxv.§.Ariſto.

Tapeta

Tapeta uesti cedunt,quæ aut sterni, aut inijci solent, sed stragula & babylonicas, quæ æquis insterui solent,vestis non sunt,sed fasciæ crinales, pedulesque,& item pilea uestis loco sunt quia partem corporis vestiunt,alia causa est donum: quia vsum calceamentorum præstant,ceruicalia quoque vestis nomine continentur.Si quis addiderit VESTEM SVAM apparet de ea eum sensisse,quam ipse in vsus suos habuerit,Culcitræ etiam vestis erunt d.l.argumento.§.si quis.

Muliebri veste legata,& infantilis continetur,& puellarum, & uirginum,mulierũ enim omnes dicuntur, quæcunque sexus fœminini sunt. d.l.argumento. §. muliebre.

Quamuis quædam ex ueste magis ornatus gratia,quàm quæ corpus tegant,cõparentur:tamen quod eo nomine sint parata,potius habendà esse uestis numero, quàm ornamentorum.Similiter ornamentorum esse constat, quibus vti mulieres venustatis,& ornatus causa cœperunt neque referre, si quædam eorum alium quoque vsum præbeant, sicuti mitræ & anademata, quamuis enim corpus tegant: tamẽ ornamentorũ, non uestis esse.ff.eo.l.quamuis.xxvi.in princ.

Inter vestem virilem, & vestimenta virilia nihil interest: sed difficultatem facit mens legantis,si & ipse solitus fuerit uti quadam veste, quæ etiam mulieribus conueniens est.itaque ante omnia dicendum est,eam legatam esse, de qua sensit testator,non quæ re uera aut muliebris.aut uirilis sit.nam & Quintus ait, scire se quendam senatorem muliebribus cœnatoriis uti solitum,qui si legaret muliebrem uestem,non videretur de ea sensisse,qua ipse quasi uirili vtebatur.ff.eo. l.inter uestem.33.

Titia testamento item codicillis multas species, tam argenti, quàm uestis per fideicommissum reliquit,species quæ in hæreditate inuentæ essent legato cedant,de cæteris cauendum est,ut si inuentæ essent præstentur.ff. eo.l.Titia, 38. in princip.

SEMPRONIAE PIAE HOC AMPLIVS COOPERTORIA TABIANA, ET TVNICAS TRES CVM PALLIOLIS, QVAE ELEGERIT DARI VOLO quęsitum est an ex uniuersa ueste,idest,synthęsi tunicas singulas, an & paliola Sempronia eligere posit: respondit Scæuola si essent tunicæ singulę, cum paliolis relictæ: ex his dumtaxat eligi posse.quod si non essent:hæredẽ vel tunicas & paliolum ex synthesi præstaturum,vel veram ęstimationem earum,ff. eod.l.Titia.38.§.semproniæ.

De statuis.

Si duę statuæ marmoreæ tibi, deinde omne marmor legatum esset, præter duas, nulla statua marmorea legata est tibi,ff.de auro.arg.mund.ornam. uesti & statuis legatis.l.prima.§.idem si duæ.

Duæ statuæ marmoreæ cuidam nominatim. Item omne marmor erat legatum: duæ statuæ marmoreæ solum debentur quia duas statuas legando:potest,uideri non putasse in marmore se statuas legare,ff.de leg.iii.l.hæres xcviii. aliàs 100.§. duæ statuæ.

Lucius Titius testamento ita scripsit. HAEREDEM MEVM VOLO, FIDEIQVE EIVS COMMITTO, VT IN PATRIAM MEAM FACIAT PORTICVM PVBLICAM IN QVA PONI VOLO IMAGINES ARGENTEAS ITEM MARMOREAS: legatum valet, & operis cæterorum,quæ ibi testator poni noluerit, legatum ad patriam pertinebit: intelligitur,enim aliquod inde ciuitati accedere ornamentum,ff.de auro.l.vi.§.fi.alias.l.lucius, vi.

Si imaginem legatam hæres derasit,& tabulam soluit: potest dici, actionem ex testamento durare:quia imaginis legatum, non tabulæ fuit.ff. eo.l. si imaginem xii.alias.xiii.

Si statuam legauero,& postea ex alia statua brachiū ei adiecero: omnimodo statua à legatario vendicari potest,ff.eod.l.si statuam xiiii.

Seia testamento ita cauit. SI MIHI PER CONDITIONEM HVMANAM CONTIGERIT, IPSA FACIAM. SIN AVTEM AB HAEREDIBVS MEIS FIERI VOLO. IVBEOQVE SIGNVM DEI EX LIBRIS CENTVM IN ILLA SACRA AEDE ET IN PATRIA STATVI CVM SVBSCRIPTIONE NOMINIS MEI. Cùm in eo templo non nisi, aut ænea, aut argentea tantum sint dona, hæredes Seiæ utrū ex auro & argento signum ponere compellendi sunt an æneum? Responsum est, secundum ea, quæ proponerentur argentum ponendum.ff.eod.l.Titia.xxxviii.§.fi.

DE LIBERATIONE LEGATA.

Titulus XIII.

OMnibus debitoribus etiam ea, quæ debent, rectè legantur : licet domini eorum sint. Iulianus scribit si res pignori data legetur debitori à creditore: valere legatum, habereque eum actionem, ut pignus recipiat prius, quàm pecuniam soluat, sic autem loquitur Iulianus, quasi debitum non debeat lucrari: sed si alia testantis voluntas fuit, ad hoc peruenictur exemplo luitionis, ff. de libe.leg.l.prima.

Liberationem debitori legari posse iam certum est, sed si chirographum quis decedens debitori suo dederit, exceptio ei competet, quasi pro fideicommisso huiusmodi datione ualitura. Item si quis decedens chirographum Seii Titio dederit, vt post mortem suam Seio det; aut si conualuisset sibi redderet: deinde Titius defuncto donatore Seio dederit,& hæres eius petat debitum, Seius doli exceptionem habet, ff.eod.l.tertia, in princ.

Nunc de effectu legati uidendum, & si quidem mihi liberatio sit relicta, cùm solus sim debitor, siue à me petatur, exceptione uti possum, siue non petatur possum agere vt liberer per acceptilationem. Sed & si cum alio sum debitor (pura duo rei sumus promittendi)& mihi soli testator consultum uoluit agendo consequar non ut accepto liberer ne etiam conreus meus liberetur contra testatoris uoluntatem, sed pacto liberabor d.l.tertia, aliàs iiii. §.nunc de effectu. Consequēter quæritur an & ille socius pro legatario habeatur, cuius nomē in testamento scriptum non est licet commodum, ex testamento, ad vtrunque pertineat si socii sunt,& est uerum non solum cum cuius nomen in testamento scriptum est, legatarium habendum, verum eum quoque qui non est scriptus, si & eius contemplatione liberatio relicta sit, utique autem legatarii habentur,& in hoc casu, nam & si, quod ego debeo Titio sit ei legatum mea causa , ut ego lieberer nemo me negabit legatarium & vtriusque legatum erit, tam meum, quàm creditoris mei etiam si soluendo fuerò: interest enim creditoris duos reos habere. d.l. tertia. §.finali. Cùm verò creditor ex testamento agere poterit, non aliter hæres condēnari debebit quàm ei caueatur ei, aduersus debitorem defensum iri. Item agente debitore, nihil amplius hæres præstare debet, quàm, vt cùm aduersus creditorem defendat.ff.eod.l.quarta, aliàs.v.

Si

Si quis reum habeat & fideiussorem,& reo liberationem leget, reus per acceptilationem liberabitur alioquim si fideiussorem cæperit conuenire alia tatione reus conuenitur. Quid tamen si donationis causa fideiussor interuenerit, nec habeat aduersus reum regressum? Vel quid si ad fideiussorem pecunia peruenerit,& ipse reum dederit vice sua ipseque fideiusserit pacto est reus liberandus: alioquin solemus dicere, pacti exceptionẽ fideiussori dandã, quæ reo cõpetit: Sed cum alia sit mens legantis, alia paciscentis: nequaq̃ hoc dicimus. Quod si fideiussori sit liberatio legata; sine dubio (vt & Iulianus scripsit) pacto erit fideiussor liberandus. Sed & his puto interdum acceptilatione liberandum, si vel reus ipse verè fuit, aut in ea re socius scripsit. ff. eod. l. vi. in princ.

Hæredem damnatum à fideiussore non petere, à reo petere posse, sed à reo petere vetitũ si à fideiussore petat: reo ex testamẽto teneri Celsus putat: idem. Et nullam dubitationem habere, quin hærede petere à debitore uetito, nec hæres hæredis petere possit, ff. eod. l. ii.

Si quis in testõ dãnatus est, ne à Titio debitore exigat, neq; ipsum, neq; hæredem eius p̃t conuenire. nã neq; ab hæredis hæres agere, neq; ab hęredis hęrede peti potest. Hæredis ãt hæres potest damnari, ne exigat debitorẽ, ff. eo. l. si quis. xv.

Si filiusfamilias debitor fuerit & patri eius fuerit liberatio relicta: pater pacto liberandus est, ne etiam filius liberetur, & parui refert, si sit aliquid in peculio die legati cedente, nec ne. securitatem. n. pater per hoc legatum consequitur: Maxime cum rei iudicandæ tempus circa peculium spectetur. Sed si damnatus sit hæres filium liberare, acceptilatione liberabitur, quo res patri quoque proderit. Quod obtinendum est, nisi euidenter adprobetur contrarium sensisse testatorem: id est, ne filius inquietetur: non etiam ne pater. tunc enim acceptilatione eum non liberandum, sed pacto. Et idem si pro filio pater fideiusserit eiq; liberatio sit legata, is pacto liberabitur, quasi fideiussor non quasi pater, & ideo de peculio pater conueniri. Et hoc ita demum erit, si duntaxat quasi fideiussorẽ eum voluerit testator liberari. cæterum si & quasi patrem: & de peculio erit liberandus. Post emancipationem vero filii eatenus pater actionẽ habebit, quatenus aliquid ex peculio, aut in rẽ uerso præstaturus est: id. n. legatorum noĩe ad patrem pertinebit quod eius intererit. Illud quæri potest, an eo quoq; noĩe pater ex testamẽto agere posit, vt & filius actione liberetur? quibusdã eo usq; extendi actionem placebat: quia patris interesse vr̃, si peculium filio post emancipationem, concesisset, ius eius integrum permanere. Sed nihil quicquam amplius patri p̃standum est ex hmõi scriptura testamenti q̃, vt nihil ex eo, quod præstaturus hæredi fuerit, præstet, ff. eod. l. v. alias vi. & seq. §. Iulianus.

Non solum autem quod debetur remitti potest verum etiam pars eius, vel obligationis, ff. eo. l. septima, in prin. alias viii.

Si is, qui stipulatus, equum aut decem damnauerit hæredem equum non petere: legatum valere constat. sed quid contineat, videamus. Et Iulianus scribit, actionem ex testamento in hoc esse uideri, ut debitor accepto liberetur, quæ res vtique debitorem & in decem liberabit: quia acceptilatio solutioni comparatur. & quemadmodum si equum soluisset debitor liberaretur, ita acceptilatione equi liberari, ff. eod. l. non solum. vii. alias, viii. §. si is, qui.

Si debitorem decem, damnatus sit hæres viginti liberare: nihilominus in decem liberandus erit; nam & si ei uiginti accepto ferantur, & in decem liberabitur. d. l. non solum, vii. §. sed si debitorem.

Si duobus hæredibus institutis, alterum ex his damnauerit creditori suo soluere,

ualet legatum propter cohæredem isque ex testamento acturus vt creditori soluatur, ff. eodem, l. non solum vii. §. sed si duob.

Liberatio autem debitori legata ita demum effectũ habet, si non fuerit à debitore id exactum, dum uiuat testator: cæterum si exactum est, euanescit legatum. vnde quæit Iulianus, si ab impuberis substituto sit liberatio relicta, deinde impubes exegerit, quod debetur: an euanescat legatum? Et cum constat pupillum in iis, quæ à substituto relinquuntur personam sustinere eius à quo sub conditione legatur, consequens est, substitutum actione ex testamento teneri, si pupillus à debitore exegerit: idemq; est si pupillus non exegerit, sed solummodo litẽ sit contestatus: teneri.n. eum, vt remittat actionem. Nam & si debitori liberatio sub conditione legata fuisset, & veiis fuisset contestata, uel etiã exactum pendente cõditione ex testõ actio maneret liberatione relicta d.l. nõ solũ. vii. §. liberatio.

Non solum debitorem nostrum, sed etiã hæredis, & cuiuslibet alterius, vt liberetur legare possumus. Potest hæres dãnari, ut & ad certum tẽpus non petat à debitore suo, sed sine dubio, nec liberare eum ĩtra id tp̃s cogitur, sed si debitor decesserit: ab hærede eius intra id tp̃s peti non poterit. Illud uidẽdum est, an eius tp̃is, intra quod petere hæres vetitus sit, vel interesse, vel pœnas petere possit, & Priscus Neratius existimabat, committere eum aduersus testamentum, si petisset, quod verum est. ff. eod. l. non solum, viii.

Tale legatum HAERES MEVS A SOLO LVCIO TITIO NE PETITO ad hæredẽ Lucii Titii non transit, si nihil uiuo Lucio Titio aduersus testm̃ ab hærede (eo quod ab eo exigere debitum tentauit) sit commissum. Quoties. n. cohæret personæ id, quod legatur veluti personalis seruitus, ad hæredem eius non transit. si non cohæret, transit. ff. eod. l. non solum. viii. §. tale legatum.

Si liberationis verba in rem sint collata; pro eo est quasi hæres ab eo debitore hæredeq; eius petere vetitus sit, vt adiectio hæredis perinde nihil valeat, atq; non eẽt valitura ipsius debitoris p̃sona non comp̃hensa, d.l. non solũ, viii. §. si verba.

Si dãnatus hæres fuerit à fideiussore non petere, quod aũt reus debet, Titio dare: pacisci debet, ne à fideiussore petat: & aduersus reum actiones suas præstare legatario: quemadmodum damnatus hæres ne à reo petat, & dãnatus dare, quod fideiussor debet: & reo acceptum facere, & legatario litis æstimationem sufferre cogatur. ff. eo. l. si damnatus, x. alias xi. Si debitor fideiussorem suum ab hærede suo liberari iusserit, liberari debet. ff. eo. l. si debitor, xi. in princ.

Ei, cui fundum in quinquennium locaueram, legaui quidquid eum mihi dare facere oportet, oportebitve, vt sineret hæres sibi habere: si hæres prohiberet eum frui ex conducto, si iure locationis quid retineret, ex testamẽto erit obligatus: quia nihil interesset, peteret an retineret, tota. n. locatio legata uidetur. Et reliqua quoque in Iudicio locationis veniunt. ff. eo. l. ei, cui. xvi. cum l. seq.

Etiam si habitatio eo modo legata esset: gratuitam habitationem hęres præstare deberet: & præterea placuit agere posse colonum cum hærede ex testamento, vt liberetur conductione, quod rectissimè dicitur. ff. eod. l. Cassius, xviii.

Cùm ita testamur HAERES MEVS DAMNAS ESTO LIBERARE EVM, QVI NEGOTIA MEA GESSIT: ET SI QVID EVM MIHI DARE FACERE OPORTET, AB EO NON EXIGERE: damnatus hæres. nec creditas ab eo quoque pecunias exiget. ff. eod. l. cùm ita, xix. in princ.

AVRELIO, SEMPRONIO FRATRI MEO NEMINEM MOLESTARI VOLO NOMINE DEBITI, NEC EXIGERE ALIQVOD AB EO, QVANDIV VIVET, NEQVE DE SORTE, AVT VSVRA NOMINE, DEBI-

DEBITI: ET ABSOLVO EI, ET LIBERO EX PIGNORIBVS EIVS DOMVM ET POSSESSIONEM CAPERLATAM. ipse debitor si cōueniatur exceptione tutus erit: diuersum in ꝑsona hæredis eius, ff. eo. l. Aurelio. xx. ĩ princ.

Si hæres uetitus sit agere cum eo, qui negotia defuncti gessit, non videt̃ obligatio ei ꝑlegata, quā dolo uel fraude eius, q negotia gessit commissa sit: ut & testator uideatur id sensisse. Et ideo si hæres nego. gest. egisset agẽs ꝓcurator ex testamẽto incerti, doli mali exceptione excludi potest, ff. eo. l. non solum. viii. §. si hæres.

Si quis rōnes exigere uetet̃ (ut est sępissimè rescriptū) non impeditur reliquas exigere, quas quis ipse reliquauit, & si quid dolo fecerit, qđ rationes gessit. Qđ si qs, & hæc uelit remittere, ita debet legare: DAMNAS ESTO HAERES MEVS QVICQVID AB EO EXEGERIT ILLA VEL ILLA RATIONE ID EI RESTITVERE, VEL ACTIONEM EI REMITTERE. ff. eo. l. ix. alias. x.

Filias hæredes scripserat quarum fideicommisit in hæc verba, NE A CAIO SEIO RATIONEM ACTVS REI MEAE, QVAE PER MENSAM EIVS, SIVE EXTRA IN DIEM MORTIS MEAE GESTA EST EXIGATIS, EOQ. NOMINE EVM LIBERETIS, in die mortis: iste administrauerit & ꝑ mẽsam suā, & extra mensam. An ad rōnes reddendas hæredib. teneat̃, iudex ex qualitate disceptationis æstimabit quatenus præstanda sit, ff. de lib. leg. l. Aurelius, 28. §. filias.

Is, qui reddere rationes iussus est, non videtur satisfacere, si reliquum reddat, nō editis rationibus. ff. eod. l. non solum, viii. alias ix. §. is qui.

Procurator, à quo rationem hæres exigere ꝓhibitus, eoq; noīe procuratorẽ liberare damnatus est: pecuniā ab argentario debitā ex cōtractu, quem ut procurator fecit iure mandati cogetur restituere, vel actiones ꝑstare, ff. eo. l. procurator. 23.

Caius Seius cum adoleuisset, accepit curatores Publium Næuium & Lucium Sempronium. Sed enim idem Caius Seius intra legitimam ætatem constitutus cùm in factum concederet testamento suo de curatoribus suis ita cauit. QVAESITIONEM CVRATORIBVS MEIS NEMO FACIAT: REM ENIM IPSE TRACTAVI. Quamuis defunctus confessus sit, se omnem rem suam administrasse, quid tamen dolo curatores fecerunt, aut si quę res testatoris pones eos sunt eo noīe conueniri possunt. ff. eo. l. Aureliæ, xx. alias xxi. §. Caius Seius.

Aurelius Symphorus fideiusserat pro tutore quodā: & decedens eiusdẽ pupillis legauit ĩ hęc verba AVRELIO LATINO, ET AVRELIO FELICI SINGVLIS QVINA CVM QVIS EORVM XIIII. ANNORVM FVERIT. AD QVOD TEMPVS PRAESTARI EIS VOLO, SINGVLIS ALIMENTORVM NOMINE MENSTRVOS DENARIOS SENOS, ET VESTIARII NOMINE ANNVOS DENARIOS XXV. QVO LEGATO CONTENTI ESSE DEBETIS: QVANDO TVTELA VESTRA NON MINIMO DAMNO RATIONEM MEAM AFFLIXERIT A VOBIS AVTEM HAEREDES MEI PETO NE QVID RATIONE TVTELAE AB HIS EXIGERE, VEL OB HOC LEGATA EORVM RETINERE VELITIS, id solum videtur hæredum fideicommissum, ne exigerent, quod ex ratione tutelæ, quam ipse Symphorus administrauerat, ab Aureliis sibi deberetur, ff. eo. l. Aurelius. xxviii. in prin.

Titius testamento facto, & filiis hæredib. institutis, de parte tutore suo quondā facto ita locutus est. SEIVM PATREM MEVM LIBERATVM ESSE VOLO AB ACTIONE TVTELAE. is cuius notio est æstimabit, an pecunias, quas ex vẽditorib. rerū factis aut ex noīb. exactis in suos usus conuertit vel ex iis vtilitatẽ noīe suo ꝑcepit: filiis, & hæredibus testatoris, & nepotib. suis debeat reddere:

Præsumptio.n.p p naturalē affectum facit oĩa pr̄i videri concessa: nisi aliud sen sisse testatorem ab hæredibus eius, adprobaretur.d.l.Aurelius.xxviii. §.Titius.

Męuia testamento suo alterũ ex hæredibus suis actione tutelæ voluit liberari his verbis. RATIONEM TVTELAE, QVAM EGIT IVLIVS PAVLVS CVM ANTISTIO CICERONE, POSCI AB EO NOLO, EO'QVE NOMINE CAVSA OMNI LIBERATVM ESSE VOLO. si qua pecunia ex tutela apud eum remansit, peti ab eo potest d.l.Aurelius.xxviii.§.Mæuia.

Eũ qui tutelam ipsius administrauerat,& fratrem suum & alios quosdam scripserat hæredes: tutori legauit,quæ impenderat in se,& fratrem ipsius decem.fidei commissum in persona eius vtile erit,si id dederit,quod debebatur & in tutoris persona inutile esset,in persona fratris utile videtur: cum suo debito liberetur. Item si tutor amplectetur fideicommissum ita,vt quibusdam stari uellet verbis testamenti, à quibusdam autem recedat, quòd minorem quantitatem sumptuum dicas fideicommisso contineri, quam ipse erogauerat, non impeditur scriptura testamenti,quo minus omne,quod sibi deberi probasset,petere posset ff.eod.l.Aurelius.xxviii.§.eum qui.

Titia quæ duos tutores habuerat ita cauit RATIONEM TVTELAE MEAE QVAM EGIT PVBLIVS MAEVIVS A LVCIO TITIO AB EO REPOSCI NOLO, si qua pecunia quæ pupillæ esset apud eum ex tutela remansit peti ab eo poterit,& contutor liberatus non videbitur,ff.eo.l.creditor.32.§.Titia.

Si id qđ mihi deberes,uel tibi,uel alii legauero,id quid mihi solueris,vel alia qualibet ratione liberatus à me fueris: extinguitur legatum.unde Iuliano placet,& si debitori hæres extiterit creditor,posteaque ipse creditor,decesserit: legatum extingui,& hoc verum est,quia confusione extinguitur obligatio ac solutione; sed si sub conditione dato legato,hæres præoccupauerit, & exigerit debitum, aliud dici oportet,quia in arbitrio hæredis esse non debet,vt quandoque conditione exigente,neque ipsi legatario debeatur legatum (si tunc uiuat,& capere posit) neque ei,ad quem hoc commodum peruenit si legatarius capere non posit. ff: eod.l.si id quod.xxi.

QVOD MIHI SEMPRONIVS DEBET, PETI NOLO, nō tantum exceptionem habere debitorem,sed fideicommissum, ut liberetur, petere posse responsum est,ff. eod.l.quod mihi.xxii.

Cùm hæres rogatur debitorem suum liberare, de eo tm̄ cogitatum uidetur, quod in obligatione mansit.itaq; si quid ante tabulas apertas fuerit solutum, ad causam fideicōmissi non pertinebit.Quod autem post tabulas apertas ante aditam hæreditatem ab eo,qui uoluntatem defuncti non ignorauit,fuerit exactum, dolum proximum erit ideoque repeti potest,ff.eod.l.cum hæres.xxiiii.

Legaui Titio,quod mihi debetur,vel adiecta certa quantitate,siue specie, uel non adiecta aut ex contrario,æque cum distinctione: ueluti TITIO, QVOD EI DEBEO: VEL ITA TITIO CENTVM QVAE EI DEBEO: si is cui Titius debebat, debitum ei remittere uoluerit nihil interest hæredem suum iusserit, ut eum liberaret,an prohibeat eum exigere: utroq; enim modo liberandus est debitor, & utroque casu competit ultro ad liberãdum debitori actio,quod si ēt centum aureorum vel fundi debiti mentionem fecit,si quidem debitor fuisse probetur: liberandus est.Quòd si nihil debeat,poterit dici quasi falsa demōstratione adiecta,etiam peti,quod comprehensum est,posse. Sed poterit hoc dici,si ita legauit CENTVM AVREOS QVOS MIHI DEBET VEL EQVVM QVEM DEBET HAERES MEVS DAMNAS ESTO NON PETERE,φsi sic dixerit-

dixerit, HAERES MEVS CENTVM AVREOS, QVOS MIHI TITIVS DEBET, DAMNAS ESTO EI DARE: etiam illud tentari poterit, vt petere poſsit, quaſi falſa demonſtratione adiecta quod nequaquàm placet: cum dādi uerbū ad debitū ſe referre teſtator exiſtimauerit. ff.e.l.legaui.xxv.in prin.

Teſtamento facto debitoribus liberationem reliquerat: poſt inciſo lino,& recognito teſtamento,aliud teſtamentum fecit, in quo repetiit legatum his uerbis, QVIBVSCVNQVE LEGATA IN EO TESTAMENTO. QVOD INCIDERAM, DEDI: OMNIA RATA ESSE ET QVAEQVE SCRIPTA SVNT VOLO. Adita ex ſequenti teſtamento hęreditate,debitores, quibus priore teſtamento liberatio relicta erat,conſequi non poſſunt, ut etiam eius quantitatis nomine, quam poſt prius teſtamentum debere cœperant liberantur.ff.eod.l. Aurelius.xxviii.§.teſtamento.

Titius Seio debitori ſuo ita legauit, DO LEGO SEIO DENARIOS DECEM. ITEM DONO ILLI, QVICQVID SORTIS ET INTERESSE NOMINE MIHI DEBEBAT, præterea generaliter damnauit hæredes,fideique eorum commiſit,vti darent,reſtituerent vnicuique quicquid ei legaſſet. postea Seius aliam præterea pecuniam à Titio mutuatus eſt. hæc quoque pecunia, quæ poſt teſtamentum factum data eſſet Seio legata non intelligitur, cùm in præteritum tēpus verba collata proponantur. ff.eo.l.Aurelius.xxviii. §. Titius.

Teſtamento ita ſcripſerat, TITIO AFFINI, MEO, QVICQVID MIHI EX QVACVNQVE CAVSA DEBEBAT, REMITTI VOLO, EOQVE AMPLIVS DECEM DO. Codicillis ita ſcripſit. TITIO HOC AMPLIVS AFFINI, ET DEBITORI MEO INTERESSE PECVNIAE, QVAM MIHI DEBET AB HAEREDE MEO, DONEC VIVET, EXIGI VETO, QVOD SI EXIGERE CONTRA VOLVNTATEM MEAM PVTAVERIT. EIVS SORTIS INTERESSE EIDEM TITIO AB HAEREDIBVS MEIS DONEC VIVET, PRAESTARI VOLO. legatum quod primo dederat minutum videtur d.l.Aurelius.§.teſtamento ita.

Legatum eſt teſtamento hoc modo, SEIO CONCEDI VOLO, QVICQVID MIHI AB EO DEBITVM EST, VEL FIDEM MEAM PRO EO OBLIGAVI. videtur teſtator omnem obligationem,non eius debiti per fideicōmiſſum ſolui voluiſſe.d.l.Aurelius,xxviii.§.legatum eſt.

GAIO SEIO OPTIME MERITO HOC AMPLIVS LEGO, CONCEDIQVE VOLO, NEQVE AB EO PETI, NEQVE AB HAEREDIBVS EIVS: QVICQVID MIHI AVT EX CHIROGRAPHIS, AVT RATIONIBVS. DEBITOR EST, VEL QVICQVID A ME MVTVVM ACCEPIT, VEL FIDEM MEAM PRO EO OBLIGAVI. non ſolum id, quod eo tempore,quo teſtamentum fiebat debebatur legatū erit, ſed & ſi quid poſtea intereſſe nomine acceſsit legato cedet, & reſpōſum eſt ſecūdum ea, quę proponerentur uideri omnem obligationem eius debiti Seio per fideicommiſſum, ſolui uoluiſſe. Item ſi poſtea nouatione facta, & ampliata ſumma, cœperit debere: id,quod ex vetere contractu debebatur nihilominus in cauſa legati non durat,ſed id duntaxat legatum uidetur,quod tunc debuiſſet ſi tamen manſit in ea uoluntate teſtator,qua tunc fuit.ff.eod.l.fin.§.fin.

Et ei liberatio rectè legatur apud quem depoſuero,vel cui commodauero, pignori ve dedero,vel ei,quem ex furtiua cauſa mihi dare oportet, ff. eod. l. non ſolum,viii.§.finali.

CENTVM, QVAE APVD APRONIANVM DEPOSITA HABEO,

APVD IPSVM ESSE VOLO, DONEC FILIVS MEVS AD ANNOS VIGINTI PERVENERIT: EIVSQ. PECVNIAE INTERESSE EXIGI VETO. Ex causa fideicommissi. Apronianus consequi poterit, ne ante tempus à testatore præscriptum ea summa ab eo exigatur. ff. eod. l. Aurelius, 28. §. centum quæ.

Si is, qui duos reos promittendi habet damnauerit hæredem, vt vtrosque liberet: si alter ex his capere non possit, nec socii sint, delegari debebit is, qui nihil capit, ei, cui hoc commodum lege competit cuius petioni vtrunque accedit, vt & hoc cõmodum ad eum perueniat. & is qui capit, liberetur. Quòd si socii sint: propter eum, qui capax est, & ille capit enim eueniret, etiam si solum capacem liberare iussus esset, ff. eod. l. si is qui. 29.

Petitor, vel possessor damnauit hæredem suum, ne centumuirale iudicium exerceat. De effectu legati quæritur. Et dictum est, ita demum vtile uideri legatum esse, si malam causam aduersarius testatoris habuerit, vt litigante hærede vinci debuerit. Tunc enim non tantum litis emolumentum, sed etiam sumptus hæres legatario præstare cogitur. Nam in bona causa nihil uidetur esse in legato, nec propter sumptus: quod quidam existimauerunt, ff. eod. l. petitor, 30.

Creditor debitori legauit ita GAIO SEIO QVICQVID MIHI SVB PIGNORE HORTORVM SVORVM DEBVIT AB HAEREDIBVS MEIS DARI VOLO. cùm testator viuus à Seio aliquid recepit id, ex causa legati peti non potest. Item si proponatur testatorem ante factos codicillos, quibus legauit, pene omnem pecuniam sortis, & interesse recepisse, ita ut modicum sortis seu interesse debeatur, dubitatum fuit an ei repetitio competeret propter verba ad præteritum relata QVIDQVID MIHI DEBVIT: & responsum est ita à iudice æstimandum, vt inspiceret obliuione pecuniæ solutæ, aut quod eo inscio numerata esset, id fecisset an consulto, quòd quantitatem quondam debitam non ius liberationis dari uoluisset. ff. de liberat. legat. l. creditor, 31. in princ.

Inter cætera Sempronio ita legauit ET SI QVID ME VIVO GESSIT, RATIONE AB EO EXIGI VETO. Chartas, in quibus rationes conscriptæ sunt, item reliqua secũdum accepta, & expensa hæredibus reddere debet: quia hæc hæres potest vindicare, d. l. creditor, § inter.

Quoties debitor creditori suo legat ita inutile est legatum, si nihil interesset creditoris, ex testamento potius agere, quàm ex pristina obligatione: nam, & si Titius mandauerit Mæuio, vt pecuniam promitteret, deinde liberari eum iusserit à stipulatore manifestum est, quantum intersit promissoris, liberari potius, quàm præstare ex stipulatu deinde mandati agere, ff. de lib. leg. l. si debitor, xi. alias xii. §. quoties.

Si creditor debitori, qui se exceptione perpetua tueri poterat legauerit, quod sibi deberet: nullius momenti legatum erit. at si idem debitor creditori legauerit intelligendum erit, exceptionem eum remittere creditori uoluisse. idem est, & si in diem debitor fuerit, uel sub conditione. ff. eod. l. si creditor xiii. & l. sequenti.

Si debitor creditori leget: nulla utilitas est, & si sine quantitate legauerit. sed & si demonstraret, quod debere se confitetur: nulla utilitas est, nisi in his speciebus, in quibus emolumentum debiti ampliatur. Quod si centum aureos, quos se debere dixit, legauit: si quidem debet, inutile est legatum. Quod si non fuit debitor placuit vtile esse legatum certa enim numorum quantitas similis est

equo

equo legato cum demonstratione falsa, ff. eod. l. legaui, xxv. alias xxvi. § contra autem.

Tutor decedens aliis hæredibus scriptis pupillo suo cuius tutelam gessit, tertiam partem bonorum dari uoluit, si hæredibus suis tutelæ causa controuersiam nõ fecerit, sed eo nomine omnes liberauerit, pupillus legatum pertulit: & postea nihilominus petit quicquid ex distractione, aliave causa ad tutorem suum ex tutela peruenerit, si priusquam conditioni pareret fideicommissum percepisset, & peregret petere id, in quo contra conditionem faceret: doli mali exceptio obstabit, nisi putatus esset, quod ex causa fideicommissi percepisset reddere, quod ei ætatis beneficio indulgendum est, ff. eo. l. tutor. xxvi.

Quidam ita legauit SEMPRONIAE VXORI MEAE REDDI IVBEO AB HAEREDIBVS MEIS QVINQVAGINTA EA, QVAE MVTVA ACCEPERAM CHIROGRAPHO PARTICVLATIM IN MEA NEGOTIA: si maritus uere debitor fuisset, nullum est fideicommissum. Item si hanc pecuniam, ut debitam, apud judicem petierit, & euicta fuerit: poterit ex causa fideicommissi eam petere, quasi apparuerit non fuisse ex alia causa debebit, ff. de libe. leg. l. Aurelius. xxviii. §. Quidam.

Finis Liber Quintus.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omiſsis iis,quibus à iure Canonico,Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione,contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Sextus.

DE ADEMPTIONE LEGATORVM: VEL TRANSFERENDIS LEGATIS.

Titulus. I.

ADEMPTIO legatorum, ſiue eodem teſtamento adimantur,ſiue codicillis,firma eſt;ſed ſi contrariis verbis fiat ademptio, veluti ſi quis ita quid legauerit, DO, LEGO. ita adimet, NON DO, NON LEGO: ſiue non contrariis, ſed aliis quibuſcunque verbis. Inſt. de ademptio. legat. in principio.

Qui actu legato, iter adimit, nihil adimit; quia nunquam actus ſine itinere eſſe poteſt,ff.de adimen.lega. l. prima.

Si loci vſumfructum leget teſtator,& iter adimat;non valet ademptio; nec vitiatur legatum;ſicuti qui proprietatem fundi legat,iter adimendo, legatum non minuit,ff.eod.l.tertia.§.ſi loci.

Fundo legato adimi ita poteſt, FVNDVM ILLI PRAETER VSVMFRVCTVM, NEQVE DO, NEQVE LEGO, vt vſusfructus in legato relinquatur,ſed & fructus adimi poteſt,ut proprietas relinquatur. item pars fundi adimi poteſt.ff.eod.l.ſecunda.

Si quis plus,quàm dedit ademerit: ademptio valet,veluti ſi quis viginti legauerat,& quadraginta ademerit,ff.de adim.leg.l.tertia.§.ſi quis plus.

Si quis duobus Titiis ſeparatim legauerit,& vni ademerit,nec appareat cui ademptum ſit: vtrique legatum debetur.quemadmodum, & in dando, ſi non appareat cui datum ſit;dicemus neutri legatum,ff.eod.d.l.tertia.§. ſi duobus.

Si legatum fuerit Sempronio Amico,& duo ſint æqua charitate coniuncti; aut ſi duobus eiuſdem nominis fuerit legatum (puta Semproniis) mox Sempronio ademptum ſit;nec appareat cui ademptum ſit;verius eſt ademptionem in utrũque valere,ff.de rebus dubiis.l.ſi ita fuerit,xi.§.ſed & ſi legatum.

Si Titio fundus purè,eidemque ſub conditione legatus ſit,deinde poſtea ademptus ſit ſic; TITIO FVNDVM, QVEM SVB CONDITIONE LEGAVI, HAERES MEVS NE DATO: ex nulla datione debetur: niſi ſpecialiter

liter dixerit: purè eum legatum velle accipere, ff. de adimend. legat. l. tertia, §. si Titio.

Conditio legati adimi potest, quamuis conditio non detur, sed adscribatur; quoniam, verò melius est sensum, quàm verba amplecti, ideo conditio sicut potest adscribi, ita & adimi, ff. eo. l. terria. §. conditio.

Cùm Titio centum testamento legasset testator, & eidem codicillis ita legasset: TITIO QVINQVAGINTA DVNTAXAT, NEC AMPLIVS HAERES MEVS DATO. non amplius quinquaginta legatarius petiturus est. d. l. tertia. §. cùm Titio.

Cùm centum, quæ quis purè reliquit, conditione adiecta iterum eidem legauit: si quidem quasi aliam hanc summam esse voluit: & quod purè relictum est, statim debebitur, & quod sub condittone adscriptum est, si conditio extiterit. Quòd si eandem summam, mutata voluntate, sub conditione reliquit, pura datio conditionalis effecta videbitur: Quare si in eodem testamento, in quo centum adscripserat, postea quinquaginta reliquerit; si quidem alia voluit esse hęc quinquaginta; centum quinquaginta debebuntur. sin verò quinquaginta tantùm deberi voluit: quinquaginta tantùm debebuntur. idem est, & si in codicillis id fuerit factum. ff. eod. l. ix.

Si legatum purè datum Titio, adimatur sub conditione, & pendente conditione Titius decesserit; quamuis conditio defecerit, ad hæredem Titii legatum non pertinebit. Nam legatum cùm sub conditione adimitur, perinde est, ac si sub contraria conditione datum fuisset, ff. eod. l. si legatum, x. in princ.

Interdum in legatis non posterior, sed præcedens scriptura valet. Nam si ita scripsero: QVOD TITIO INFRA LEGAVERO, ID NEQVE DO, NEQVE LEGO; quod infra legatum erit, non ualebit, ff. de lega. i. l. si mihi, xii. §. finali.

Si ita sit scriptum. SI CVI BIS LEGAVERO, SEMEL HAERES EI DATO: vel semel debeatur: & eidem duas quantitates adscripserit, vel duos fundos, vnum legatum videtur. Nam quod ademptum est, nec datum uidetur, sed & si post legata sæpius adscripta testator subiiciat, semel præstari uelle, & hoc ante impletum testamentum fecerit: ipso iure uidentur cætera legata adempta esse: & si quod magis ademptum sit, non appareat: potest dici exiguius esse præstandum, ff. de leg. i. l. si ita, xiiii.

Legata inutiliter data, ademptione non confirmantur. Nam purè legatum, si sub conditione adimatur, sub contraria conditione datum intelligitur: & ideo cõfirmatur; ademptio autem quò minus, non quò magis legatũ debeatur, interuenit. At quibus ex causis datio legato inutilis est, ex iisdem causis etiam ademptio inefficax habetur; veluti si viam pro parte adimas, ff. de adimen. lega. l. legata, xiiii.

Nihil interest, inducatur quod scriptum est, an adimatur, ff. eod. l. nihil, xvi.

Nihil prohibet priorem scripturam posteriorem corrigere, commutare, rescindere, ff. eo. l. nihil prohibet, xvii.

Rem legatam si testator viuus alii donauerit, omnimodo extinguitur legatum: nec distinguimus vtrum propter necessitatem rei familiaris, an mera uoluntate donauerit: vt si necessitate donauerit, legatum debeatur: si nuda uoluntate, non debeatur: hęc enim distinctio in donantis munificentiam non cadit: cùm nemo in necessitatibus liberalis existat, ff. dé adimend. legat. l. rem legatam, xviii.

Legatum nulli alii adimi poteſt, quàm cui datum eſt, qua propter ſi filio alieno legatum fuerit; patri legatum adimi non poteſt, ff. de admi. leg. l. legatum, xxi.

Ex parte hæres inſtitutus etiam legatum acceperat: eum teſtator inimicitiis grauiſsimis pſecutus, cùm teſtamentum aliud facere inſtituiſſet, neque perficere potuiſſet, præteriit. hæreditariæ quidem actiones ei non denegabuntur, ſed legatum ſi petat exceptione doli mali ſubmouebitur, ff. eo. l. ex parte, xxii.

Pater inter filios facultatibus diuiſis; filiam ex ratione primipili commodorum trecentos aureos accipere voluit, ac poſtea de pecunia commodorum poſſeſſionem parauit. nihilominus fratres, & cohæredes ſorori fideicommiſſum præſtabunt; nō enim abſumptum uidetur, quod in corpus patrimonii uerſum eſt. Cùm autem inter filios, diuiſo patrimonio, res indiuiſas ad omnes cohæredes pertinere uoluiſſet: ita poſſeſsionem ex commodis comparatam diuidi placuit, vt in eam ſuperflui pretii filia portionem hæreditariam accipiat: hoc enim euenirent in bonis pecunia relicta, ff. eod. l. pater, xxiii.

Pater hortos inſtructos filiæ legauit: poſtea quædam ex mancipiis hortorum vxori donauit; ſiue donationes teſtamento confirmauit, ſiue non confirmauit: poſterior voluntas filiæ legato potior erit, ſed, & ſi non ualeat donatio; tamen minuiſſe filiæ legatum pater intelligitur, ff. eod. l. legatum, xxiiii. §. fin.

Alteri ex hæredibus præceptionem prædii dedit: mox alteri præſtari aduerſus debitorem actiones ad eum finem mandauit, quo prædium fuerat comparatum: cùm poſtea prædio diſtracto, citra vllam offenſam eius, qui præceptionem acceperat, pretium in corpus patrimonii rediiſſet: non eſſe præſtandas actiones cohæredi reſponſum eſt, ff. eod. l. alteri, xxv.

Qui filias ex diſparibus portionibus teſtamento hæredes inſtituerat, penè omnium bonorum ſuorum eodem teſtamento diuiſionem fecit: Deinde hæc verba adiecit, RELIQVA AVTEM DE NEA SVBSTANTIA, QVEMADMODVM ET HAEREDITATIS ONERA, PERTINEBVNT SOLVMMODO AD PRIMAM, ET SECVNDAM FILIAS MEAS, AVT QVAE EX HIS SVPERSTES ERIT. poſtea codicillis longè aliam diuiſionem fecit bonorum inter eaſdem, inter quas, & teſtamento diuiſerat: quædam tamen nulli nominatim dedit: Quæſitum eſt, an prima, & ſecunda filia ex uerbis teſtamenti conſequi poſsint: vt ſolæ habeant ea, quæ nominatim nulli relicta ſunt in diuiſione, quæ nouiſsimè à patre facta eſt? & reſponſum eſt, non a tota voluntate receſsiſſe uideri, ſed his tantum rebus, quas reformaſſet, ff. de adimendis legatis, l. alumnæ. xxx. §. qui filias.

Matri ſuæ ex parte hæredi inſtitutæ quatuor prædia legauit; & fidei eius commiſit, ut ex his duo ſocero reſtitueret: deinde codicillis ſocero ademit fideicommiſſum: hoc non obſtante, ex prælegatione duo prædia ad matrem pertinebunt, ff. eod. l. filio, xxxi. §. matri.

Seia teſtamento ſuo legauit Titio auri pondo quinque, Titius accuſabat eam, quòd patrem ſuum mandaſſet interficiendum. Seia poſt inſtitutam accuſationem codicillos confecit, nec ademit Titio priuigno legatum, & ante finem accuſationis deceſsit. acta cauſa, pronuntiatum eſt patrem Titii, ſcelere Seiæ, nō interemptum legatum Titio non debetur, ff. de adimend. legat. l. penultima. §. Seia.

Filiæ, quam in poteſtate habebat, inter cætera legauit peculium, idem poſt factum teſtamentum pecuniam àdebitore filiæ exegit, & in ſuam rationem conuertit. Quæſitum eſt, an filia eo nomine cùm hæredibus patris agere poſsit? & reſpon

ſum

ſum eſt, ſi probetur non adimendi animo factum, agere poſſe, d. l. pen. §. fin.

Detrahere legatis, vel adiicere, ſi nihil præter numeratam pecuniam legatam ſit, promptum eſt. cùm verò res corporales interueniunt, & ſcriptura difficilior ſit, & obſcura portio, ff. eod. l. fin.

Nuda voluntate legatum adimitur. Vnde ſi capitales, vel grauiſsimæ inimicitiæ interceſſerint, ademptum videtur quod relictum eſt. Sinautem leuis offenſa; manet legatum, & hoc tractatur doli mali exceptione oppoſita, ff. eod. l. tertia. §. fina.

Quòd ſi iterum in amicitiam redierint, & pœnituerit teſtatorem prioris offenſæ legatum relictum redintegratur. Ambulatoriam eſt enim voluntas defuncti vſque ad ſupremum vitæ exitum, ff. eod. l. quarta.

Transferri quoque legatum ab alio ad alium poteſt, ſiue in eodem teſtamento, ſiue in codicillis hoc teſtator fecerit, inſti. de adem. leg. §. transferri.

Sicut adimi legatum poteſt, ita & ad alium transferri: hoc modo, QVOD TITIO LEGAVI, ID SEIO DO. quæ res in perſona Titii tacitam ademptionem continet, ff. de adim. leg. l. quinta.

Legatum ſub conditione relictum, & ad alium translatum, ſi non conditio perſonæ cohæreat; ſub eadem conditione translatum videtur, ff. de cond. & demonſtrat. l. legatum, xciiii.

Translatio fit quatuor modis: aut enim a perſona in perſonam transfertur: aut ab eo, qui dare iuſſus eſt, transfertur, vt alius det: aut cum res pro re datur, ut pro fundo decem aurei: aut quod purè datum eſt, transfertur ſub conditione. ſed ſi id, quod à Titio dedi, a Mæuio Dem: quamuis ſoleant eſſe duo eiuſdem rei debitores, tamen uerius eſt hoc caſu ademptum eſſe legatum. Nam cum dico, QVOD TITIVM DARE DAMNAVI, SEIVS DAMNAS ESTO DARE: videor dicere, ne Titius det. item ſi pro fundo decem legentur; quidam putant, non eſſe ademptum prius legatum: ſed uerius eſt ademptum eſſe. Nouiſsima enim uoluntas ſeruatur, ff. de adim. leg. l. ſexta.

Quod ſi alii legatur ſub conditione quod alii purè datum eſt. non plenè receſſum uidetur à primo, ſed ita demum ſi conditio ſequentis extiterit. cæterùm ſi hoc animo fuerit teſtator, vt omnimodo receſſum à primo putauerit; dicendum erit, à primo ademptum legatum, ff. eod. l. ſeptima.

Et ideo ſi uiuo teſtatore mortuus fuerit is, in quem translatum legatum fuerit, nihilominus ad eum, à quo translatum fuit, pertinebit, ff. eo. l. octaua.

Si quis ita legauerit, TITIO FVNDVM DO, LEGO: SI TITIVS DECESSERIT, SEIO HAERES MEVS DARE DAMNAS ESTO, rectè translatum legatum videtur, ſed & ſi iam mortuo eo, cui legatum erat, eaſdem res tranſtulerit. [illegible]eio debetur, ff. eod. l. tertia, in princ.

Si quis Titio legauerit ſic, TITIO DATO; AVT SI TITIVS ANTE DECESSERIT, QVAM ACCIPIAT, SEMPRONIO DATO. ſecundum meram ſubtilitatem vtrique obligatum videri hæredem, ideſt, & Sempronio, & hæredi Titii, ſed ſi quidem mora Titio ab hærede facta eſt; ad hæredes eius legati exactio tranſmittitur, Sempronio repellendo. Sinautem nulla mora interceſſerit; tunc Sempronius legatum accipiet, & non Titii hæredes, ſed ſi ante diem legati cedentem deceſſerit Titius: ſoli Sempronio debetur legatum. Sed & cũ quis ita legaſſet, HAERES MEVS TITIO DATO, SI NON DEDERIT, SEMPRONIO DATO. ita demum Sempronio debetur, ſi dies eius in perſonã Titii non ceſsiſſet, ff. eo. l. iii. §. ſi quis Titio, & §. ſed & cum q̃s.

Si

Si quis ita legauerit, HAERES MEVS TITIO FVNDVM DATO: ET SI TITIVS EVM FVNDVM ALIENAVERIT: HAERES MEVS EVNDEM FVNDVM SEIO DATO, oneratus est hæres, Non enim à Titio fideicommissum relictum est, si alienasset fundum, sed ab hęrede ei legatum est. Hæres igitur debebit, doli mali exceptione posita, prospicere sibi cautione à Titio de fundo non alienando, ff. eod. l. iii. §. si quis ita.

Si ita legatum sit. TITIO DECEM HAERES MEVS DATO; SI TITIO NON DEDERIT, EADEM DECEM SEMPRONIO DATO: si moriatur Titius ante diem legati, Sempronius legatum vtiliter petet: translatum enim legatum intelligi debebit, ff. eod. l. si legatum, x. §. fin.

Legatum sub conditione datum cùm transfertur, sub eadem conditione transferri videtur, si non conditio priori personæ cohæreat; nam si quis vxori sublatis liberis legauerit; repetita conditio non videbitur, quæ fuit in persona mulieris necessaria, ff. eodem l. legatum, xxiiii. in principio.

Si transferam legatum in eum, cum quo nobis testamenti factio non est: licet ei non debeatur: nec illi tamen debebitur, cui fuerit ademptum, ff. eodem l. & si trensferam. xx.

Vbi testator transferre legatum voluit in nouissimum: priori non debebitur, tametsi nouissimus talis sit; in cuius persona legatum non constitit, ff. de leg. i. l. l. planè 34. in prin.

Fęlicissimo, & Fęlicissimæ fundum Gargilianum legauit cum casa: & alio capite Titio filio, quem ex quarta parte hæredem scripserat, prælegauit in hæc verba: TITI FILI HOC AMPLIVS DE MEDIO SVMITO LEGATA MEA QVAE MIHI TAM PATER TVVS PRAESENS, QVAM MELIVS IVSTVS FRATER PATRIS RELIQVERVNT: cùm fnndus Gargilianus testatrici à marito eius idest, à patre Titii filii, legatus sit: non est verisimile eam, quæ nihil aliud Fęlicissimo, & Fœlicissimæ, nisi hæc, quæ specialiter legauit, ad filium cui, & hæreditatis suæ, partem reliquit legatum generali sermone transferre voluisse, ff. de leg. iii. l. vxorem. 39. alias 41. §. fœlicissimo.

Legata inutiliter data confirmari possunt per repetitionem: idest, per hanc scripturam postea fortè in codicillis factam. HOC AMPLIVS EI HAERES MEVS DATO: & diuersum est in illa scriptura, QVAS PECVNIAS LEGAVI, QAIBVS DIES APPOSITVS NON EST, ANNVA, BIMA TRIMADIE HAERES MEVS DARE DAMNAS ESTO; non enim hoc egisse testator videtur, vt confirmauit, quæ inutiliter sunt: sed vt diem vtilibus prorogaret. Idem, & in substituto impuberi verum est, vt si fuerit ab impubere inutiliter legatum, substitutus hoc habeat, si hoc amplius legatum ab eo sit relictum aliquid, nec ille patri hæres extiterit, & impubes decesserit, ff. de leg. i. l. legata, xix. in prin.

Repetendorum legatorum facultas ex eo testamento solutorum danda est, quod irritum esse post defuncti memoriam damnatam apparuit: modò si iam legaris solutis, crimen perduellionis illatum est, ff. de lega. secundo, l. cum filius. lxxviii. §. fina.

DE

DE REGVLA CATONIANA.
Titulus II.

CATONIANA Regula ſic definit, quod ſi teſtamenti facti tempore deceſsiſſet teſtator, inutile foret: id legatum quandocunque deceſſerit, non valere. Quæ definitio in quibuſdam falſa eſt: quid enim ſi quis ita legauerit, SI POST CALENDAS MORTVVS FVERO, TITIO DATO? an cauillamur? Nam hoc modo ſi ſtatim mortuus fuerit, non eſſe datum legatum verius eſt, quàm inutiliter datum. item ſi tibi legatus eſt fundus, qui ſcribendi teſtamenti tempore tuus eſt: ſi eum viuo teſtatore alienaueris, legatum tibi debetur: quod non deberetur, ſi teſtator tunc deceſsiſſet, ff. de reg. cat. l. prima.

Sed & ſi ſic legauerit; SI FILIA MEA TITIO NVPTA ERIT: ſufficere viſum eſt, ſi mortis tempore nupta inueniatur, licet teſtamenti facti tempore fuerit impubes, ff. eod. l. ſecunda.

Placet Catonis regulam ad conditionales inſtitutiones non pertinere, ff. eodem l. quarta.

Regula Catoniana ad nouas leges non pertinet, ff. eod. l. fin.

Catoniana regula non pertinet ad hæreditates, neque ad ea legata, quorum dies non mortis tempore, ſed poſt aditam cedit hæreditatem, ff. eodem, l. tertia.

DE HIS, QVI SIBI ADSCRIBVNT IN TESTAMENTO, ET QVAE PRO NON SCRIPTIS HABENTVR.
Titulus. III.

SI quis hæreditatem, vel legatum ſibi adſcripſerit, pronon ſcripto habetur: ſed ſi huiuſmodi inſtitutio habeat ſubſtitutum, pars hæreditatis ad ſubſtitutum pertinebit: Nam ſenatus cùm pœnas legis Corneliæ conſtitueret aduerſus eum, qui ſibi hæreditatem, vel legatum ſcripſiſſet: eodem modo improbaſſe videtur, quo improbatæ ſunt illæ, QVA EX PARTE ME TITIVS HAEREDEM SCRIPTVM IN TABVLIS SVIS RECITAVERIT, EX EA PARTE HAERES ESTO. vt perinde haberentur, ac ſi inſertæ teſtamento non fuiſſent. ff. de his quæ pronon ſcript. habeut, l. prima.

Quæ in teſtamento ſcripta eſſent, neque intelligerentur, quid ſignificarent: ea perinde ſunt, ac ſi ſcripta non eſſent. reliqua autem per ſe ipſa valebunt, ff. eodem. l. ſecunda.

Si in metallum damnato quid extra cauſam alimentorum relictum fuerit: pro non ſcripto eſt, nec ad fiſcum pertinet. ſed, & ſi poſt teſtamentum hæres inſtitutus, vel legatarius in metallum datus fuerit: ad fiſcum non perti-

net, ff. eodem l. tertia.

Si eo tempore, quo alicui legatum adſcribebatur in rebus humanis non erat; pro non ſcripto hoc habebitur. ſed & ſi hoſtium poteſtate erat, cum teſtamentum fiebat, neque ab hoſtibus rediit: pro non ſcripto erit, & ita Iulianus ſcribit, ff. eod. l. quarta.

Quod quis ſibi adſcripſerit, ſi alii reſtituere à teſtatore iuſſus eſt: cum onere fidei commiſsi id apud hæredem remanet, quamuis pro non ſcripto eſſet. idem eſt, & in teſtamento militis, ff. eod. l. fin.

Quamque interpretantur iuris periti, vt contra legem Corneliam videatur ſe ſcribere hæredem emancipatus filius patre dictante: tamen ſi cum teſtamentnm non eſſet ſcriptum, iuſtus ſucceſſor futurus eſt filius patri: Perinde habebitur atque ſi ſua manu pater filium hæredem ſcripſiſſet, functus dulci officio. C. de his, qui ſibi adſcribunt, l. prima.

Si teſtator codicillis, quos ſcripſiſti legatum tuoque ſeu fideicommiſſum reliquiſſet tibi ſua manu adſcripſit: non videris in pœnam Senatus conſulti incidiſſe: Quod ſi teſtamentum dictaſſe codicillis ſignificauit, legato quidem, vel fideicommiſſo abſtinere debes. Pœna vero falſi Principali beneficio remittitur, C. eod. l. ſecunda.

Senatuſconſulto, & edicto Diui Claudii prohibitum eſt eos, qui ad ſcribenda teſtamenta adhibentur, quamuis dictante teſtatore, aliquod emolumentum ipſis futurum ſcribere: & pœna legis Corneliæ facienti irrogata eſt, cuius veniam deprecantibus ob ignorantiam, & profitentibus à relicto diſcedere, ampliſsimus ordo, vel Diui Principes veniam raro dederunt, C. eodem. l. tertia.

Quæ in teſtamento vxoris maritus ſua manu legata ſibi adſcripſerit, pro non ſcriptis habentur: & legis Corneliæ pœna, ſi venia impetrata non eſt, locum habet. C. eod. l. quarta.

Miles adhibitus ad teſtamentum commilitonis ſcribendum iuſſu eius equum ſibi adſcripſit, hoc pro non ſcripto habetur: & ideo id legatum petere non poteſt. ſed indulgentia Principis pœna legis Corneliæ remittitur, in quam creditur magis errore, quàm malitia incidiſſe, C. eod. l. penultima.

DE HIS, QVAE VT INDIGNIS AVFERVNTVR.

Titulus IIII.

INDIGNVM eſſe illum decretum eſt, qui manifeſtiſsimè comprobatus eſt id egiſſe, vt per negligentiam, & culpam ſuam mulier, à qua hæres inſtitutus erat, moreretur, ff. de his, quæ vt indig. auf. l. tertia.

Qui principale teſtamentum arguit: & à ſecundis tabulis repellendus eſt: item à codicillis ad teſtamentum factis, licet non confirmatis. non idem ſequendum eſt, ſi ſecundas tabulas, vel codicillos coarguit: quia non utrunque hoc caſu improbaſſe uidetur, ff. eodem. l. quinta. §. qui principale.

Qui

Qui Titii testamentum falsum dixit,nec obtinuit:hæredi eius hęres existere prohibendus non est:quia non principaliter in Titii hæreditatem succedit,ff.eo. l.septima.

Indigno hærede pronuntiato;adempta hæreditate confusas actiones restitui nõ oportet,ff.eod.l.octaua.

Cùm quidam scripsisset hæredes,quos instituere non potuerat:quamuis institutio non valeret:neque superius testamentum ruptum esset : hæredibus tamen vt indignis,qui non habuerunt supremam voluntatem,abstulit iampridem Senatus hæreditatem,quod Diuus Marcus in eius persona iudicauit, cuius nomen peracto testamento testator induxerat: causam enim ad præfectos ærarii misit: Verũ ab eo legata relicta salua manserunt . De præceptionibus eidem datis,voluntatis erit quæstio;& legatum,ei non denegabitur,nisi hoc euidenter testatorem voluisse appareat,ff.eod.l.cùm quidam,xii.

Hæreditas in testamento data per epistolam,vel codicillos adimi verbis directis non potuit:quia tamen testatrix voluntatem suam non mereri vnum ex hæredibus suis declarauit:meritò eius portio non iure ad alium translata fisco vendicata est.C.de his,quibus vt indignis,l.iiii.

Hæredi,qui falsos codicillos esse dixit,neque obtinuit, hæreditas non aufertur: si tamen aliquid à cohærede codicillis acceperit, eius actio denegabitur. itaque si bonorum inter hæredes diuisionem defunctus codicillis fecerit:partes quidem hęreditarias,in quibus legatum consistere non potuit,tenebit,sed falcidiæ beneficio non vtetur,si tantum in amissis portionibus erit, quod falcidiam æquitate compensationis recusaret, ff. de his, quæ vt indignis. l. hæredi . xv.

Pro parte hæres institutus,prædii legatum acceperat,& in hæreditate non capienti restituendi tacitum ministerium susceperat, quanquam legatum pro ipsius parte, non constitisset, ideoque portionem istam pro hærede possideret : tamen ei prædium integrum restituendum est:neque enim ratio iuris,ac possessionis varietas inducit diuisionem voluntatis, ff. eodem l. eum, qui xviii. §. pro parte.

Eos,qui ne testamentum ordinaretur,impedimento fuisse monstrantur,velut indignas personas à successionis compendio remoueri,celeberrimi iuris est. C. si quis aliquem testari prohi.l.secunda.

Ciuili disceptationi crimen adiungitur, si testator non sua sponte testamentum fecit,sed compulsus ab eo,qui hæres est institutus,vel à quolibet alio,quos noluerit,scripsit hæredes,C.eodem l.prima.

Sed iudicium vxoris postremum in se prouocare maritali sermone non est criminosum,C.eodem l.tertia.

Si scriptis hæredibus ideo hęreditas ablata est,quod testator aliud testamentum, mutata voluntate facere voluit, & impeditus ab ipsis est ; ab uniuerso iudicio priore recessisse is uidetur,ff.de his quæ.l.si scriptis,xix.

Si testamentum patris iure factum filius negauit ; quoniam de iure disputauit, non iudicium impugnauit,aut accusauit;retinet defuncti uoluntatem,ff.eod. l.penultima.

Ei , qui mortem uxoris non defendit , ut indigno dos aufertur , ff. de his quæ l. ei xx.

Minoribus uigintiquinque annis hæredibus, non obesse crimen multæ mortis placuit . cùm autem minores proponant etiam accusationem pertulisse,&

quosdam ex reis punitos, licet is, qui mandasse cędem dicitur prouocauerit: vereri non debent, ne quam hæreditatis paternæ quæstionem a fisco patiatur, conuenit enim pietati respondere causam appellationis reddenti, quòd si maioris ætatis fuissent: etiam ex necessitate prouocationis certamen implere debebant, vt possint adire hæreditatem, C. de his, quibus vt indig. l. sexta.

Si ideo vltio necis testatoris non est desiderata, quia cædis authores reperiri non potuerint; obesse hæredibus ex quo nulla eorum culpa detegitur, non oportet. C. eod. l. septima.

Cùm frater fratrem suum veneno peremptum asseueret, vt effectus successionis eius sibi non auferatur, mortem eius vlcisci eum necesse est: licet enim hæreditatem eorum, qui clandestinis insidiis perimuntur ii, qui in iure vocantur, adire non vetantur; tamen si interitum non fuerint vlti, successionem obtinere non possunt, C. eod. l. cum fratrem viii.

Sororem fratris necem iure licito vindicantem, euincere ab vxore rectè scripta successionem non conuenit, secundum quæ si vxor fiduciam innocentiæ gerit, & neque dolo malo suo maritum necatum, neque alias indignam se successione probare confidit, aduersus omnem calumniam maximam habet securitatem. C. eod. l. sororem. x.

De legatis.

Si quis vnum hæredem quasi falsum adscriptum accusauit: ligatum ei non aufertur à cohærede relictum, quem non inquietauit, ff. de his, quæ vt indig. l. iiii.

Post legatum acceptum non tantum licebit falsum arguere testamentum, sed & non iure factum contendere, ff. eod. l. v. in prin.

Ille, qui non iure factum contendit, nec obtinuit, non repellitur ab eo, quod meruit: ergo qui legatum consecutus, postea falsum dixit, amittere debebit id, quod consecutus est, d. l. v. §. ille.

Amittere id, quod testamento meruit, & eum placuit, qui tutor datus excusauit se à tutela; sed si consecutus fuerit, non admittitur ad excusationem. diuersum putatur in eo, qui legatum tantum meruit, & à matre pupilli tutor petitus excusare se maluit; hic enim nihil contra iudicium defuncti fecit. sed hoc legatum, quod tutori denegatur, non ad fiscum transfertur, sed filio relinquitur, cuius vtilitates desertæ sunt d. l. v. §. amittere.

Item ei, qui tutor datus est, non prodest ad excusationem, quod falsum dixit, sed à legato remouetur, d. l. v. §. ei, qui tutor.

Si Pater accusauit testamentum, denegabitur ei actio etiam eius, quod filio legatum est, si ad ipsum emolumentum rei peruenturum est. quod si ad personam illius spectet, diuersum dicendum est. d. l. v. §. si pater,

Si filiusfamilias falsum accusauerit testamentum, si inuito patre accusauit, non est deneganda patri actio, d. l. v. §. si filiusfamilias.

Qui accusauit falsum, hæres legatario extitit, vel hæredi scripto, nihil huic nocere dicendum est, d. l. v. §. qui accusauit.

Aetati eius, qui accusauit, ignoscitur: & Maxime si tutor, vel curator dicere falsum testamentum velit, d. l. v. §. ætati.

His verò, qui testimonio suo mentionem accusationis adiuuauerunt, denegan da est actio. item & ei denegatur, qui accusatori adfuit, vel fideiussor pro eo extitit, d. l. v. §. his vero.

Aduocatum

Aduocatum verò fiſci,qui mentionem delatoris exequitur, in omnibus officii neceſsitas excuſat,d.l.quinta,§.aduocatum.

Qui mortis cauſa donationem accepit à teſtatore, non eſt ſimilis in hac cauſa legatario,alia eſt cauſa eius,qui propter teſtamentum à legatario accipere iuſſus eſt:hic enim vt indignus repelletur,& falcidiæ beneficium hæredi ſcripto auferri debere Diuus Pius, & Diuus Marius putauerunt, dicta l. quinta, §. qui mortis.

Omnes,qui ut indigni repellentur,ſubmouendi ſunt à præmio, quod ſecundum edictum Diui Traiani datur his,qui ſe deferunt,d.l.v.§.fin.

Si inimicitiæ capitales interuenerint inter legatarium,& teſtatorem, & veriſimile eſſe ceperit,teſtatorem noluiſſe legatum ſiue fideicommiſſum præſtari ei, cui adſcriptum relictum eſt:magis eſt,vt legatum ab eo peti non poſsit,ſed &ſi palam,& apertè teſtatori maledixerit,& infauſtas uoces in eum iactauerit: idē erit dicendum,ff.eod.l.ix.

Hæres,qui tacitam fidem contra leges accommodauit: in ea parte, in qua fraudem adhibuit,falcidia non utitur: & ita Senatus cenſuit. ſed ſi maior modus inſtitutionis,quàm fraudis fuerit,quod ad falcidiā attinet, de ſuperfluo quarta retinebitur,ff.eod.l.hæres qui,xi.

Reſcriptum eſt a principe,hæredem,rei,quam amouiſſet,quartam non retinere: & ideo ſi is,qui quadringenta habebat,vniuerſa quadringenta legaſſet, & hæres centum ſubtraxiſſet,trecentorum quartam retinebit (ſeptuagintaquinq; ſcilicet)& ducenta vigintiquinque dabit legatariis: ex centum,quę ſubripuit, legatariis quidem dabit, ſeptuagintaquinque reliqua, ideſt, vigintiquinque ad fiſcum venient. ff.eod.l.ſexta.

De fideicommiſsis.

Si is, cui rogatus ſum legatum reſtituere,falſum dixerit: reſtituere id fiſco debeo ff.eod.l.v.§.ſi is cui.

In fraudem iuris fidem accomodat;qui vel id,quod relinquitur, vel aliud tacitè promittit reſtituturum ſe perſonæ,quæ legibus ex teſtamento capere prohibetur;ſiue chirographum eo nomine dederit,ſiuè nuda pollicitatione repromiſerit,ff.eod.l.in fraudem,x.

Si quis ei,qui capere poſsit,rogatus fuerit reſtituere, & is mortis tempore prohibeatur legibus hoc capere:non dubitatur,quin & ſi deficit fideicommiſſum apud eum tamen,qui rogatus eſt reſtituere,manere debeat, quia nulla fraus eius interueniſſe uidetur:niſi ſi in futurum caſum fidem accommodauit, ideſt, vt licet capere legibus prohiberi cæperit,reſtituat,d.l.x.§.ſi quis ei.

Rectè dictum eſt,ſi pater filii,quem in poteſtate habebat,tacitam fidem interpoſuerit,non debere id filio nocere,quia parendi neceſsitatem habuerit, d. l.x. §.fina.

Cùm tabulis ſecundis pater filio impuberi fratris filios, cohæredibus datis, ſubſtituiſſet,ac ſubſtituti fratris filii,poſt mortem pueri matrem eius partus ſubiecti ream poſtulaſſent,ut hæreditatem patrui legitimam obtinerent: victis auferendam eſſe partem hæreditatis ex cauſa ſubſtitutionis reſponſum eſt; quia ex teſtamento ſententiam ſecundum ſe dictam non habuerunt, ff. eod. l. cum tabulis ſecundis,xvi.in princ.

Si quilibet hæres ex cuiuſcunque teſtamento tacitè rogatus fuerit, vt quadrantem, quem legis falcidiæ beneficio retinuit, non capienti reſtituat: æquè locus erit Senatuſconſulto: neq; enim multum intererit inter tale fideicommiſſum, & cum quis id, quod ad ſe ex hæreditate peruenerit, reſtituere rogatus ſit. ff. eod. l. ſi quilibet, xxiii.

Si Gener ſocerum hæredem reliquerit: taciti fideicommiſsi ſuſpicionem ſola ratio paternæ affectionis non admittit, apud Scæuolam libro trigeſimo digeſtorũ Claudius notat: ſi uiuo teſtatore deceſſerit is, cui illicitè legatum relictum erat, non à fiſco hoc vindicatur, ſed apud eum, à quo relictum eſt, remanet, ff. eod. l. finali.

Polla quidem liberam habuit adminiſtrandi patrimonii ſui poteſtatem: nec idcirco, quòd pupillus illi hæres extitit, ea, quæ ab ipſa finita ſunt, reuocari in diſceptationem oportet. ſed ſi pupilli nomine tutor falſum dicere teſtamentum vult, de quo per Pollam tranſactum eſt, poteſt experiri, dum meminerit, ſi in cauſa non obtinuerit, & portionem, quam ex teſtamento pupillus habet ſe ei ſaluam facturum (quam adimi pupillo neceſſe erit ſecundum iuris formam) & de calumnia ſua Præſidem deliberaturum, quamuis pupilli nomine agere uideatur, cùm retractet ea, quæ finita ſunt per cohæredem. C. de his, quibus vt indignis. l. ſecunda.

Cùm hæredis nomen mutata voluntate paterfamilias inciſis tabulis induxiſſet, atque ideo fiſco portionis emolumentum adiudicatum fuiſſet: eam rem legatariis non obeſſe, qui retinuerant voluntatem, Diuo Marco placuit, & ideo cùm ſuo onere fiſcum ſuccedere, ff. de his, quæ. l. cùm tabulis ſecundis, xvi. §. finali.

Hæredem, qui ſciens defuncti vindictam omiſit, & inſuper habuit fructus: omnes reſtituere cogendum exiſtimatur; nec probè deſideraturum actionem confuſam reſtitui. deceptum autem ignoratione facti, bonæ fidei poſſeſsionis defenſionem habiturum, ante motam ſcilicet controuerſiam, ſi ratio fructuum ſubducatur: nec improbè confuſam actionem reddi poſtulaturum, ff. eodem l. hæredem, xvii.

Eum, qui tacitum fideicommiſſum in fraudem legis ſuſcepit, eos quoq; fructus, quos antè litem motam percepit, reſtituere cogendum reſponſum eſt. Quod bonæ fidei poſſeſſor fuiſſe non uidetur, exemplo bonorum fiſco vindicatorum poſt motam de tacito fideicommiſſo controuerſiam, ante pretia fructuum percepta reſtituenda ſunt: quia Diuus Seuerus benignè decreuit, fructus duntaxat deberi, non etiam eorum intereſſe, ff. eod. l. eum, qui. xviii.

Bonis uniuerſis ex cauſa taciti fideicommiſsi fiſco reſtitutis, hæredem onus æris alieni non ſpectare conuenit, nec aliud ſeruatur morte non defenſa. ſi quid tamen ob aditam hæreditatem actionibus, aut ſeruitutibus confuſis amiſerit, auxilio reſtitutionis non merebitur, d. l. eum, qui. §. bonis.

Hæredes, quos necem teſtatoris inultam omiſiſſe conſtiterit, fructus integros coguntur reddere: neque enim bonæfidei poſſeſſores ante controuerſiam illatam uidentur fuiſſe, qui debitum officium pietatis ſcienres omiſerunt. Ex hæreditate autem rerum diſtractarum, uel à debitoribus acceptæ pecuniæ poſt motam litem bonorum, intereſſe præſtabunt. Quod in fructibus quoque locum habet, quos in prædiis hæreditariis innentos, aut exinde perceptos uendiderint, C. de his, quib. ut indig. l. prima.

Alias cauſa eſt eius, qui falſi inſtituta accuſatione, ad finem uſque, quod inſimulabat,

labat, perduxit, & contrariam sententiam meruit, alia eius, qui inchoatam accusationem non pertulit: cum in illius quidem partem succedat fiscus: hic autem, qui contrariam iudicis sententiam non sustinuit, suæ partis non perdat persecutionem. C. eod. l. octaua.

DE CADVCIS TOLLENDIS.
Titulus V.

NON ab apertura tabularum, sed à morte testatoris omnes habent licentiam adire hęreditatem, similique modo legatorum & fideicõmissorum purè vel in diem certam relictorum, dies à morte testatoris cadit. C. de caduc. tollend. l. unica. §. cum igitur.

Triplici modo ea, quæ in ultimis elogiis relinquuntur deficiunt: Nã primò uel his relinquuntur, qui in rerum natura tunc temporis cùm condebantur ultima elogia, non fuerunt: fortè hoc ignorantibus testatoribus, vel secundo uiuo testatore, is qui aliquid ex testamento habuit, post testamentum subtrahitur, aut ipsum relictum expirabat, fortè quadam conditione, sub qua relictũ erat deficiente: uel tertiò iam mortuo testatore hoc, quod relictum erat, deficit. C. de caduc. tol. l. vnica §. & cum per triplici.

In primo ordine, quando his relinquitur, qui in rerum natura tunc temporis cum condebantur ultima elogia non fuerant, & PRO NON SCRIPTIS esse leges existimabant: hæc omnia bona manebunt apud nos scilicet hæredes, à quibus fuerãt derelicta: nisi uacuatis uel substitutus, suppositus vel coniunctus fuerat aggrauatus: tunc. n. non deficiunt, sed ad illos pertinet, nullo grauamine (nisi perrarò) superueniente: & pro parte hæreditaria lucri fit distributio, cùm & ab ipsis simili modo si voluissent præstaretur: nisi nominatim ab vno, vel certis hæredibus fuerit derelictum, tunc enim quemadmodum solus vel soli præstabunt: ita & lucrum sentient: si autem legatarii uel fideicommissarii sint vel mortis causa donatione, honorati, uel alia fortè persona, quæ fideicommisso grauari potest, & hoc euanescat, manet hoc apud memoratas personas pro numero personarum, C. de cad. toll. l. unica. §. in primo. itaque, & §. sed ut manifestetur, & §. sin autem legatarii.

Pro secundo ordine, quando uiuo testatore is, qui aliquid ex testamento habuit, & hac luce subtrahitur, uel ipsum relictum expirat fortè quadam conditione deficiente, & appellatur IN CAVSA CADVCI, simili modo manent res apud eos, à quibus sunt derelictę, hæredes fortè uel legatarios, uel alios, qui fideicommisso grauari possunt: nisi & in hunc casum, vel substitutus, vel coniunctus eos antecedat. Sed omnes personas, quibus lucrum per hunc ordinem defertur, eas etiam grauamen, quod ab initio fuerat complexum, omnimodo sentire: siue in dando sit constitutũ, siue in quibusdam faciendis, uel in modo, uel conditionis implendæ gratia, & uel alia quacunque uia excogitatum, neque enim ferendus est is, qui lucrum quidam amplectitur, onus autem ei annexum cõtemnit. d. l. unica. §. pro secundo.

In nouissimo articulo, quando iam mortuo testatore id, quod relictum erat, deficiebat; est aperta uoce CADVCVM nuncupabatur, etiam clausis tabulis tam existunt hæredes, quàm possunt adire, siue ex parte sint, siue ex asse instituti, & dies legatorum & fideicommissorum à die morte defuncti cedit hæreditas etenim, nisi fuerit adita, non transmittitur, nisi infantes sint, secundum legem si

infanti. C. de iure deliberandi vel deliberãtes ab hac luce cõmigrant. Excepto etiam usufructu, quem sua natura ad hæredes legatarii transmitti non patitur, quia neque à morte testatoris, neque ab adita hæreditate, quantum ad transmissionem dies eius cedit. Sed hæc omnia in iis obseruantur secundum præfatam dispositionem, quæ purè, uel in diem certum relicta fuerint. d.l. unica, §. in nouissimo, & §. libertatibus.

Sin autem aliquid sub cõditione relinquitur, uel causuali, uel potestatiua, uel mista quarum euentus ex fortuna, uel ex honoratæ personæ uoluntate, vel ex utroque pendeat, uel sub incerta die: expectatur conditionis euentus: Vt tunc cedat, cùm vel conditio impleatur, vel dies incertus extiterit. Quod si medio is, qui ex testamento lucrum sortitus est, decedat, uel eo superstite conditio defecerit, hoc, quod ideo non præualuit manet apud eos, à quibus relictum est; nisi & hic vel substitutus relictum accipiat uel coniunctus, siue hæres, siue legatarius, hoc sibi adquirat: cum certi iuris sit, & in institionibus, & legatis, & fideicommissis, & mortis causa donationibus posse substitui d. l. unic. §. sin autem aliquid.

Et si quidem conditio, uel aliud grauamen in dando sit constitutum, lucrum pro modo lucri agnoscitur. Sinautem in faciendo aliquid impositum est: siquidem per alium impleri possit, simili modo & à lucrante agnoscitur: puta si honorata persona iubeatur insulam uel quid tale suis sumptibus facere, vel hæredi, uel legatario, uel alii forte, cui testator uoluerit, uel rẽ ab hærede testatoris emere, uel locationem, uel fideiussionem subire, & in similibus factis. nihil enim refert, siue per eum, de quo testator locutus est, siue per alium eiusdem lucri successorem adimpleatur. Sin uerò talis est uerborum conceptio & facti natura, vt quod relictum est, ab alio impleri non possit: tunc & si lucrum ad aliquem peruenerit, non tamen & grauamen sequitur: quid enim si testator iusserit eum in certũ locũ abire, uel si libentibus studiis imbui, uel domum suis manibus exstruere, uel pingere, vel vxorem ducere: Quę omnia testatoris uoluntas in ipsius solius persona intelligitur conclusisse, cui & suam munificentiam relinquebat. Hoc uidelicet in omnibus obtinente ut pro simili parte & lucrum sentiatur, & grauamen, ubi hoc possit procedere suberãt. Et hoc locum habet omni quidem modo in his, quæ in CAVSA CADVCI, vel CADVCA fiebant: in PRO NON SCRIPTIS, non omnibus, sed quibusdam: quia eorum quædam, & si talia sint, tamen cum suo onere ueniunt. d. l. vnica, §. ne autem hoc.

Cùm in hac lege superius in pluribus locis coniuncti facta sit mentio: necessariũ est omnem inspectionem huius articuli latius & cum subtiliore tractatu dirimere, vt sit omnibus & hoc apertissimè constitutum, nõ enim tantum coniunctiuo modo quædam relinquuntur, sed etiam disiunctiuo. si itaque cohæredes sunt omnes cõiunctim, vel omnes disiunctim, & vel instituti, vel substituti: hoc, quod fuerit quoquo modo euacuatum, si in parte hæreditatis uel partibus consistat, aliis cohęredibus cum suo grauamine pro hæreditaria parte, etiam si iam defuncti sint, adquiritur. Et hoc nolentibus ipso iure adscrecit, si suas portiones iam agnouerint cùm sit absurdum eiusdem hæreditatis partem quidem agnoscere, partem verò respuere. Si uerò quidam ex hæredibus institutis permisti sunt, & alii coniunctim, alii disiunctim nuncapati, tunc siquidem ex coniunctis aliquis deficiat, hæc omnimodo ad solos, coniunctos cum suo onere uenit, & pro parte hæreditatis, quæ ad eos peruenit. Sin autem ex his, qui disiunctim scripti sunt, aliquid euanescat: hoc non ad solos disiunctos, sed ad omnes tam

con

coniunctos, quàm disiunctos cum suo onere pro portione hæreditatis peruenict. Hoc tam variè, quia cõiuncti quidem propter unitatem sermonis, quasi in unum corpus redacti sunt, & partem coniunctorum sibi hæredum quasi suam præoccupant. Disiuncti uerò ab ipso testatoris sermone, apertissimè sunt discreti; vt suum quidam habeant alienum autem non soli appetant, sed cum omnibus cohærdib. suis accipiant. Et hæc in hæredibus tãtummodo statuenda sunt C. de cad. toll. l. vnic. §. his itaque definitis, vsq; ad §. vbi autem legatarii.

Vbi legatarii, vel fideicommissarii duo fortè vel plures sunt, quibus aliquid relictum sit, si quidem hoc coniunctim relinquatur: & omnes veniant ad legatum, pro sua quisque portione hoc habet. si verò pars quædam ex his deficiat, ea omnibus, si habere uoluerint, pro uirili portione, cum omni suo onere accrescat, uel si omnes noluerint, tunc apud eos remanet, à quibus derelictum est: cùm verò quidam voluerint, quidam noluerint, volentibus solummodo id totum adcrescit. Sin autem disiunctim fuerit relictum; si quidem omnes accipere, & potuerint & maluerint: suam quisque partem pro virili portione accipiet; & non sibi blandiantur, vt unus quidem rem, alii autem singuli solidam eius rei æstimationem accipere desiderẽt. hoc autem ita fit nisi testator apertissimè & expressè disposuerit, nt vni quidem res solida, aliis autem æstimatio rei singulis in solidum præstetur. Sin verò non omnes legatarii, quibus separatim res relicta sit, in eius acquisitionem concurrant, sed unus fortè eam accipiat, hæc solida eius fit; quia sermo testatoris omnibus prima facie solidũ assignare videtur, aliis superuenientibus partes a priore abstrahentibns, ut ex aliorum quidem concursu prioris legatum minuatur. Sin uerò nemo alius ueniat, vel uenire potuerit, tunc non euacuatur pars, quę deficit, nec alii adcrescit ut eius, qui primus accipit, legatum augere uideatur, sed apud ipsum, qui habet, solida remanet, nullius concursu diminuta. & ideo si onus fuerit in persona eius, apud quem remanet legatum adscriptum, hoc omnimodo impletur, ut voluntati testatoris pareatur. si autẽ à deficientis persona hoc onus fuerit collatum hoc non sentit is, qui non alienum, sed suum tantum legatum non deminutum habet, sed & uarietatis non in occulto sit ratio; cùm ideo uideatur: testator disiunctim hæc reliquisse, ut vnusquisque suum onus non alienum agnoscat: nam si contrarium volebat, nulla erat difficultas coniunctim ea disponere. C. de cad. tollen. l. vnica. §. ubi autem legatarii.

AD LEGEM FALCIDIAM.
Titulus VI.

SVperest, vt de lege Falcidia dispiciamus: nam nouissimè lata est lex Falcidia, qua cauetur, ne plus legare liceat, quàm dodrantem totorum bonorum, idest, ut siue vnus hæres institutus sit, siue plures, apud eum eosve Pars Quarta remaneat. Insti. de leg. Falc. in princ. & ff. eod. l. prima, in princ. & C. eo. le secunda.

Lex Falcidia, vel inuitis testatoribus, si patrimonium legatis consumant, hęredib. permittit retinere quantum illis ad trientem vel semissem bonorum efficiendum satis sit. tametsi enim pugna contra testatoris voluntatem hac parte suscipi videtur, lege tamen permittente, id factum defenditur. si hæredes igitur eius legis beneficio vti velint, incontaminatam legi autoritatem cõseruare debent: neque ob ea forte, quæ vel subripuerunt, vel dolo interuerterunt falcidiam introdu-

troducere poſſunt, quæ neutique competitura ſit, ſi nihil dolo malo egiſſent interuertiſſentque. Fiat igitur ab hærede, qui metuit, ne quando, poſt æs alienum detractum, ſolutaque legata, falcidiam habiturus non ſit, inuentarium, eo modo, intraque ea tempora, intra quæ antea cùm hæreditariis oneribus uſque ad relicti patrimonii modum redactis, homines damno, quod ex additionibus in bonis propriis experiebantur, exempti ſunt, id ut fieret, lege lata determinatur eſt: illo ſolo adiecto, quod huiuſmodi hæredem, qui non tantum creditores, ſed etiam legatarios uereatur, metuitque non tantum, ne quid damni accipiat, ſed etiam ne careat lucro, ſcire oporteat omnes omnino legatarios, & fideicommiſſarios, quot quot in ciuitate præſentes ſunt, aſſumendos eſſe, aut certè, qui uicem eorum gerant, ſi fortè, uel perſonarum natura, uel dignitas, uel qualitas, uel etiam quæuis neceſsitas facultatem illis in conficiendo inuentario abſentiæ præbeat. Si qui uerò abfuerit; eius rei teſtes ex fide dignisſimus in ea ciuitate hominibus, quique ibi rem ſoli poſsideant, nec malæ exiſtimationis ſint non pauciores quàm tres accedant: (quod enim ad eam rem pertinet, tabulariis ſolis fidem non habemus) coram quibus inuentariũ fieri conuenit: quo magis redeuntibus aliquando legatariis, & fortè quærentibus ſubtractum eſſe quid rerum, aut in inuentario non expreſſum, integrum ſit etiam iureiurando tam hæredis, quàm teſtium, qui ſe actis affirment interfuiſſe, ſpectaſſeque, quæ tunc gerebantur, nec conſcios eſſe ullius ab hærede perpetrati maleficii, rem ipſam inquirere, & ueritatem de his, quæ mortis tempore teſtator in bonis habuit inuenire; niſi fortè præſentes legatarii, uel omnes, uel quidam ex iis teſtato conuenti uenire, & conficiendo inuentario adeſſe noluerint: tunc enim impune fuerit hæredi, ſi uel legatariis non euidentibus teſtium præſentia contentus, inuentarium faciat repoſito nihilominus & ipſis legatariis hæredis iure iurando. Atque his omnibus obſeruatis beneficium habeat falcidiæ. Enimuerò ſi inuentarium ea forma non fecerit, non retinebit falcidiam: ſed legatariis & fideicommiſſariis ſatisfaciet, tametſi præſtatio puræ ſubſtantiæ defuncti modũ exceſſerit: nec per hoc lex finalis. C. de iure delib. infirmatur, quæ diſponit, ne quid per creditores damni hæredibus adferatur in rebus ſuis: præſtabit enim illis, ut pœnam ſuæ improbitatis luat ex eo, quòd leges tranſgreſſus ſit; cùm licuiſſet illi cautè omnia agenti non ſolum nihil ſentire damni, ſed etiam per contrarium ea, quæ lege falcidia deferuntur, lucri facere. Hæc autem procedunt, vbi errans teſtator de ſua ſubſtantia hoc agit; aut fortè cùm debuiſſet etiam ampliorem quantitatem hæredi relinquere, pro minore diſpoſuit; etenim etiam hoc errantis ſententiæ eſt, & nõ puræ, & integræ deſignationis. ſi verò expreſsim deſignauerit, non uelle hæredem retinere falcidiam, neceſſarium eſt teſtatoris ualere ſentẽtiam; & aut uolentem eum parere teſtatori: forſan etiam quædam iuſtè & piè relinquenti, lucrum non in percipiendo, ſed ſolummodo piè agendo habentem; aut ſi noluerit eum recedere quidem ab huiuſmodi inſtitutione, locum ſic verò fieri ſubſtitutis, & cohæredibus, & fideicommiſſariis, & legatariis, & iis, qui ab inteſtato veniunt. Nouell. conſt. prima, de hæred, & falcid. §. hunc nos cura, & cogitatio, vſque ad §. non dabimus.

Non datur autem hæredi exactè patrimonii modum noſcenti licẽtia, vt aliis quidem protinus ab initio integra legata ſoluat, ipſamque teſtatoris voluntatem plenè conſeruet, aliis verò partem detrahere velit; & partim teſtatoris voluntati ſatisfacere partim eam minuere; ſed ut is, qui circa ſubſtantiæ quantitatem

tatem nihil omninò errauerit,& ſtatim atque cognouit teſtatoris uolūtatem, ſecutus ſit. per omnia eam exequetur,nec pœnitentia abducetur ad deteriora, neque.n.hoc eſſet purè ſequi.d.Nouell.i. §.non dabimus.

Sed neque illis,qui cum initio pernoſcerent,inconſideratè tamen perſoluerunt, permittitur,vt percipientibus,poſt deinde negotium faceſſerat: cupiantque, quod ſoluerunt ab iis recipere. conuenit enim, ut conſilium antefacta capiatur,tunc demum agatur: non autem quod rectè fecerit,reiicere in ignorantiā; niſi iuſta aliqua id cauſa introducat,puta ſi quid propter opinionem emergat, quod patrimonium deminuat,& repetitioni locum faciat.d.conſt.1.§.ſed neque illis.

Illud quoque proſpectam eſt,ne tempus huiuſmodi quæſtionib. in longum producatur: nam huiuſmodi quæſtio, aut controuerſia anni ſpatium non excedet: neceſsitas hæredi imponenda,ut omninò ab adita hæreditate intra annum & legata ſoluat,& à teſtatore relicta pro cuiuſq; rei natura præſtet,& omnia denique faciet,quæ ſupra dicta ſunt, ac quemadmodum iam ante dictum eſt,anno initium datur ex admonitione iudiciaria decreto facta; nam ſi culpa hæredis annus prætereat,tunc et ipſe relictis excedet,& alii ad ea peruenient, qui ad ea vocantur. Pupillis ſanè,& ætate minoribus lex nihil præiudicat. nā ſi quid ex cauſis enumeratis damno acceperint,duplici potiuntur auxilio,tum ut reſtitutionem in integrum petant, tum vt curatores negligentiæ condemnent.d.conſt.1. §.illud quoque.

Quoniam verò duplex ratio teſtamentorum exiſtit,vt vel in diſpoſitionem ſcripto comprehenſam deferatur,vel in voluntatem ſine ſcripto cōſiſtentem: omnia hæc eodem modo & ex æquo obſeruabuntur tam in teſtamentis, quàm ſi abſque ſcripto conſiſtentibus,quàm in quauis vltima voluntate & perſona, ſiue ea priuata ſit,ſiue militaris,ſiue qualiſcunque.in vniuerſum enim omnibus hęc lex hominibus communis ponitur.d.Nouell.1. §.quoniam.

Quarta,quæ per legem falcidiam retinetur æſtimatione,quam teſtator fecit,nō magis minui poteſt,quàm auferri.ff.eod.l. quod bonis.xv.§. fin.

At ſi in teſtamento ita ſcriptum ſit. HAERES MEVS LVCIO TITIO DECEM DARE DAMNAS ESTO: ET QVANTOQVIDEM MINVS PER LEGEM FALCIDIAM CAPERE POTERIT TANTO AMPLIVS EI DARE DAMNAS ESTO. ſententiæ teſtatoris ſtandum eſt. ff.eo. l.ſi in teſtamento,lxiiii.

Sæpius euenit, ne emolumentum eius legis hæres conſequatur: nam ſi centum aureorum Dominus uiginti quinque alicui dediſſet, & eum inſtituerit hæredem,& dodrantrem legauerit: nihil aliud ſub occaſione legis falcidiæ interuenire poteſt: quia uiuus uidetur hæredi futuro prouidere. ff.ad.l.falicdiam.l.cū quo,56.§. fin.

Omiſſa falcidia,quo pleniorem fidem reſtituendæ portionis hæres exhiberet,nō uidetur plus debito ſoluiſſe.C.eo.l.prima.

Lex falcidia etiam ad eos,qui apud hoſtes moriuntur propter legem Corneliam pertinere uidetur: quod ea lex perinde eorum teſtamenta confirmat, atque ſi in ciuitate deceſsiſſent: propterquam fictionem lex falcidia,& omnes teſtamētariæ pertinent,quæ tamen poſsint locum habere.ff.eo.l.prima.§.lex falcidia.

Ad eos,qui omiſſa cauſa teſtamenti poſsident hæreditatem,non pertinet lex falcidia: ſed per edictum Prætoris inducitur poteſtas legis. idemque eſt,ſi iuriſiurandi conditio remiſſa ſit. dicta l.prima.§.ad eos.

falcidiæ iniri posſit? Reſponſum eſt, id quidem, quod à cohærede legatorum nomine percipitur, non ſolet legatariis proficere, quominus falcidiam patiantur, ſed cum is, qui legatum præſtaturus eſt, ab eodem aliquid ex teſtamento petit, non eſt audiendus, deſiderans vti aduerſus eum falcidiæ beneficio: ſed id, quod percepturus eſt, ex voluntate teſtatoris ſuppleat, quod deducere deſiderat. Planè cæteris legatariis non vniuerſum, quod cohæredi præſtat imputabit, ſed quantum daturus eſſet, ſi nihil ab eo perciperet. ff. eod. l. Neſennius. xxii. in princ.

Si vtriuſque hæredis pars exhauſta eſt legatis, & alter ex hæredibus cautionẽ prætoriam accepit à legatariis: non æqualiter, ſed pro ſuo modo legis falcidiæ rationem, & actionem ex ſtipulatu habiturus eſt. omnes enim prætoriæ ſtipulationes eiuſmodi interpretationis ſunt. nam conſtat, ex iudicatum ſolui ſtipulatione, ſiue à parte actoris, ſiue à rei plures hæredes extitiſſent, non omnibus, nec aduerſus omnes, actionem contingere: ſed dumtaxat his, qui viciſſent, & aduerſus victos: hisque, aduerſus quos res defenſa non eſſet, aduerſus eos, qui rem non defendiſſent. ff. eo. l. pœnales, xxxii. §. Iulianus.

Si Titio viginti legatis portio per legem falcidiam detracta eſſet, cum ipſe quoque quinque Seio rogatus eſſet reſtituere: Vindius noſter tantum Seio pro portione ex quinque detrahendum ait, quantum Titio ex viginti detractum eſſet: quæ ſententia & æquitatem & rationem magis habet: quia exemplo hæredis legatarius ad fideicommiſſa præſtanda obligabitur. nec quia ex ſua perſona legatarius inducere falcidiam non poſsit, idcirco quòd paſſus eſt, non imputaturum: niſi fortè teſtator ita fidei eius commiſiſſet, vt totum quicquid ex teſtamento cœpiſſet, reſtitueret. ff. eod. l. pœnales, xxxii. §. ſi Titio.

Si cohæredem meum poſt aditam hæreditatem adrogauero: non dubitabitur, quin ſeparandæ ſint portiones perinde, atq; ſi cohęredi meo hæres extitiſſem. ff. eod. l. prima. §. ſi cohæredem.

Si dignum decem fundum damnetur hæres quinquę vendere: ſine dubio quinque erunt imputanda falcidiæ. ff. eod. l. ſi dignum, xix.

Si pupillus, cui ſine tutore auctore decem mutua data ſunt, legatum à creditore meruerit ſub hac conditione, ſi decem, quæ acceperit, hæredi reddiderit vna numeratione: & implet conditionem, & liberatur naturali obligatione, ut etiam in falcidia hæredi imputentur: quamuis non imputarentur, ſi tantum conditionis implendæ cauſa data fuiſſent, adeo autem ſoluere uidetur, ut repudiato legato nihil repetere poſsit. ff. eod. l. ſi pupillus, xxi. in principio.

Falcidiæ legis rationem, ſi haberi oportet, ita habendam, ac ſi hæ res, quæ ab hærede ſubtractæ ſunt, in hæreditate relictæ non fuiſſent. Fœtus animalium ante diem fideicommiſsi editi ad hæredes eius, qui rogatus eſt, pertinent: in quartam quartæque fructus computantur, ſi legis falcidiæ quæſtio intercedat. Fructus verò ex propria re hæredis, quæ legata eſt; poſt diem fideicommiſsi cedentem percepti, & ſi non ſint reſtituendi fideicommiſſario, hæredi in quartam computari non ſolent, ff. eod. l. falcidiæ, xxiiii.

Fructus prædiorum ſub conditione verbis fideicommiſsi relictos in cauſam fideicõmiſsi nõ deductos, hæres in ratione falcidiæ ſic accepto facere ſibi cogitur: vt quartã, & quartæ fructus ex die mortis bonorũ, quæ mortis tẽpore fuerunt, habeat. Nec ad rẽ pertinet, quando falcidia lex admiſſa ſit. nã etſi maximè poſt

impletam

impletam conditionem fideicommissum locũ habere cœpit; tamen ex die mortis fructus quadrantis apud hæredem relinqui necesse est. ff. eod. l. quod bonis xv. §. fructus.

In quartam hæreditatis, quam per legem falcidiam hæres habere debet: imputantur res, quas iure hæreditario capit; non quas iure legati, vel fideicommissi, vel implendæ conditionis causa accipit. nam hæc in quartam non imputantur. Et ideo si centum prædium legauerit defunctus, si quinquaginta hæredi legatarius dederit: centum legatis computatio fit, & quinquaginta extra hæreditatem habentur, ne in quartam ei imputentur, ff. eo. l. in quartam. xci. in princ. & §. fi. qui incipit, & ideo.

Titia testamento suo Titium fratrem suum ex parte tertia hæredem instituit; fideique eius commisit, vt hæreditatem, retenta quarta parte, secundæ, & proculæ restituat. eadẽ fratri quædam prædia prælegauit. Quęsitum est, an Titius ea, quæ prælegata sunt, etiam pro ea parte hæreditatis, q̃ rogatus est restituere, integra retinere debeat: responsum est, Titium legata integra retinere debere; sed in partem quartam imputari oportere duodecimã partem prędiorum, sed si non esset adiectum, vt pars quarta deduceretur, totum trientem prædiorum legi falcidiæ imputari oportere; quoniam contra sententiam matrisfamiliæ lex falcidia induceretur, ff. eod. l. Titia testamento, 86.

In lege falcidia hoc est seruandum, vt si duo rei promittendi fuerint, vel duo rei stipulandi: si quidem socii sint, in ea re diuidi inter eos debere obligationem, atque si singuli partem pecuniæ stipulati essent, vel promisissent. Quòd si societas inter eos nulla fuisset, in pendenti est, in utrius bonis computari oporteat id, quod debetur, vel ex cuius bonis detrahi, ff. eo. l. in lege falcidia, 62. in prin.

Si fundus legatus sit quinquaginta dignus, sub hac conditione, si quinquaginta hæredi dedisset; plerique putant, vtile esse legatum, quia conditionis implendæ causa datur. nam constat etiam falcidiam eum pati posse, sed si quinquaginta aurei legati sint, si quinquaginta dedisset: inutile esse legatum, & magis ridiculum esse, ff. eod. l. si fundus, 65. in prin.

Pecunia relicta ad alimenta puerorum, falcidiæ subiecta est; & idoneis nominibus collocari debet. Et interesse præstaturus est is, qui frustrationis causa beneficium legis falcidiæ implorauit, ff. eod. l. diui, 89.

Computationi in alimentis faciendæ hanc formam esse Vlpianus scribit; vt à prima ætate vsque ad vigesimum quantitas alimentorum, triginta annorum computetur, eiusque quantitatis falcidia præstetur. Ab annis verò viginti vsque ad annũ vigesimumquintũ, annorũ vigintiocto. Ab annis vigintiquinq; vsque ad annos triginta, annorum vigintiquinque. Ab annis triginta vsque ad trigintaquinque annorum viginti duorum. Ab annis trigintaquinque vsq; ad annos quadraginta, annorum viginti. Ab annis quadraginta vsq; ad annos quinquaginta, tot annorũ cõputatio fit, quot ætati eius ad annum sexagesimũ deerunt, remisso vno anno. Ab anno verò quinquagesimo, vsque ad annum quinquagesimumquintum, annorum nouem. Ab annis quinquagintaquinque vsq; ad annum, lx. annor. septẽ. Ab annis sexaginta cuiuscunq; ętatis sit, annorum quinque eoque nos iure vti; Vlpianus ait, & circa computationẽ vsusfructus faciendam. Solitum est tamen à prima ætate vsque ad annum trigesimum, computationem annorum triginta fieri. Ab annis uero triginta, tot annorum computationem inire, quot ad annum sexagesimum deesse videntur. nunquam ergo amplius, quàm triginta annorum computatio initur. sic deniq; & si reipublicę

vsusfructus legetur, siue simpliciter, siue ad ludos triginta annorum computatio fit, ff. eo. l. computationi, lxviii. in prin.

Quædam legata diuisionem non recipiunt: vt ecce legatum viæ, itineris, actiuè. ad nullum enim ea res pro parte potest pertinere. sed & si opus municipibus hæres facere iussus est, indiuiduum videtur legatum: neque enim vllum balineum, aut vllum Theatrum, aut studium fecisse intelligitur, qui ei propriã formam, quæ ex consumatione contingit, non dederit: quorum omnium legatorum nomine, & si plures hæredes sint, singuli in solidum tenentur. Hæc itaque legata, quæ diuiduitatem non recipiunt, tota ad legatarium pertinent, sed potest hæredi hoc remedio succurri, vt æstimatione facta legati, denuntiet legatario, ut partem æstimationis inferat, si non inferat: vtatur aduersus eum exceptione doli mali, ff. eod. l. si is, lxxx. §. quędam.

Sed vsusfructus legatus uenit in computationem legis falcidiæ. nam diuisionẽ recipit, adeo vt si duobus legatus fuerit, ipso iure ad singulos partes pertinent. ff. eo. l. sed vsusfructus. 81. in prin.

Si fundus mihi legetur, & uia: in falcidiæ ratione si tantùm sit in via, quanto amplius est in falcidia, integer fundus capietur. & via perit. sed si via legetur, nec soluendo sit hęreditas: non debebitur. videndum etiam, si fundo & via legata, minus ex utroque desideretur: quàm sit vię pretium: potest coacta ratione dici, non tantùm fundum solidum capi, sed etiam ut doli exceptio tantum sarciat, quantum deest, ne plus habeat, q̃ falcidię desiderat: ut tunc solũ uia intercidat quotiens plus falcidia desiderat, q̃ est uię pretium. ff. eo. l. si fundus. 23.

Interdum euenit, ut propter rationem legis falcidiæ sequens legatum extinguatur; veluti si fundus, & ad eum uia legata sit per alium fundum. nam si pars fundi remanserit in hæreditate, non potest procedere uiæ legatum, quia per partem seruitus adquiri non potest, ff. eo. l. Plautius, 49. §. fin.

Si debitor creditori hæres existat, quamuis confusione liberetur, tamen locupletiorem hæreditatem percipere uidetur, ut computetur ei, quod debet, quamuis aditione confusum sit. ff. eo. l. prima. §. si debitor.

Si debitori liberatio legata sit: quamuis soluendo non sit, totum legatum computatur. licet nomen hoc non augeat hæreditatem, nisi ex euentu. Igitur si falcidiæ locum habeat, hoc plus videbitur legatum, quod huic legatum esset. cætera quoque minuẽtur legata per hoc, & ipsum hoc per alia: capere. n. uidetur eo, quòd liberatur. sed si alii hoc nomen legetur: nullum legatum erit, nec cæteris contribuetur, ff. eod. l. Nesennius. 22. §. fin.

Quærebatur, cùm is, qui solùm in nomine quadraginta in bonis habebat, ipsi debitori liberationẽ, Seio autem quadraginta legauerit: si debitor, uel soluendo non sit, vel centum facere posit: quantum quisque habeat interuẽtu legis falcidiæ dicebatur legem falcidiam ex eo, quod refici ex hæreditate potest, quantam hæredi tribuere: residuum dodrantem inter legatarios distribuere. quare cùm nomen minus soluendo est in hæreditate: eius quod exigi potest, pro rata sit distributio: residui venditio facienda est, ff. eo. l. quærebatur. 82. in prin.

Si quis quadringentorum fortè solidorum habens substantiam, iusserit hęredem non aliter adire hæreditatem, nisi prius trecentos octoginta solidos cuidam persoluat, uel aliam quantitatem, quæ deminuere falcidiæ rationem potest: hæres si adierit legis falcidiæ beneficio replebitur quidem, quod ad falcidiam deest, & prius eo dato, uel retento, (siue una ratio est, quæ celebrari disposita fuerit, siue in multas diuiditur personas) præfatæ legis immutilatum

mutilatum habet beneficium. Si enim cum mortis causa donatio procedit, & hæc ultra modum legis Falcidiæ excedat hæres post aditionem repetet eam pecuniam, quæ ultra modum Falcidiæ corporaliter quidem data est lege, autem in patrimonio testatoris permansit; quare non in præsenti casu viuentibus, & morientibus prouidebitur. C. ad leg. Falcidiam. l. penultima.

Cuius debitor soluendo non est, tantum habet in bonis, quantum exigere potest ff. eod. l. pretia, lxiii. §. cuius.

Si creditor filii tui hæredem te instituerit, & legis falcidiæ rationem ponas: peculii quantitas, quod aditæ hæreditatis tempore fuisset, in quadrantem tibi imputabitur. ff. eod. l. si creditor. lxxxiii.

Quod autem dicitur, si ex iudicio defuncti quartam habeat hæres, solida pręstanda esse legata: ita accipiendum est, si hæreditario iure habeat. itaq; quod quis legatorum nomine à cohęrede accepit, in quadrantem ei non imputatur. ff. eod. l. quod autem, lxxiiii.

Sed si ideo legatum ei datum est, ut integra legata, vel fideicommissą præstet: deneganda erit actio legati, si lege falcidia vti mallit. ff. eod. l. sed si, lxxv.

Id autem, quod conditionis implendæ causa, uel à cohærede, uel legatario datur, in falcidia non imputatur: quia mortis causa capitur: qua ratione placuit legata, quæ legatarii non capiunt, cùm apud hæredes subsederint hæreditario iure apud eos remanere intelligi: & ideo quadranti imputanda: nec quicquā interesse, utrum statim ab initio legatum non sit; an quod legatum est remanserit. ff. eod. l. id autem, lxxvi.

Tametsi legis falcidiæ ratione, quæ conditionis implendæ causa hæredi sunt data, in quartam non computantur: tamen id, quod non figura conditionis accipere iussus est ab eo, cui hæreditatem restituere rogatus est, Celso, & Iuliano placuit computari: quemadmodum si ea summa hæres vendere eas res iussus esset, quia non conditionis implendæ causa, sed quodammodo pro pretio inferre, sunt iussi. Quo loco amplius quæsitum est; an fideicōmissarius quoque inuitus cogatur dare eam summam, & recipere hæreditatem, quasi & ipsius fideicommissum esset. sed id verisimile non est, cum talis oratio magis ipsius causa, quàm cōtra ipsum posita videatur. ff. eo. l. in ratione, xxx. §. tametsi.

Id, quod ex substitutione cohæredis, ad cohæredem peruenit, proficit legatariis. is enim similis est hæres ex parte purè, ex parte sub conditione hæredi instituto, sed ea, quę ab eo legata sunt, si omiserit hæreditatem, non augebuntur, scilicet si ab eo nominatim data sunt, non, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT. ff. eodem, l. prima, §. id quod.

Cohæredibus relicta legata, quatenus modus legis falcidiæ præstitutus, patitur, posse peti, certissimi iuris est. C. eod. l. cohæredibus, xvii.

Id, quod natura hæreditati debetur, & peti quidem non potest, solutum verò non repetitur; non esse computandum in hæreditate, quidam putant. sed Iulianus, & hoc ex euentu augere patrimonium, aut non augere existimat, & hæreditario iure id quoque capi: ideoque, & in restitutionem hæreditatis stenturum. ff. eod. l. prima. §. id quod.

Cùm lex falcidia interuenit: non veniunt in contributionem, quæ ipsi hæredi à semetipso legata fideive commissa sunt. Alia causa est eorum, quæ in die certa dantur. ff. eod. l. in ratione, xxx. §. cùm lex.

Res, quas neque per fideicommissum relinqui posse certum est: in legis falcidiæ computationem non veniunt. d. l. in ratione. §. fin.

In falcidia placuit,vt fructus postea percepti,qui maturi mortis tempore fuerũt, augeant hæreditatis æstimationem fundi nomine,qui videtur illo in tempore fuisse prætiosior,ff.eod.l.in falcidia,viii.

Ex donationibus in vxorem collatis,quod hæres eius reddere viro cogitur,in bonis mulieris non erit: nam ita fit locupletior,vt tanto pauperior esse videatur. quod autem hæres inde minuit,viro non perit, ff. eodem. l. quod bonis, xv.§. ex donationibus.

Fideicommissum portionis supplendæ gratia,pro qua matrem filius hæredem instituit,eidem matri datum ratione falcidiæ minuitur: & eam pecuniam mater supra quartam portionis suæ percipiet,d.l.quod bonis. §. fideicommissum.

Maritum suum & filium communem ęquis partibus hæredes instituit; quæsitum est,an in ratione legis falcidię imputandum sit marito,quod ad eum ex eadem hæreditate per filium peruenit? responsum,si ex institutione filii tantum retineat,quantum ad falcidiam satis sit,nihil quartæ nominæ deducendum, ff.eo. l.maritum,xxv.in princ.

Dos relegata extra rationem legis falcidiæ est,scilicet quia suam rem mulier recipere videtur. sed & de his quoque rebus, quæ mulieris causa emptæ paratæ essent,vt hæ quoque extra modum legis essent, nominatim ipsa falcidia lege expressum est,ff.eod.l.sed vsusfructus.lxxx.§.fin.

Si dos socero data est,& solus filius hæres patri extitisset: dotem confestim in cõputatione hæreditatis,& falcidiæ rationem in ęre alieno deducet: aliter enim videbitur indotatam vxorem habere. quòd si extraneum cohæredem habeat: ipse quidem semper pro qua parte patri hæres erit,dotem in ære alieno deducet,& cohæres eius antequam dos à filio percipiatur,ff.eod.l.si dos,lxxxv.

Cùm dotem maritus alicui legauerit,vt uxori restituatur;non habere legem falcidiam locum,dicendum est: & sanè in plerisque ita obseruatur, vt omissa interpositi capientis persona spectetur,ff.eo.l.cum dotem,lvii.

Cùm prædiorum dotis apud maritum iure remanentis instrumenta verbis precariis, vel testamento, vel codicillis vxor sibi mandauit dari: eius iudicium successores implere compelluntur;cùm instrumentis prædiorum domino relictis,falcidiæ nulla potest interuenire qnæstio,C.eod.l. si prædiorum.xv.

In donationibus inter virum, & vxorem factis legem falcidiam habere locum, quando fideicommissi partibus funguntur,nonnullis iuris ciuilis placitis cõprehensum est.C.eod.l.in donationibus,xii.

Lineam margaritarum triginta quinque legauit,quæ linea apud legatarium fuerat mortis tempore;hæres potest consequi,vt ea linea ei restituatur; propter legem falcidiam;ac si malit potest vindicare partem in ea linea, quæ propter legis falcidiæ rationem deberet remanere,ff.eod.l.lineam.xxvi.

Pretium statuarum falcidiam pati debet,d.l.lineam in fine.

Si à me tibi fideicommissum,vel legatum est, tumque id post tempus rogatus sis mihi restituere;hoc imputandum in falcidiam nõ est: quia incipio postea quasi fideicommissarius id recipere,ff.eod.l.si à me.xxix.

Si cui,si decem dedisset, viginti fundus fuisset legatus: is in toto fundo legatarius habebitur.ff.eod.l.ad veterani,xl.§.fin.

Cùm emptor venditori,vel è contra,hęres extitit: euicto equo,benignius est,eodem hærede existente non duplum;sed simplum ei imputari, ff. eodem l. cùm emptor.xlviii.

Non est dubium, quin ea legata, à quibus hæres submouere exceptione petitorem

rem poteſt,in quartam ei imputentur,nec cæterorum legata minuantur. Nec intereſt,vtrum ab initio quaſi inutile fuerit, an ex accidenti poſtea in eum caſum perueniſſet legatum,vt actio eius denegaretur,ff.eod. l. non eſt dubium, 50.cum l.ſeq.

Pater filium,ex quo tres habebat nepotes,hæredẽ inſtituit;fideique eius commiſit,ne fundum alienaret,& vt in familia eum relinqueret. filius decedens tres filios ſcripſit hæredes.quærendum eſt,an omnino quaſi creditores vnuſquiſq; in ratione legis falcidiæ aliquid poſsit deducere;quia in poteſtate ſua habuit pater,cui ex his potius relinqueret? ſed hac ratione nemo in falcidiæ ratione quicquam deducet,quod videndum,ne durè conſtituatur: vtique enim in alieno ære habuit fundum; neceſsitate quippe obſtrictus fuiſſet filiis eum relinquendi,ff.eo.l.pater filium.liiii.

Qui fundum ſolùm in bonis centum relinquebat,ſi hæredem ſuum damnauerit, ut eum quinquaginta Titio venderet: non eſt exiſtimandus, amplius quàm quinquaginta legaſſe; ideoq; lex falcidia locum non habet. Item ſi is,qui duos fundos in bonis centum haberet,ſi me & Titium hæredes inſtituiſſet, & damnaſſet me,vt Titio fundum Cornelianum quinquaginta venderem,& è contra Titium damnaſſet,vt mihi fundum Seianum,quinquaginta venderet: non uidetur quemadmodum lex falcidia locum habere poſsit: cùm vterque hæredũ vnius fundi partem dimidiam hæreditario iure habiturus ſit,in qua pars dimidia hæreditatis eſt.nam certè qui damnatus eſt fundum Cornelianum vendere Seiani fundi partem iure hæreditario habet.item qui damnatus eſt fundũ Seianum vendere,partem Corneliani fundi hæreditario iure retinet,ff.eod.l. qui fundum,lxxxvii.in princ.

Si quis hæredem inſtituerit eum, cui rogatus fuerat poſt mortem ſuam centum reſtituere,in ratione legis falcidiæ centum deducere debet: quia ſi alius quilibet hæres extitiſſet,hęc centum in ære alieno ponerentur. Si tu ex quarta parte,Titius ex parte quarta hæredes ſcripti fueritis: deinde tu ex parte dimidia hæres inſtitutus fueris ſub conditione,& legata data;pendente conditione tota præſtabuntur: quia ſiue conditio extiterit te hærede exiſtente,vtraque valẽt: ſiue conditio defecerit,tu & Titius hæredes eritis. lege falcidia ſi hoc quæris, an exiſtente conditione miſcetur quadrans tuus & ſemis,atque ita pro dodrãte ratio ponenda eſt cum his,quibus à te purè hærede legatum eſt, reſpondebitur,miſceri duas partes,d.l.qui fundum.§.ſi quis hæredem.

Si hæres,cuius fideicommiſſum eſt,ut accepta certa pecunia hæreditatem reſtituat,à voluntate eius,qui teſtamentum fecit,diſcedat, & poſtea legis falcidiæ beneficio vti volet:&ſi non detur ei, quo accepto hæreditatem reſtituere rogatus eſt;tamen fideicommiſſum reſtituere cogi debet: Quoniam quod ei paterfam.dari voluit,legis falcidiæ commodum præſtat,ff.eod.l.ſi hæres, xi.

Beneficio legis falcidiæ indignus eſſe uidetur,qui id egerit, vt fideicommiſſum intercidat. Præterea qui non capienti rogatus eſt reſtituere hæreditatem, Senatuſconſulto Plautiano non conceditur quartam retinere: ſed ea quarta,quã non retinuit,ad fiſcum pertinet ex reſcripto Diui Pii,ff.eod.l.beneficio, lix.

Legis falcidiæ beneficium hæres etiam poſt longum tempus mortis teſtatoris implorare non prohibetur,ff.eod.l.legis,lviii.

Error facti quartæ ex cauſa fideicommiſsi non retentæ repetitionem non impedit,is autem,qui ſciens ſe poſſe retinere, vniuerſam reſtituit, condictionem non habet,quinetiam ſi ius ignorauerit,ceſſat repetitio,C.eo.l.error, ix.

Poſt

Post aditam hæreditatem triennio exacto, legatariis hæres legem falcidiam opponit. idcirco, quòd administrauit tutelas testator, quarum ratio nondum reddita sit, & quòd neget tantum redigi ex nominibus posse, quantum in cautione deductum est. quæsitum est, an rationes defuncti, & omnium instrumentorum hæreditariorum, & pupillarium rationum, legatariis desiderantibus hæres adscribendi potestatē facere debeat, ne in potestate eius sit proferre quod velit, & per hoc in fraudem legatarii inducantur? responsum est, ad iudicis officium pertinere, explorare ea, per quæ probetur, quantum sit in bonis, ff. eod. l. penultima, §. post aditam.

Etiam si tacitum fideicommissum hæredem administrasse apparuerit: legata tamen, seu fideicommissa, quę testamento relicta sunt, præstanda esse, ambigi nō oportet: ad eum videlicet modum, quem lex falcidia patitur. Cùm quartā, quę aufertur hæredi; qui contra legem fidem suam obtulit, legatariis proficere nō placuit, C. eod. l. etiam si. iii.

Irritum quidem propterea testamentum fratris esse non potest, quòd ex causa fideicommisi obligatus fuit, vt si sine liberis prior decederet, paternam fratri hæreditatem redderet. sed licet eum hæredem scripserit, imponenda tamen legatorum ratione, quibus se oneratum suggerit, fideicommissum debitum ęris alieni loco deduci oportet, insuperque legis falcidiæ beneficium uindicabitur, C. eo. l. irritum viii.

Quamque pater filium suum rogauerit, ut si sine liberis diem suum fungeretur, portionem hæreditatis fratri suo restitueret. tamen intestato eodem diem suū defuncto, id quod beneficium legis falcidiæ habere potuit, ad successorem intestati pertinet. Ideoque non immerito soror, quæ simul cùm fratre ab intestato ei succesit, emolumenti quod retineri potuit, portionem sibi uendicare, manifestum est, C. eo. l. quamque, x.

Si pater eam portionem, ex qua filium fecit hæredem, fratribus suis restituere iussit, certisque speciebus pro falcidia præcepit esse contentam: auxilium legis falcidiæ, quod implorat, apud suum iudicem, non prohibetur flagitare, C. eo. l. si ut allegas, xi.

Quod vulgò dicitur, in tabulis patris, & filii vnam falcidiam seruari, qnam potestatem habeat, videndum est. Quamuis enim substitutus, quæ à pupillo relicta sunt, cùm filius hæres extitit, vt æs alienum quodlibet debeat: tamen propter ea, quæ data sunt tabulis secundis, contributioni locus est, secundum quæ poterit euenire, ne substitutus quicquam retineat, vel ut longè plus habeat quarta paternæ hæreditatis. Quid ergo si non sufficiat pupilli hæreditas legatis, cū patris suffecisset? de suo quadrante nimirum dabit substitutus, quoniam pater legauit de suo. Nec ad rem pertinet, quod ex nullo testamento præstatur vltra uires patrimonii: cùm in hac parte iuris, legata, quæ tabulis secundis relinquuntur, quasi primis sub conditione relicta intelliguntur, ff. eod. l. in ratione, xi. §. quod vulgò.

Si filio suo duos substituerit, & alterius portionem onerauerit: tractari solet, an ex persona sua falcidiam posit inducere substitutus, quam pupillus non haberet, vel vnus pupillo substitutus. & facilè quis dixerit, consequenter prioribus, quæ de patrimonii ratione dicta sunt, non esse falcidiæ locum, & ultra uires portionis conueniendum alterum substitutum, sed uerior est diuersa sententia, perinde huic quartam relinquendam existimantium, atque ita si patri hæres extitisset: ut enim opes patris, & contributio legatorum inde capiunt, &

formam

formam & originem;ita plures substituti subducta persona pupilli reuocandi sunt ad intellectum institutionis,ff.ad legē falcidiam,l.in ratione,xi.§.si filio.

Quid tamen dicemus de altero substituto,qui non est oneratus,si fortè nondum legata pupillus à se relicta soluit,& aliquid vltra dodrantem sit,in omnibus,& ipsum falcidiam habiturum? Atquin quartam habet;neque idem patiatur instituti comparatio.rursus si negetur;aliud apertè quàm quod vulgò probatum est,respondetur.itaque varietas existet;vt is quidem,qui proprio nomine oneratus est,velut institutus desideret quartam;alter autem,qui non est oneratus, vt substitutus,licet portio largiatur eius, non insolidum conueniatur propter calculi confusionem.Huic consequens est,vt si pupillo de falcidia cautum sit, duobus committatur stipulatio,videlicet in eam quantitatem,quam vnusquisque sibi retinere potuisset,d.l.in ratione.§.quid tamen.

Quæsitum est,si quis pupillo cohæredem substituisset, quemadmodum legis falcidiæ ratio inquiri debeat,& quale est.quod vulgo diceretur,legatorum rationem separandam? Dicendum est,quantum ad legata,quæ pater à filio, item à substituto reliquit,nullam fieri posse separationem,cum communi calculo subiiciantur,& inuicem inducant contributionem.sed legata, quæ ab instituto extero data sunt,permisceri cæteris non oportere. Ideoque quartam pupillo datæ portionis habere substitutum,quamuis suam portionem habeat. vt institutus.& aliam causam esse eius, qui exuariis portionibus hæres scriberetur; ibi enim legatorum coufundi rationem non minus,quàm si semel fuisset nuncupatus ex ea portione,quæ conficeretur ex pluribus;neque referre purè sæpe an sub diuersis conditionibus sit hæres institutus,d.l.in ratione. §. quæsitum.

Duobus impuberibus substitutum,vtrique hæredem existentem, in alterius hæreditate falcidia vti non conuenit,si de bonis alterius impuberis,quartā partem hæreditatis patris,quæ ad filios peruenerit,retineat. Quod si frater fratri legitimus hætes extitit,& impuberi supremo substitutus: portio quidem paternorum bonorum,quam intestatus pure accepit,rationi falcidiæ non confundetur: sed quartam eius portionem tantùm substitutus retinebit, quam impubes accepit,qui substitutum habuit,ff.eod.l.pater,xiiii.§.duobus.

Cùm pater impuberi filiæ hæredem substituit, id, quod ei legatorum nomine à patre obuenit,cùm hæreditas ad substitutos pertinet,in computationem legis falcidiæ non venit legato petito cùm in litem iuratum est, ratio legis falcidię, non eius summa,in quam legatarius iurauit,haberi debet: sed eius, quanti re uera id fuit,quod petitum est;nam id,quod pœnæ causa adcreuit,in legem falcidiam non incidit,ff.eod.l.cùm pater,lx.

In duplicibus testamentis siue de patrimonio quæratur,ea sola substantia spectatur,quam pater,cum moreretur habuerit.nec ad rem pertinet, si post mortem patris filius,vel adquisierit aliquid, vel deminuerit, siue de legatis quæratur, tam ea, quæ in primis, quàm ea, quæ in secundis tabulis relicta sunt, in vnum contribuuntur: tanquam si & ea,quæ à filii hærede reliquisset testator,à suo hęrede sub alia conditione legasset,ff.eod.l.in duplicibus,lxxix.

Si is,qui quadringenta in patrimonio habebat,filio impubere hærede instituto, ducenta legauerit,eique Titium,& Seium hæredes substituerit, & à Titio centum legauerit,videndum est quid iuris sit, si nondum solutis legatis pupillus decesserit,& ob id ea legata vtrique debent solus hæres Titius vtetur lege falcidia: cùm enim dncenta ex hæreditate pupilli ad eum pertineant, ducenta legatorum nomine debet,centum ex ducentis, quæ pupillus debebat: centum,

quæ

quæ dare ipse iussus est.itaque ex vtraque quantitate quarta deducta, habebit quinquaginta. In persona verò Seii lex falcidia non interuenit; cùm ad eum ex hæreditate pupilli ducenta pertineant; & debeat legatorum nomine centum ex ducentis,quæ à pupillo relicta sunt: quod si pupillus soluat legata; debent curare tutores pupilli,vt caueant legatarii,ff.eod.l.si is,qui.80.

Reperitur casus,quo hæres agere potest,quamuis testator agere non potuerit.veluti si tutor cùm solueret legata,non interposuerit stipulationem, quātò plus quam per legem falcidiam capi licuerit: solutum fuerit, reddi pupillus quidē eo nomine tutelæ non agit,sed hæredi eius hoc quoque nomine tutor obligatus erit.ff.eod.l.reperitur.84.

Qui filium suum impuberem,& Titium æquis partibus hæredes instituerat, à filio totum sensissem legauerat,à Titio nihil;& Titium filio substituerat. Quæsitum est,cùm Titius ex institutione adiisset,& impubere filio mortuo ex substitutione hæres extitisset;quantum legatorum nomine præstare deberet. & placuit,solida legata eum præstare debere. nam confusi duo semisses efficerent, vt circa legem falcidiam totius asis ratio haberetur, & solida legata præstarē tur.sed hoc ita verum est,si filius antequam patri hæres existeret,decessisset.si verò patri hæres fuit,non ampliora legata debet substitutus,quàm quibus pupillus obligatus fuerat;quia non suo nomine obligatur, sed defuncti pupilli; qui nihil amplius quàm semissis dodrantem præstare necesse habuit. Quòd si extranei hæredis semis totus legatus fuerit,isque pupillo,à quo nihil legatum erat,ex substitutione hæres extiterit,poterit dici legata augeri: & perinde agē dum,ac si cuilibet cohæredi substitutus fuisset,eoque omittēte hæreditatem, ex asse hæres extitisset;quia semper substitutus rationem legis falcidiæ ex quā titate bonorum,quæ pater reliquerit, ponet eadem dicenda sunt, & si pater duos impuberes hæredes instituerit, & eosdem inuicem substituerit, deinde iure substitutionis ad alterum hæreditas reciderit,& legis falcidiæ ratio habē da sit.ff.eod.l.qui fundum,87.§.qui filium.

Qui filios impuberes duos habebat,alterum hæredem instituit, alterum exhæredauit: deinde exhæredatum instituto substituit,ac postea exhæredato Mæuiū, & ab eo legauit: & exhæredatus fratri impuberi hæres extitit: Deinde impubes decessit.cùm iudicio patris facultates paternæ per causam hæreditariam ex substitutione ad Mæuium perueniant,potest dici, legata ab eo relicta præstanda esse,habita ratione legis falcidiæ in his bonis,quæ pater mortis tempore reliquerit. Nec huic contrarium est, quòd cùm exhæredato pater legatum dederit,nihilo magis substitutus legatis obligabitur;quia eo casu non hæreditatis paternæ portio,sed legatum ad eum peruenit. dicet aliquis, quid ergo si exhæredatus filius non ex substitutione fratri suo hæres extiterit, sed aut lege, aut per interpositam personam,atque ita impubes decesserit?sic quoque existimandus erit substitutus legata debere? Minimè,nam quantum intersit, exhæredatus filius ex substitutione fratri suo hæres existat;an alio modo: vel ex eo apparet,quòd alias ab eo legare pater potuit,alias non potuit: est igitur rationi congruens,ne plus iuris circa personam substituti testator habeat,quàm habuerat in eo,cui eum substituebat.d.l.qui fundum.§.qui filios.

Cohæres pupillo datus,si pro parte sua legata,habita legis falcidiæ ratione, præstiterit,deinde impubere mortuo ex substitutione hæres extiterit, & semis pupilli legatis exhaustus esset ex integro legis falcidiæ ratio ponenda erit,vt cōtributis legatis,quæ ab ipso, & quæ a pupillo data fuerant, pars quarta bono-

rum

rum apud eum remaneat: licet enim pupillo hæres existat; tamen circa legem falcidiam perinde ratio habetur, ac si patri hæres extitisset: nec aliter augebũtur legata, quæ ab ipso vltra dodrantem data fuerant, quàm augentur, cùm ex ea parte hæres institutus, & cohæredi suo substitutus, deliberante cohærede, legata habita ratione legis falcidiæ soluit, deinde ex substitutione alteram quoque partem hæreditatis adquirat. d. l. qui fundum. §, fin.

Interdum omnimodo necessarium est, solidum solui legatario, interposita stipulatione, QVANTO AMPLIVS QVAM PER LEGEM FALCIDIAM COEPERIT, REDDI? veluti si quæ à pupillo legata sint, non excedant modum legis falcidiæ: veremur autem, ne impubere eo mortuo, alia legata inueniantur, quæ contributione facta, excedant dodrantem. idem dicitur, & si principali testamento quædam sub conditione legata sunt, quæ an debeantur, incertum est; & ideo si hæres sine iudice soluere paratus sit; prospiciet sibi per hanc stipulationem. ff. eod. l. prima. §. interdum.

Quod auus ex causa tutelæ nepoti debuit, cum auo nepos solus hæres extitisset: ratio falcidiæ si poneretur, in ære alieno bonis deducendum est: nec ad rem pertinet, quod hæredem auus idemque tutor rogauerat, vt si sine liberis ante certam ætatem decederet tam hæreditaria, quam propria bona restitueret: non enim ex hoc hæreditas debito compensata videtur: cum, vel ideo maximè declaretur non esse compensationem factam, quoniam hæredem suum habere propria bona defunctus ostendit. planè si conditio fideicommissi fuerit impleta fructus hæreditatis post mortem aui percepti, pari pecunia debito tutelæ compensabuntur: sed quartam hæres nepotis de bonis duntaxat, quæ moriens auus reliquit, retinebit, ff. eod. l. quod bonis xv. §. quod auus.

Cùm fideicommissum ex voluntate matris à patre moriente debitum filio, pater hæreditatem suam, quam in filium conferebat, compensari voluit: quod filio debetur, si ratio falcidiæ poni cœperit: fini quadrantis, quem ex bonis patris cum effecta percepit, compensabitur. atque ita superfluum æris alieni dodranti tantum detrahetur. d. l. quod bonis. §. cum fideicommissum.

Is cui fideicommissum soluitur, sicut is, cui legatum est, satisdare debet: quod amplius cœperit, quàm per legem falcidiam ei licuerit, reddi: veluti cùm propter conditionem aliorum fideicommissorum, vel legatorum legis falcidiæ causa pẽdebit: Sed & secundum Casii, & veterum opinionem si à pupillo fideicommissa capiuntur: propter ea, quæ a substituto erunt relicta: cauere debebit is, cui soluatur. nam quamuis repetio sit eorum, quæ fideicommissi nomine non debita soluentur; tamen satisdatio cautum debet esse ei, à quo pecunia proficisceretur: ne damnum sentiat deficiente eo, cui solutum erit, ff. l. is cui. xxxi.

Maritus, Vxoris res extra dotem constitutas administrauit, eaque decedens ante rationem sibi redditam administrationis, ex asse eundem maritum hæredem; reliquit, eiusque fideicommisit, vt decem vncias filio communi, cùm moreretur, restitueret: duas autem vncias nepoti. Quæsitum est, an id quoque, quod ex administratione rerum apud maritum resedisse constiterit, cum cæteris bonis pro rata decem vnciarum filio restitui debeat? responsum est id, quod debuisset hæreditati, in rationem venire debere. ff. eod. l. Maritus. penultima.

Filiæ, quam mater rogauerat si impubes decessisset, restituere hæreditatem Titio patruus legitimus hæres extitit, in ratione legis falcidiæ ponenda desiderat deduci sortes, ex quarum lucro, seu interesse alimenta impubes defuncta ex persona testatricis suæ pluribus debita præstitit, Quæsitum est, an si eas de-

duxerit,

duxerit, cauere debeat, defunctorum alimentariorũ portiones pro modo sortium se restituturum? responsum est, debere cauere, d.l. penultima. §. filiæ.

Licet adierit filius patris hæreditatem, & confusione pro parte, qua eidem successerit, extinguatur actio, quam sibi competere, eo quòd ex administratione tutelæ multa eum debuisse contendit; pro residuis tamen partibus cohæredes cõuenire non prohibetur: & fundum à se relictum eatenus, quo deducta quarta residui substantia patitur, præstare necesse habet. C. ad legem. falcidiam. l. licet. xiiii.

Quantitas autem patrimonii, ad quam ratio legis falcidiæ redigitur, mortis tempore spectatur. Itaque (verbi gratia) si is, qui centum aureorum patrimonium in bonis habebat, centum aureos legauerit; nihil legatariis prodest, si ex fœtu pecorum tantum accesserit hæreditati, vt centum aureis legatorum nomine erogatis, hæres quartam partem hæreditatis habiturus sit; sed necesse est, vt nihilominus quarta pars legatis detrahatur. Ex diuerso si septuagintaquinque legauerit, & post aditam hæreditatem in tantum decreuerint bona (incendiis fortè, aut naufragiis) vt non amplius quàm septuagintaquinq; aureorum substantia, vel etiam minus relinquatur; solida legata debentur. nec ea res damnosa est hæredi, cui liberum est non adire hæreditatem, quæ res efficit, vt sit necesse legatariis, ne destituto testamento nihil consequantur, cum hærede in portione pacisci. inst. ad l. falc. §. quantitas, & ff. eodem. l. in quantitate, lxxiii. in principio.

Magna dubitatio fuit de his, quorum conditio mortis tempore pendet; idest, an quod sub conditione debetur, in stipulatoris bonis adnumeretur, & promissoris bonis detrahatur. sed hoc iure vtimur, vt quanti ea spes obligationis venire possit, tantum stipulatoris quidem bonis acccedere videatur: promissoris verò decedere, aut cautionibus res explicari potest, vt duorum alterum fiat: aut ita ratio habeatur, tanquam purè debeatur: aut ita tanquam nihil debeatur: deinde hæredes, & legatarii inter se caueant, vt existente conditione, aut hæres reddat quanto minus soluerit: aut legatarii quanto plus consecuti sint. Sed & si legata quædam purè, quædam sub conditione relicta efficiant, vt existente conditione lex falcidia locum habeat: purè legata cum cautione redduntur, quo casu magis in vsu est, solui quidem purè legata, perinde ac si nulla alia sub conditione legata fuissent: cauere autem legatarius debere, ex euentu cõditionis, quod amplius accepissent redditũ iri. d. l. in quantitate. §. magna.

Si propter ea, quæ sub conditione legata sunt, pendet legis falcidiæ ratio præsenti die data non tota vindicabuntur, ff. ad l. falcidiam. l. si propter. liiii.

In diem relicta legata alterius esse iuris, palam est: cùm ea omnimodo tam ipsi legatario, quàm hæredibus eius deberi certum est. sed tanto minus erogari ex bonis intelligendum est, quantum interea donec dies obtingit hæres lucraturus est ex fructibus vel interesse, ff. eod. l. in quantitate, lxxiii. §. in diem.

Fundo legato mihi sub conditione, pendente legati conditione hæres me hæredem instituit, ac postea legati conditio extitit, in falcidiæ ratione fundus non iure hæreditario, sed legati meus esse intelligitur, ff. eod. l quarta.

In lege falcidia non habetur pro puro, quod in diem relictum est: medii enim tẽporis commodum computatur. In his legatis, quæ sub conditione relicta sunt. Proculus putabat cùm quæritur de lege falcidia, tantum esse in legato, quanti uenire possunt. quod si est, & deductio sic potest fieri, vt tantum uideatur ui deberi, quanti nomen venire potest. sed hæc scientia non probatur. cautionibus

bus ergo melius res temperabitur. ff. eod. l. in lege falcidia, xlv.

Si in annos singulos legatum sit Titio, quia multa legata, & conditionalia sunt: cautioni locus est, quæ in edicto proponitur, QVANTO AMPLIVS ACCIPIT, REDDI. ff. eod. l. prima, §. si in annos.

Si Reipublicæ in annos singulos legatum sit, cùm de lege falcidia quæratur, Marcellus putat tantum uideri legatum, quantum sufficiat sorti ad interesse trientis eius summæ, quæ legata est, colligendum, dicta l. prima. §. item si reipub.

Verbis legati, vel fideicommissi non necessariò ciuitati relinquitur, quod ex causa pollicitationis præstari necesse est. itaque si debiti modum testamento dominus excessit, superfluum duntaxat falcidia minuetur; quare nec fideicommitti legatarii poterit. Quod si dies, aut conditio legatum fecerit, non utilitatis æstimatio, sed totum petetur, quod datum est; nec si viuo testatore dies uenerit, aut conditio fuerit impleta, fiet irritum, quod semel competit, ff. eod. l. uerbis, quinta.

Annua bima trima die aureis centenis legatis ex omnibus summis non tantum ex posterioribus portionem legis falcidiæ detrahi placuit. ff. eod. l. pœnales. xxxii. §. annua.

Cùm Titio in annos singulos dena legata sunt, & iudex legis falcidiæ rationem inter hæredem, & alios legatarios habeat: uiuo quidem Titio tanti litem æstimare debeat, quanti uenire id legatum potest, in incerto posito quandiu victurus sit Titius mortuo autem Titio non aliud spectari debet, quàm quid hæres ex ea causa debuerit. ff. eod. l. cum Titio, lv.

Circa legem falcidiam in eo, quod sub conditione, uel in diem alicui relictum est, hoc obseruandum est, si decem sub conditione alicui fuerint relicta, eaque conditio post decennium fortè extiterit, non uidentur decem huic legata, sed minus decem: quia interuallum temporis, & interesse huius spatii minorem facit quantitatem decem, sicuti legata non debentur, nisi deducto ære alieno aliquid supersit, nec mortis causa donationes debebuntur, sed infirmantur per æs alienum, quare si immodicum æs alienum interueniat ex re mortis causa sibi donata nihil aliquis consequitur. ff. eod. l. circa legem. lxvi.

Non idcirco minus falcidiæ rationem in cæteris annuis legatis admitti uisum est, quod primo, ac secundo anno sine ulla detractione fuissent legatatio soluta. ff eod. l. quod bonis. xv. §. non idcirco.

Lex falcidia si interueniat in omnibus pensionibus locum habet, sed hoc ex post facto apparebit, vt puta in annos singulos legatnm relictum est, quandiu falcidia nondum locum habet integræ pensiones annuæ dabuntur: sed enim si annus venerit, quo fit ut contra legem falcidiam vltra dodrantem aliquid debeatur, eueniet, vt retro omnia legata singulorum annorum imminuantur. Nunquam legatarius, vel fideicommissarius, licet ex Trebelliano Senatusconsulto restituitur ei hæreditas, vtitur legis falcidiæ beneficio, ff. eodem. l. lex falcidia, xlvi.

Falcidiæ stipulatio statim committitur, vbi conditio legati, vel debiti extitit. ff. eod. l. falcidia. lxx.

Potest hæres in vendenda hæreditate cauere, vt & lege falcidia interueniente, solida legata præstentur: quia ea lex hæredis causa lata est, nec fraus ei fit, si ius suum deminuat hæres. ff. eod. l. pont. lxxi.

Dolo carere non uidetur, si iam mota quis controuersia hæreditatis legata sine cautionibus det. ff. eodem. l. dolo. xli.

Qui, quod per falcidiam retinere poterat, uoluntatem testatoris secutus spopondit se daturum, cogendus est soluere, ff. eod. l. qui, xlvi.

Cùm autem ratio legis falcidiæ ponitur, ante deducitur æs alienum. item funeris impensa, tunc demũ in reliquo ita ratio habetur, vt ex eo quarta pars apud hæredem maneat. Tres uerò partes inter legatarius distribuantur, pro rata scilicet portione eius, quod cuique eorum legatũ fuerit. Itaque si fingamus quadringentos aureos legatos esse, & patrimonii quantitatem, ex qua legata erogari oportet, quadringentorum esse, quarta pars legatariis singulis debet detrahi. Quod si quingentos legauerit, initio quinta, deinde quarta detrahi debet; Ante enim detrahendum est, quod extra bonorum quantitatem est. deinde quod ex bonis apud hæredem remanere oportet. inst. ad legem. falcidiam. §. finali.

Optimum est, statim ab initio ita testatorem distribuere legata, ne ultra dodrantem relinquantur, quod si excesserit quis dodrantem pro rata portione per legem ipso iure minuentur, verbi gratia, si is, qui quadringenta in bonis habuit tota ea quadringenta erogauerit; parta pas legatarius detrahitur. Si trecenta quinquaginta legauerit hoc tamen, quod si quingenta legauerit habens quadringenta initio quinta, deinde quarta detrahi debet. ff. ad l. falcidiam l. in quantitate, 73. §. in diem, uas ergo optimum.

In imponenda ratione legis falcidiæ omne æs alienum deducitur, etiam quod ipsi hæredi mortis tempore debitum fuerit, quamuis aditione hæreditatis confusæ sint actiones. Omnia autem legata, quamuis in operibus publicis conficiendis statutisque ponendis data sint ad contributionem dodrantis pro rata suę cuiusque quantitatis reuocantur. Necsi quid ultra solidum hæres præstiterit, aut perfecerit legitimæ computationi præiudicatur. C. ad l. falcid. l. sexta.

In ratione legis falcidiæ mortes animalium, furta, rapinæ, incendia, ruinæ, naufragia, uis hostium, prædonum, latronum, debitorum facta peiora nomina in summa quodcunque damnum, si modo culpa legatarii careant hæredi pereũt, quemadmodum ad hæredis lucrum pertinent fructus fœtus animalium rerũ traditiones, actionesque acquisitæ, ut pro furto damni iniuriæ, similesque quarum nihil in ratione legis falcidiæ cadit, ff. eodem. lege. in ratione, xxx. in principio.

pænales actiones, siue legitimæ, siue honorariæ, exceptis popularibus, in bonis actoris non ideo minus computandæ sunt, quia morte eorum intercidere possunt. E contrario autem eædem actiones nihil bonis rei defuncto eo detrahunt, sed me in actoris quidem bonis defuncto eo iniuriarum actio poterit cõputari, quia & ipsa simul cum eo intercidit, ut ususfructus, & id, quod in dies, menses, annosve singulos alicui quoaduiuat debeatur: etenim ea demum obligatio rei bonis deminutionem præstat, quæ in hæredem transit, nec contrarium est, quod viuente reo eo minus in bonis eius intelligebatur. nam & si ita stipulatus esset, vt cum moreretur debere ei inciperet tamen eugerentur bona eius, quemadmodum si ipse sub eadem met conditione promisisset defuncto eo minuerentur. honorariæ quoque actiones, quæ intra certũ tempus à prętore promittuntur, cũ bonis actionis defuncto eo

augmentum

augmentum rei decesſionemve ſi tales erunt,vt in hæredem quoque tranſeāt, præſtabunt.ff.eod.l.pœnales,xxxii.§.primo.in princ.

Vendere autem,vel emere iuſſus certo pretio fundum, aliamve quampiam rem, in legis falcidiæ ratione (cum quantum ſit legatum requiratur) tantum eo nomine inducetur,quanto pluris minorisve ſit res ea quantitate,quam quo pretio teſtator accipi,darive iuſsit.ſed ut ei quidē portioni, quæ legatis deductis facienda erit,amplius deducetur.quippe non noſtri cauſa capi id pretium,ſed eo deducto pretium reliquum legatum eſſe,intelligendum eſt. ff. eod. l.in ratione,xxx.§.uendere.

Rurſus diligenter animaduertendum eſt,ne quod dicitur damna poſt mortem teſtatoris illata ad ſolum hæredem reſpicere, uſquequaque & ſine ulla diſtinctione recipiatur: quod enim remota lege falcidia in totum iuris foret, hoc idem fore in ea parte,quæ lege falcidia conſtitueretur.hoc enim attinet damna poſtea facta non deduci, ne amota portio legatis, fideive commiſsis detrahatur. Verum eſt autem his ſolis,quæ pondere,numero,menſura conſtant, nec damno poſtea incidente ex portione,quę fieri ad æſtimationem eorum bonorum, quæ mortis tempore fuerunt,quicquam detrahi. Certis verò corporibus, & his ipſis ita relictis. PECVNIAM, QVAM IN ILLA ARCA, VINVM QVOD IN ILLIS DOLEIS: PONDVS ARGENTI, QVOD IN ILLIS HORREIS HABEO. ſine culpa hæredis deperierunt,uel deteriora ſunt facta proculdubio, aut nihil debebitur,aut eorum,quæ extabunt,qualia erunt ea portio debebitur, quæ per legem falcidiam efficiatur ex æſtimatione bonorum,quæ mortis teſtatoris tempore fuerint. Incertæ autem res relictæ diſtinctionem recipiunt;nam ſi ex ſuis rebus incertam rem teſtator reliquiſſet;veluti. ARGENTVM QVOD ELEGERIT, & omne argentum teſtatoris intereſſet ſine culpa hæredis: nihil deberetur.ſi verò argenti pondus purè relictum eſſet, quamuis omne argentum teſtatoris deperiſſet, admiſſa lege falcidia, portio eius quantitatis ſumetur,quæ fuit in bonis eo tempore,quo teſtator deceſsit,nec ad imminuendā eam,quicquam damna poſtea incidentia proficient. res tamen, quæ interierint pro nulla parte,ac ne æſtimatio quidem debeatur non magis, quàm ſi omnes res per ſpeciem enumeratæ relictæ eſſent. ff. eodem. l. in ratione. xxx. §.rurſus.

Impenſa monumenti nomine facta deduci debet, ſi neceſſarium fuerit monumentum extruere. Marcellus conſultus, an funeris,monumentique impenſa quantam teſtator fieri iuſsit in ære alieno deduci debeat: reſpondit, non amplius eo nomine,quàm quod funeris cauſa conſumptum eſt,deducendum. nā eius,quod in extructione monumēti erogatum eſt,diuerſam eſſe cauſam: nec enim ita monumenti ędificationem neceſſariam eſſe,vt ſit funus ac ſepultura. idcirco eum,cui pecunia ad faciendum monumētum legata ſit,falcidiam paſſurum.ff.eod.l.i.§.de impenſa.

Qui quadringenta habebat,trecenta legauit;deinde fundum tibi dignum centū aureis ſub hac conditione legauit,ſi legi falcidiæ in teſtamento ſuo locus non eſſet,quæritur quid iuris eſt ? dixi ex difficilioribus diſputatu hanc quæſtionem eſſe, qui tractatus apud Dialecticos fruſtratorii , ac cauillatorii ſyllogiſmi dicitur . etenim quicquid conſtitutum fuerit uerum eſſe, falſum reperietur.nam ſi legatum tibi datum ualere dicatur , legi falcidiæ locus erit: ideoque deficiente conditione non debebitur . Rurſus ſi , quia conditio

deficiat, legatum valiturum non sit, legi falcidiæ locus non erit. Porrò si legi locus non sit, existente conditione legatum tibi debebitur. cùm autem voluntatem testatoris eam fuisse appareat, vt propter tuum legatum cæterorum legata minui nollet: magis est, vt statuatur tui legati conditionem defecisse. Quid ergo dicetur si ducenta legauit, & tibi similiter sub eadem conditione ducenta legata esse proponãtur? nam aut destitisse, aut defecisse legati tui conditionem, vt aut totum, aut nihil tibi debeatur, & iniquum & contra voluntatem testatoris existimabitur. rursus partem deberi, rationi non congruit. quando necesse est, totius legati conditionem, vel extitisse, vel defecisse; ergo per exceptionem doli mali tota ea res temperanda erit, quare cùm quis tale quid cõsequi velit, sic consequetur: SI QVO AMPLIVS LEGAVI, VEL LEGAVERO, QVAM PER LEGEM FALCIDIAM LICEBIT, TVM QVANTVM AD SVPPLENDVM QVADRANTEM DEDVCI OPORTET EX EO LEGATO QVOD TITIO DEDI HAERES MEVS DAMNAS ESTO DARE ff. eod. l. qui quadringenta. lxxxviii. in princ.

Qui ducenta in bonis relinquebat, legauit mihi centum præsenti die: tibi æquè cẽtum sub conditione; post aliquantum temporis extitit conditio, ita tamen, vt ex reditu eius summæ, quæ tibi relicta est, non amplius quàm vigintiquinque reciperet legis falcidiæ ratio ita habenda erit hæredi, vt vigintiquinque conferre ei debeamus, vt amplius fructus quinquaginta medii temporis, qui (verbi gratia) efficient quinque cum igitur triginta sint conferenda, quidã putant quina dena ab vtroque nostrum cõferenda esse, quod minimè verum est: licet enim eandem quantitatem acceperimus, manifestum est tamen, aliquanto vberius esse meum legatum, quare statuendum erit, tanto minus in tuo legato esse, quantum ex fructibus eius hæres perceperit, secundum quod in proposita specie computationem ita iniri oportet, vt ex septem partibus ego quatuor, tu tres conferamus; quoniam quidem quarta pars amplius in meo, quàm in tuo legato est. d. l. qui quadringenta. §. qui ducenta.

In falcidia æstimatio pretii rerum ex veritate facienda est. ff. eodem. l. in falcidia. xlii.

Cùm quo de peculio agi poterat hæres creditori extitit, quæritur cuius temporis peculium computari oporteat in lege falcidia? plerique putant, quòd tũc in peculio fuerit cùm adiretur hæreditas, inspiciendum; sed placuit mortis tẽpus in ratione legis falcidiæ obseruari debere, ff. eo. l. cum quo, lvi. in prin.

Quantitas patrimonii, deducto etiam eo quicquid explicandarum venditionum causa impenditur æstimatur. ff. eod. l. quantitas, lxxii.

Pretia rerum non ex effectu, nec vtilitate singulorum, sed communiter funguntur. Nonnullam tamen pretio varietatem loca temporaque adferũt: nec enim tantidem Romæ, & in Hispania oleum æstimabitur, nec continuis sterilitatibus tantidem, quanti secundis fructibus, dum hic quoque non ex momentis temporum, nec ex ea, quæ raro accidat, caritate, pretia constituantur. ff. eod. l. pretia, lxiii. in prin. & in fine.

Corpora, si quæ sunt in bonis defuncti, secundum rei veritatem æstimanda erũt; hoc est secundum præsens pretium: nec quicquam eorum formali pretio æstimandum esse, sciendum est, ff. eod. l. in lege, lxii. §. corpora.

Alienus fundus tibi legatus est, hunc hæres cum emere nisi infinito pretio non posset, emit multo pluris, quàm quanti erat, qua emptione effectum

est,

eſt,vt legatarii ad legem falcidiam reuocarentur:quæſitum eſt. cum ſi fundus tanti,quanti re vera emptus eſſet,legata non fuerant exceſſura ius legis falcidiæ:an hoc ipſo hæres inſtitutus reuocandi a legatariis ius habeat,quod ex voluntate defuncti pluris emerit fundum, quàm quanti erat? Et reſponſum eſt. quod amplius hæres,quàm pretium fundi,legatario ſoluit; id lege falcidia imputari non poteſt,quia negligentia eius legatariis nocere non debet, vtpotè cùm is confitendo veram æſtimationem,præſtare poterat, ff. eodem. l. alienus. lxi.

Sicuti legata non debentur,niſi deducto ære alieno, aliquid ſuperſit, nec mortis cauſa donationes debebuntur. ſed infirmantur per æs alienum, quare ſi immodicum æs alienum interueniat, ex re mortis cauſa ſibi donata, nihil aliquis conſequitur. ff. eod. l. circa legem. lxvi. §. fin.

Vſufructu bonorum legato,æs alienum ex omnibus rebus deducendum eſt,quoniam poſt Senatuſconſultum nulla res eſt, quæ non cadit in vſusfructus legatum,ff. eod. l. vſufructu. lxix.

Succeſſores legata,vel fideicommiſſa,ſi æs alienum hæreditarium defuncti ſubſtantiæ fines occupauerit,legis falcidiæ iuſsit peti, item Trebelliani Senatuſconſulti præcetum exigi non concedit. C. ad l. falc. l. ſucceſſores, xvi.

Si poſt miſsionem faciat codicillos miles,&intra annum decedat ex teſtamento, quod in militia iure militari fecit,plena legata ex codicillis habita falcidiæ ratione, ſpectari debere dicitur;ſed res ita expedietur; ſi cum quadringenta haberet,teſtamento quadringenta,codicillis centum legauerit; ex quinta parte, ideſt octoginta,quæ ad legatarium ex codicillis peruenirent,ſi falcidiam non pateretur quartam,ideſt,viginti,hæres retinebit,ff. eod. l. ſi poſt,xvii.

In his legatis,quæ teſtamento militis data ſunt,legis falcidiæ locus non erit: at in his,quæ codicillis ſcripta ſunt,locus erit. ff. de milit. teſtamento. l. ſi certarum,xvii. §. finali.

Si tamen compoſita vtraque legata tam quæ teſtamento, quàm quæ codicillis data ſunt,vltra dodrantem ſint;commodiſsimè id ſtatuetur, vt ex vniuerſitate bonorum inſolidum ſolutis legatis,quæ teſtamento miles dederat, id quod ſuperarit pro dodrante,& quadrante diuidatur inter hæredes, & eos quibus codicillis legata data ſunt,ff. eo. l. ſi verò compoſita,xvii. in prin.

Quod ſi conſumant vniuerſorum bonorum quantitatem; legata, quæ teſtamento data ſunt:his,quibus codicillis legatum eſt,debetur aliquid, quoniam ſi adhuc miles hoc quoque legaſſet,contribuerentur omnia,& pro rata ex omnibus decederent ea portio,quam amplius legauerat, quã in bonis habuerit. Nunc quoque idem fiat. deinde conſtituta quantitate legatorum,quæ codicillis data ſunt & ſumma,quæ efficiebatur debita ſi æquo iure omnia deberentur, quartam deducant his ſolis,quibus codicillis legata ſunt. quod ſi poſt vtraque legata ſolida computata deprehenderetur. quod remaneat apud hæredem nõ tamen ſufficiens quartæ eorundem legatorum,quod ei deeſt detrahetur his ſolis,quibus codicillis legata data ſunt. d. l. ſi verò cõpoſita,§. quod ſi conſumãt.

Miles ſi,dum paganus erat,fecerit teſtamentum,militiæ tempore codicillos, lex falcidia in codicillis locum non habet, in teſtamento locum habebit. ff. eodem l. finali.

Ad Veterani teſtamentum ſiue paterfamilias ſiue filiusfamilias ſit; licet intra annum miſsionis decedat,lex falcidia locum habet. ff. eod. l. ad Veterani. xl. in principio.

In testamento quidem militis ius legis falcidię cessat, si ea, quæ ad hæredes pertinent, defunctus tenuit, bonorum eius videri minimè possunt. & ideo rectè, rationem eorum, vt æris alieni haberi desiderant, C. eod. l. septima.

Cùm certum sit, hæredem, qui plenam fidem testatori exhibet, insolidum legata dependentem, non posse postea rationem legis falcidiæ prætendentem repetitione vti, quia videtur testatoris voluntatem sequi iubetur hoc simili modo firmum haberi, & si cautionem super integra legatorū solutione fecerit: quod veteribus legibus in ambiguitatem deductum est. In vtroque etenim casu, idest siue soluerit, siue super hoc cautionem fecerit; æquitatis ratio similia suadere videtur, C. eod. l. fin.

Si mortis causa immodicas donationes in filiam matrem contulisse alia filia probare potest, legis falcidia ratione vti merito potest. C. l. quinta.

Si verò composita vtraque legata tam quę testamento, quàm quæ codicillis data sunt vltra dodrantem sint: commodissime id statuetur, vt ex vniuersitate bonorum insolidum solutis legatis, quæ testamento miles dederat, id quod supererit pro dodrante, & quadrante diuidatur inter hæredes, & eos quibus codicillis legata data sunt, ff. de milit. test. l. si verò composita xviii.

SI CVI PLVS QVAM PER LEGEM FALCIDIAM LICVERIT LEGATVM ESSE DICETVR.

Titulus VII.

SI cui plus, quàm licuerit legetur, & dubitari iustè possit, vtrum lex falcidia locum habitura est, nec ne: subuenit Prætor hæredi, vt ei legatarius satisdet, vt si apparuerit eum amplius legatorum nomine cepisse, quam e lege falcidia capere licebit, quanti ea res erit, tantam pecuniam det, dolusque malus ab eo absuturus sit, neque interest vtrum in primis tabulis hoc fiat, an in pupillaribus, an in vtrisque, Etenim lex falcidia semel est admittenda, etiam si duplex sit testamentum, iam conuenit contributis legatis, tam his, quæ ab ipso pupillo quam his, quæ à substituto impuberi relicta sunt. si non fuisset interposita stipulatio ex persona pupilli tutelæ actio hæredi aduersus tutorem conuenit, sed vt Pomponius ait, & ipsi pupillo, & hæredi eius poterit committi stipulatio; quo casu viuo eo falcidia incipit locum habere, de tutelę quoque actione idem scribit, ff. si cui plus quàm. l. prima, in princ.

Marcellus ait, qui quadringenta imbonis habebat, impuberem filium hęredem instituit, eique substituit Titium, & Seium, nihil à pupillo testator legauit, sed Titio trecenta, vtrum ducenta inquit præstabuntur, an centum quinquaginta? nam à Titio trecenta nullo modo eum præstare, videtur verius, non amplius eum parte sua erogare compelli, certè nec minus. secundum quod eueniret, vt non soli committatur stipulatio, sed omnibus hęredibus interponenda est. sed causa cognita falcidiam locum habere, & legatorum modus facit, & æris alieni onus, & si quidem euidens æs alienum est, vel certum, facilis est computatio, si autem ad huc incertum est, quia fortè, vel conditio eius pendet, vel creditor litem contestatus est, & nec dum lis finita est, dubitabitur quantum legatariis debeatur propter incertum hodie tamen subsimile quid fit in fidei-

com-

commissis. dicta l. prima, §. Marcellus.

Cùm dicitur lex falcidia locum habere, arbiter dari solet ad inneundam quantitatem bonorum: tametsi vnus aliquid modicum fideicommissum persequatur, quæ computatio præiudicare non debet cæteris, qui ad arbitrium missi non sunt: solet tamen ab hærede etiam cæteris denuntiari fideicommissariis; vt veniant ad arbitrum, ibique causam suam agant: plerunque, & creditoribus, vt de ære alieno probent; habet tamen rationem in legatariis, item in fideicommissariis, vt si offerat integrum, quod relictum, est hæres, desiderans cauere sibi, hac stipulatione audiatur. d. l. i. §. cùm dicitur.

Si legata quædam præsenti die relicta sint, quædam sub conditione; interponenda erit ista stipulatio propter legata conditionalia, dummodo ea legata, quæ præsenti sint, integra soluantur. Iulianus denique scribit, si purè aut sub conditione legata fuerint: ne existente condirione lex falcidia locum habeat, non aliter legatorum, quæ purè data sunt, actionem dari debere, quàm si cautum fuerit hæredi. quantò amplius quàm per legē falcidiam licuerit ceperit. idem Iulianus scribit, eum cùm quadrans sub conditione, & dodrans purè legatus est, cauere debere quanto amplius quàm per legem falcidiam liceat, ceperit, reddi. d. l. prima. §. si legata.

Hæc stipulatio ideo locum habet, quia &si repeti potest, id, quod solutum est; tamen, fieri potest, vt non sit soluendo is, cui solutum est, ac per hoc pereat, quod datum est. d. l. prima, §. hæc stipulatio.

In mortis causa donationibus potest dici hanc stipulationem esse interponendā. d. l. prima. §. in mortis.

Hæc verba stipulationis. QVOD AMPLIVS LEGATORVM NOMINE CEPERIS QVAM LEGE FALCIDIA CAPERE LICEBIT, non tantum eum comprehendunt, qui amplius accepit, quàm ei falcidia permisit, vt reddat partem, habeat partem. verum etiam eum, qui totum deberet restituere. Etenim sciendum est legem falcidiam interdum partem eius, quod datum est, interdum totum reuocare: cùm enim habita ratione æris alieni falcidia ineatur plerumque euenit, vt emergente debito, vel conditione æris alielieni existente totum, quod legatum est, exhauriatur. d. l. i. §. hæc verba.

In quibusdam autem testamentis falcidia quidem locum non habet, verum tamē ita obseruatur, vt licet quadrantem hæres non retineat, tamen hactenus legata debeantur, quatenus patrimonii vires sufficiunt, vtique deducto ære alieno. d. l. §. in quibusdam.

Sed, & legatario cauendum est à quo fideicommmissum relinquitur. d. l. §. sed & legatario.

Si res, quæ legata sit apud legatarium interierit probandum est: exceptione succurri ei, qui promisit: Etiamsi quanti ea res sit promisit. nisi si dolo ipsius aliquid factum sit: tunc enim etiam ex doli clausula, quæ in ista stipulatione continetur, tenebitur. d. l. i. §. fi. cum l. secunda, & tertia.

Hæc cautio, quæ propter legem falcidiam interponitur, fideiussorum habet præstationem. si in plures dies pecunia legata est, cùm certum sit legem falcidiam locum habere, non stipulationi, sed computationi locum esse. Pædius ait, ut æstimetur quanti sit, quod in diem legatum est. & tantum credatur esse legatū efficit æstimatio, vt pro modo eius ex omnibus legatis statim legis falcidiæ ratio habeatur. d. l. tertia. §. hæc cautio.

Quotiens futurum est, vt palam sit, & ante diem venientem iam falcidiam locum habere

habere, totiens computatio eius fit: nam si conditio in mora est expectabitur conditio quoad existat, si autem dies superest, iam hic intercapedinis temporis habita ratione, atque æstimatione, sic de falcidia disputabitur, & committi stipulationem dicetur. d.l. tertia. §. quotiens.

Quamuis autem omnes legatarii, & fideicommissarii necesse habeant hac stipulatione cauere, tamen quibusdam remitti Diui fratres rescripserunt: vt puta his, quibus minuta alimenta sunt relicta. d.l. tertia. §. quamuis.

Item sciendum est, fiscum hanc cautionem non pati, sed perinde conueniri posse, ac si cauisset; cæteros autem cuiuscunque dignitatis sint, licet iam legata perceperint, compelli debere ad cauẽdum, Diuus pius rescripsit, ex quo rescripto etiam illud accipitur, quòd etiam post soluta legata uoluit stipulationem interponi. d.l. tertia. §. item sciendum.

Si legatarius hæredi, qui controuersiam hæreditatis patitur iam, vel sperat, de restituendo legato sibi præstito cauerit, & euicta hæreditas sit, sed negligentia, vel dolo eius, qui legatum præstitit. dicetur non committi stipulationem propter uiri boni arbitrium, quod inest huic stipulationi, d.l. iii. §. si legatarius.

Item si ipse, qui præstitit legatum ex alia causa sibi euicerit; vt puta quia inuenitur sequenti testamento hæres scriptus, in quo legatum iste legatarius non acceperat: dicetur committi stipulationem propter viri boni arbitrium, d.l. tertia. §. item si ipse.

Et generaliter ubicunque hæreditatem, vel quantitatem, vel emolumentum præstitit is, qui hac stipulatione sibi prospexerat, dicendum est ibi committi eam: si modo culpa abest ab eo, qui stipulatus est. d.l. tertia. §. & generaliter.

Quæsitum est, an sæpius committatur, & placet etiam sæpius eam cõmitti, si per partes ablata est hæreditas. d.l. tertia. §. quæsitum.

Si legatum fuerit præstitum ante hanc interpositam stipulationem, an condici possit vt conditio ista interponatur? mouet quæstionem quòd ea, quæ per errorem omissa, vel soluta sunt, condici possunt, & hic ergo quasi plus solutum videtur ex eo, quòd cautio intermissa est; & ait Pomponius, condictionem interponendæ satisdationis gratia competere, & hoc probandum est vtilitatis gratia. d.l. tertia, §. fin.

Hæc autem satisdatio locum habet si iusta causa esse videbitur: nã iniquum erat omnimodo caueri nondum illata controuersia litis, cum possint ei lusoriæ minæ fieri. Ideoque eam rem prætor ad cognitionem suam reuocat, ff. eo. l. iiii.

Si duo ex testamento hæreditatem insolidum sibi vindicent, fortè quòd eiusdem nominis sint tam in possessorem, quàm in petitorem competunt actiones, & creditoribus, & legatariis. d.l. quarta. §. si duo.

Hæc cautio utique necessaria est, si quis pecuniam suam soluit, uel rem tradat. si uerò pecuniam hæreditariam soluat, uel rem tradat, quidam non putant cauẽdum, quia neque teneri potest eo nomine uictus, cum non possideat, uel dolo fecerit, quo minus possideat, hoc si ante motam controuersiam soluat. quod si postea tenebitur culpæ nomine. d.l. quarta. §. hæc cautio.

Sed cum de nomine inter duos quæstio est, nunquid non sit cauendum ei, qui hæreditariam rem tradat, quia omnimodo unus liberatur, quemadmodum si æs alienum hæreditarium soluatur? sed si petitor suam pecuniam soluet, aut rem suam tradat, non habet unde retineat, & ideo necessaria est ei cautio. d.l. quarta. §. finali.

Videatur an stipulatio. QVA AMPLIVS PER FALCIDIAM LICVERIT CEPE-

CEPERIS DARI? aduersus eum non sufficiat, qui legum alii restituere ex fideicommissi causa debet, sufficiet autem dici. nihil eius fideicommissum esse, cauebit scilicet legatario, & is, qui fideicommissum accipiet, nisi fortè mallet legatarius, circuitu sublato, hæredi cauere, sed & legatario præterea cauendũ est, si, vt plerunque æquum est pro rata ex fideicommisso retinere ei concedendum est, quamuis tantum ex legato apud eum erit remansurũ, vt sufficere possit ad præstandum fideicommissum. ff. eod. l. v.

Cùm non facile satisdationem offerre legatarius, vel fideicommissarius possit, & futurum sit, vt propter hoc à petitione liberalitatis ex testamento submoueantur; nunquid onus satisdationis eis remittendum erit? quod uidetur adiuuari rescripto Diui Commodi in hæc verba. IS CVIVS DE EA RE NOTIO EST ADITVS, SI COMPERERIT, IDEO CAVTIONEM A TE EXIGI, VT A FIDEICOMMISSI PETITIONE AVERTARIS, ONVS SATISDATIONIS TIBI REMITTI CVRABIT. ff. eod. l. sexta.

Diuus Pius ab eo, qui annua legata præcipere ad distribuendum ius erat, vetuit cautionem exigi. CESSANTIVM PARTES REDDI: nisi apertè cauere iussus esset, ff. eod. l. vii.

Si hæres partem bonorum, vel etiam vniuersa bona delata ad fiscum diceret, constaret autem de fideicommisso: Decretum est, vt petitori cauenti. EVICTA HAEREDITATE RESTITVTVI, solueretur. ff. eod. l. octaua.

Si non in controuersia sit proprietas, sed vsusfructus; potest. n. rei, cuius proprietas Titio legata est, vsusfructus alii legari: tunc de eo restituendo non hæredi, sed Titio caueri debeat, interdum & si ab hærede legetur usus fructus, Titio cauẽdum est, ueluti si detracto usufructu proprietas ei legetur, usus fructus Seio. Quid enim attinebit hoc casu hæredi caueri ad quem emolumentum intercidentis usus fructus non sit spectandum: Verum si usufructu Seio legato, proprietas Titio ita legetur, ut cùm ad Seium pertinere desierit, habeat proprietatem: tunc hęredi caueri oportebit à fructuario, ab hærede autem Titio, quia non sit certum usufructu intercepto ad Titium proprietatem reuersuram. ff. eod. l. fin.

Finis Libri Sexti.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omiſsis iis, quibus à iure Canonico, Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione, contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Septimus.

DE FIDEICOMMISSARIIS HAEREDITATIBVS.

Titulus I.

NVNC tranſeundum eſt ad fideicommiſſa: ſed prius eſt, ut de hæreditatibus fideicommiſſariis uideatur: ſciendum itaque eſt, omnia fideicommiſſa primis temporibus infirma fuiſſe: quia nemo inuitus cogebatur præſtare id, de quo rogatus erat: quibus.n.non poterant hæreditatem, uel legata relinquere, ſi relinquebant, fidei cõmittebant eorum, qui capere ex teſtamento poterant hæreditatem: & ideo fideicommiſſa appellata ſunt, quia nullo uinculo iuris, ſed tantum pudore eorum, qui rogabantur, continebantur. Poſtea Diuus Auguſtus primus, ſemel, iterumq́ue gratia perſonarum motus, vel quia per ipſius ſalutẽ rogatus quis diceretur, aut ob inſignem quorundam perfidiam, iuſsit conſulibus authoritatem ſuam interponere, quòd quia iuſtum uidebatur, & populare erat, paulatim conuerſum eſt in aſsiduam iuriſdictionem; tantusq́ue eorum fauor factus eſt, ut paulatim etiam prætor proprius crearetur, qui de fideicommiſsis ius diceret, quem fideicommiſſarium appellabant. In primis igitur ſciẽdum eſt, opus eſſe, ut aliquis recto iure teſtamento hæres inſtituatur, eiusq́ue fideicommittatur, ut eam hæreditatem alicui reſtituat: alioquin inutile eſt teſtamentum, in quo nemo hæres inſtituitur. cùm igitur aliquis ſcripſerit: LVCIVS TITIVS HAERES ESTO, POTEST ADIICERE. ROGO TE LVCI TITI, VT CVM PRIMVM POTERIS HAEREDITATEM MEAM ADIRE, EAM CAIO SEIO REDDAS, RESTITVAS: poteſt autem quiſque & de parte reſtituenda hæredem rogare; & liberum eſt, uel purè, uel ſub conditione relinquere fideicommiſſum, vel ex certo die. inſt. de fideicom. hære. in princ.

Si cui certam partem hæreditatis legauero, Diuus Hadrianus reſcripſit, ut funeris impenſa non deducatur. ff. de leg. ii. l. octaua. §. fin.

Dixit teſtator, TE ROGO LVCI TITI, HAEREDITATEM MEAM

CVM

CVM ATTIO PARTIARIS; ex ſenatus conſulto trebelliano in eum,cui reſtituta eſt hæreditas, actiones competere; Ariſto ait; quia pro hoc accipiendum ſit; ROGO HAEREDITATEM ILLAM RESTITVAS. nec verba ſenatus conſulti ſpectantur,ſed ſententia quibuſcumque verbis, dum teſtator ſenſerit vt hæreditas ſua reſtituatur.ff.ad ſen. conſ. treb.l.vbi purè.xix.§.1.

Si ſocero a genero ſuo hærede inſtituto,pars hæreditatis alii legata fuiſſet: deducta dote,eum debiturum eſſe partem hæreditatis legatam,ſabinus reſpondit: quemadmodum ſi pecunia ex crediti cauſa ſocero debita fuiſſet, ea deducta, partem hæreditatis daturus fuiſſet. ff.de leg.primo l.ab omnibus. C. iiii.§.fi.

Lucius Titius cùm duos filios hæredes relinqueret,teſtamento ita cauit, QVIS QVIS MIHI LIBERORVM MEORVM HAERES ERIT, EIVS FIDEICOMMITTO; VT SI QVIS EX HIS SINE LIBERIS DECEDAT HAEREDITATIS MEAE BESSEM, CVM MORIETVR, FRATRIBVS SVIS RESTITVAT; frater decedens fratrem ſuum ex dodrante fecit hæredem. quæſitum eſt, an fideicommiſſo ſatisfecerit? Marcellus reſpondit.id,quod ex teſtamento Lucii Titii fratri teſtator debuiſſet, pro ea parte, qua alius hæres extitiſſet,peti poſſe:niſi diuerſum ſenſiſſe eum probaretur.nam parum inter hanc ſpeciem intereſt,& cùm alias creditor debitori ſuo extitit hæres;ſed planè audiendus erit cohęres,ſi probare poſsit teſtatorem ea mente hæredem inſtituiſſe fratrem ſuum, vt contentus inſtitutione fideicommiſso abſtinere, deberet.ff.de leg.primo.l.Lucius.cxxiii.in principio.

Cùm ita petiſſet teſtator,vt quicquid ex bonis eius ad patrem perueniſſet,filiæ ſuæ ita reſtitueret, vt eò amplius haberet,quam ex bonis patris habitura eſſet: Diuus Pius reſcripſit manifeſtum eſſe de eo tempore ſenſiſſe teſtatorem,quod poſt mortem patris futurum eſſet.ff. de leg.iii.l.ſi legatarius.viii.§.fi.

Lucius Titius relictis duobus filiis ſuis hęredibus diuerſi ſexus inſtitutis,addidit caput generale,vti legata ab his hæredibus præſtarentur: quadam tamen parte teſtamenti à filio petit,vt omne onus legatorum in ſe ſuſtineret in hunc modum. EA QVAECVNQVE IN LEGATIS RELIQVI, VEL DARI PRAECEPI ABBATIANO FILIO MEO, ET HAEREDE DARI, PRESTARIQVE IVBEO: deinde ſubiecit in p̄ceptione relinquenda filiæ ſuæ hęc verba. PAVLINAE FILIAE MEAE DVLCISSIMAE, SI QVID ME VIVO DEDI COMPARAVI, SIBI HABERE IVBEO: CVIVS REI QVAESTIONEM FIERI VETO, ET PETO A TE FILIA CHARISSIMA, NE VELIS IRASCI, QVOD AMPLIOREM SVBSTANTIAM FRATRI TVO RELIQVERIM: QVEM SCIS MAGNA ONERA SVSTENTVRVM, ET LEGATA, QVAE SVPRA FECI PRAESTATVRVM. Quæſitum eſt: an ex his extremis verbis,quibus cum filia ſua in teſtamento pater locutus eſt effectum uideatur,ut hæreditariis actionibus,ideſt omnibus filium ſuum onerauerit? an uerò iam ſolum propter onus legatorum locutus eſſe videatur,petitiones autem hæreditariæ in vtrumque hæredem creditoribus dari debeant? Modeſtinus reſpondit; vt actiones creditorum filius ſolus excipiat,iuſsiſſe teſtatorem non proponi.ff.de leg.ii.l.Titia.xxxiiii.§.penultimo.

Si ita fuerit fideicommiſſum relictum, AD QVEMCVNQVE EX TESTAMENTO MEO, VEL AB INTESTATO; uel ita, AD QVEMCVNQVE QVOQVO IVRE BONA MEA PERVENIANT: hac oratione, & eius, qui poſtea natus erit, inue familiam uenerit, & eius, qui poſtea cognatus eſſe cœperit fideicommiſſum uidetur. eius quoque, quæ

nondum

nondum nupta erit, ſed poſtea; eo caſu, quo ex edicto ad vxorem bona mariti inteſtati ſolent pertinere. ff. de leg. iii. l. ſi ita. ix.

Seium maritum ſcripſit hæredem, eique ſubſtituit Appiam Alumnam: fideique hæredis commmiſit, ut poſt mortem ſuam hæreditatem eidem alumnæ reſtitueret at ſi quid ante contigiſſet Alumnæ, tūc, Valeriano fratris filio reſtitueret eandem hæreditatem. quæſitum eſt, ſi Seius uiuus, quicquid ad eum ex hæreditate peruenilſet, Alumnæ reſtituiſſet: an ſecundum voluntatem defuncte id feciſſe uideretur preſertim cùm hæc eidem ſubſtituta, eſſet reſponſum eſt: ſi viuo Seio Appia deceſsiſſet, non eſſe liberatum à fideicommiſſo Valeriano relicto. ff. de leg. iii. l. uxorem. xli. §. Seium maritum.

Cùm quis erit rogatus ſi ſine liberis deceſſerit, per fideicommiſſum reſtituere; conditio defeciſſe videbitur, ſi patri ſuperuixerint liberi, nec queritur, an hæredes extiterint. ff. de legat. primo l. filius fa. cxiiii. §. cùm erit.

Pater cum filia pro ſemiſſe hærede inſtituta, ſic teſtamento locutus fuerat. PETO CVM MORIERIS, LICET ALIOS QVOQVE FILIOS SVSCEPERIS SEMPRONIO NEPOTI MEO PLVS TRIBVAS IN HONOREM NOMINIS MEI. neceſsitas quidem reſtituendi nepotibus uiriles partes procedere uidebatur, ſed moderandæ portionis, quam maiorem in vnius nepotis perſonam conferri uoluit, arbitrium filiæ datur. ff. de leg. ii. l. cùm filius. lxxvi. §. pater cum filia.

Ex facto tractatum eſt, quandam mulierem filium ſuum rogaſſe, vt ſi ſine liberis deceſsiſſet, reſtitueret hæreditatem fratri ſuo. is poſtea deportatus, in inſula liberos ſuſceperat. Quærebatur igitur an fideicommiſsi conditio defeciſſet, dictum fuit conceptos quidem ante deportationem, licet poſtea edantur, efficere, ut conditio deficiat: poſt deportationem verò ſuſceptos, quaſi ab alio non prodeſſe. maximè cùm etiam bona eum ſua quodammodo cauſa fiſco ſint uindicanda, ff. ac Sen. conſu. Treb. l. ex facto xvii. §. ex facto.

Si quis rogatus fuerit filiis ſuis, vel cui ex his voluerit, reſtituere hæreditatem Papinianus libro octauo reſponſorum, etiam deportato ei tribuit eligendi facultatem cui liber factus fideicommiſſum reſtitui velit, ſed ſi ſeruus pænæ fuerit conſtitutus, nullo antè concepto filio; iam parere conditioni non poterit: deceſsiſſeque ſine liberis videtur: ſed cùm decedit, electionem illam, quam Papinianus deportato dedit huic dari non oportet, dicta. l. ex facto. §. ſi quis rogatus. xx.

Si quis autem ſuſceperit quidem filium, uerùm uiuus amiſerit: videbitur ſine liberis deceſsiſſe. ſed ſi naufragio, vel ruina, uel adgreſſu, uel quo alio modo ſimul cum patre perierit: an conditio defecerit uideatur? & magis non defeciſſe arbitratur, quia non eſt uerum, filium eius ſuperuixiſſe. aut igitur filius ſuperuixit patri, & extinxit conditionem fideicommiſsi, aut non ſuperuixit, & extitit conditio. Cùm autem quis antè, & quis poſtea deceſſerit, non apparet extitiſſe condititionem fideicommiſsi, magis dicendum eſt. dicta l. ex facto §. ſi quis autem.

Si quis ita fideicommiſſum reliquit, FIDEI TVAE FILI COMMITTO, VT SI ALIENO HAEREDE MORIARIS, RESTITVAS SEIO HAEREDITATEM: videri eum de liberis ſenſiſſe, Diuus Pius reſcripſit, & ideo cùm quidam ſine liberis decederet, auunculum ab inteſtato bonum poſſeſſorem habens, extitiſſe conditionem fideicommiſsi reſcripſit. d. l. ex facto. §. ſi.

Mulier, quæ duobus filiis in poteſtate patris relictis, alii nupſerat, poſteriorem mari-

tum hæredem instituit, eumque rogauit liberis suis post mortem patris eorũ hæreditatem suam restituere, vel ei, qui eorum superesset, eisdem emancipatis a patre suo vitricus restituisse hæreditatem dicebatur, Mox alter ex filiis viuo patre decessisse, quærebatur, an is, qui supererat ex filiis, partẽ fratri suo restitutam petere posit, quasi præmaturè datam? Scæuola diuum Marcum in auditorio de huiusmodi specie iudicasse refert. Brasidas quidam Lacedæmonius vir prætorius, cùm filiis suis ab vxore diuortio separata, si morte patris sui iuris effecti fuissent, fideicommissum relictum esset, eos emancipauerat. post emancipationem fideicommissum petebant. Decreuisse igitur Diuum Marcum refert, fideicommissum eis repræsentandum, intellecta matris voluntate; quæ quia non crediderat patrem eos emancipaturum, distulerat in mortem eius fideicommissum, non dilatura id in mortalitatem, si eum emancipaturum sperasset: secundum hæc dicitur, & in proposita quæstione decretum Diui Marci esse trahendum, & rectè fideicommissum vtrisque solutum, ff. ad trebel. l. mulier. xxii. in prin.

Cùm proponeretur quidam filiam suam hæredem instituisse; & rogasse eam, vt si sine liberis decessisset, hæreditatem Titio restitueret, eaque dotem marito dedisse certæ quantitatis, mox decedens sine liberis hæredem instituisse maritũ suum; & quæreretur an dos detrahi posit? dictum fuit, non posse dici in euersione fideicommissi factum, quod & mulieris pudicitiæ, & patris voto congruebat. quare dicendum est, dotem decedere, ac si quod superfuisset, rogata esset restituere. quòd si tantos fructus ex hæreditate mulier percepit, vt inde posit doti satisfieri, dicendum est, potius fructibus hoc expensum ferendum, quàm fideicommisso, d. l. mulier. §. cum proponeretur.

Balista filiumfam. hæredem instituit, ita TREBELLIANVS, SI CAVERIT COLONIAE PHILIPENSIVM, SI SINE LIBERIS MORIETVR, QVANTACVNQVE PECVNIA EX HAEREDITATE DE BONIS MEIS AD EVM PERVENIT, EAM PECVNIAM OMNEM AD COLONIAM PHILIPPENSIVM PERVENTVRAM, responsum est, ex his verbis pecuniam omnem, etiam fructus, quos ex hæreditate percepit restituere eum debere: perinde quasi hoc specialiter testator expresisset, ff. ad trebel. l. Balista, xxxii.

Scribit celsus libro vigesimo digestorum, si qui quadringenta in bonis habebat, petiit ab hærede suo, vt si sine liberis moreretur, quanta pecunia ex hæreditate suo ad eum peruenisset, Mæuio restitueretur: si ex fructibus medio tempore quadringenta perceperit, & sine liberis decesserit, hæredem eius Mæuio quadringenta debiturum, & cùm diu multumque tractauit, an cùm augmentum hæres sensit, & periculum sustineat, an per contrarium: nouissimè ait, iniquũ esse ad fideicommissarium dãnum pertinere, ad quẽ augmentum nõ pertinet, & an ad supplendum. inquit quodcunq; ex quadringentis ve fuerit, ẽt ad eum augmentum pertinebit; hoc est, ut vsque ad summam quadringentorum dãna, & fructus computentur? quod verius est, ff. ad treb. l. scribit. xxxiii.

Si eius, qui nouissimus ex filiis mortuus est, partem hæreditatis propinquo pater voluit restitui, & simul fratres diẽ suum abiissent: propinquũ, si nõ ostenderit, quis nouissimus obiisset, ad partẽ hęreditatis nõ admitti, sed matrẽ ex Tertylliano Senatusconsulto ad vtriusq; hæreditatẽ admitti cõstat. ff. eo. l. si eius, 34.

Cùm ita fuerat scriptum, FIDEI FILIORVM MEORVM COMMITTO SI QVIS EORVM SINE LIBERIS PRIOR DIEM SVVM OBIERIT,

PARTEM SVAM FRATRI SVPERSTITI RESTITVAT. QVASI VTERQVE, SINE LIBERIS DIEM SVVM OBIERIT: OMNEM HAEREDITATEM AD NEPTEM MEAM CLAVDIAM PERVENIRE VOLO. defuncto altero superstite filio, nouissimo autem sine liberis, neptis prima quidem facie propter conditionis verba non admitti uidebatur: sed cùm in fideicommissis voluntatem spectari conueniat; absurdum est, cessante prima substitutione, partis nepti petitionem denegari, quam totam habere voluit auus, si nouissimus quoque fratris portionem suscepisset. ff. ad Trebell. l. Hæredes, lvii. §. cùm ita.

PETO A TE, VXOR CHARISSIMA, VTI CVM MORIERIS, HAEREDITATEM MEAM RESTITVAS FILIIS MEIS, VEL VNI EORVM, VEL NEPOTIBVS MEIS, VEL CVI VOLVERIS, VEL COGNATIS MEIS, SI CVI VOLES EX TOTA COGNATIONE MEA. inter filios substitutionem factam esse uidetur: circa nepotes autem, & cæteros cognatos facultatem eligendi datam: ex cęteris autem cognatis, si nepotes superessent, non rectè mulierem electuram: propter gradus fideicommisso præscriptos, deficiente verò gradu nepotum, ex cognatis quam velit personam eligi posse dicta l. hęredes. §. fin.

A filia petiit, ut si liberis superstitibus moreretur, partem eius, quæ ad eam ex bonis patris peruenisset: quod si sine liberis, uniuersum fratri restitueret. quæritur, defuncta ea in matrimonio superstite filia, an hæres eius cum parte hæreditatis, eius quoque, quod dotis nomine datum erat, partem restituere debeat responsum est, id, quod in dotem fuisset, non contineri in partem hæreditatis, quæ restituenda est, sed et si ex promisione dotis aliquid debitum fuit, æris alieni loco habendum. ff. ad Trebell. l. à filia. lxii. in princip.

Hæredibus institutis filiis utriusque sexus, singulos rogauit, ut qui sine liberis decederet, partem suam hæreditatis sorori, fratrive restitueret, aut, si frater sororve non esset, matri suæ, & hæc uerba adiecit, VOSQVE LIBERI CHARISSIMI HOC FIDEICOMMISSO TENERI INVICEM VOLO DONEC BINOS LIBEROS EDVCAVERITIS. quæsitum est si quis ex liberis duos filios procreauerit, quamuis superstites non reliquerit, an hæredes eius fideicommissum debeant? responsum est, videri fideicommissi onere liberatos ff. eod. l. hæredibus. lxxvii. in princ.

Titius nepotes ex filia, & furiosam filiam hæredes instituit; & fideicommisit filiæ, vt si sine liberis decessisset, pars ei data perueniret ad cohæredes. Furiosam, ipse Titius in matrimonio collocauit, & enixa est filia post mortem patris, quæsitum est, defuncta furiosa, superstite ex huiusmodi conuinctione parta filia; an fideicommissum ad cohæredes pertineret? responsum est, cùm filiam reliquisse proponeretur, fideicommissum non deberi: nam, & si matrimonium cũ furiosa non fuit; satis tamen factũ est eiusmodi conditioni. d. l. hæredibus. §. fi.

Fideicõmissum a filiis relictum, SI QVIS EX HIS SINE LIBERIS DIEM SVVM OBIERIT. adoptionis commento non excluditur. ff. de conditionibus, & demonst. l. fideicommissum. lxxvi.

Ita fideicõmisso dato, VOLO RESTITVAS, SI SINE LIBERIS DECEDAS cõditio deficit ex volũtate, uel uno filio sup̃stite relicto. ff. e. l. pr̃, §. ita fideicõ.

Eius hæres uel legatarius rogatus est, vt quendam adoptet: his verbis adiectis: SI ALIAS FECERIT, EX HAERES ESTO, VEL PERDAT LEGATVM. quæsitum est, si non adoptauerit, an ei,

an ei, qui adoptatus non eſt, actio quædam ex fideicommiſſo competat reſponſum eſt, fideicommiſſum, quo quis rogatur, ut adoptet, ratum non eſſe. ff. de leg. iii. l. uxorem. xli. §. eius hæres.

Scæuola reſpondit, cùm hæres ſcriptus rogatus eſſet, cùm uolet, alii reſtituere hęreditatem interim non eſt compellendus ad fideicommiſſum: poſt mortem. n. utique creditur datum d. l. vxorem. §. Scæuola.

Quod his, uerbis relictum eſt, QVICQVID EX HAEREDITATE BONISVE MEIS AD TE PERVENERIT CVM MORIERIS, RESTITVAS, fructus, quos hæres uiuus percepit, item quę fructuum uice ſunt non uenire placuit, nec enim quicquid proponi, ex quo de his quoque reſtituendis teſtatricem rogaſſe probari poteſt, ff. eodem. l. quod his uerbis lxxxiii. in principio.

In conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones, denique & in ea conditione, SI FILIA MEA CVM TITIO NVPTA ERIT, placuit non ſemper mortis tempus obſeruari, ſed voluntate patrocinante tardius produci. ff. de conditionibus & demonſtr. l. in conditionibus, xix. in principio.

Auia, quæ nepotem ſub conditione emancipationis pro parte hæredem inſtituerat, ita poſtea codicillis ſcripſit: HOC AMPLIVS NEPOTI MEO QVAM, QVOD EVM HAEREDEM INSTITVI, LEGO PRAEDIA ILLA: conditionem emancipationis repetitam uideri placet, quamuis auia nullum in legatis, & hæreditate, ſubſtitutionem feciſſet. ff. eod. l. Auia. lxxvii. in principio.

Titia hæredis inſtituti liberos habentis fideicommiſsit, uti rem eius vniuerſam reſtitueret filiis eius, liberiſue eorum cùm ipſi petiiſſent, ſine ulla iuris cauillatione, quæſitum eſt an his uerbis, CVM ILLI A TE PETIERINT, conditio fideicommiſſo adſcripta uideatur, Scæuola reſpondit non uideri. ff. eod. l. Titia. lxxxv.

Cùm quædam mulier nepotes ſuos hæredes inſtituiſset, & ipſum filium cohæredem filiis ſuis dediſset, eoſque inuicem ſubſtituiſset, rogaſsetque filum, ut filos emanciparet, non autem rogaſset, vt hæreditatem eis reſtitueret, ex authoritate Diui Seueri, emancipare eos compulſus eſt, hiſque reſtituere hęreditatem; & adiectum eſt, ut ſi tardius id faceret, quaſi ex mora intereſse præſtaturam: uideri enim eum quia moram faceret emancipatione, moram reſtitutioni fideicommiſsi eam facere. ff. eod. l. ſi cui, xci. §. cui rei.

Mater filio ſuo cohæredes ſine ulla conditione filias ipſius dedit; ac petiit, vt filias ſuas emanciparet, ita ut curatores à prętore acciperent, filii uideri fideicōmiſiſse placuit, ut eas ſui iuris conſtitutas, ad hæreditatem auiæ peruenire pateretur, nec ad rem pertinere, ſi portionem filiarum iure ſubſtitutionis quæſiſſet, ff. eod. l. Mater, xciii.

Cùm auus filium; ac nepotem ex altero filio hæredes inſtituiſset à nepote petiit, ut ſe intra annum trigeſimum moreretur, hæreditatem patruo ſuo reſtitueret: nepos liberis relictis intra ætatem ſupraſcriptam uita deceſsit fideicommiſsi conditionem coniectura pietatis. reſponſum eſt, defeciſse, quòd minus ſcriptum, quàm dictum fuerat, inueniretur, ff. eodem. l. cum Auus. cii.

Cū acutiſsimi ingenii uir, & meritò añ alios excellēs Papinianus in ſuis ſtatuerit rñſis, ſi qs ſiliū ſuū hrdē inſtituit, & reſtitutionis poſt mortē oneri ſubegit non

 aliter

aliter hoc uideri diſpoſuiſse, niſi cum filius eius ſine ſobole uitam ſuam reliquerit: Imperator Iuſtinianus huius ſenſum admıratus, pleniſsimum ei donauit euentum; vt ſi quis hæc diſpoſuerit non tantum filium hæredem inſtituens, ſed etiam filiam, uel ab initio nepotem pronepotem uel proneptem, vel aliam deinceps poſteritatem, & eam, reſtitutionis poſt obitum grauamini ſubiugauerit; non aliter hoc ſenſiſſe videatur, niſi hi, qui reſtitutione onerati ſunt, ſine filiis, vel filiabus, nepotibus, uel neptibus, pronepotibus uel proneptibus fuerint defuncti; ne uideatur teſtator alienas ſucceſsiones propriis ante ponere. C. de fideicom. l. acutiſsimi. xxx.

Si is, qui fideicommiſſaria reſtitutione grauatus eſt, uno filio ſuperſtite, uel nepote, ex filio ſeu filia nato, uel pronepote, uel poſt humo relicto deceſſerit: non videtur extitiſſe conditio: & ideo deficit fideicommiſsi petitio. C. ad Trebell. l. ſexta. §. ſin autem quis.

Eum qui poſt apertum teſtamentum deportatus, & reſtitutus eſt, fideicommiſſum petere poſſe, cuius conditio poſtea extitit, quàm ciuitatem Romanam recipiat, verum eſt. ff. de cond. & demonſtr. l. eum qui. ciiii.

A teſtatore rogatus, ut acceptis centum nummis reſtitueret hæreditatem Titiæ cohæredi ſuæ, adita hæreditate deceſsit, ſimiliter & Titia antèquàm daret centum. quęſitum eſt, an hæres Titiæ offerendo centum, ex fideicommiſſo, partem hæreditatis conſequi poſsit? reſponſum eſt, hæredem conditioni parere non poſſe: Claudius Magno ingenio de iure apertè, reſpondit: cum poteſt dubitari, an in propoſito conditio eſſet. ff. de condit. & demonſtr. l. à teſtatore. cix.

Cùm filius rogatus fuiſſet à patre, ſi antequam res ſuas adminiſtrare poſset, deceſsiſſet, hæreditatem Titio reſtituere, & egreſſus uiginti annos deceſſiſſet: reſcriptum eſt, fideicommiſſum deberi. ff. eod. l. fin.

Cùm filio familiàs legatũ, uel hæreditas datur, fideicõmitti patris poteſt; ut tunc demum ex perſona ipſius fideicommiſſum uires capit, cùm ipſi per quem commodum hæreditatis uel legati patri quæritur, fideicommiſſum relinquitur. Denique Iulianus non inſubtili ratione motus. patrem, cuius filius hęres inſtitutus eſt extero quidem habita ratione legis falcidiæ, reſtituere hæreditem reſſpondit; Quoniam ex perſona filii teneretur: ipſi uero filio, non admiſſa falcidia quoniam ex perſona ſua ſibi filius obligari non poſſet: ac pater, non ut hæres, ſed ut pater rogari uidetur, & ideo ſi filio rogatus ſit pater poſt mortem ſuam, quod ad ſe peruenit ex legato, uel hæreditate filio relictis, reſtituere: iſque uiuo patre decedat, omnimodo patrem id retenturum: quoniam fideicommiſſum ex perſona patris uires acceperit. ff. de lega. primo. l. cum filio fam. xi.

Si filio à patre hærede inſtituto fideicommiſſum relictum, fuerit, & ſi uerbis non ſit ita relictum, cùm pater moreletur; ſed intelligi hoc poſsit: puta, quia ſic relictum eſt, ut relinquat filio, uel VOLO EVM HABERE: uel VOLO AD EVM PERTINERE. defendetur, in id tempus fideicommiſſum relictum: quo ſui iuris filius efficitur. Si cui ita fuerit fideicommiſſum relictum. SI MORTE PATRIS SVI IVRIS FVERIT EFFECTVS: & emancipatione ſui iuris factus ſit: non uideri defeciſſe conditionem: ſed & cum mors patri contingat; quaſi extante conditione, ad fideicommiſsum admittetur. ff. de leg. iii. l. fideicommiſsa. xi. §. ſi filio a patre, & §. ſi cui.

Ex

Ex filio præterito, licet ſuus heres erit, fideicommiſſum relinqui non poteſt. ff. de leg. iii. l. ſecunda.

Fideicommiſſum, quod à legatario relinquitur, ita demum ab eo debetur, ſi ad legatarium legatum peruenerit. ff. de leg. primo l. fideicommiſſum. lxxviii.

Sicuti vnicuique conceditur ab eo, ad quem legitima eius hereditas, vel bonorũ poſſeſsio peruentura eſt, fideicommiſſum dare: ita & ab eo, ad quem impuberis filii legitima hæreditas, uel bonorum poſſeſsio peruentura eſt: fideicommiſſa rectè dabuntur. ff. de leg. primo l. ſi fundum xcii. §. fin.

Filius familias miles, vel veteranus, licet ſine teſtamento decedat, poteſt fideicõmittere à patre, quia etiam teſtamentum facere poteſt. ff. de leg. primo l. filius fam. cxiiii. in principio.

Si quis teſtamento facto, à filiis ſuis, quos hæres inſtituiſſet, fideicommiſſa reliquiſſet non vt a legitimis hæredibus, ſed ut a ſcriptis, & teſtamentum aliquo caſu irritum factum ſit: filii ab inteſtato uenientes fideicommiſſa ex teſtamento præſtare compelli non poſſunt. ff. de leg. ii. l. ſi quis teſtamento. lxxxi.

Cùm ita petiiſſet teſtator, vt quicquid ex bonis eius ad patrem perueniſſet, filiæ ſuæ ita reſtitueret, vt eò amplius haberet, quàm ex bonis patris habitura eſſet: Diuus Pius reſcripſit manifeſtum eſſe de eo tempore ſenſiſſe teſtatorem, quod poſt mortem patris futurum eſſet. ff. de leg. iii. l. octaua. §. fin.

Licet videantur voluntate teſtatoris repetita à ſubſtituto, quæ ab inſtituto fuerant relicta: tamen hoc ita erit accipiendum, ſi non fuit euidens diuerſa voluntas, quæ ex multis colligetur, an quis ab hærede legatum, vel fideicommiſſum relictum noluerit à ſubſtituto deberi. Quid enim ſi aliam rem reliquit à ſubſtituto ei fideicommiſſario vel legatario, quam ab inſtituto non relinquerat? vel quid ſi certa cauſa fuit, cur ab inſtituto reliquerat, quæ in ſubſtituto ceſſaret? uel quid ſi ſubſtituit ex parte fideicommiſſarium, cui ab inſtituto reliquerat fideicommiſſum? in obſcura ergo voluntate intelliguntur repetita. ff. de leg. primo. l. licet. lxxiiii.

Qui inteſtato decedit, & ſcit bona ſua ad fiſcum peruentura uacantia, fidei fiſci committere poteſt, ff. de leg. i. l. filius familias cxiiii. §. qui inteſtato.

Matre & vxore hæredibus inſtitutis, ita cauit, A TE VXOR CHARISSIMA PETO, NE QVID POST MORTEM TVAM FRATRIBVS TVIS RELINQVAS: HABES FILIOS SORORVM TVARVM, QVIBVS RELINQVAS QVAS SCIS VNVM FRATREM TVVM FILIVM NOSTRVM OCCIDISSE; DVM EI RAPINAM FECIT, SED ET ALIVS MIHI DETERIORA FECIT. quæritur cum uxor inteſtata deceſſerit, & legitima eius hæreditas ad fratrem pertineat: an ſororis filii fideicommiſſum ab eo petere poſſunt? reſpondit Scæuola poſſe defendi, fideicommiſſum deberi. ff. de leg. ii. l. penultima. §. matre & uxore.

LVCIVS TITIVS HOC MEVM TESTAMENTVM SCRIPSI SINE VLLO IVRIS PERITO, RATIONEM ANIMI MEI POTIVS SECVTVS, QVAM NIMIAM, ET MISERAM DILIGENTIAM: ET SI MINVS ALIQVID LEGITIME MINVSVE PERITE FECERO, PRO IVRE LEGITIMO HABERI DEBET HOMINIS SANI VOLVNTAS: deinde hæredes inſtituit, inteſtati eius bonorum poſſeſſione petita, portiones adſcriptæ ex cauſa fideicommiſsi peti poſſunt. d. l. penult. §. finali.

Sciendum eſt, eorum fideicommittere quem poſſe, ad quos aliquid peruenturum eſt morte eius: vel dum eis datur, uel dum eis non adimitur; nec tantum proximi bonorum poſſeſſoris, uerum inferioris quoq; fideicommittere poſſumus. ſed, & eius, qui nondum nactus eſt, fideicommitti poſſe; ſi modo natus nobis ſucceſſurus ſit. illud certè indubitatà dicitur, ſiquis inteſtatus decedens, ab eo, qui primo gradu ei ſuccedere potuit, fideicommiſſum reliquerit: ſi illo repudiante ad ſequentem gradum deuoluta ſit ſucceſsio, eum fideicommiſſum nō debere. ff. de leg. iii. prima. §. ſciendum.

Vt quis hæredem inſtituat aliquem, rogari non poteſt, planè Senatus cenſuit, perinde habendum, atque ſi rogaſset hæreditatem reſtitui. Quid ergo ſi hæres poſt mortem ſuam rogatus fuerit hæreditatis ſuæ partem quartam reſtituere? verius eſſe exiſtimatur, Quod & Sceuola notat, & Papyrius Fronto ſcribit, valere fideicommiſſum, atq; ſi de hæreditate ſua reſtituenda rogatus eſſet, & eatenus reſtituenda eſt, quatenus hæreditas teſtatoris patitur ſecundum vulgarem formam iuris, ff. de leg. primo. l. filius familias. cxiiii. §. ut quis.

Diui ſeuerus & Antoninus reſcripſerunt eum, qui rogatus eſt ſub conditione fratris ſui filiis reſtituere, ante diem fideicommiſsi cedentem ne quidem ex voluntate eorum poſse reſtituere his in poteſtate patris agētibus, cùm poſsit die fideicommiſsi cedente ſui iuris conſtitutis ipſis debere reſtitui uel ſi quis ex his ante deceſserit. non omnibus idem principes reſcripſeruut filiis ante diē fideicommiſsi venientem reſtitui hæreditatem maternam neceſse non eſse, ſed præſtare hæredem poſse uulgarem cautionem aut ſi præſtare eam non poterit mitti liberos in poſſeſsionem fidecommiſsi ſeruandi cauſa, ut pro pignore, non ut pro dominis poſsideant, vel alienandi ius, ſed ut pignus habeant, vt filius per patrem fructus conſequatur. dicta l. filius fam. §. Diui

Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt eos, qui teſtamento vetāt quid alienari nec cauſam exprimunt, propter quam id fieri uelint; niſi inuenitur perſona, cuius reſpectu hoc à teſtatore diſpoſitum eſt: nullius eſſe momenti ſcripturam quaſi nudum præceptum reliquerint, quia talem legem teſtamento non poſſunt dicere. Quod ſi liberis aut poſteris, aut hęredibus, aut aliis quibuſdam perſonis contulentes eiuſmodi voluntatem ſignificarent, eam ſeruandam eſſe, ſed hæc neque creditoribus, neque fiſco fraudi eſſe, nam ſi hæredis propter teſtatoris creditores bona venierunt: fortunam communem fidaicommiſſarii quoq; ſequuntur. dicta l. filius fam. §. Diui. ii.

Cùm pater, filio hærede īſtituto, ex quo tres habuerat nepotes fideicōmiſit, ne fundū alienaret, & vt in familia relinqueret: & filius decedēs duos hæredes inſtituit, tertiū exhęredauit, eū fundū extraneo legauit: Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt verùm eſſe, non paruiſſe voluntati defuncti filium. ſed & ſi cùm duos exhæredauit, vnum hæredem inſtituit, fundum extraneo legauit: vt putat Marcellus, poſſe exhæredatos petere fideicommiſſum ex minore parte ſcripti, vt viriles, non hæreditarias partes in eo habeant: verum eſt enim in familia, licet vni reliquiſſet. item ſi vnum hęredem inſtituiſſet, nec quicquam legaſſet: exhæredati nihil interim, quamdiu in familia res eſt, petere poſſunt. d. l. filiusfam. §. cùm pater.

Ab exhæredati ſubſtituto inutiliter legatum datur: ergo nec à legitimo exhæredati fideicommiſſum dari poterit, quod & legitimi eo iure præſtare coguntur, quaſi ſcripti fuiſſent. ff. eod. l. ab exhæredato. cxxvi. in princ.

A fratris poſthumo fideicommiſſum dari poteſt: ſola enim voluntas ſeruatur in fidei-

fideicommisſis,& obtinuit Galli ſententia,alienos quoque poſthumos legitimos nobis hæredes fieri,ff. eod.l.pen.

Quod à legatario petitum erat,vt alii reſtitueret,ſi legatarius decedat hæres quoque eius id,quod legatum eſt,præſtare debebit, ff. de legat. ii. l. omnia,xxxii. §.quod.

In fideicommiſſo,quod familiæ relinquitur,hi ad petitionem eius admitti poſſunt,qui nominati ſunt,aut poſt omnes eos extinctos, qui ex nomine defuncti fuerint eo tempore,quo teſtator moreretur,& qui ex his primo gradu procreati ſint;niſi ſpecialiter defunctus ad vlteriores uoluntatem ſuam extenderit.d. l.omnia.§.in fideicommiſſo.

Prædium,quod nomini familiæ relinquitur,ſi non voluntaria facta ſit allenatio, ſed bona hæredis ueniant,tandiu emptor retinere debet,quandiu debitor haberet bonis non venditis:poſt mortem eius non habiturus, quod extet hæres præſtare cogeretur.ff.eod.l.peto.lxix.§.prædium.

Fratre hærede inſtituto petit,ne domus alienaretur, ſed vt in familia relinqueretur,ſi non paruerit hæres voluntati,ſed domum alienauerit, vel extero hærede inſtituto deceſſerit;omnes fideicommiſſum petent, qui in familia fuerũt quid ergo ſi non ſint eiuſdem gradus? ita res temperari debet, ut proximus quiſque primo loco videatur inuitatus,nec tamen ideo ſequentium cauſa propter ſuperiores in poſterum lædi debet: ſed ita proximus quiſque admittendus eſt,ſi paratus ſit cauere,ſe familiæ domum reſtituturum, quòd ſi cautio nõ fuerit ab eo,qui primo loco admiſſus eſt deſiderata:nulla quidem eo nomine naſcetur condictio: ſed ſi domus quandoque ad extremum peruenerit, fideicommisſi petitio familiæ competit.cautio autem ratione doli mali exceptionis iuſtè deſideratur: quamuis nemo alius vlterior ex familia ſuperſit. Si quidam ſint poſtea emancipati,hi quoque rectè fideicommiſſum petẽt; quoniam familiæ appellatione,perſonæ quoque hæ demonſtratæ intelliguntur, d.l.peto.§.fratre hærede inſtituto.

Ab inteſtato extraneo prædia cognatis cùm moreretur verbis fideicommisſi reliquerat,& petierat ne ex nomine familiæ alienarentur: ſubſtitutum ea prædia debere ex defuncti voluntate reſponſum eſt : ſed non ſtatim quia coniectura ex voluntate teſtatoris capienda,mors inſtituti expectanda eſt. d.l. cùm pater lxxvii.§.ab inſtituto.

Pegaſus ſolutus fuerat diſtinguere;ſi in diem fideicommiſſum relictum ſit, veluti poſt annos decem: intereſſe,cuius cauſa tempus dilatum ſit, vtrumne hæredis;quo caſu hæredem fructum retinere debere,an legatarii ; veluti ſi in tempus pubertatis ei,qui impubes ſit,fideicommiſſum relictum ſit: tunc enim fructus præſtandos,& antecedentis temporis, & hæc ita intelligenda ſunt, ſi non nominatim adiectum eſt, & cùm incremento hæres fideicommiſſum præſtet, ff.de leg.ii.l.ſi ita xliiii.§.pegaſus.

Iulianus quidem ait,ſi alter ex legitimis hæredibus repudiaſſet portionem, cùm eſſent ab eo fideicommiſſa relicta;cohæredem eius non cogendum fideicommiſſum præſtare : portionem enim ad cohæredem ſine onere pertinere, ſed poſt Seueri reſcriptum, quo fideicommiſſa ab inſtituto relicta à ſubſtitutis debentur,& hic quaſi ſubſtitutus cum ſuo onere conſequetur adcreſcentem portionem.ff.de leg.ii.l.ſi Titio,& Męuio,lxi.§. Iulianus.

Cùm proponebatur, in ſcriptura fideicommisſi, quod pluribus ſub conditione relictum fuerat,per errorem omiſſam mutuam ſubſtitutionem, quam teſtator

in ſe-

in secundis tabulis, cùm eosdem substitueret, expressit: Diui Marcus & commodus Imperatores rescripserunt, voluntatem manifestam uideri mutuò factæ substitutionis: etenim in causa fideicommissi, vt cunque præcaria uoluntas quæreretur, coniectura potuit admitti. ff. de legat. ii. l. cum proponebatnr. lxiiii.

Vnum ex familia propter fideicommissum à se cùm moreretur relictam, hæres eligere debet ei, quem elegit, frustra testamento suo legat, quod posteaquam electus est, ex alio testamento petere potest. vtrum ergo non constitit quod datur datur quasi creditori relictum? an quandiu potest mutari voluntas, non rectè creditori comparabitur? siue tamen durat electio, fuisse uidetur creditor: siue mutetur ex neutro testamento petitio competit. Si falcidia quæratur, per inde omnia seruabuntur, ac si nominatim ei, qui postea electus est, primo testamento fideicommissum relictum fuisset: non enim facultas necessariæ electionis propriæ liberalitatis beneficium est, quid est enim quod de suo videatur reliquisse, qui, quod reliquit omnimodo reddere debuit? itaque si cùm fortè tres ex familia essent eius, qui fideicommissum reliquit, eodem vel dispari gradu: satis erit, vni reliquisse. nam postquàm paritum est voluntati, cæteri condine deficiunt. ff. eod. l. vnum. lxvii. in prin.

Sed si vno ex familia hærede instituto, ille fundus extraneo relictus est; perinde fideicommissum ex illo testamento petetur, ac si nemo de familia hæredi hæres extitisset. Verum is, qui hæres scriptus est, ratione doli exceptionis cæteris fideicommissum petentibus facere partem intelligitur. nam quæ ratio cæteris admittit, eadem tacitum indncit compensationē, d. l. vnum. §. sed si vno.

Si duos de familia non æquis portionibus hæredes scripserit, & partem, fortè quartam, extero eiusdem fundi legauerit, pro his quidem portionibus, quas iure hæreditario retinent, fideicommissum nō petetur magis, quàm si alteri fundum prælegasset: pro altera verò parte, quæ in exterum collata est, virilem, qui sunt de familia petent; admissa propter hæredes virilium portionum pensatione. d. l. vnum. §. si duos.

Sed & si fundum hæres vni ex familia reliquerit, eiusque fideicommiserit, ut eū extero restituat: quæsitum est, an hoc fideicommissum peti posit? dictum est, ita demum peti posse, si fundi pretium efficiat. sed si quidem ille prior testator ita fideicommissum reliquisset, ROGO FVNDVM, CVI VOLES, AVT AVT QVIBVS VOLES, EX FAMILIA RELINQVAS, rem in expedito fore, quòd si talia verba fuissent; PETO, NE FVNDVS DE FAMILIA EXEAT: hæredis hæredem propter sequens fideicommissum, quod in exterum collatum est; oneratum intelligi: petituris deinceps cęteris ex primo testamento fideicommissum: post mortem videlicet eius, qui primò electus est: & ideo si electo vno fideicommissum in exterum non conferatur: non alias ei, qui electus est, fideicōmissum pręstādum erit, quàm interpositis cautionib. FVNDVM CVM MORIETVR, SI NON IN FAMILIA CVM EFFECTV RELINQVERETVR, RESTITVI. ROGO, FVNDVM CVM MORIERIS RESTITVAS EX COGNATIS, CVI VOLES. quod ad verba attinet, ipsius erit electio: nec petere quisquam poterit, quandiu præferri alius poterit: defuncto eo, prius, quàm eligant, petent omnes, itaq; eueniet, vt quod vni datum est, iuris pluribus unus petere non posit: sed omnes petāt, quod non omnibus datum est, & ita demum petere posit vnus, si solus monente eo superfuit. ff. de leg. ii. l. vnum ex familia. lxvii. §. sed & si fundum.

Hære-

Hæreditatem filius cùm moreretur, filiis suis, uel cui ex his uoluisset, restituere fuerat rogatus. quo interea in insulam deportato, eligendi facultatem non esse peremptam placuit: nec fideicommissi conditionem ante mortem filii heredis exsistere: Viriles autem inter eos fieri, qui eo tempore uixerint, cum de aliis eligendi potestas non fuerat, ff. de leg. ii, l. cum pater, lxxvii. §. hæreditatē.

A filia pater petierat, vt cui volet ex liberis suis prædia cùm moreretur restitueret: vni ex liberis prædia fideicommissi uiua donauit: non esse electionē propter incertum diem fideicommissi certæ donationis videbatur: nam in eum destinatio dirigi potest, qui fideicommissum inter cæteros habiturus est, remota matris electione. d. l. eum pater. §. à filia.

ROGO, FILIA BONA TVA QVANDOQVE DISTRIBVAS LIBERIS TVIS, VT QVISQVE DE TE MERVERIT. videtur omnibus liberis, & si non æqualiter promeruerint fideicommissum relictum; quibus, matris electione cessante, sufficiet, si non offenderint. eos autem, quos mater elegerit, eos solos non admitti, qui offenderunt. d. l. cum pater. §. rogo.

A TE PETO MARITE, SI QVID LIBERORVM HABVERIS, ILLIS PRAEDIA RELINQVAS: VEL SI NON HABVERIS, TVIS SIVE MEIS PROPINQVIS; non esse datam electionem, sed ordine scripturæ factam substitutionem, responsum est. d. l. cum pater. §. a te peto.

Hæreditatem post mortem suam rogati restituere, nominum periculo, quæ per diuisionem obtigerunt, inter cohæredes interpositis legationibus non adstringuntur magis, quàm prædiorum: cum permutatio rerum discernens communionem interuenit. ff. de leg. ii. l. cum pater, lxxvii. §. hereditatem, secunda.

DVLCISSIMIS FRATRIBVS MEIS, AVVNCVLIS AVTEM TVIS, QVAECVNQAE MIHI SVPERSVNT IN PAMPHYLIA, LYCIA, VEL VBICVNQVAE DE MATERNIS BONIS, CONCEDI VOLO, NEQVAM CVM HIS CONTROVERSIAM HABEAS. omnia corpora maternæ hæreditatis, quæ in eadem causa dominii manserunt, ad uoluntatem fideicommissi pertinent. ex iisdem igitur facultatibus percepta pecunia, ut in corpus proprii patrimonii uersa, item iure diuisionis res propriæ factæ, non præstabuntur, cum discordiis propinquorum sedandis prospexerit, quas materia communionis solet excitare, dict. l. pater. §. dulcissimis.

Qui solidum fideicommissum frustra petebat, hęrede falcidiam obiiciente, si partem interim solui sibi desiderauerit, neque acceperit: in eam moram passus intelligitur. ff. de leg. ii. l. qui solidum. lxxviii. in princip.

Etiam Respublica fideicommissi post moram interesse præstare cogitur, sed damnum, si quod ex ea re fuerit secutum, ab his sarciendum erit; qui post dictam sententiam iudicatum soluere supersederunt, nec aliud seruabitur in litis sumptibus, si ratio litigandi non fuit. ignauiam enim prætendentes audiri non oportere, quod in tutoribus quoque probatur, dict. l. qui solidum. §. etiam.

Cùm esset quis rogatus restituere portionem, accepta certa quantitate; responsum est, vltro petere ipsum fideicommissum ab hærede posse; sed vtrum si uolet, præcipiet, restituetque portionem: an verò & si noluerit, cogatur accepta quantitate portionem restituere, propriæ est deliberationis. & sanè cùm quis rogatur, accepta certa quantitate portionem restituere, duplex est fideicommissum: vnum, ut possit petere quātitatem, paratus portionem cedere: aliud, vt & si non petat, tamen cogatur fideicommissario restituere parato præstare quantitatem, ff. de leg. iii. l. fideicommissa. xi. §. cùm esset quis.

Si

Si quis decem alicui per fideicommissum reliquerit, & si perdidisset id, quod testamento relictum est, rursus ei reliquerit; quærebatur, an sequens fideicommissum valeat, vel an exigere hæres debeat cautionem salua fore decem, ne cogatur ad præstationem. & an si sæpius perdidisset, sæpius ei farciretur fideicommissum Diuus Pius rescripsit, neque cautionem exigendam, & non amplius, quàm semel postquàm perdidisset præstandum: non enim onerandus est hæres, vt in infinitum quotiens perdiderit, restituere ei tantandem debeat sed vt per fideicommissum posterius duplicata eius legata uideantur, nec amplius ad periculum hæredis pertineant, si quid postea is consumpserit, ex soluto & posteriore fideicommisso. d. l. fideicommissa. §. si quis decem.

Item si quis certam quantitatem, cui reliquerit, & addiderit, facilius hanc summam posse compensari; cùm debitor sit fideicommissarius ex causa hæreditatis Gaii Seii, nec velit ille hæreditatem adire Gaii Seii, sed petat fideicommissum. rescriptum est, contra voluntatem eum testantis petere fideicommissum, cùm in fideicommissis præcipuè spectanda, seruandaque sit testatoris voluntas, d. l. fideicom. §. item si quis.

Plerunque euenit, multorum interesse id, quod relinquitur: verum testatorem vni voluisse honorem habitum; & est hæc sententia Marcelli verissima. sic euenit, ut interdum si pluribus testator honorẽ habere voluit, & de pluribus sensit quamuis vnum legatum sit, tamen ad persecutionem eius plures admittantur: vt puta si decem fuerunt eiusdem rei stipulandi; & hæres vel fideicommissarius rogatus est: ut eis solueret: hic enim si omnium interest, & de omnibus sensit testator: fideicommissum relictum omnes petere poterunt, sed vtrum in partem agent, an insolidum, videatur; & creditur, prout cuiusque interest, consequentur. unus igitur, qui occupat agendo, totum consequitur, ita, ut caueat defensum iri aduersus cæteros fideicommissarios eum, qui soluit, siue socii sint, siue non. d. l. fideic. §. plerunque.

Interdum alterius nomen scribitur in testamento, alteri uerò fideicommissi petitio, uel legati competit; ut puta, si fidei hæredum committatur, ut ipse publicano pro Titto præstet. fideicommissum hoc uel legatum non publicanus petit, licet ei sit adscriptum: sed ipse petere poterit, pro quo legatum relictum est. multum autem interest, cui uoluit prospectum; cuiusque contemplatione testator fecerit. plerunque autem intelligendum est, priuati causa hoc fecisse, licet emolumentum publicano quæratur. ff. de legat. iii. l. fideicommissa. xi. §. interdum.

Columnis ædium uel tignis per fideicommissum relictis, ea tantummodo amplissimus ordo præstari uoluit, nulla æstimationis facta mentione, quæ sine domus iniuria auferri possunt, ff. de leg. iii. l. nutu. xxi. §. columnis.

Pater emancipato filio bona sua uniuersa, exceptis duobus equis, non mortis causa donauit; & stipulatus est à filio in hæc uerba: QVAE TIBI ANIMALIA, QVAEQVE PRAEDIA DONATIONIS CAVSA TRADIDI, CESSI: PER TE NON FIERI DOLOVE MALO, NEQVE PER EVM, AD QVEM EA RES PERTINEBIT, QVOMINVS EA ANIMALIA, QVAEQVE EX HIS NATA ERVNT, EAQVE PRAEDIA CVM INSTRVMENTO, CVM EGO VOLAM, VEL CVM MORIERIS, QVAEQVE EORVM EXTABVNT, NEQVE DOLO MALO, AVT FRAVDE; FACTOVE TVO, EIVSQVE AD QVEM EA RES PERTINEBIT, IN RERVM NATVRA, AVT IN POTESTATE ESSE

SE

SE DESIISSENT: SI VIVAM MIHI, AVT CVI EGO VOLAM, REDDANTVR, RESTITVANTVR: STIPVLATVS EST LVCIVS TITIVS PATER: SPOPONDIT LVCIVS TITIVS Filius. idem pater decedens epistolam fideicommissariam ad filium suum scripsit in hæc verba: LVCIO TITIO FILIO SVO SALVTEM. CERTVS DE TVA PIETATE, FIDEI TVAE COMMITTO, VTI DES, PRAESTES ILLI, ET ILLI CERTAM PECVNIAM: quamuis filius hæres patri non extiterit,& nihil ex hæreditate possideret: tamen nihilominus,& ex stipulatu ab hæredibus patris,& ex epistola fideicommisso ab his,quorum interest, quasi debitor conueniri potest. ff. de leg. iii. l. cùm quis. §. pater.

Nuptura duobus filiis suis,quos ex priore marito habebat,mandauit, ut viginti, quæ doti dabat,stipularentur in omnem casum, quo solui posit matrimoniū, vt etiam alterutri,ex his tota dos soluatur. Constante matrimonio vno ex filiis mortuo,vxor per epistolam petit à superstite filio,vti quandoque partem dimidiam duntaxat dotis exigeret,& ea contentus erit. alteram autem partem ad maritum eius remanere concedat. quæsitum est,postea in matrimonio muliere defuncta,an maritus,si de tota dote conueniatur à filio doli mali exceptione se tueri posit,& an vltro ex causa fideicommisi actio ei competit,vt de parte obligationis accepto ei feratur? responsum est,& exceptionem utilem fore, & vltrò ex fideicommisso peti posse. idem quæsitum est,an de reliqua dimidia parte mandati actio vtilis sit hæredibus mulieris aduersum filium eius? responsum est,secundum ea,quæ proponerentur, maximè post literas ad filium scriptas,non fore utilem: quoniam in his expresit,vt contentus esset parte dimidiæ dotis: Quibus verbis satis fideicommissum filio relinqui placuit. ff. de leg. iii. l. cum quis. xxxvii. §. nuptura.

Codicillis ita scripsit, VOLO VT OMNIA, QVAE SVBIECTA SVNT, FIRMITATEM OBTINEANT: MAXIMO DOMINO MEO DENARIVM QVINDECIM MILLIA, QVAE DEPOSITI NOMINE A IVLIO MAXIMO PATRVO EIVS ACCEPI, VT ILLI, CVM IN VIRVM PROVECTVS ESSET, RESTITVEREM: VT MAXIME CVM INTERESSE IN TRIGINTA MILLIA EXCVRRANT. EI RESTITVI VOLO: SIC ENIM PATRVO EIVS IVRAVI. quæsitum est, an ad depositam pecuniam petendam sufficiant verba codicillorum,cū hanc solam,nec vllam aliam probationem habeat? responsum est,ex his,quæ præponerentur,scilicet cùm iusiurandum dedisse super hoc testator affirmauit, credendum est scripturæ. d. l. cum quis. xxxvii. §. codicillis.

Seiam ex dodrante,Mæuium ex quadrante instituit hæredes: fidei Seiæ commisit in hæc uerba, A TE PETO, TVAEQVE FIDEI COMMITTO, QVIDQVID EX HAEREDITATE MEA AD TE PERVENERIT, RESTITVAS FILIO TVO RETENTIS TIBI HORTIS MEIS, quæsitum est,cùm generali capite fideicommisisset, quisquis hæres esset de omnibus,ut præstarent,quod cuique legasset, præstari fierive iusisset, an cùm dodrantem restituerit hæreditatis,hortos in assem uindicare Seia debet, responsum est,etiam cohæredis, fideicommissum uideri, ut quadrantem, quem in his hortis haberet Seia redderet. ff. de legat. tertio. l. post emancipationem, xl. §. Seiam.

Vxorem & filium communem hæredes instituit, & uxoris fideicommisit in hæc uerba PETO A TE DOMINA VXOR NE EX FVNDO TITIANO

PAR-

PARTEM TIBI VINDICES, CVM SCIAS ME VNIVERSAM EMPTIONEM EIVS FVNDI FECISSE. SED BENEFICIO AFFECTIONIS ET PIETATIS, QVAM TIBI DEBVI, EANDEM EMPTIOMEM, CVM NVMIS MEIS COMPARASSEM TECVM COMMVNICASSE; quæsitum est, an eum fundum insolidum filii esse uoluerit? responsum est, eum, de quo quæreretur, perinde rationem in fundo haberi uoluisse, ac si uniuersus hæreditarius esset: ut pro dimidia parte uxor, & filius agrum ut hæreditarium habeant. ff. eod. l. uxorem, xli. in principio.

Hæredis scripti fideicommiserat, ut seia uxori uniuersam restitueret hæreditatem, & uxoris fideicõmisit in hæc verba. A TE SEIA PETO, VT QVICQVID AD TE EX HAEREDITATE MEA PERVENERIT: EXCEPTIS HIS, SI QVA TIBI SVM LEGAVI, RELIQVVM OMNE REDDAS, RESTITVAS MAEVIAE INFANTI DVLCISSIMAE, A QVA SEIA SATIS EXIGI VETO: CVM SCIAM EAM POTIVS REM ACTVRAM, QVAM DETRIMENTO FVTVRAM. Mæuia fideicommissum a seia statim petere poterit. dicta l. uxorem. §. si.

Ex facto tractatum est, an per fideicommissum rogari quis possit, ut aliquem hæredem faciat. Et Senatus censuit, rogari quidem quem, ut aliquem hæredem faciat, non posse: uerum uideri per hoc rogasse, ut hæreditatem suam ei restituat: idest, quicquid ex hæreditate sua consecutus est, ut ei restitueret. Iulianus quoque libro quadragesimo digestorum fideicommissum tale ualere ait. FIDEI TVAE COMMITTO, VT HAEREDITATEM TITII RESTITVAS, cùm esset is, qui rogatus est, a Titio hæres institutus. Non tantùm autem, si hęredem, quem scripsero, potero rogare, ut hęredem faciat aliquem: uerùm etiam si legatum illi, uel quid aliud reliquero. nam hactenus erunt obligati, quatenus quid ad eos peruenit. Si quis cauerit; PETO, VT ILLI DES, AVT ILLI FIDEICOMMISSVM RELINQVAS: admittenda sunt, nam cùm in hæredum institutione Senatus censuit utile; de cæteris quoque idem erit accipiendum. ff. ad sen. cons. Trebell. l. ex facto. 17. in princ.

Dubitari non oportet, Testamentum secundo loco factum, licet in eo certarum rerum hæres scriptus sit, iure ualere; perinde ac si rerum mentio facta non esset. sed teneri hæredem scriptum, ut contentus rebus sibi datis, aut suppleta quarta ex lege falcidia, hæreditatem restituat his, qui priore testamento scripti fuerant: propter inserta fideicommissaria uerba, quibus ut ualeret prius testamentum expressum est. & hoc ita intelligendum est, si non aliquid specialiter contrarium in secundo testamento fuerit scriptum. ff. eod. l. si quis. 29. §. imperatores.

Si frater tuus postquam patri hęres extitit, pubes iam factus sine liberis decessit; ex pupillari substitutione tibi hæreditas eius delata non est: Sed si uerbis fideicommissi aliqua parte testamenti confirmata est: fideicommissum ab hæredibus petere non prohiberis. C. de fideic. l. quinta. Quamuis simpliciter aliquis duos fratres instituit hæredes, eiusque hæreditatis commodum pater ex persona filiorum potestatis ratione quæsierit; tamen quia in inferioris uerbis testamenti eos sui iuris facere testator curáuit, intelligi potest, restituendæ hæreditatis, commodo fideicommisso patrem obstrictum esse. C. de fideic. l. quamuis xv.

Quidam filium & filiam habebat, testamentum fecit, & ita de filia sua cauerat: Demando tibi, nę prius testamentum facias, quàm filios habeas. pronuntiatum

tum fuit ex hac scriptura fideicommissum deberi: quasi per hoc, quod prohibuisset eam testari, petiisset, ut fratrem suum hæredem faceret: sic enim accipiendam eam scripturam, ac si hæreditatem suam rogasset eam restituere. ff. ad Treb. l. qui filium. lxxiiii. in princ.

Vbi purè fideicommissum datum est, si adiectum sit. ROGO DES FILIO TVO, FACIASQVE, VT AD EVM PERVENIAT: rescriptum est, uideri in id tēpus dari, quo capere pōt: idest, sui iuris fiat. ff. eo. l. ubi purè. 19. in princ.

TE ROGO LVCI TITI HAEREDITATEM MEAM CVM ATTIO PARTIARIS, ET SENATVSCONSVLTO Trebelliano in eum, cui restituta est hæreditas actiones competere Aristo ait, quia pro hoc accipiendum sit. ROGO HAEREDITATEM ILLAM RESTITVAS, nec uerba spectantur senatusconsulti, sed sententia quibuscunque uerbis; dum testator senserit, ut hæreditas sua restituatur, d. l. ubi purè. §. te rogo.

Nunquam autem uariè ex uoluntate rescriptum & iudicatum est, uidelicet, si non sub appellatione hæredum: sed propriis nominibus expresis fideicommissum relinquatur. ff. eod. l. nunquam. xxiiii.

Quidā in testamento scripserat, A TE HAERES PETO, FIDEIQVE TVAE COMMITTO, VT QVICQVID EX HAEREDITATE MEA AD TE PERVENERIT: FILIO MEO PRIMA QVOQVE DIE, AVT SI PRIVS QVID EI ACCIDERIT, MATRI EIVS DES, REDDAS. quæsitum est, cùm antequam adeatur hæreditas, puer decesserit, an fideicommissum matri debeatur? rñsum est, si puer antequā dies fideicommissi cedat, decessisset fideicommissum translatum esse ad matrem. Postea autem quàm dies fideicommissi cessit, si decesserit, ad hæredem pueri fideicommissum pertinere. Sed an ea uoluntas fuit patrisfamilias, ut si ante restitutum fideicommissum puer decessisset, matri potius, q̄ hæredibus præstaretur: Prætor ęstimabit ex persona matris, & ex persona hæredis pueri. Sed testatoris uoluntati cōgruum est, quandocunque puer decesserit, siue antequam dies fideicommissi cedant, siue postea, ad matrē transferri fideicommissum, si non iam puer hoc acceperit eoq; iure utimur. ff. ad Treb. l. quidam. 25. in prin.

Seius Saturninus Archicubernius ex classe Britannica testamento fiduciarium reliquit hæredem Valerium Maximum Trierarchum: à quo petiit, ut filio suo Seio Oceano, cum ad annum sexdecim peruenisset, hæreditatem restitueret, Seius Oceanus antequam impleret annos, defunctus est, nunc Manlius Seneca, qui se auunculnm Seii Oceani dicit, proximitatis nomine hæc bona petit. Maximus autem Trierarchus sibi ea uindicat ideo, quia defunctus est is, cui restituere iussus erat. Quæsitum est ergo, utrum hæc bona ad Valerium Maximum Trierarchum hæredem fiduciarum pertineant: an ad Manlium Senecā, qui se pueri defuncti auunculum esse dicit. responsum est. si Seius Oceanus, cui fideicommissa hæreditas ex testamento Seii Saturnini, cum annos sexdecim haberet, à Valerio maximo fiduciario hærede restitui debeat, prius q̄ præfinitū tp̄s ætatis impleret, decessit fiduciaria hęreditas ad eum ꝑtinet, ad quē cętera bona Oceani pertinuerint: quoniam dies fideicommissi uiuo oceano cessit. s. si prorogando tempus solutionis tutelam, magis hæredi fiduciario ꝑmisisse, q̄ incertum diē fideicōmissi constituisse uideatur, ff. eo. l. Seius. xlvi.

Fabius Antoninus impuberem filium Antoninum, & filiam honoratam relinquens, exhæredatis his, matrem eorū Iuniam Valerianā hæredem instituit, & ab ea trecenta, & quasdā res filiæ reliquit: reliquam omnem hæreditatem filio

Antonino, cùm ad annum uicesimum ætatis perueniſſet, uoluit reſtitui. Quòd ſi antè annum uiceſimum deceſsiſſet filius; eam hæreditatem honoratę reſtitui præcepit mater inteſtata deceſsit, utriſque liberis legitimis hæredibus relictis. poſtea filius annum agens plenum nonundecimum, & ingreſſus uiceſimum, nec dum tamen eo expleto, deceſsit filia hærede Fauia Valeriana ſua relicta: à qua Amita fideicommiſſum, & ex teſtamento patris portionem hæreditatis petebat; & apud præſidem Prouinciæ obtinuerat. Tutores Valerianæ filiæ Antonini egeſtatem eius prætendebant; & recitabant Diui Adriani conſtitutionem, in qua, quantum ad munera municipalia iuſſerat, eum Annum, quem quis ingreſſus eſſet, pro impleto numerari: Imperator Alexander motus & æquitate rei, & uerbis teſtamenti, SI AD ANNVM VICESIMVM AETATIS, quamuis ſcire ſe diceret, à Diuo Marco non eſcuſatum à tutela eum, qui ſeptuageſimum annum ætatis ingreſſus fuiſſet: Paulo Iur. Conſ. & legis AEliæ Sentiæ argumenta proferente, & alia quædam contra petitricem pronuntiauit. ff. ad Treb. l. quidam. lxxiiii. §. Fabius.

Epiſtolam ad hæredem ſuum in hæc uerba ſcripſit. TITIVS CORNELIO HAEREDI SVO SALVTEM A TE PETO CORNELI, QVONIAM AD TE DEVOLVTA EST PARS MATRIS MEAE, ITEM PARS SEMPRONII CVRATORIS QVONDAM MEI CONTRARIA FORTVNA VSI, ET PER HOC TOTVS AS MEVS APVD TE ESSE SPERATVR, VTI REDDAS RESTITVAS GAIO SEIO VNCIAS QVATVOR. q̄ſitū eſt, cum Sēpronius in integrū reſtitutus ſit ab Imperatore, quo fuerat deportatus & adierit hęreditatem, an is quoq; rogatus ſit, ut ex ſua portione reſtituat hæreditatem? reſponſum eſt Sempronium quidem non proponi rogatum: Cornelium autem hæredem debere pro rata portione maternarū defuncti rerum reſtitutionē ſeio facere. ff. ad Treb. l. Epiſtolā. 75. in prin.

MVLIER hæredis inſtituti fideicommiſit ut retenta parte quarta reliquam partem reſtitueret nurui quondam ſuæ, cuius fideicommiſit in hæc uerba. ROGO TE, VT ID, QVOD AD TE EX BONIS MEIS PEVENERIT FACIAS PERVENIRE AD FILIVM TVVM; quæſitum eſt, quando hoc fideicommiſſum reſtituere debeat utrum ne poſt mortem ſuam, an iam nunc? reſponſum eſt, ad tempus, quo nurus moreretur fideicommiſſum aptandum eſſe. d. l. Epiſtolam. lxxv. §. fin.

Si pater filium ſuum impuberem ex aſſe ſcripſerit hæredem, eique codicillis ſubſtituerit; deinde filius impubes deceſſerit; licet ſubſtitutio inutilis ſit; quia codicillis hæreditas neq; dari, neq; adimi poteſt; tamen benigna interpretatione placet, ut mater, quæ ab inteſtato pupillo ſucceſsit, ſubſtitutis fideicommiſſo obligetur, quod ſi inuicem fuerunt ſubſtituti; & in fideicommiſſo ſubſtitutionem ualere, unoque eorum mortuo, qui ſuperſunt totum accipiunt. ff. ad Treb. l. Scæuola. lxxvi.

Lucius Titius inteſtato moriturus, cum haberet uxorem, & ex ea filiam emancipatam, codicillis hęc uerba inſeruit: PERTINENT AVTEM HI CODICILLI AD VXOREM ET FILIAM, ITAQVE ROGO QVICQVID AVT EGO RELIQVERO, AVT VOS IPSE HABEATIS, COMMVNE VOBIS SIT, QVOD SI NON EGO ROGAREM, VOS PRO VESTRA PIETATE FACERETIS. filia inteſtati patris bonor. poſſeſsio. accepit; Quæſitū eſt, an aliqua pars hæreditatis Lucii Titii ex cā fideicōmiſsi à filia mr̄i debeatur? rn̄ſum eſt, fideicōmiſsū deberi, ſi ēt vxor parata ſit in cōe bona ſua cōferre.

ferre.ff.eo.l.Lucius.lxxviii.in princ.

Mæuia duos filios hæredes reliquerat; & eodem testamento ita cauit; FIDEI AVTEM HAEREDVM MEORVM COMMITTO, VTI OMNIS SVBSTANTIA MEA SIT, PRO DEPOSITO SINE INTERESSE APVD GAIVM SEIVM, ET LVCIVM TITIVM; QVOS ETIAM SI LICVISSET, CVRATORES SVBSTANTIAE MEAE DEDISSEM, REMOTIS ALIIS, VT HI RESTITVANT NEPOTIBVS MEIS, PROVT QVIS EORVM AD ANNOS VIGINTIQVINQVE PERVENERIT PRO PORTIONE: VEL SI VNVS, EI OMNEM: quæsitum est,an fideicommissum præstari a scriptis hæredibus Lucio Titio,& Seio debeat? respondit Scæuola Lucium Titium item Gaium,Seium fideicommissum petere non posse.d.l.Lucius.§.Mæuia.

Pater Puerum & Puellam hæredes instituit eosque inuicem substituit: & si neuter hæres esset,eis plures substituit; substitutosque inuicem substituit his uerbis, SVBSTITVTOS HAEREDES INVICEM SVBSTITVO; eorundem filiorum fideicommisit, ut qui eorum uita superesset, & sine liberis intra annum trigesimum moreretur, hæreditatem his, quos hæredes substituerat, restituat filius uita sororem superauit, & intra trigesimum annum sine liberis decessit. Quæsitum est, ex substitutis uno defuncto ante filium,pars eius,quę ad cæteros substitutos, qui superuiuerent pertinet,utrum pro uirilibus,an pro hæreditariis portionib.quib. sunt? respondit Scæuola consequens esse pro his partib.quib.substituti essent,fideicõmissum ptinere.d.l. Lucius.78.§. Pater.

Quotiens Paterfamilias unum uel duos hæredes cohæredibus suis restituere hæreditatem iubet. intelligitur easdem partes in fideicommissis facere, quas in hæreditate distribuenda fecerit. sed si iubeantur hi, quibus fideicommissum datur, pecuniam numerare, atque ita fideicommissa recipere: ex quantitate pecuniæ, quam dare iubentur, uoluntas colligenda est patrisfamilias. nam si ex disparibus partibus hæredes scripti æquas partes dare iubentur, pro pius est,ut uiriles recipere debeant. Si uerò summa pecunia dãdæ cõgruit portionib. hęreditarias portiones accipere debebũt.ff. ad Treb.l. quoties.xxiii.

Mæuia filium hæredem instituit ex quincunce; Titiam filiam ex quadrante; Septitium filium ex Triente: cuius fideicommisit in hæc uerba. TE ROGO FILI SEPTICI, SI INTRA VICESIMVM ANNVM, SINE LIBERIS MORIERIS, QVICQVID EX HAEREDITATE MEA AD TE PERVENERIT, HOC FRATRIBVS TVIS RESTITVAS. quæsitum est,an Septicio filio defuncto intra uicesimũ annũ sine liberis, hoc fideicõmissum utrũ pro portionibus hæreditariis ad fratrem & sororem eius pertineat, an uero æqualiter responsum est,pro parte hæreditaria.ff.eo.l.Lucius. 78.§.Mæuia.ii.

Gaio Seio ex semisse, Titia ex quadrante,& alii ex reliquis portionibus hæredibus institutis, ita cauit: FIDEI AVTEM VESTRAE MANDO GAI SEI, ET LVCIA TITIA, VT POST OBITVM VESTRVM REDDATIS, RESTITVATIS TITIO ET SEMPRONIO SEMISSEM. PATRIMONII ET PORTIONIS EIVS, QVAM VOBIS DEDI. quæsitum est,cum utrique adierint hæreditatem, & postea Gaius Seius defunctus sit, Lucia Titia hærede instituta,an hæc Lucia Titia partẽ dimidiam semissis, quam rogatus erat Gaius Seius restituere, protinus debeat, an uerò post suam demum mortem vniuersum fideicommissum, tam ex sua persona, quàm ex Gaii Seii datum restituere debeat? respondit Scæuola, Lu-

ciam Titiam ſtatim teneri partem dimidiam ſemiſsis perſona Seii reſtituere. d.l.Lucius.§.Gaio Seio.

Quæ habebat filium,& ex eo nepotem,vtroſque in mariti poteſtate, maritum ex aſſe ſcripſit hæredem: eiuſque fideicommiſit in hæc verba: SI TITIVS MARITVS MEVS MIHI HAERES ERIT, PETO, FIDEIQVE EIVS COMMITTO, QVICQVID EX HAEREDITATE MEA AD EVM PERVENERIT, CVM MORI CEPERIT, DET RESTITVET GAIO FILIO NOSTRO: ITA TAMEN, VT DECEM QVIDEM VNCIAS SEIVS NEPOS HABEAT: QVOD, VT FIAT, FIDEI EIVS TITII HAEREDIS MEI COMMITTO. pater emancipauit filium: nepotem amiſit,& ſuperſtite filio deceſsit. quæſitum eſt,an priore parte ſcripturæ vniuerſa hæreditas patris ex cauſa fideicommiſsi filio debeatur,& illa ſequentia verba, ITA TAMEN VT DECEM VNCIAS FILIVS, DVAS AVTEM NEPOS HABEAT, ex uoluntate defunctæ ita demum locum haberent, ſi die fideicommiſsi cedente filius,& nepos in eorum natura eſſent: cùm autem non ſuperuixit ad diem fideicommiſsi nepos, ſequens ſcriptura ceſſet? reſpondit Scæuola,decem duntaxat vncias filio datas,d.l.Lucius.73.§. quæ habebat.

Hæredum fideicommiſit,ut quicquid ex parte tertia hæreditatis peruenerit ad eos,id redderet Gaio Mæuio alumno teſtatoris,cùm fuerit annis quindecim: & ſubiunxit hæc uerba: INTERIM EX REFECTV PAVPERTATIS, QVI AD VOS PERVENERIT, ALATIS EVM EX INTERESSE PRO QVANTITATE NVMORVM REDACTO. quæſitum eſt, cùm alimenta multo minora præſtiterint hæredes ſcripti, quàm intereſſe ſummæ redactæ competebat,an & reſiduum præſtare compelli debeat totius temporis; an ex die,quo quintumdecimum expleſſet? reſpondit Scæuola, teſtatorem uideri de omni reditu ſenſiſſe,d.l.Lucius.lxxviii.§.hæredum.

Maritus vxore inſtituta hærede ex parte tertia,& pluribus ei fideicommiſsis datis,dotem quoque prælegauit his verbis, SEIAM VXORI MEAM DARI VOLO A FILIIS MEIS SVMMAM DOTIS EIVS, QVAE MIHI PRO EA ILLATA EST, eiuſdemque uxoris fideicommiſit,ut partem hæreditatis,& quæcunque ei legaſſet,poſt mortem ſuam Titio filio communi reſtitueret.quæſitum eſt,an ſummam quoque dotis inter cætera legata ex cauſa fideicommiſsi filio ſuo reſtituere debeat? reſpondit Scæuola,non alias,niſi manifeſtum eſſet,de dote quoque reſtituenda teſtatorem ſenſiſſe; atque etiam ſi ſenſiſſet,& hoc fuerit adprobatum,ita eius quoque petitionem fore,ſi non minus in quantitate,quæ falcidiæ nomine remaneret,foret,quàm in quantitate dotis.ff.ad trebel.l.Lucius Titius.lxxviii.§.maritus.

Titio fratri ſuo Mæuius hæreditatem Seii,a quo hæres inſtitutus erat, poſt mortem ſuã reſtituere rogatus,eodem Titio hærede ſcripto,petiit,ut moriens Titius,tam ſuam,quàm Seii hæreditatem ſempronio reſtitueret. cùm ex fructibus medio tempore perceptis fideicommiſsi debitam quantitatem Titius percepiſſet; æris alieni loco non eſſe deducendum fideicommiſſum reſpõſum eſt: quoniam ratione compenſationis percepiſſe debitum uidebatur: Planè ſi ea lege Mæuius Titium hæredem inſtituat,ne fideicõmiſſum ex teſtamento Seii retineat: falcidiam compenſationi ſufficere: ſed iniquitatem occurrere. prutius autem fecerit,ſi ex teſtamento fratris hæreditatem repudiauerit, & inteſtati poſſeſsiooem acceperit,nec uidebitur dolo feciſſe, cum fraudem excluſerit,ff.de leg.ii.l.cum pater.lxxvii.§.Titio fratri.

Et

Et quia prima fideicommissorum cunabula à fide hæredum pendent, & tam nomen quàm substantiam acceperunt: Ideo Diuus Augustus ad necessitatē iuris ea retraxit. Nouissimè ad eiusdem principis æmulationem dispositum est, si testator fidei hæredis sui commisit, vt vel hæreditatem, vel speciale fideicommissum restituat; & neque ex scriptura, neque ex quinque testium numero, (quo in fideicommissis legitimus esse noscitur) possit res manifestari, sed pauciores quā quinque, vel nemo penitus testis interuenerit: tunc (siue pater hæredis, sine alius quicunque sit, qui fidem hęredis elegerit, & ab eo restitui aliquid voluerit) si hæres perfidia tentus, adimplere fidem recusat, negando rem ita esse subsecutam, si fideicommissarius iusiurādum ei detulerit, cum prius ipse de calumnia iurauerit, necesse eum habere, vel iusiurandum subire, quod nihil tale à testatore audiuerit; vel recusantem ad fideicommissi, vel vniuersalis, vel specialis solutionem coarctari, ne depereat vltima voluntas testatoris fidei hęredis commissa: eadem obseruari statutum est, & si à legatario, vel fideicommissario aliquid similiter relictum sit. Quod si is, à quo relictum dicitur, postquam negauerit, confiteatur quidem aliquid à se relictum esse, sed ad legis subtilitatem recurrat, omnino soluere cogendus est. Inst. de fideicom. hæredit. §. fin. & C. de fideicom. l. finali.

DE SINGVLIS REBVS PER FIDEICOMMISSVM RELICTIS. *Titulus II.*

POTEST tamen quis etiam singulas res per fideicommissum relinquere; veluti fundum vestem & pecuniam numeratam, vel ipsum hæredem rogare, vt alicui restituat, vel legatarium; quamuis legatario legari non possit. inst. de singulis reb. per fideicom. relictis. in principio.

Etiam à pupillorum tutoribus, velut ab ipsis relicta fideicommissa debentur, C. de fideic. l. etiam, xx.

Vt hæredibur substitui potest, ita etiam legatariis videamus, an idem fieri possit, & cùm mortis causa donabitur; vt promittat ille alteri, si ipse cæpere non poterit. quod magis est, quia in posterioris quoque persona donatio confertur, ff. de leg. 2. l. ut hæredibus. l. in princ.

Iulianus ait, si à filio hærede legatum sit Seio, fideique eius cōmissum fuerit, sub conditione, ut Titio daret, & Titius pendente conditione decesserit, fideicōmissum deficiens apud Seium manet; non ad filium hæredem pertinet, quia in fideicommissis potiorem causam habere eum, cuius fides electa sit, senatus uoluit. ff. eod. l. Iulianus. lx.

Surdo & Muto qui legatum accipit, ut cum morietur restituat, rectè mandatur, nam & ignorantes adstringuntur fideicommisso, quibus ignorantibus emolumentum ex testamento quæritur, ff. eo. l. cum pater. lxxvii. §. surdo & muto.

Potest autem non solum proprias res testator per fideicommissum relinquere, sed & hæredis, aut legatarii, aut fideicommissarii, aut cuiuslibet alterius. itaque & legatarius & fideicommissarius non solum de ea re rogari potest, ut eam alicui restituat, quæ ei relicta sit, sed etiam de alia siue ipsius, siue aliena sit. Hoc solum obseruandum est, ne plus quisquam alicui rogetur restituere, quàm ipse ex testamento cæperit: nam quod amplius est, inutiliter relinquitur. cùm autem aliena res, per fideicommissum

relinquitur, necesse est ei, qui rogatus est, aut ipsam redimere, & præstare, aut æstimationem eius soluere, inst. eod. §. potest autem. & C. de fideicom. l. hæredum. xxv.

Si rem suam testator legauerit, eamque necessitate vrgente alienauerit; fideicommissum peti potest, nisi probetur adimere ei testatorem voluisse; probatio autem mutatæ voluntatis ab hæredibus exigenda est. Ergo & si nomen quis debitoris exegerit, quod per fideicommissum reliquit; non tamen hoc animo, quasi vellet extinguere fideicommissum: poterit dici deberi: nisi fortè inter hæc interest: hic enim extinguitur ipsa constantia debiti: ibi res durat, tametsi alienata sit: cùm tamen quidam nomen debitoris exegisset, & pro deposito pecuniam habuisset: fideicommissi petio superest: maximè quia non ipse exegerat, sed debitor vltrò pecuniam obtulerat, quam offerente ipso non potuit non accipere. ff. de leg. iii. l. fideicommissa. xi. §. si rem.

Sicuti conceditur vnicuique ab eo, ad quem legitima eius hæreditas, vel bonorum possessio peruentura est, fideicommissum dare. ita & ab eo, ad quem impuberis filii legitima hæreditas, vel bonorum possessio peruentura est, fideicommissa rectè dabuntur. Quod fideicommissum hactenus quatenus impubes decedat valebit. cæterum si pubes factus, decesserit, euanescit fideicommissum. ff. de leg. i. l. si fundum. xcii. §. fi. cum l. seq.

Eorum, quibus mortis causa donatum est, fideicommitti quoquo tēpore potest. quod fideicommissum hæres salua legis falcidiæ ratione, quam in his quoque donationibus exemplo legatorum locum habere placuit, præstabunt. Si pars donationis fideicommisso teneatur; fideicommissum quoque munere falcidiæ fungetur. Si tamen alimenta præstari voluit; collationis totum onus in residuo donationis esse respondendum erit ex defuncti voluntate; qui de maiori pecunia præstari non dubie voluit integra. ff. de leg. ii. l. cum pater. lxxvii. §. eorum.

Mater filiis suis vulgo conceptis, dotem suam mortis causa donando stipulari permisit, cum aliis hæredibus institutis petisset à filiis, viro dotem restitui: totum viro fideicommissum dotis debetur, si falcidiæ ratio non interuenerit. ideo dotis retentionem virum habere placuit. alioquin falcidiæ partem hæredibus à filiis ex stipulatu cùm viro agentibus ex dote, erit per infactum actio reddenda. d. l. cùm pater. §. mater.

Quod à legatario petitū erat, vt alii restitueret: si legatarius decedat, hæres quoque eius id, qđ legatū est debebit. ff. de leg. ii. l. omnia. 32. §. quod à legatario.

Si quis Titio decem legauerit, & rogauerit, vt ea restituat Mæuio: Mæuiusq; fuerit mortuus, Titii commodo cedit, non hæredis, nisi duntaxat vt ministrum Titium elegit. idem est, & si ponas usumfructum legatum. ff. de leg. ii. l. si quis Titio. xvii. in princ.

Si fuerit municipio legatum relictum ab his, qui Rempublicam gerunt, fideicōmissum dari potest. ff. de leg. iii. l. v. in princ.

Si quis non ab hærede, vel legatario; sed ab hæredis, vel legatarii hærede fideicōmissum reliquerit: hoc valere benignum est. d. l. v. in fine.

Legatarius si nihil ex legato accepit, cui debet actionibus suis cedere potest. nec id cogetur soluere: quid ergo si non totum, sed partem legati relicti restituere rogatus, abstinuit eo? vtrum actionibus suis in totum cogetur cedere? an vero non nisi ad eam quantitatem, quæ fideicommisso continetur? quod ratio suadet; sed & si legatum perceperit, non amplius ex causa fideicommissi cogendus

dus erit soluere quàm recepit.ff.de leg.ii.l.imperator.lxx.in principio.

Si legatarius,à quo fideicommissum datum est,petierit legatum,id tátum, quod per iudicem exegereit, præstare fideicommissario cogetur,vel si non exegerit actione cedere. ad eum enim litis periculum spectare iniquum est, si culpa legatarii lis perierit.ff. de leg.iii.l.octaua in principio.

Qui dotale prædium contra legem Iuliam uendidit,uxori legatum dedit,& emptoris fideicommisit,ut amplius ei pretium restituat,emptorem fideicõmissi non teneri constabat.si tamen accepto legato mulier uenditionem irritam faceret,eam oblato pretio doli placuit exceptione submoueri.ff.de le.ii.l.cum pater.lxxii.§.qui dotale.

Si centum legatis, duplum restituere rogatus sit, ad summam legati videbitur constituisse; si autẽ post tempus fideicommissum relictum sit,interesse duntaxat additamentum admittetur.nec mutanda sententia erit,quod fortè legato percepto magnum emolumentum ex aliquo negotio consecutus est, aut pœnam stipulationis imminentem euasit: hæc ita,si,quantitas cum quantitate cõferatur.enimuerò si pecunia accepta rogatus sit rem propriam,quamquam maioris pretii est, restituere;non est audiendus legatarius,legato percepto,si uelit computare.non enim æquitas hoc probare patitur, si quod legatorum nomine perceperit legatarius,offerat,ff.de leg.ii.l.Imperator.lxx.§.si centum.

Sed & si sic fideicommissum dedero ab hærede meo. TE ROGO LVCI TITI, VT AB HAEREDE TVO PETAS DARI MAEVIO DECEM AVROS, vtile erit fideicommissum, scilicet vt mortuo Titio ab hærede eius peti possit.ff.leg.iii.l.sexta in principio.

Si quis creditori suo legauerit id,quod debet fideicommitti eius non poterit,nisi commodum aliquod ex legato consequatur, fortè exceptionis timore, uel si quod in diem debitum fuit, uel sub conditione.ff.eod.l.vii.§.fin.

Sic fideicommissum relictum,NISI HAERES MEVS NOLVERIT, ILLI DECEM DARI VOLO, quasi conditionale legatum est: & primam uoluntatem exigit.ideoq; post primam voluntatem non erit arbitrium hęredis dicendi noluisse;hoc autem legatum. CVM VOLVERIT, tractum habet quandiu uiuat is,à quo fideicommissum relictum est. verùm si antequam dederit, decesserit,hæres eius præstat.sed & si fideicommissarius antequam hæres constituat decesserit,ad hæredem suum nihil transtulisse uidetur: conditionale enim esse legatum, nemini dubium est. & pendente legati conditione uidetur decessisse fideicommissarius, ff. de legat. tertio l. fideicommissa. xi. §. sic fideicommissum.

Eius hæres,vel legatarius rogatus est, vt quendam adoptet, his uerbis adiectis; SI ALIAS FECERIT, EX HAERES ESTO, VEL PERDAT LEGATVM: quęsitum est,si non adoptauerit,an ei,qui adoptatus non est,actio quædam ex fideicommisso competit? responsum est,legatum,quo quis rogatus,vt adoptet,ratum non est,ff.de leg.iii.l.uxorem.xli.§.eius hæres.

Si quis liberos suos emancipare rogatus fuerit,non cogitur hoc facere: potestas enim patria inæstimabilis est,ff.de legat.primo.l. filiusfamil. cxiiii.§.sed si liberos suos.

Cùm existimaret ad solam consobrinam suam bona peruentura: codicillis ab ea factis, pluribus fideicommissa reliquerat. iure successionis ad duos eiusdẽ gradus possessione deuoluta, rationibus æquitatis, & perpetui edicti exemplo pro parte dimidia mulier releuabitur, ff. de legatis secundo, l. cùm pater

ter.lxxvii.§.cum existimaret.

Ex his verbis. CVRATE AGROS ATTENDERE, ET ITA FIET, VT FILIVS MEVS FILIOS VESTROS VOBIS CONDONET. fideicommissum peti non potest.ff.de leg.3.l.testatorem.lxviii.§.ex his verbis.

Si fundum per fideicommissum relictum vnus ex hæredibus, excusso pretio secũdum reditum eius fundi, mercatus sit propter æs alienum hæreditarium, præsente,& adsignante eo, cui fideicommissum debebatur: placet, non fundum, sed pretium eius restitui deberi: si fundum restituere malit hæres: audiendus est.ff.de leg.1.l.si fundum.xcii.in princ.

Hæres, cuius fideicommissum erat, vt mihi fundum, aut centum daret, fundum Titio vendidit, cùm electio ei relinquitur, vtrum malit, dandi, ut tamen alterum solidum præstet, prætoris officio conuenit, ut si pecuniam Titius offerat, inhibeat fundi persecutionem, ita enim eadem causa constitueretur, quæ futura esset, si alienatus fundus non fuisset: quando etiam aduersus ipsum hæredem officium prætoris, siue arbitri tale esse deberet, ut si fundus non præstaretur, neque pluris neque minoris, quàm centum, æstimaretur, ff. de legat. i. l. si quando.cix.§.hæres.

Quidam ab eo, cui fundum legauerat, fideicommisserat, ut eum fundũ post mortem suam restitueret sempronio. eiusdem legatarii fideicommiserat, ut Titio daret centum; quæritur quid iuris sit? & ait Marcellus; si Titio testator cẽtum ex fructibus, quos uiuus legatarius percepit, reliquerit: & legatarius post tantum temporis decessisset, ut ex fructibus centum fierent; Titium centum accepturum; si post acceptum legatum confestim decessisset legatarius, Titii fideicommissum extingui, quia placet, non plus posse rogari quem restituere, quam quantum ei relictum est. Sed si Titii fideicommissum non est in tempus mortis legatarii collatum: ait Marcellus, confestim fideicommissum Titio dandũ; sed cautione exacta, quanto amplius cæperit, reddi. quam cautionem ita committi, si prius legatarius decesserit, quam ex fructibus centum perciperet. sed uix est, ut legatarium ex reditibus uoluit ante dare, quàm fructus legatarius percepisset, certè erit legatarius audiendus, si velit totum fundum præstare, si de restituendo cauetur. absurdum enim est, de suo eum præstare centum; maximè si fundus centum, uel non multo pluris est: quo iure utimur, ff. de leg. i.l. filiusfam.cxiiii.§.apud Marcellum.

Sed & si fundum hæres vni ex familia reliquerit, eius fideicommiserit, ut eum extero restituat; quæsitum est, an hoc fideicommissum peti possit? dictum est, ita demum peto posse, si fundi pretium efficiat. Sed si quidem ille prior testator, ita fideicommissum reliquisset, ROGO, FVNDVM CVI VOLES, AVT QVIBVS VOLES EX FAMILIA, RELINQVAS: res in expedito erit: quòd si talia uerba fuissent; PETO, NE FVNDVS DE FAMILIA EXEAT: hæredis hæres propter sequens fideicommissum, quod in exterum collatum est, oneratus intelligitur: petituris deinceps cæteris ex primo testamento fideicommissum: post mortem uidelicet eius, qui primo electus est, & ideo si electo uno fideicommissum in exterum non conferatur; non aliàs ei, qui electus est, fideicommissum præstandum erit; quàm interpositis cautionibus, FVNDVM, CVM MORIETVR, SI NON IN FAMILIA CVM EFFECTV RELINQVERETVR, RESTITVI. ff. de leg.ii.l. unum ex familia lxvii.§.sed si fundum.

ROGO, FVNDVM CVM MORIERIS, RESTITVAS EX COGNATIS,

CVI

CVI VOLES; quod ad uerba attinnet, ipsius erit electio, nec petere quisquã poterit, quandiu præferri alius potest, defuncto eo priusquam eligat, petent omnes. Itaque eueniet, vt quod vni datum est viuis pluribus vnus petere non posit: sed omnes petant, quod non omnibus datum est; & ita demum petere posit vnus, si solus moriente eo superfuit, d. l. unum. §. rogo.

Eum, cui sub hac conditione fundus legatus est, si centum hæredi dedisset: si rantum sit in pretio fundi, quantum hæredi dare uisus est: non est legatarius cogendus fideicommissum a se relictum præstare; quoniam nihil ex testamento videtur capere, qui tantum erogat, quantum accipit, ff. de leg. i. l. ciuitatibus, cxxii. §. eum qui.

Lucius Titius in testamẽto suo ita cauit, OCTAVIANAE STRATONICAE DVLCISSIMAE FILIAE MEAE, SALVTEM. VOLO VT IPSA A SEMETIPSA PRAEDIVM GAZAM CVM OMNIBVS EIVS IMPOSITIONIBVS ACCIPIAT: OCTAVIANO ALEXANDRO DVLCISSIMO FILIO MEO. VOLO VT IPSE A SE IPSO POSESSIONEM COMIANAM AGNIFERAM CVM VNIVERSIS DOTIBVS, QVAE IN EA SVNT, PRAECIPIAT, INQVE EXIMIVM HABEAT: quæsitum est, an huiusmodi scriptura integrum prædium singulis datum esse videatur? an verò hæreditariam partem duntaxat contineat? cùm inutiliter à semetipso quenque eorum quam habebat partem, accipere voluit? Modestinus respondit, non sic interpretandam scripturam, de qua quæsitum fuit, vt fideicommissum inutile fiat. item quæsitum est, si integrum prædium relictum esse videtur, an pretium portionis fratri, & cohæredi soluendum sit: vt hoc ipso quòd à semetipso accipere præcepit, pretio illato integrum habere eum voluerit? idem respondit, ad solutionem pretii fideicommissarium minimè compellendum, ff. de leg. ii. l. Titia. xxxiiii. §. Lucius Titius.

Gaius Seius cum domum suam haberet, & in prætorio vxori suæ se transtulisset, quasdam res de domo sua in eodem prætorio transtulit: ibique post multos dies decedens, testamẽto uxorem suam hæredem, & alios complures reliquit, quo testamento significauit verba, quæ infrascripta sunt: IN PRIMIS SCIANT HAEREDES MEI, NVLLAM PECVNIAM ESSE PENES VXOREM MEAM, SED NEC ALIQVID QVICQVAM: IDEOQVE HOC NOMINE EAM INQVIETARI NOLO. quæsitum est, an ea, quæ viuo eo in prætorio uxoris eius translata sunt, communi hæreditati vindicari posint? & an secundum uerba testamenti præscribi cohæredibus posit à patre uxoris defuncti? Modestinus respondit, si ea, quæ in domum seu prætoriũ uxoris defunctus transtulit, præcipua ad eam pertinere uoluit: nihil proponi, cur uoluntati ipsius standum non sit: necesse igitur habet mulier, talem uoluntatem fuisse testatoris ostendere. quod nisi fecerit; in hæreditate mariti & hæc remanere oportet. ff. de leg. ii. l. Titia, xxxiiii. §. Gaius Seius.

Titia cùm nuberet Gaio Seio, dedit in dotem prædia, & quasdam alias res. postea codicillis ita cauit. GAIVM SEIVM MARITVM MEVM COMMENDO TIBI FILIA MEA. CVI DARI VOLO IN VITAE VSVM, ET FRVCTVM PARTICIPATIONEM, PAGI NECLENI, QVAM OLIM IN DOTEM CVM CORPORIBVS DOTI ILLATIS DEDI. ET IN NVLLA RE EVM MOLESTARI IN DOTE. ERVNT ENIM POST MORTEM IPSIVS TVA, ET FILIORVM TVORVM. præterea alia multa huic eidem marito legauit, ut quandiu uiueret haberet: quæsi-

quæsitum est, an propter hæc quæ codicillis, ei extra dotem relicta sunt, possit post mortem Gaii Seii ex causa fideicommissi petitio, filio & hæredi Titiæ competere, & earum rerum nomine, quas in dotem Gaius Seius accepit? Modestinus respondit: licet non ea verba proponantur, ex quibus filia testatricis fideicommissum à Gaio Seio, postquam præstiterit, quæ testamento legata sunt, petere possit. tamen nihil prohibet propter uoluntatem testatricis post mortem Gaii Seii fideicommissum peti. ff. de leg. ii. l. Titia. xxxiiii. §. fin.

Titius cùm fratris filio fundos, & vrbana prædia legaret, in his & fundum Seianum legauit, quem ipse paterfamilias, quoad viueret, uno quidem nomine uniuersum habuit, sed quo facilius conductorem inueniret, per duas partes locabat: ita ut ex qualitate loci superiorem partem seianum superiorem; inferiorem autem partem seianum inferiorem appellaret, quæsitum est, an is fundus totus ad fratris filium pertineat? Paulus respondit, si testator fundum seianum uno nomine uniuersum possedit, quamuis eundem diuisis partibus locauerat; uniuersum eum ex causa fideicommissi præstari oportere: nisi si hæres, de qua parte testator senserit, euidenter probauerit, ff. de lega. ii. l. Gaius. 86. §. Titius.

Filiam ex asse instituit hæredem; eiq; substituit nepotem suum, & ita cauit: SI, QVOD A BOMINOR, NEQVE FILIA MEA, NEQVE NEPOS MEVS HAEREDES MEI ERVNT. TVNC PORTIONEM MEAM PARTIS DIMIDIAE FVNDI ILLIVS AD COGNATOS MEOS PERTINERE VOLO. quæritur, cùm ante testatorem, & filia & nepos decesserunt, & intestati bona pertinuerunt ad pronepotem eius an fideicommissum ad cognatos pertineret? responsum est, secundum ea, quę proponerentur; si nullus alius hæres institutus substitutusque esset, quàm filia & nepos uideri legitimorum fideicommissum esse, vt præstaretur, ff. de legat. secundo. l. penultima. §. filiam.

Quotiens, principali loco hæres institutus testatori succedit: legata & fideicommissa à substituto data posci iure non possunt. C. de fideic, l. quotiens. xiii.

Maritus vxorem ex asse hæredem instituit, cuius post mortem codicillos aperiri testator præcepit, prædium hæreditarium uxor infructuosum rationi suæ existimans, uendidit; emptor quærit. an retractari hæc venditio possit post mortem mulieris ab his, quibus codicillis per fideicommissum hæreditas data deprehenderetur: an verò solum quantitas pretii ab hærede uxoris fideicommissariis debeatur? responsum est, propter iustam ignorantiam tam mulieris, quam emptoris, hæredem mulieris, vt fundus apud emptorem remaneat, fidei commissario pretium dare debere. ff. de leg. ii. l. fi. §. fin.

Cùm quis decedens seiæ matri fundum, qui proprius matris erat, legauerat ab ea petierat, vt eundem, cùm moreretur, Flauiæ Albinæ coniugi suæ restitueret: Post mortem testatoris mater apud magistratum professa est, nihil se aduersus voluntatem filii sui facturam: paratamque se fundum Flauiæ Albinæ tradere, si sibi annua bina præstarentur redituum nomine: sed neque possessionem tradidit, neque annua bina accepit. quęsitum est, an iure fundum alii vendere possit? responsum est, si de legati iure fideique commissi quæreretur, secundum ea quæ proponerentur, nec valuisse, quòd matri suum legauerat, neque onus fideicommissi processisse, si modo nihil præterea mater cæpisset, ff. de leg. iii. l. cùm quis, xxx vii. in prin.

Legauerat per fideicommissum Mæuiis ita, ET QVICQVID IN PATRIA GADI-

GADIBVS POSSIDEO: quæsitum est, an si quam suburbanam adiacentem possessionem haberet, hæc quoque ex causa fideicommissi Mæuiis debeatur? responsum est, posse ad hanc quoque verborum significationem extendi. Item calendarii quod in patria sua defunctus habebat reliquit; quæsitum est, an idem quoque calendarium propter verba suprascripta Mæuiis ex causa fifideicommissi deberetur? respondit Scæuola, non deberi. Pecunia vero, quæ in arca domi Gadibus inuenta esset, vel ex diuersis nominibus exacta, & ibi deposita, ex fideicommisso debetur. ff. de legat. iii. l. uxorem. xli. §. legauerat.

AGRI PLAGAM, QVAE EST IN REGIONE ILLA, MEVIIS PVBLIO ET GAIO TRANSCRIBI VOLO, PRETIO FACTO VIRI BONI ARBITRATV, ET HAEREDITATI ILLATO, DVPLAE EVICTIONE EX PROMISSA A RELIQVIS HAEREDIBVS, ITA VT SVB POENA CENTVM PROMITTANT EAM AGRI PLAGAM, PARTEMVE EIVS AD SEIAM POSTEROSVE EIVS NON PERVENTVRAM QVAQVE RATIONE. cùm publius emere velit, Gaius nolit: is, qui fideicommissum præstari sibi velit, potest partem dimidiam eius agri, qui legatus est, petere, quamuis alter persequi nolit, & cautio, quæ interponi debet secundum uoluntatem, cuique hæredum præstanda est pro ea portione, quæ ex fideicommisso præstatur, ff. de leg. iii. l. vxorem. xli. §. agri plagam.

Testator adiiciendo, PRAEDIVM SEIANVM OMNE: eam quoque partem fundi suprascripti, quasi ad se pertinentem, uidetur per fideicommissum reliquisse, quam ex causa pignoris nactus est, saluo scilicet iure debitoris, ff. de leg. iii. l. testatorem, lxviii. in princ.

Vicos ciuitati relictos, qui proprios fines habebant, ex causa fideicommissi non ideo minus deberi placuit, quòd testator fines eorum significaturum, & certaminis formá, q̃ celebrari singulis annis voluit, alia scriptura se declaraturũ promisit, ac postea morte præuentus non fecit. ff. de leg. ii. l. cũ pater. 77. §. fi.

A filia pater petierat, ut cui vellet ex liberis suis prædia, cùm moreretur, restitueret: vni ex liberis prædia fideicommissi uiua donauit. non esse electionem propter incertam diem fideicommissi certæ donationis uidebatur: nam in eum destinatio dirigi potest, qui fideicommissum inter cæteros habiturus est, remota matris electione, d. l. cum pater. §. à filia.

Fundum à filio, quoad vixerit, uetuit uenundari, donari, pignorari: & hæc verba adiecit: QVOD SI ADVERSVS VOLVNTATEM MEAM FACERE VOLVERIT, FVNDVM TITIANVM AD FISCVM PERTINERE: ITA ENIM FIET, VT FVNDVS TITIANVS DE NOMINE VESTRO NVNQVAM EXEAT. quæsitum est, cùm uiuus filius eum fundum secundum voluntatem patris retinuerit: an defuncto eo, non ad hæredes scriptos à filio, sed ad eos, qui de familia sunt, pertineat? responsum est, hoc ex uoluntate defuncti colligi posse, filiũ quoad uiueret, alienare uel pignerare non posse: testamenti autem factionem, & in eo fundo in extraneos etiam hæredes habiturum, ff. de leg. iii. l. pater filium. xxxviii. §. fundum.

Iulius Agrippa primipilaris testamento suo cauit, ne vllo modo reliquias eius, & prædium suburbanum, aut domum maiorem hæres eius pignoraret, aut ullo modo alienaret: filia eius hæres scripta hæredem reliquit filiam suam neptem primipilaris, quæ easdem res dui possedit, & decedens extraneos instituit hæredes. quæsitum est, an ea prædia extraneus hæres haberet: an verò ad Iuliam dominam, quæ habuit patruum maiorem Iulium Agrippam, pertinerent? re-

sponsum

ſponſum eſt,cùm hoc nudum præceptum eſt,nihil proponi cõtra voluntatem defuncti factum,quominus ad hæredes pertinerent,ff.de leg. iii.l. pater filiũ. xxxviii.§.Iulius Agrippa.

Mater filios hæredes ſcripſerat,& adiecit: PRAEDIA, QVAE AD EOS EX BONIS MEIS PERVENTVRA SVNT, NVLLA EX CAVSA AB ALIENENT, SED CONSERVENT SVCCESSIONI SVAE; DE QVE EA RE INVICEM SIBI CAVERENT: ex his verbis prædia per fideicommiſſum relicta.non proponantur,ff. eod.d.l. pater filium.§ fin.

Prædium,quod nomine familię relinquitur,ſi non voluntaria facta ſit alienatio, ſed bona hæredis veneant, tamdiu emptor retinere debet, quandiu debitor haberet bonis non venditis; poſt mortem eius non habiturus, quod exter hæres præſtare cogeretur, ff. de legat. ſecundo, lege. Peto. lxix. alias. lxxi. §.prædium.

Hæc verba, TE FILI ROGO, VT PRAEDIA, QVAE AD TE PERVENERINT; PRO TVA DILIGENTIA DILIGAS, ET CVRVM EORVM AGAS, VT POSSINT AD FILIOS TVOS PERVENIRE: licet non ſatis exprimunt fideicommiſſum,ſed magis conſiliũ, quàm neceſsitatem relinquendi: tamen ea prædia in nepotibus poſt mortem patris eorum uim fideicommiſsi continere uidentur,ff.de lega.iii.l.fideicommiſſa. x.§.hæc verba.

Voluntas patris prohibentis liberos fundos extra familiam vendere,vel pignori dare,fratrem ſorori donare prohibuiſſe non videtur, C. de fideicommiſſa. l.quarta.

Quotiens ab omnibus,qui alienatione facta,ad fideicommiſsi petitionem aſpirare poſſunt,venditio celebratur, aut quibuſdam vendentibus alii conſenſerint: contractus auctoritas conuelli nequaquam poteſt, C. eodem. l. quotiens. xi.

Duas filias æquis ex partibus hæredes fecerat, alteri fundum prælegauerat, & ab ea petierat, vt ſorori ſuæ viginti daret, ab eadem filia petit, vt partem dimidiam fundi eidem ſorori reſtitueret. quæſitum eſt, an uiginti præſtari nõ deberent? reſpondit ſcæuola,non eſſe præſtanda.ff.de legat. iii. l. Pamphilo. xxxix.§.fina.

Qui Margarita Titio pignori dederat,filium hæredem inſtituit, & filiam exhæredauit;deinde ita cauit, TE TITI ROGO, FIDEIQVE TVAE COMMITTO, VTI MARGARITA, QVAE TIBI PIGNORI DEDI, VENDAS: ET DEDVCTO OMNI DEBITO TVO, QVOD AMPLIVS ERIT, ID OMNE FILIAE MEAE RESTITVAS. ex ea ſcriptura filia à fratre fideicommiſſum petere poteſt, ut is, qui creditor fuiſſet, debitor intelligitur eius ſcilicet,quod pretium pignoris ſummam debiti excedat. Non autem mirandum,ſi cùm alius rogatus ſit, alius fideicommiſſo adſtringatur. nam & cùm in teſtamento ita ſcribitur: TE TITI ROGO, VT ACCEPTIS CENSVM, SEMPRONIO QVID PRAESTES. Parum quidem aptè ſcribitur,verum æquè intelligendum eſt hæredis fideicommiſſum, vt pecuniam Titio præſtet. ideoque & ipſe Titius cùm hærede acturus eſt, & ſempronio,quod rogatus ſit,præſtare cogetur,ff.de leg.primo.l.ſi ſeruus. cviii. §. qui Margarita.

Si pecunia fuit depoſita apud aliquem,eiuſque fideicommiſſum, ut eam pecuniam

niam præstet, fideicommissum ex rescripto Diui Pii debetur, quasi uideatur hæres rogatus remittere id debitori. nam si conueniatur debitor ab hærede, doli exceptione uti potest, quæ res utile fideicommissum facit, quod cum ita se habet, ab omni debitore fideicommissum relinqui potest, ff. de legat. 1. l. si pecunia, 77.

Si scriptus ex parte hæres rogatus sit præcipere pecuniam, & eis quibus testamento legatum erat distribuere: id, quod sub conditione legatum est, tunc præcipere debebit, cum conditio extiterit. interim, aut ei, aut his quibus legatum est, satisdare oportet, ff. de legatis primo lege quidam, 96. §. si criptus.

Si centum legatis duplum restituere rogatus sit, ad summam legati videbitur constituisse. Si autem post tempus fideicommissum relictum sit, interesse duntaxat additamentum admittetur. nec mutanda sententia erit, quod forte legato percepto magnum emolumentum ex aliquo negotio consecutus est. aut pœnam stipulationis imminentem euasit. hæc ita si quantitas cum quantitate conferatur. enimuero, si pecunia accepta, rogatus sit rem propriam, quamquam maioris pretii est, restituere: non est audiendus legatarius, legato percepto, si velit computare. non enim æquitas hoc probare patitur, si quod legatorum nomine perceperit legatarius offerat, ff. de leg. 2. l. Imperator, 70. §. si centum.

Si hæres damnatus esset decem uni ex cognatis dare & non constituerit, cui daret: hæres omnibus eadem decem præstare cogendus est, ff. de lega. 2. l. si quis Titio, 17. §. si hæres, fin.

Mensæ negotium ex causa fideicommissi cum indemnitate hæredum per cautionem susceptam, emptioni simile uidetur, & ideo non erit quærendum, an plus in ære alieno sit, quam in quæstu, ff. eodem lege cum pater, lxxvii. §. mensæ.

Qui indiuisam cum fratre suo rem habebat, filias suas hæredes instituit. & ita cauit: PROPTER RES VNIVERSAS, QVAE MIHI CVM ILLO FRATRE MEO PATRVO VESTRO COMMVNES SVNT, QVAS AESTIMATIONIS CONSTITERIT ESSE VNIVERSAS DVO MILLIVM AVREORVM FIDEI VESTRAE COMMITTO, VTI PRO PORTIONE VESTRA MILLE AVREOS A LVCRETIO PACATO PATRVO VESTRO ACCIPIATIS: huic testamento quinquennio superuixit, & abundè patrimonium reliquit. quæsitum est, an hæredes lucretii Pacati secundum uerba suprascripta offerentes mille aureos, fideicommissum consequantur? responsum est, secundum ea, quæ proponerentur non facere uoluntatem, ut uniuersa, datis millenis aureis, restituerentur. sed æstimationis, quæ mortis tempore, in rebus fuerat; oblationem debere fieri, ff. de leg. 2. l. fi. §. qui indiuisam.

Quidam fideicommisit eius, cui duo millia legauit, in hæc verba: A TE PETRONI PETO, VTI EA DVO MILLIA SOLIDORVM REDDAI COLLEGIO CVIVSDAM TEMPLI. quæsitum est, cum id collegium postea dissolutum sit, utrum legatum ad Petronium pertineat: an uero apud hæredem remanere debeat? responsum est, Petronium iure petere. utique si per eum non stetit, parere

defuncti voluntati, ff. de legatis tertio lege pater filium, trigesimo octauo. §. fideicommisit.

Miles ad sororem epistolam, quam, post mortem suam aperiri mandauit, talem scripsit: SCIRE TE VOLO DONARE ME IBI AVREOS OCTINGENTOS: fideicommissum deberi sorori constitit. nec aliud probandum in cuiuslibet suprema uoluntate. placet enim consistere fideicommissum, ac si defunctus cum eo loquatur, quem præcario remunerat, ff. de leg. 2. l. miles, 75. in princ.

Qui inuita filia de dote egerat, decessit, eadem illa exhæredata, filio hærede instituto, & ab eo fideicommissum filiæ dotis nomine reliquit. quæritur quantum à fratre mulier consequi debeat? Modestinus respondit, (quod in primis est) non esse consumptam de dote actionem mulieri, cum patri suo non consenserit, utique non ignoras. sic enim res explicatur, ut si quidem maior quantitas in priore dote fuit; illius petitione sit tantummodo mulier contenta. quod si in summa dotis nomine legata amplius sit, quam in dote principali; compensatio fiat vsque ad eandem summam, quæ concurrit: & id tantummodo, quod excedit in sequenti summa, ex testamento consequatur. Non est enim verisimile, patrem duplici præstatione dotis filium, eundemque hæredem onerare voluisse: præterea, cum putauerit se efficaciter, (licet non consentiente filia) instituisse aduersus generum de dote actionem, ff. de legatis secundo, lege Titia, trigesimaquarta. §. qui inuita.

Qui testamento hæredem scripserat, Mæuio ducenta legauit, & fidei eius commisit, vt centum daret Claucæ Tichæ, Elpidiæ autem quinquaginta. Postea Mæuius volente Testatore literas emisit ad eas, secundum uoluntatem testatoris restitutum, postea testator fecit codicillos, quibus & hoc præcepit, ut præter hoc codicillos, si quid aliud prolatum esset, non ualeat. quæsitum est, an Mæuius qui ducenta accepit, quia mutauit uoluntatem de ea epistola testator, a mulieribus conueniri ex causa fideicommissi possit? responsum est, frustra Mæuium conueniri, siue ducenta, siue prædium pro his accepit, ff. de legatis tertio, lege cum quis decedens, xxxvii. §. qui testamento.

Testamento, quo filium & uxorem instituerat hæredes, filiæ per fideicommissum centum, cum in familia nuberet, legauit: & adiecit ita; FIDEI TVAE FILIA COMMITTO, VT CVM IN FAMILIA NVBAS, ET QVOTIENSCVNQVE NVBES, PATIARIS EX DOTE TVA, QVAM DABIS PARTEM DIMIDIAM STIPVLARI FRATREM TVVM ET SEIAM MATREM TVAM PRO PARTIBVS DIMIDIIS DARI SIBI, SI IN MATRIMONIO EIVS, CVI NVBES, SIVE DIVORTIO FACTO, PRIVSQVAM DOS TVA REDDATVR, EOVE NOMINE SATISFACTVM ERIT, MORIERIS NVLLO FILIO, FILIAVE EX EO RELICTO. pater uirginem filiam nuptum collocauit, eiusq; nomine dotem dedit, & post diuortium eandem recepit, & alii in matrimonium cum dote dedit, & stipulatus est eam dotem, sibi aut filiæ

suæ

suæ reddi. manente filia in matrimonio secundo, mortuus est testator eodem testamento relicto, eique hæredes extiterunt filius & uxor: Postea, marito defuncto, puella dote recepta nupsit alii, præsentibus & consentientibus fratre & matre, quæ etiam dotem eius auxit: & neuter eorum stipulati sunt dotem, mox matri filius, & filia hæredes extiterunt: deinde in matrimonio filia decessit, marito hærede relicto, quæsitum est, cum puella non ex causa legati pecuniam in dotem ab hæredibus patris acceperat, sed mortuo secundo marito mater familias facta dotem recuperauerat, an hæres eius ex causa fideicommissi fratri defunctæ teneatur in eam pecuniam, quam percipere posset, si dotem stipulatus esset? responsum est, non teneri, ff. de leg. 3. l. uxorem, xi. §. testamento, quo.

SEMPRONIAE MVLIERI MEAE REDDI IVBEO AB HAEREDIBVS MEIS CENTVM AVREOS, QVOS MVTVOS ACCEPERAM, quæsitum est, si hanc pecuniam, vt debitam sempronia petens uicta sit, an fideicommissum peti possit? responsum est, posse ex causa fideicommissi peti, quod apparuisset, non fuisse ex alia causa debitum, ff. de leg. 3. l. Lucius, 93. §. semproniæ.

Filiæ fideicommisit in hæc verba: PETO A TE FILIA MEA, VT DOTALEM CAVTIONEM POST MORTEM MEAM MVTVES, ET ITA RENOVES, VT FRATRES TVI DOTEM STIPVLARENTVR HOC CASV, VT SI SINE LIBERIS VNO PLVRIBVSVE IN MATRIMONIO MORIERIS, DOS AD EOS PERVENIAT: post mortem patris decessit maritus, antequam renouaretur cautio dotalis, & postea alii nupta decessit nullo liberorum relicto, uiuo adhuc Titio vno ex fratribus, quæsitum est, an Titius petitionem haberet rerum, quæ in dotem fuerant? responsum est, posse fideicommissum ab hæredibus sororis peti, si per eam stetit, quominus dotem frater stipularetur, ff. de leg. 2. l. fi. §. filiæ fideicommisit.

Vxori ita legatum est. QVIDQVID PROPTER TITIVM AD SEIVM DOTIS NOMINE PERVENIT, TANTAM PECVNIAM SEIVS HAERES MEVS TITIAE DET: quæsitum est, an deductiones impensarum fieri possint, quæ fierent, si de dote ageretur? respondit Iabolenus, non dubito, quin uxori suæ, quod ita legatum est: A TE HAERES PETO QVICQVID AD TE PERVENISSET, VT TANTVM EI DARES. tota dos sine ratione deductionis impensarum mulieri debeatur. Non autem idem ius seruari debet in testamento extranei, quod seruatur in testamento uiri, qui dotem vxori relegauit; hæc enim taxationis loco habenda est. QVICQVID AD TE PERVENIT, illic autem ubi uir uxori relegat, id uidetur legare, quod in iuditio dotis mulier consecutum fuerit, ff. de legatis secundo l. Mæuio, 41. §. a me.

Pater naturalis filiæ suæ ex testamento mariti eius fideicommissi debitor, cum ea mulier alii nuberet, non mandato mulieris dotem marito eius dedit, & sibi reddi eam stipulatus est, si sine liberis filia moreretur. mulier filiam suscepit. Quæsitum est, an fideicommissum a patre exigere posit? responsus est, si nec ratam habuisset dotem datam, superesse fideicommissi petitionem. Item quæsitum est, an si pater accepto facere stipulationem velit, mulier persecutio

ZZZ 2 fidei-

fideicommissorum deneganda sit? responsum est, ut supra eumque patrem, de quo quæreretur, si ita dedisset, vt mulier ratum haberet, posse condicere, ff. de legatis 3. l. uxorem, §. pater naturalis.

Si omissa fideicommissi verba sint, & cætera, quæ leguntur, cum his, quæ scribi debuerant, congruant rectè datum, & minus scriptum exemplo institutionis legatorumque intelligetur, quam sententiam Imperator seuerus quoque secutus est. Item Marcus Imperator rescripsit; uerba, quibus testator ita caueret, non dubitare se, quandocunque vxor eius cæpisset, liberis suis redditiuram, pro fideicommisso accipienda. quod rescriptum summam habet utilitatem: ne scilicet honor bene transacti matrimonii, fides etiam communium liberorum decipiat patrem, qui melius de matre præsumpserat. Et ideo Princeps prouidentissimus, & iuris religiosissimus, cum fideicommissi verba cessare animaduerteret, cum sermonem pro fideicommisso rescripsit, accipiendum, ff. de leg. 2. l. si unum ex fam. 67. §. si omissa.

Quæstio est, an etiam quæ viuus per donationem in vxorem contulit, in fideicommissi petitionem veniant? responsum est, ea extra causam bonorum defuncti computari debere, & propterea fideicommisso non contineri, quia ea habitura esset etiam alio hærede existente. Planè nominatim maritus uxoris fideicommittere potest, ut ea restituat, ff eo. l. sequens, quæstio. 68.

PETO LVCI TITI, CONTENTVS SIS CENTVM AVREIS. fideicommissum ualere placuit: idque rescriptum est, quid ergo, si cum hæredem ex parte instituisset, ita locutus est, PETO PRO PARTE TVA CONTENTVS SIS LVCI TITI CENTVM AVREIS. petere poterunt cohæredes partem hæreditatis retinente, siue præcipiente, quo contentum esse voluit defunctus, sine dubio facilius est hoc probare, quàm probari potuit illud: cum fideicommissum ibi petatur ab his cum quibus testator locutus non est. Idem dicendum: si cum ex asse scripsisset hæredem, eius gratia, qui legitimus hæres futurus esset, ita loquatur, PETO, PRO HAEREDITATE, QVAM TIBI RELIQVI, QVAE AD FRATREM MEVM IVRE LEGITIMO REDIRET, CONTENTVS SIS CENTVM AVREIS, ff. eo. l. peto, 69. in princip.

Mater filio impubere hærede instituto, tutorem eidem adscripsit, eiusque fideicommisit; vt si filius suus intra quatuordecim annos decessisset, restitueret hęreditatem sempronio. non idem minus fideicommissum rectè datum intelligi debet; quia tutorem dare mater non potuit. nam & si pater non iure facto testamento tutoris fideicommiserit: æquè præstabitur, quemadmodum si iure testamentum factum fuisset. sufficit enim vt ab impubere datum fideicommissum videatur ab eo dari, quem is, qui dabat, tutorem dederat, vel etiam tutorem fore arbitrabatur. Idem in curatore impuberis, uel minoris annis debet probari, nec interest, tutor rectè datus uiuo patre moriatur, uel aliquo priuilegio excusetur, vel tutor esse non possit propter ætatem. cui tutor fuerat datus: quibus certè casibus fideicommissum non intercidit, quod a pupillo datum uidetur: hac denique ratione placuit a tutore, qui nihil accepit, fideicommissum pupillo relinqui non posse: quoniam quod ab eo relinquitur extero, non ipsius proprio, sed pupilli iure debeatur, ff. de leg. 1. l. Peto, 69. §. mater.

Cum pater filios eorumq; matrē hæredes instituisset, ita scripsit, PETO A TE FILIAE VT ACCEPTIS EX HAEREDITATE MEA IN PORTIONEM

TVAM

TVAM CENTVM AVREIS, ET PRAEDIO TVSCVLANO, PARTEM HAEREDITATIS RESTITVAS MATRI TVAE. responsum est, prædium quidem hæreditarium iudicio diuisionis de communi filiam habituram, pecuniam autem de parte sua retenturam, ff. eod. l. cum pater. lxxvii. in principio.

Cùm pater fideicommissum prædiorum ex testamento matris filiæ deberet, eandem pro parte ita hæredem instituit; vt hæreditatem fideicommisso compensaret, eademque prædia filio exhæredato dari uoluit; quanquam filia patris hęreditatem suscipere noluisset; fideicommissum tamen ab hæredibus esse filio præstandum. ad quos hæreditatis portio, quam accepit filia, redierat, placuit. quod si alium filiæ substituisset; eum oportere filio fideicommissum reddere, ff. eod. d. l. cum pater, lxxvii. §. cum pater fideicommissum.

Pater certam pecuniam exhæredatæ filiæ uerbis fideicōmissi reliquit, eamq; nupturæ dotis nomine dari uoluit, filio dotem stipulante. cū filius minorem dotem dedisset, superfluum esse filiæ reddendum constabat: Diuortio quoque secuto fideicommissum filiam rectè petituram, vt actio stipulationis sibi præstaretur. quoniam uerisimile non erat, patrem interponi stipulationem voluisse, quo filia post primas nuptias indotata constitueretur. cæterum si postea nuberet; ad secundas nuptias cautionem extendi non oportet, dicta. l. cum pater. §. pater certam.

Si mulier dotem stipulata fuerit, & accepto tulit marito in hoc dotem, vt fideicōmissum det: dicēdum est fideicommissum deberi. percepisse etenim aliquid à muliere uidet: hæc ita, si mortis causa donatura mulier marito fecit acceptū. sed & si mortis causa auxerit marito dotē, uel in matrimoniū eius mortis causa redierit, potest dici fideicommissum ab eo deberi. ff. de leg. 3. l. 3. in prin.

Donationis prædiorum epistolam ignorante filio mater in æde sacra verbis fideicommissi non subnixam deposuit, & literas tales ad æadituū misit, INSTRVMENTVM VOLVNTATIS MEAE POST MORTEM MEAM FILIO MEO TRADI VOLO. cum pluribus hæredibus intestato diem suum obiisset, intelligi fideicommissum filio relictum responsum fuit: non enim quæri oportet, cum q̄uo de supremis quis loquatur, sed in quem uoluntatis intentio dirigetur, ff. de leg. ii. l. cum pater. lxxvii. §. Donationis.

Si creditor ab eo, qui testamentum fecit, domum acceptam iure pignoris uendidit, contra emptorem fideicommissi causa tametsi uoluntatem defuncti non ignorauit, nihil decernetur, ff. eod. l. qui solidum. lxxviii. §. fin.

QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, SCIAT DEBERE ME DE METRIO PATRVO MEO DENARIA TRIA, ET DEPOSITA APVD ME A SELEVCO PATRVO MEO DENARIA TRIA, QVAE ETIAM PROTINVS REDDI ET SOLVI EIS IVBEO. quæsitū est, an si non deberentur, actio esset? responsum est, si non deberentur, nullam quæsi ex debito actionem esse; sed ex fideicommisso. ff. eo. l. penult. §. quisquis. ii.

Si rem quis debeat ex stipulatu, ei, cui rē legauerit, fideicōmittere eius non poterit, licet ex legato commodum sentire uideatur, quod dominium nanciscitur statim, nec expectat ex stipulatu actionem. fortassis quis dicat, & sumptum litis; quem sustineret, si ex stipulatione litigaret, eum lucrari, sed nequaquam dicendum est hujus fideicommitti posse. Sed & si habenti tibi proprietatem usumfructum mortis causa cessero: potest dici fideicommittere me posse, nec quenquam moueat, quod usus fructus solet mortem extingui.

nam medii potius temporis, quo uiuat, qui donauit, commodum cogitatur. si autem pignus debitoris liberauero mortis causa, & eius fideicommisero, non potest valere fideicommissum, ff. de legat. tertio. l. tertia. §. si rem, usque in finem.

Sic fideicommissum relictum. NISI HAERES MEVS NOLVERIT, ILLI DECEM DARI VOLO: quasi conditionale fideicommissum est: & primam uoluntatem exigit; ideoque post primam uoluntatem non erit arbitriū hæredis dicendi noluisse. Hoc autem legatum, CVM VOLVERIT: tractū habet, quandiu uiuat is, à quo fideicommissum relictum est: uerum si antequā dederit, decesserit, hæres eius præstat. sed & si fideicommissarius, antequam hæres constituat, decesserit: ad hæredem suum nihil transtulisse uidetur, conditionale enim esse legatum, nemini dubium est: & pendente legati conditione uidetur decesisse fideicommissarius, ff. de leg. 3. l. fideicommissa. xi. §. sic fideicommissum.

Quanquam autem fideicommissum ita relictum non debeatur, SI VOLVERIS: tamen si ita adscriptum fuerit, SI FVERIS ARBITRATVS, SI PVTAVERIS, SI EX EXISTIMAVERIS, SI VTILI TIBI FVERIT VISVM, VEL VIDEBITVR: debebitur: non enim plenum arbitrium voluntatis hæredi dedit, sed quasi uiro bono fideicommissum relictum est. Proinde si ita sit fideicommissum relictum; illi si te meruerit, omnimodo fideicommissum debebitur. nec poterit hæres causari, non esse meritum, si alius uir bonus, & non infestus meritū, potuit admittere, d. l. fideicommissa, §. quanquā.

Non dubium est, quin si vxori relictum sit legatum, SI NON NVPSERIT, idque alii restituere rogata sit: cogenda erit, si nupserit, restituere. Hæres quoque, cui iurisiurandi conditio remittitur, legatum & fideicommissum debet, ff. eod. l. non dubium, xiiii. in princ.

Quod his uerbis relictum est, QVICQVID EX HAEREDITATE BONISVE MEIS AD TE PERVENERIT, CVM MORIERIS, RESTITVAS. fructus, quos hæres uiuus percepit, item quæ fructuum iure sunt, non uenire placuit: nec. n. quicquam proponitur ex quo de his quoque restituendis testatricem rogasse, probari potest, ff. eod. l. quod his uerbis, lxxxiii. in prin.

Titia codicillis de prædiis, quæ testamēto septitiæ reliquerat, ita cauit. A TE PETO, SEPTITIA, VT FILIO MEO, CVM ANNORVM SEDECIM ESSET, EADEM PRAEDIA RESTITVERES, QVOD SI FILIVS MEVS SEDECIM ANNOS NON IMPLEVERIT, PETO VTI REDDAS EA RESTITVAS PVBLIO MAEVIO ET GAIO CORNELIO. quæsitum est, cùm septitia decesserit, deinde filius quintumdecimum annum agens defunctus sit: an repræsentetur fideicommissum quintodecimo anno impleto, & hæredes septitiæ restituere id Publio Mæuio, & Gaio Cornelio debeant? Marcellus respondit, septitiam ius, quod in his prædiis habuisset, hæredi suo reliquisse, etenim uideri contra uoluntatem testatoris representationem fideicommisi desiderari. vt amplius ad substitutos perueniat, quam ad puerum peruenire, uel à septitia, uel ab hæredibus potuisset; & uerba quidem uidentur representare fideicommissum. sed non est uerisimile, ut maturius voluerit testatrix ad substitutos id trāsferre. nec quicquam mutat, quod septitia ante decesit. nam & si puer uiueret, non prius septitiæ hæredes, quàm septitia possent conueniri, ff. de cond. & demonst. l. Publius, 86. §. Titia.

Eum

Eum, qui post apertum testamentum deportatus & restitutus est fideicommissũ petere posse, cuius conditio postea extitit, quàm ciuitatem Romanam recipiat, Paulus respondit, ff. eod. l. eum, qui. ciiii.

Cognatis prædium reliquit, & petiit, ne id alienarent, atque in familia cognatorum retinerent. si excepto uno, cæteri partes suas uendiderint, qui non uẽdidit, cæterorum partes, quibus non dedit alienandi uoluntatem integras petet. eos enim ad fideicommissum uidetur inuitasse, qui iuditio paruerũt; alioquin perabsurdum erit uice mutua petitionem induci, scilicet, ut ab altero partem alienatam quis petat, cum partem suam alienando perdiderit. Sed hoc ita procedere potest, si pariter alienauerint; cæterum prout quisq; prior alienauerit, partem posterioribus non faciet. qui uerò tardius uendidit, in superiorum partibus fecisse partem intelligitur, at si nemo uendiderit, & nouissimus sine liberis decesserit, fideicommissi petitio non supererit, ff. de leg. 2. l. cum pater, 77. §. libertis prædium.

Prædium pater de familia liberorum alienari uerbis fideicommissi prohibuit supremus ex liberis, qui fideicommissum petere potuit, non idcirco minus actionem in bonis suis reliquisse uisus est, quòd hæredem extraneum sine liberis decedens habuit, ff. eo. l. qui solidum 78. §. prædium pater.

Seia cognatis suis fundum legauit, fideique eorum, ita commisit, FIDEI AVTEM VESTRAE VERE ET SAPIDE COMMMITTO, NE EVM FVNDVM VENDATIS, EVMQVE QVI EX VOBIS VLTIMVS DECESSERIT, CVM MORIETVR, RESTITVAT SYMPHORO COGNATO MEO ET SVCCESSORI, ET BERILLO, ET SAPIDO, QVIVE EX HIS TVNC SVPERVIVENT. quæritur cum nec in prima parte testamenti, qua fundum prælegauit eos substituit; in secunda tamen adiecerit uerbum, QVI VLTIMVS DECESSERIT; an pars unius defuncti ad alterũ pertineret? Paulus respondit, testatricem uideri in eo fideicommisso, de quo quæritur, duos gradus substitutionis fecisse unum; ut is, qui ex duobus prior morietur, alteri restitueret; alterum, ut nouissimus his restitueret, quos nominatim postea enumerauit, ff. de leg. 2. l. Titia. 87. §. Seia libertis.

Instituto filio hærede, & ex eo nepotibus emancipatis, testator ita cauit. NON VOLO AVTEM, VT A MEIS HAEREDIBVS AEDES MEAE VENEANT, ILLAMVE NOMINE PECVNIA MVTVA ACCIPIATVR, SED VT APVD EOS, SIVE FIFII, SIVE NEPOTES SINT, IN OMNE AEVVM INVIOLABILITER PERMANEANT, SI QVIS VERO EORVM PARTEM SVAM, VEL VENDERE, VEL IN CAVSAM MVTVI OBLIGARE VOLVERIT: COHAEREDI SVO EIVS VENDENDI, VEL OBLIGANDI POTESTATEM HABETO; QVOD SI ADVERSVS EA QVIS FECERIT, QVICQVID EIVS REI GESTVM ESSE DICETVR, ID INFIRMVM ATQVE IRRITVM ESTO. quæritur cum filius defuncti mutuam pecuniam à Flauia Dionysia acceperit, & locatis ædibus pro parte sua pensiones sibi debitas creditrici delegauerit, an conditio testamenti extitisse uideatur, ut filiis suis fideicommissi nomine teneatur? & respondit Scæuola fideicommissi conditionem non extitisse, ff. de leg. 2. l. pen. §. instituto.

Pater filium hæredem prædia alienare, seu pignori ponere prohibuerat; sed conseruari liberis ex iustis nuptiis, & cæteris cognatis fideicommiserat. filius prædia, quæ pater obligata reliquerat, dimisso hæreditario creditore numis

mis noui creditoris à priore in ſequentem creditorem pignoris hypothecæve nomine tranſtulit, pignus rectè contractum erit, quæſitum eſt cum filius prædia hæreditaria, ut dimitteret hæreditarios creditores, diſtraxiſſet: an emptores qui fideicommiſſum ignorauerunt, bene emerint? reſponſum eſt, rectè contractum, ſi non erat aliud in hæreditate, unde debitum exſoluiſſet, ff. de leg. 3. l. Pater filium, 38. in princ.

Pater filiam ſuam hæredem ſcripſerat, & ita cauerat, VETO AVTEM AEDIFICIVM DE NOMINE MEO EXIRE: SED AD COGNATOS MEOS, QVOS HOC TESTAMENTO NOMINAVI, PERTINERE VOLO. quæſitum eſt defuncta hærede, & legatariis omnibus præter unum; ad eum, qui ſupereſſet, uirilem partem pertinere, reſponſum eſt, dicta l. pater, §. filiam.

Quindecim cognatis, quos nominauerat prædiolum cum taberna legauerat, & adiecerat hæc uerba: SIBI, QVAE EOS HABERE, POSSIDERE VOLO EA LEGE ET CONDITIONE; NEQVIS EORVM PARTEM SVAM VENDERE, DONAREVE, ALIVDVE QVID FACERE ALII VELIT. QVOD SI ADVERSVS EA, QVID FACTVM ERIT, TVNC EAS PORTIONES PRAEDIVMVE CVM TABERNA AD REMPVBLICAM TVSCVLANORVM PERTINERE VOLO. quidam ex his cognatis uendiderunt partes ſuas duobus concognatis ſuis ex eo corpore, emptores autem defuncti Gaium Seium extraneum hæredem reliquerunt. quæſitum eſt partes, quæ uenierunt, utrum ad Gaium Seium, an ad ſuperſtites concognatos ſuos, qui partes ſuas non uendiderunt pertinerent? reſpondit Cladius ſecundum ea, quæ proponeretur, ad Gaium Seium pertinere. idem Claudius queſiit; an partes uenditæ ad Rempublicam Tuſculanorum pertinerent? reſponſum eſt, non pertinere; quia non poſsidentis perſona, qui nunc extraneus eſt; reſpicienda eſt. Sed emptorum qui ſecundum uoluntatem defunctæ ex illis fuerunt, quibus permiſerat teſtatrix uenundari, nec conditio extitit dati fideicommiſsi Tuſculanis, d. l. pater, §. quindecim.

Lucius Titius teſtamento ſuo cauit, nec ullo modo prædium ſuburbanum, aut demum hæres alienaret, ſilia eius hæres hæredem reliquit filiam ſuam, quæ eaſdem res diu poſſedit, & decedens extraneos hæredes inſtituit; quæſitum eſt, an prædia pertinerent ad Iuliam, quæ Lucium Titium teſtatorem patruũ maiorem habuit? reſpondit Paulus, nihil proponi contra uoluntatem defuncti factum, quo minus ad hæredem pertineret cum hoc nudum præcetum eſt, ff. de leg. 3. l. Lucius Titius, 93. in princ.

Is qui complures cognatos reliquerat: tribus ex his fundum legauerat, & petierat, ut curarent ne de nomine ſuo exiret; quærebatur. ex tribus, qui primus moriebatur, utrum utrique, uel alteri ex his, qui ſibi in legato conuincti eſſent, relinquere partem ſuam deberet an poſſit, uel alii concognato ſuo eam relinquere, & placuit, & ſi uoluntatis quæſtio eſſet, ſatis illum futurum, & ſi alii relinquiſſet. quòd ſi nulli dediſſet: occupantis, an omnium concognatorum, & num eorum tantum, quibus pariter legatum eſſet, petitio fideicommiſſi eſſet, dubitabatur, & Iulianus rectè omnibus debere putauit, ff. eodem l. is qui, xciiii.

Si filiusfamilias fideicommiſſum reliquerit, non ualet. ſed ſi ſui iuris factus deceſsiſſe proponatur, conſtanter dicemus fideicommiſſum relictum uideri, quaſi nunc datum, cùm mors ei contingit, uidelicet ſi durauerit uoluntas; poſtquam

quàm fuit sui iuris; sed nemo credet hoc probatum esse in testamento, quia nihil in testamento valet, quotiens ipsum testamentum non valet, sed ualet. fidei commissum & si alias reliquerit, ff. eo. l. prima, §. sed si filiusfamilias.

Hi, quibus aqua & igni interdictum est, item deportati, fideicommissum relinquere non possunt: quia nec testamenti faciendi ius habent, cum sint extorres ciuitate. Deportatos autem eos accipere debemus, quibus Princeps insulas adnotauit, vel de quibus deportandis scripsit. cæterum priusquam factum præsidis comprobet, nondum amisisse ciuitatem quis videtur. Proinde si ante decessisset, ciuis decessisse videtur, & fideicommissum, quod antè reliquerat, quàm sententiam pateretur valebit; sed & si post sententiam, antequam Princeps cõprobet, valebit quod factum est. quia certam statum, vsque adhuc habuit. dicta l. prima, §. hi quibus.

Si quis planè in insulam deportatus codicillos ibi fecerit, & indulgentia principis restitutus, iisdem codicillis durantibus, decesserit, potest defendi fideicommissum valere. si modo in eadem uoluntate durauit. d. l. prima, §. si quis planè.

A patre relictum fideicommissum, si hæreditas ei non quæratur ab emancipato filio utilibus actionibus postulatur, penes eos enim quæsitæ hæreditatis emolumentum remanet, ff. eod. l. quarta.

Si miles deportato fideicommissum reliquerit, uerius est, quod & Marcellus probat, capere eum posse. Si quis creditori suo legauerit id, quod debet, fideicommitti eius non poterit, nisi commodum aliquod ex legato consequatur, fortè exceptionis timore, vel si quod in diem debitum fuit, uel sub conditione, ff. de leg. iii. l. si deportati, septima. §. si miles, usque in finem.

Ab eo, qui neque legatum, neque fideicommissum, neque hæreditatem, vel mortis causa donationem accepit, nihil per fideicommissum relinqui potest, C. de fideicom. l. ab eo. ix.

Quidam filium suum à sacris paternis remisit, & postea testamento condito eum præteriit, nullo ei penitus relicto, aliis hęredibus derelictis ipsum autem quem neque hæredem, neque exhæredatum fecit. fideicommisso prægrauauit: quærebatur si vtile esset huiusmodi fideicommissum. & placuit, ut emancipatus (vt pote iniuria à patre effectus) non compellatur fideicommissum à sua persona relictum præstare. Quod etiam in aliis personis, quas exhæredari necesse est, locum habere placuit, C. eod. l. quidam. xxxi.

Et qui fortuitò non iudicio testatoris consequitur hæreditatem, uel legatum, nõ debet onerari, nec recipiendum est, ut cui nihil dederis, eum rogando obliges, ff. de leg. iii. l. sexta, §. sic autem.

Curatoris sui frustra fideicommisisse uidebatur, ut hæredi fratri negotiorum gestorum rationem redderet: quanquam igitur testamento cautum esset, ut cum ad statum suum frater peruenisset, ei demum solueretur, tamen sub curatore alio fratrem agentem recte placuit actionem inferre, cum illis uerbis fratri potius consultum uideretur, quàm solutio, quæ iustè fieri potuit dilata, ff. de leg. iii. l. cum pater, lxxvii. §. curatoris.

Pater, qui filio suo semissẽ dederat, & sororibus eius impuberibus quadrãtes; quibus fratrẽ tutorẽ dedit, ita fueratlocutus. FILI CONTENTVS ERIS PRO TVO SEMISSE AVREIS DVCENTIS, ET VOS FILIAE PRO VESTRIS QVADRANTIBVS CENTENIS AVREIS. uice mutua liberis fideicommissum hæreditatis reliquisse non videbatur, sed æstimationem, ut a parentibus frugi fieri solet, patrimonii sui fecisse: nec idcirco fratrem iudicio

tutelæ

tutelæ bonæ fidei rationes quandoque præscriptione demonstratæ, quantitatis exclusurum, d.l.cum pater, §.pater, qui filio.

Pater filiæ animalia, quæ nubenti dedit, verbis fideicommissi præstari voluit; fætus susceptos, & si matres ante testamentum mortuæ fuissent, ex causa fideicõmissi præstandos responsum est: nec aliud in vxore confirmatis donationibus pridem obseruatum est, d.l.cum pater, §.pater filiæ.

Sorori legauit animalia, quæ nominauit testamento, eiusque fideicommisit, vt eadem animalia filiis suis cum obiret restitueret, & quæ postea adgnata essent; verbis fideicommissi non continentur, ff.de leg.iii.l.vxori, xli.§.sorori.

Is, qui fideicommissum debet, post moram non tantum fructus, sed etiam omne damnum, quo affectus fideicommissarius est, præstare cogimur, ff.de lega. iii.l. is, qui, xxvi.

Annuam pecuniam ad ludos ciuitati reliquit, quibus præsidere hæredes voluit, successores hæredum negant se debere: quasi testator tandiu præstari voluisset quandiu præsiderent hæredes: quæritur igitur, an cum præsidendi mentionem fecerit ad tempus fideicommissum, an perpetuo præstari voluerit? modestinus, respondit, fideicommissum quotannis in perpetuum reipublicæ præstandum esse, ff.de annuis legatis, & fid.l.sexta.

Gaius Seius diuersis Pagis Mæuiæ & Seiæ legauit, & ita cauit. PRAESTARI AVTEM VOLO EX PRAEDIIS POTITIANIS PRAEDIIS LVTATIANIS ANNVA HARVNDINIS MILLIA TRECENTA, ET SALICIS MVNDAE ANNVA LIBRARVM SINGVLA MILLIA; quæritur, an id legatum defuncta legataria extinctum sit? Paulus respondit, seruitutem iure constitutam non uideri neque in personam, neque in rem, sed fidei commissi petitionem competiisse ei, cui prædia lutatiana legata sunt: & ideo cum annua legata fuerint, mortua legataria, finitum legatum videri, ff.eodem l.Gaius Seius, xii.

Mæuia nepotem ex Mæuio puberem hæredem instituit, & Lucio Titio ita legauit. LVCIO TITIO VIRO BONO, CVIVS OBSEQVIO GRATIAS DARI VOLO ANNVOS, QVANDIV VIVAT, AVREOS DECEM. SI REBVS NEPOTIS MEI INTERVENIAT. OMNEMQVE ADMINISTRATIONEM: RERVM NEPOTIS MEI AD SOLICITVDINEM SVAM REVOCAVERIT: quęritur, cum Lucius Titius aliquo tempore Męuii negotia gesserit, & per eum non stet, quo minus gerat: Publius autem Męuius nollet eum administrare, an fideicommissum præstari debeat? responsum est, si non propter fraudem, aliamve quàm iustam causam improbandæ operæ causa remotus esset à negotiis, quæ administrare secundum defuncti voluntatem vellet: percepturum legatum esse, ff.eod.l.Mæuia, xiii.in prin.

Eum, qui rogatus post decem annos restituere pecuniam, ante diem restituerat Iabolenus respondit, si propter capiẽtis personam quòd rem familiarem tueri non posset in diem fideicommissum relictum probatur, & perdituro ei, id hæres ante diem restituisset: nullo modo liberatum esse. quod si tempus hæredis causa prorogatum eset, vt commodum medii temporis ipse sentiret; liberatum eum intelligi. nam & plus eum præstitise, quàm debuiset, ff. eodem lege eum qui, xv.

Codicillis testamento confirmatis, fundum cognatis legauit, eumque alienari vetuit, sed pertinere voluit ad filios, cognitorum, vel ex his natos: deinde hæc verba adiecit: A QVIBVS PRAESTARI VOLO HABREDI EX REDI-

TV EIVS FVNDI DECEM PER ANNOS SINGVLOS VSQVE AD ANNOS TRIGINTAQVINQVE A DIE MORTIS MEAE. quæsitum est, cum hæres à Titio institutus intra trigesimum quintum annum ætatis decesserit; an residui temporis fideicommissum ex verbis suprascriptis hæredis quoq; hæredi debeatur? respondit Scæuola: deberi: nisi ostendatur a cognatis, ad hæredis trigesimum quintũ annum respexisse, ff. eodem. l. codicillis, xviii. in principio.

Sticho alumno suo centum, & menstruos decem, & annuos centum dari voluit; & Semproniam, quam hæredem ex triente instituerat, rogauit in hęc verba; FIDEI TVAE COMMITTO SEMPRONIA SOROR, VTI LEGATA, QVAE ALVMNIS MEIS RELINQVI, EX MEDIO RECIPIAS, ET APVD TE HABEAS, QVOAD VSQVE COMMENDATOS HABEAS. quæsitum est, cum sempronio, cuius fideicommissum sit, abstinuerat se hæreditate antequàm secundum voluntatem defuncti perciperet pecuniã alũnis relictam, an sticho de legatis actio etiam ante vicesimum quintum annum competat? & Scæuola competere respondit, ff. eodem. lege. codicillis, §. sticho alumno.

Titia hęrede Seia scripta, vsumfructum fundi Męuio legauit, eiusque fideicommisit in hæc verba. A TE MAEVI EX REDITV FVNDI SPERATIANI PRAESTARI VOLO ARRIO PAMPHILO, ET ARRIO STICHO EX DIE MORTIS MEAE ANNVOS SEXCENTOS, QVOTANNIS QVOAD VIVENT. quæsitum est. cum Mæuius annua alimenta præstiterit, post mortem autem eius fundus ad hæredem Titiæ pleno iure redierit: an alimenta ex fideicommisso Pamphilo & sticho debeantur? responsum est, nihil proponi, cur debeant præstari ab hæredibus Titii, cum ab vsufructuario alimenta relicta sint. item quæsitum fuit, an ab hæredibus Mæuii legatarii præstanda sint? & responsum est, nihil ab hærede legatarii, nisi testatorem manifeste probetur voluisse, etiam finito vsufructu, præstari. si modo id, quod ex vsufructu receptum esset, ei rei parandæ, sufficeret, ff. eodem. l. Titia, xix. in princip.

Attia fideicommissum his verbis reliquit. QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, FIDEI EIVS COMMITTO, VTI DET EX REDITV COENACVLI MEI ET HORREI POST OBITVM SACERDOTI, ET HYEROPHYLACO, ET COGNATIS, QVI IN ILLO TEMPLO ERVNT, DENARIA DECEM DIE NVNDINARVM, QVAS IBI POSVI. quæritur utrum his duntaxat, qui eo tempore, quo legabatur, in rebus humanis, & in eo officio fuerint, debitum sit, an etiam his, qui in locum eorum successerunt? respondit Scæuola, ministerium designatum: cæterum datum templo. item quæritur. utrum vno duntaxat anno decem fideicommissi nomine debeantur, an etiam decem in perpetuum annua præstanda sint? respondit idem Scæuola, in perpetuum præstanda, ff. eod. l. annua, xx.

A cognato, cui fundum legauerat, ferentem annua sexaginta per fideicommissum dederat Pamphilæ annua denam. quæsitum est, si lex falcidia cognato legatum minuerit, an Pamphilæ quoque annuum fideicommissum minutum uidetur; cum ex redditu legata sint; qui largitur, etiam si falcidiam partem dimidiam fundi abstulerit annuam

annuam Pamphilæ præstationem: responsum est, non uideri minutum, nisi si alia mens testatoris probaretur, ff. eod. l. liberto suo, xxi. § a liberto.

Quidam filium ex dodrante, vxorem ex quadrante instituit hæredes, & filii fideicommisit, vt nouercæ restitueret hæreditatem, ab ea autem petiit, vt infirmitatem filii commendatam haberet. eique menstruos aureos denos præstaret donec ad vicesimum quintum annum ætatis peruenerit, cum autem impleslet eã ætatem, partem dimidiam hæreditatis restitueret. filius deducta dodrantis parte quarta, ex qua institutus erat, nouercæ hæreditatem restituit, & postea impleuit vicesimum quintum annum ætatis. quæsitum est: cum nouerca vniuersæ hæreditatis haberet dodrantem, semunciam, & sicilicum, an eius partem dimidiam priuigno suo restitueret? responsum est. tantum restituendum, quantum cum eo, quod falcidiæ nomine filius deduxisset, semissem faceret: item quæsitum est, an quòd infirmitati filii pater consulere voluerit, fructus quoque medii temporis nouerca ei restituere deberet? & responsum est. secundum proposita, eam debere, ff. eod. d. l. liberto. § filium.

Si probauerit quis Demetrium petiisse de matre hæredeque sua, vt sibi alimenta menstrua, & vestiarium annum præstaret, eamque secutam voluntatem filii sui per multum temporis, idest non minus in tali causa triennio ea præstitisse: ut in futurum quoque ea præstentur, & si qua in præteritum præstita non sunt, ut exsoluantur, imperrabit, C. de fidei. l. prima.

Si ab eo cui legatus esset vsusfructus, fideicommissum fuerit relictum, licet vsusfructus ad legatarium non peruenerit: hæres tamen, penes quem vsusfructus remanet, fideicommissum præstat: Quod & in militis testamento dicendum erit, si legatarius, à quo fideicommissum relictum est, repudiauerit legatum, vel viuo testatore decesserit, ff. de vsu, & vsufructu leg. l. si ab eo, ix.

Legatum ciuitati relictum est. vt ex reditibus quotannis in ea ciuitate memoriæ conseruandæ defuncti gratia spectaculum celebretur, quod illic celebrari non licet: quæritur, quid de legato existimari debeat. Modestinus respondit. Cum testator spectaculum edi voluerit in ciuitate, sed tale, quod ibi celebrari non licet, iniquum esse hanc quantitatem, quam in spectaculum defunctus destinauerit, lucro hæredum cedere. igitur adhibitis hæredibus, & primoribus ciuitatis, dispiciendum est, in quam rem conuerti debeat fideicommissum, ut memoria testatoris alio & licito genere celebretur, ff. eod. l. legatum. xvi.

Qui fructus prædiorum uxori reliquit, post mortem eius prędia cum reditibus ad hæredes suos redire uoluit, imperitia lapsus nullum fideicommisum Dominus neque proprietatis neque fructus ad eos reuerti debet. etenim reditus futuri, non præteriti temporis demonstrare videbantur, ff. eod. l. qui fructus, 25.

Vxori maritus per fideicommisum vsumfructum & alia, & dotem prælegauit. hęredes usumfructum ei concesserunt, post biennium, illicitum matrimonium fuisse, pronuntiatum est. quæsitum est. an id, quod pręterito tempore posedit, ab ea repeti posit? respondit Scæuola id, quod fructus nomine percepiset, repeti pose, ff. eod. l. vxori, xxvii.

Si quis vsumfructum legatum sibi, alii restituere rogatus sit, eumque in fundum induxerit fruendi causa: licet iure ciuili morte, & capitis diminutione ex persona legatarii pereat vsufructus, quod huic ipse iure adquisitus est, tamen prætor iurisdictione sua id agere debet, ut idem seruetur, quod futurum eset, si ei cui ex fideicomiso restitutus eset, legati iure adquisitus fuiset, ff. eodem l. si quis. xxix.

Hæredis

Hæredis fideicommisit, filio suo annua decem præstare, vt ea prædia emere, & adsignare, vt vsumfructum haberet. reditum efficientia annua decem. filius fundus sibi ab hærede secundum matris voluntatem traditos locauit: & quæsitum est, defuncto eo reliqua colonorum: vtrum ne ad hæredem filii fructuarii, an vero ad hæredem Seiæ testatricis pertineant; respondit Scæuola. nihil proponi, cur ad hæredem Seiæ pertineant, ff. eodem lege. generali capite, xxxii. §. hæredis.

Qui Semproniam ex parte decima, & Mæuiam ex parte decima, alumnum ex reliquis partibus instituerat hæredes. curatorem alumno dedit, cum iure facere putaret: & curatoris fideicommisit, ne pateretur fundum venire: sed cum Sempronia, & Mæuia nutricibus suis frueretur reditu eius, & ima parte testamenti ita adiecit. OMNEM VOLVNTATEM MEAM FIDEI HAEREDVM MEORVM COMMITTO. quæsitum est, an tertias partes vsusfructus fundi nutrices ex fideicommisso petere possint. quamuis curator ei receptus sit, quem iure dare non poterat alumno: respondit Scæuola. secundum proposita. vtiliter fideicommisso voluntatem suam confirmasse. id igitur cuique dedisse, ut & nutrices vnà cum alumno reditu fundi vterentur, ff. eod. l. codicillis, 34. §. qui Semproniam.

Fundum instructum cognatis testator legauit, postea codicillis petiit, ut morientes partes suas fundi superstitibus restituerent, nec instructi mentionem habuit, talem in causam fideicommissi deductum videri placuit, qualis fuerat legatus. sed medii temporis augmenta fætuum & partuum, item detrimenta fatalium fideicommisso contineri, ff. de fundo instruct. instrum. legat. l. tertia, in principio.

Idem quærit si dos alii legata esset, eamque rogatus sit, mulieri restituere, an lex falcidia in legato locum haberet? & Iulianus dicit, habere, sed quod minus est in fideicommisso, mulierem dotis actione consecuturam: quæritur an commoda representationis in hoc legato sic obseruentur, atque si dos ipsi mulieri fuisset relegata? & existimatur habere, ff. de dote præleg. l. prima, §. per contrarium, vers. idem quærit.

Idem Iulianus quærit, si mulieri dos sit relegata, eaque rogata dotem restituere, an falcidia locum habeat? & negat habere: quoniam fideicommissum quoque negat valere: quod si præterea quid vxori legatum sit, putat ex residuo fideicommissum præstari, quod utique habita ratione falcidiæ mulieri præstabitur. sed & marito ex parte hærede instituto, a socero dote prælegata, legatum dotis falcidiam passurum, videlicet quia adhuc constante matrimonio indebita dos videtur relegata. verum quod falcidia recidit, in familiæ erciscundæ iudicio maritum percepturum, quemadmodum totam dotem præciperet, si non esset relegata, dicta l. prima, §. idem Iulianus.

Cum quis vxori suæ dotem relegat, fideique commissum ab ea relinquit. hoc fideicommissum ex commodo, quod ex relegatione mulier sentit, extimabitur. & ita celsus quoque libro vicesimo digestorum scripsit. quod si necessariæ fuerunt impensæ, quæ ipso iure dotem minuunt, amplius dici potest. si tanta quantitas dotis, quam maritus accepit, ei relegata est, oportere dici, etiam eam quantitatem posse fideicommissum erogare, quæ ipso iure dotem minuit: esse enim mulierem legatariam nemo est, qui dubitet

dubitet. sed & si non dos, sed pro dote aliquid vxori fuerit legatum: adhuc quasi dos relegata accipitur. Hoc amplius Iulianus scripsit, & si non fuerit adiectum, pro dote esse legatum, hoc tamen animo relictum: adhuc eius esse conditionis. Vxor igitur, si rogetur vel dotem, vel quod pro dote legatum est, vel quod in uicem dotis sibi adscriptum est, restituere non cogetur: nisi eatenus, quatenus dictum est restituere. & ideo hæres instituta, rogataque quantitatem hæreditatis restituere: id demum restituet. quod quantitatem dotis excedit, idque, quod ex representationis commodo sentit. nam & si quis cum a nutu dotem accepisset, filium suum hæredem instituerit, eumque rogauerit, quidquid ad eum ex hæreditate peruenisset, restituere: mox morte vxoris dotem fuerit lucratus, id non restitueret, quod ex dote percepit, quia matrimonii causa id lucratus est, non ex patris iudicio, ff. eodem l. secunda, in principio.

Mulier dotem promisit quadringentorum, & dedit fundos duos in ducenta, præterea nomina debitorum in residua ducenta, mox maritus eius decedens pro dote fundos ei duos, non eos, quos in dotem acceperat, reliquit: & præterea duos illos dotales, quos æstimatos acceperat, reliquit, fideique eius commisit, vt quidquid ex hæreditate eius peruenisset, id restitueret Seio cum moreretur quærebatur quantum esset in fideicommisso, muliere defuncta, dicebatur vxorem hanc, quæ rogata est, quidquid ad se peruenerit ex testamento, restituere in ea esse conditione, vt id demum restituere rogetur, quod deducta dotis quantitate ad eam peruenit. dotem enim recepisse eam magis, quàm accepisse: saluo eo, quod commodo representationis ab ea fideicommitti potuit: pro inde id quidem quod pro dote maritus ei reliquit, non cogetur restituere: nisi plus fuit in eo quàm in quantitate dotis. residuum vero, quod præterea illi relictum est; cum fructibus cogetur restituere: habebit igitur præcipuam dotem cum suis fructibus. id verò quod extrinsecus ei relictum est, cum fructibus, qui ad eam peruenerit, restituet, d. l secunda, §. fin.

Seia cum nuberet Lucio Titio dedit dotis nomine centum aureos, & adhibuit quintum Mucium, qui nihil numerauit, sed dotem stipulatus est, si morte mulieris solutum fuerit matrimonium. Seia moriens testamento suo ita cauit. LVCIO TITIO MARITO MEO, CVI MAXIMAS GRATIAS AGO, DARI VOLO SVPER DOTEM, QVAM EI DEDI TOT AVREOS. quæritur. cum instituit Quintus Mucius Lucium Titium conuenire ex stipulatu actione: an repellere eum maritus possit ex verbis testamenti Paulus respondit. Si quintus Mucius mandante Seia non donationis causa stipulatus est. hæredibus mulieris eum teneri. & ideo Quintum Mutium exceptione repellendum esse. quòd si donationis causa Seia stipulari permisisset, videri eum in eum casum, qui morte mulieris extitit, mortis causa stipulatum. & ideo fidei eius committi potuisse in eum casum, dicendum fore, ff. eo. l. Seia, xi.

Species auri, & argenti Seiæ legauit, & ab ea petiit in hæc verba. A TE SEIA PETO, VT QVIDQVID TIBI SPECIALITER IN AVRO ARGENTO LEGAVI. ID CVM MORIERIS REDDAS, RESTITVAS ILLI ET ILLI COGNATIS MEIS. QVARVM RERVM VSVSFRVCTVS DVM VIVES TIBI SVFFICIET. quæsitum est. an vsusfructus auri & argenti solus

legata-

legatariæ debeatur? respondit Scæuola, uerbis, quæ proponerentur, proprietatem legatam addito onere fideicommissi, ff. de auro & argento legato, l. species, xv.

Filiam in potestate patris manentem mater scripsit hæredem, eique patrem Mæuium substituit, & ita scripsit. QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, FIDEI EIVS COMMITTO, VTI ORNAMENTA MEA OMNIA AVRVM, ARGENTVM, VESTIMENTA, QVIBVS EGO VSA SVM, NE VENEANT, ET FILIAE MEAE RESERVENTVR. quæsitum est. cum filia refusante pater ex substitutione hæres extitisset, & intestato decessisset, filia autem bonis eius abstinuerat, an fideicommissum petere possit? respondit Claudius, uideri patris utiliter fideicommissum. quoniam uerbo SERVANDI, quod scriptum est, uideri in id tempus dilatum fideicommissum, quo sui iuris futurus esset is, cui dabatur, ff. eod. l. filiam, 16.

Idem testator fideicommisit uxoris, ut quidquid ad eam ex testamento eius peruenisset, alumno communi restitueret, quæsitum est, an etiam eas res, quas proprias uxoris suæ fuisse testator sciat, eique reddi præcepit, alumno præstari debeat? respondit Scæuola. si propriæ fuissent, non debere. si legato acquirerentur, debere, ff. eo. l. qui uxori suæ, 18. §. idem testator.

Pro parte hæres institutus, cui præceptiones erant relicta, post diem legatorum cedentem ante aditam hæreditatem, vita decessit. partem hæreditatis ad cohæredes substitutos pertinere placuit. præceptionum autem portiones, quæ pro parte cohæredum constiterunt, ad hæredes eius transmitti, ff. de legat. 2. l. miles, 75. § fin.

Euictis prædiis, quæ pater, qui se dominum esse crediderit, verbis fideicommissi filio reliquit. nulla cum fratribus & cohæredibus actio erit: si tamen inter filios diuisionem fecit, arbiter coniectura voluntatis non patietur cum partes cohæredibus prælegatas restituere: nisi parati fuerint & ipsi patris iudicium fratri conseruari, ff. eo. l. cum pater, 77. §. euictis.

FIDEI TVAE COMMITTO VXOR, VT DES, VT RESTITVAS FILIAE MEAE CVM MORIERIS, QVIDQVID AD TE QVOQVO NOMINE DE BONIS MEIS PERVENERIT. etiam ea, quæ postea codicillis uxori dedit, fideicommisso continebuntur. nam ordo scripturæ non impedit causam iuris ac voluntatis, sed dos prælegata retinebitur. quoniam reddi potius uidetur, quam dari d. l. cum pater, § Fidei tuæ.

Lucius Titius cum haberet quinque liberos, uniuersos emancipauit, & in unum filium Gaium Seium amplissimas facultates donationibus contulit, & modicum sibi residuum seruauit, & uniuersos liberos cum uxore scripsit hæredes in eodem testamento duas possessiones, quas retinuerat eidem Gaio Seio prælegauit, & ab eo petiit, ut ex reditibus prædiorum, quæ uiuus ei donauerat Mæuiæ filiæ tot aureos daret. item alteri fratri alios tot: conuentus a Mæuia sorore sua legem falcidiam implorat quæritur cum Imperator Alexander supra scriptum est, contra uoluntatem donantis ea, quæ donata sunt, reuocari præceperit: an Gaius Seius compellendus sit, secundum uoluntatem patris ex donationibus fideicommissum præstare hæredi sororis? Paulus respondit, dubitari non oportet, quin in hac quoque specie, de qua quæritur, subueniendum sit liberis, quorum portio in unum filium donationibus collatis imminuta est. præsertim cum Imperator contra uoluntatem patris subuenerit. in proposita autem causa etiam

voluntas patris pro his, qui fideicommissum petunt, intercedit. sed si falcidia lex intercedit, fideicommissa in solidum esse præstanda propter immodicarum donationum rationem, ff. eod. l. Titia, lxxxvii. §. Lucius Titius.

Testamento filium & vxorem suam hæredes instituit, postea epistolā scripsisse dicitur, qua & quicquid in peculio habuit filius, ei donauit, & abiecit, præcipua hæc eum suique iuris, & post mortem suam habere velle. quæritur cum testamento significauerit, si quid obsignatum recepisset, id vice codicillorum valeret: epistola autem non sit obsignata: an quæ epistola continentur, ad filium pertineant? respondit Scæuola. si fides epistolæ relictæ constaret, deberi, quæ in eam dare se velle significauit, ff. eod. l. fi. in princ.

Quatuor filios æquis partibus instituit, & fundum per præceptionem singulis legauit: filii cum vniuersa bona patris obligata essent, mutuam accepta pecunia hæreditario creditori soluerunt, & posteriori obligauerunt, qui cum ei debitum non solueretur, prædia vniuersa lege pignoris vni ex hæredibus vendidit: quæritur, an cum iste filius ex causa emptionis ea possideat, fratribus, & cohæredibus fideicommissi petitio esset, an vero ea perempta esset, cum communiter vniuersa, sequenti creditori obligauerint? responsum est, actionem quidem fideicommissi in personam competentem omnibus inuicem manere: non autem fideicommissum restituendum est, nisi prius debitum ab eis, emptori eidemque cohæredi persolueretur, ff. de leg. ii. l. fi. §. quatuor.

Cum esset, quis rogatus restituere portionem accepta certa quantitate, responsum est. vltro petere ipsum fideicommissum ab hærede posse: sed vtrum si volet præcipiet restituetque portionem: an verò etsi noluerit, cogatur accepta certa quantitate portionem restituere: duplex est fideicommissum: vnum, vt possit petere quantitatem paratus portione cedere: aliud etsi non petere tamen cogatur fideicommissario restituere parato præstare quantitatem, ff. de leg. iii. l. fideicommissa, xi. §. cum esset quis.

Vni ex hæredibus per præceptionem reliquit ea quæ ex patrimonio uiri sui Aretonis ei supererant eiusq; fideicommisit, hęc eadem restituere pronepoti cum erit annis sexdecim, in quibus hæc verba adiecit. ITEM ROGO VTI RELIQVVM AES ALIENVM, QVOD EX BONIS ARETONIS DEBETVR OMNIBVS CREDITORIBVS EX REDITIBVS EORVM BONORVM SOLVAS REDDAS, SATISQVE FACIAS. quæsitum est. an si probauerit hæres non sufficere reditum bonorum ad totius debiti exsolutionem. nihilominus tamen ipse debet agnoscere onus æris alieni? respondit Scæuola, manifestè proponi ex reditibus bonorum eorum, iussum æs alienum exsoluere, non de proprio, ff. eod. l. nomē. xxxiiii. §. vni.

Pater filio, & filia hæredibus institutis, eum singulis certa prædia, & calendaria prælegasset, ita cauit. A TE AVTEM FILI CARISSIME PETO. QVAECVNQVE LEGAVI, PRAESTARI VOLO. ET SI QVID EVENERIT AERIS ALIENI, SI QVOD IN TEMPVS PRO MVTVO ACCEPERAM, ET DEBVERO, A TE SOLVI VOLO, VT QVOD SORORI TVAE RELIQVI INTEGRVM AD EAM PERTINEAT. quæsitum est, an quod ex quacunque causa debuit pater a filio sit præstandum? respondit Scæuola, posse filiam ex fideicommisso consequi, vt leuaretur, quo magis integrum, quod testator dedisset, ad eam peruenisset. d. l. nomen. §. fin.

Ex parte dimidia hæredi instituto per præceptionem fundum legauit,& ab eo ita petiit. PETO VTI VELIS COHAEREDEM TIBI RECIPERE IN FVNDO IVLIANO MEO, QVEM HOC AMPLIVS TE PRAECIPERE IVSSI. CLODIVM VERVM NEPOTEM MEVM COGNATVM TVVM. quęsitum est,an pars fundi ex causa fideicommissi nepoti debeatur,responsum est,deberi,ff.eod.l.pater filium,xxxviii.§.final.

Duas filias æquis ex partibus hæredes fecerat:alteri fundum prælegauerat, & ab ea petierat, vt sorori suæ viginti daret. ab eadem filia petiit,ut partem dimidiam fundi eidem sorori restitueret.quæsitum est, an uiginti præstari non deberent? responsum est,non esse præstanda, ff. de legat. tertio. lege. Pamphilo, xxxix.§. fin.

In testamento ita scriptum fuit, DOMVM MEAM, CVM HORTO APPLICITO COGNATIS MEIS CONCEDI VOLO, & alio capite. FORTVNIO COGNATO MEO EX DOMO MEA, QVAM COGNATIS MEIS DEDI, DIETAM, IN QVA HABITABANT. ITEM CELLARIVM IVNCTVM EIDEM DIETAE AB HAEREDE MEO CONCEDI VOLO. quæsitum est,an hæres testatoris oneratus videatur in præstando legato fortunio, quamuis domus vniuersa cognatis sit prælegata? responsum est: non esse oneratum, ff.eod. l.vxorem.xli.§.in testamento.

Si Titius ex parte hæres rogatus sit Mæuio hæreditatē restitueret, & rursus Titio hæres eius rogatus sic partem suam,aut partis partem restituere, an hanc quoque partem,quàm a cohærede ex fideicommisso recipit, Titius restituere Mæuio non debebit.quia hæreditatis appellatione,neque legata,neque fideicommissa continentur,ff.de leg.iii.l. si Titius,xcvi.

Quidam liberis suis ex disparibus partibus institutis datis præceptionibus, ut ipse maximam partem patrimonii inter liberos ita diuisit,rogauit eum, qui sine liberis decederet,portionem suam fratribus restituere: rescriptum est, præceptiones quoque fideicommisso contineri;quia non portionem hæreditariam testator commemorauit,sed simpliciter portionem.in portionem autem & pręceptiones videri cecidisse,ff.ad senatuscon.trebel.l.tertia,§. quidam liberis.

Pluribus hæredibus institutis,in quibus cognatis tribus ex dodrante,eisdem fundos per præceptionem dedit,& ab his petiit,ne eos alienarent,& ut qui uita superasset,solidos eosdē fundos obtineret:deinde vnius ex his cognatis Otacilii fideicōmisit,vti quidquid ad eum ex hæreditate bonisve peruenisset,deducto pro ea parte ære alieno,& legatis,& sibi viginti aureis, restituat Titio. quæsitum est,an etiam partes tertias fundorum prælegatorum cum cognatis idem deducere deberet? responsum est,non debere restituere præceptionem, cum ipse testator & legata excipi voluisset,ff.eod.l.Lucius,lxxviii.§. pluribus.

Si legatum sit hæredi relictum;& rogatus sit portionem hæreditatis restituere,id solum non debet is restituere,quod a cohærede accepit: cæterum quod à semetipso ei relictum est;in fideicommissum cadit. & diuus Marcus decreuit, ff. eod.l.in fideicommissariam,xviii.§.fin.

Cum virum Prudentissimum Papinianum respondisse non ignoretur, etiam legata huiusmodi fideicommisso contineri.idest,vbi hæres rogatus fuerit,quidquid ex hæreditate ad eum peruenerit post mortem restituere, etiam præceptionis compendium testatoris uerbis compræhensum erit. sanè quoniam in fideicommissis voluntas magis, quàm verba plerunque intuenda est: si quæ pro rei veritate: propterea probationes habentur, ad comprobandam

patris voluntatem hæres fuisse apud præsidem prouintiæ experiri potest, C. de fideicommissis, l. cum virum, xvi.

Verba fideicommissorum hæc maximè in vsu habentur PETO, ROGO, VOLO, MANDO, FIDEI TVAE COMMITTO; quæ perinde singula firma sunt, atque si omnia in vnum cõgesta essent, inst. de sing. reb. per fidei. relic. §. fi.

Etiam hoc modo. CVPIO DES, CREDO TE DATVRVM fideicommissum est, ff. de leg. primo. l. etiam hoc modo, cxv.

Et eo modo relictum, EXIGO, DESIDERO VTI DES. fideicommissum valet. Sed & ita. VOLO HAEREDITATEM MEAM TITII ESSE, SEIO HAEREDITATEM MEAM RESTITVTVRVM TE TITIO, ff. eod. l. & eo modo, cxviii.

Cum imperfecta scriptura inuenitur, ita demum verbum legati, vel fideicommissi, quod præcedit, vel sequitur, ad communionem adsumitur. si dicto scriptum congruat, ff. de leg. ii. l. cum pater, lxxvii. §. cum imperfecta.

Fideicommissa quocunque sermone relinqui possunt, non solum latina, vel græca, sed etiam punica, vel gallicana, vel alterius cuiuscunque gentis, ff. de leg. 3. l. fideicommissa, xi. in prin.

Quotiens quis exemplum testamenti præparat, & prius decedat, quàm testetur, non valent, quasi ex codicillis, quæ in exemplo scripta sunt: licet verba fideicõmissi scriptura habeat, d. l. fideicommissa, §. quotiens.

Item si quis scripserit. ILLVM TIBI COMENDO. Diuus pius rescripsit fideicommissum non deberi. aliud est enim personam comendare aliud voluntatem suam fideicomittentis hæredibus insinuare, dicta. l. fideicommissa, §. si ita quis.

Si quis ita scripserit, SVFFICIVNT TIBI VINEAE, VEL FVNDVS. fidei commissum est. quoniam & illud fideicommissum esse arbitratur. CONTENTVS ESTO ILLA RE. d. l. fideicommissa, §. si quis ita scripserit.

Nutu etiam relinquitur fideicommissum, dummodo is nutu relinquat, qui & loqui potest: nisi superueniens morbus ei impedimento sit, ff. eodem. l. nutu, xxi. in princip.

Propositum est non habentes liberos, nec cognatos in discrimine vitæ constitutũ per infirmitatem, auersitis amicis Gaio Seio contubernali dixisse. quod vellet ei relinquere prædia, quæ nominasset, eaque dicta in testationem Gaium Seiũ redigisse, etiam ipso testatore interrogato, an ea dixisset, & responso eius tali, maximè, inserto, quæsitum est, an prædia, quæ destinata essent, ex causa fideicõmissi ad Gaium Seium pertinerent? responsum est. super hoc nec dubitandum esse, quin fideicommissum valet. ff. de leg. iii. l. Pamphilo, xxxix. §. propositum.

Non aliter a significatione verborum recedi oportet: quàm cùm manifestum est, aliud sensisse testatorem, ff. eod. l non aliter, lxix, in princip.

Quæsitum est, an quod hæredes fratribus rogati essent restituere, etiam ad sorores pertineret? respondit Scæuola, pertinere: nisi aliud sensisse testatorem probetur, ff. eod. l. Lucius Titius, xciii. §. quæsitum est.

In legatis vel fideicommissis verborum necessaria non est obseruantia, ita, ut nihil prorsus intersit, quis talem voluntatem verborum casus exciperit, aut quis loquendi vsus effuderit, C. de leg. l. in legatis, xxi.

Omne verbum significans testatoris legitimum sensum, legare vel fideicõmittere volentis, vtile atque validum est, siue directis verbis, quale est. IVBEO fortè, siue præcariis vtatur Testator, quale est. ROGO, VOLO, MANDO,

FI-

FIDEICOMMITTO, siue iuramentum interposuerit, C. communia de leg. l. secunda, in prin.

Verbum, volo, licet desit, tamen quia additum perfectum sensum facit, pro adiecto habendum est, C. de fideic. l. verbis, x.

Et in epistola, vel libello, vel sine scriptura, immo etiam nutum fideicommissum relinqui posse adhibitis testibus nulla dubitatio est, C. eodem lege, & in Epistola, xxii.

Voluntatis defuncti quæstio in æstimatione iudicis est, C. eo. l. septima.

Clari, & aperti iuris est, in fideicommissis posteriores voluntates esse firmiores, C. eod. l. clari, xix.

Cum quidam sic, vel institutionem, vel fideicommissum, uel tutellam scripsisset. ILLE AVT ILLE MIHI HAERES ESTO, vel ILLI, AVT ILLI DO, LEGO, vel DARI VOLO, vel IVBEO, non est inutilis huiusmodi institutio, & legatum & fideicommissum, & Tutoris datio. nam coniunctio, aut, pro, & accipitur, ut dispositio copulatiuo modo videatur esse prolata. ut primam personam inducat, & secundam non expellat, & ambo uenient æqua lance ad hæreditatem, ambo legata similiter accipiant, fideicommissum vtrunque diuidant. Tutoris ambo fungantur officio. Et hæc procedunt cum in personis huiusmodi profertur scriptura. Sinautem una quidem est persona, res autem ita relicta sunt. ILLAM, aut ILLAM REM ILLI DO, LEGO, vel PER FIDEICOMMISSVM RELINQVO. tunc secundum veteres regula, iura maneant incorrupta. quod etiam in contractibus locum habebit, C. de uerb. sign. l. quarta.

Et si inutiliter fideicommissum relictum sit, tamen si hæredes comperta uoluntate defuncti, prædia ex causa fideicommissi auo tuo præstiterunt. frustra ab hæredibus eius de ea re quæstio tibi mouetur. cum non ex ea sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi defuncti voluntati satisfactum esse uidebatur, C. de fideic. l. secunda.

Si creditoris uoluntas iure subnexa liberari te debito volentis doceri potest: etiam antequam solenniter tibi liberatio a successore præstetur, exceptionem tibi ex uoluntate defuncti descendentem competere, manifestum est, C. eod. l. si creditori, 17.

Cum necessitatem reddendæ rationis defunctus remittendam tibi esse petierit, manifesti iuris est, voluntatem defuncti immutatam esse debere, C. eod. l. cum necessitate, 18.

Si veritas vel solennitas iuris deest, nec amplexus parentis voluntatem relicta dedisti, vel transactionis causa stipulantibus promisisti, negotiumque integrum est. ad solutionem urgeri non potes, C. eod. l. si ueritas, 23.

Instrumenta prædiorum per fideicommissum relictorum, quæ ad probationem originis eorum pertinent hæredes præstare necesse non habent: cautionem tamen præstare debent, quod si opus fuerit. legatario seu fideicommissario ipsa (si habeant) præferant, C. de fideic. l. instrumenta, 24.

Ex repudiatione fideicommissi doli mali exceptio (iusta causa intercedente) tunc opponitur, quando ipse, cui fideicommissum relictum est, repudiatione vsus fuerit. Vnde cum hoc non te, sed patrem fecisse asseueres, qui tibi nocere non potuit, nihil tibi obesse potest, C. eo. l. ex repudiatione, 26.

DE

DE FALSA CAVSA ADIECTA legato, vel fideicommisso.

Tit. III.

VERBA testamenti, quæ inseruisti, aut solutam pecuniam debitam testatori declarant, aut uoluntatem eius liberare uolentis debitorem manifestè ostendunt, & ideo aut peti, quod solutum est non potest: aut ex causa fideicommissi, ut debitor liberetur, agendum est: nisi liquido probari possit, eum non liberari debitorem voluisse, sed errore lapsum solutam sibi pecuniam existimasse, C. de falsa causa adiec. leg. vel fideicom. l. prima.

Si non designata certa quantitate dotem tibi legauit maritus, sed quodcunque ad eum dotis nomine peruenisset peruenturumve esset, & id ex testamento petis, necessaria probatio est numeratæ pecuniæ. quod si quantitatem expressserit: debetur, & si in dotem datum non est: quasi aliud legatum, non in eo iure. quo dos, fungitur, C. eo. l. tertia.

Si dotem (ut proponis) defuncta in matrimonio uxore tua patri eius reddidisti, vel etiam ea non reddita testamenti verbis (vt adseueras) munitus es, quibus recepisse dotem vniuersam quondam socer tuus significauit: ne hoc nomine conueniaris, sollicitè agere non debes: cum aut soluta dote, nulla supersit actio, aut non reddita, aduersus petentem iuxta defuncti uoluntatem parata sit exceptio, C. eo. l. penul.

Refert, largiter dotem reddi tibi maritus, an quæ instrumento dotali conscripta sunt legati, seu præcariis verbis statuit: quippè cum superiore quidem casu datum probanti repeti tantum, posteriore uero (nihil nocente falsa demonstratione) quod significatum est, instrumento postulari possit, C. eod. l. fin.

DE IIS, QVAE SVB MODO LEGATA, SEV fideicommissa relinquuntur.

Tit. IIII.

IN legatis quidem, & fideicommissis etiam modus adscriptus, pro conditione obseruatur, sed si per te non stat, quominus uoluntati testatoris pareas, sed per eum, cui nubere iussa es: quominus id quod tibi relictum est, obtineas, non oberit, C. de iis, quæ sub mod. leg. seu fideic. relinq. l. prima.

Ex his uerbis TITIO DECEM MILLIA, vel INSVLAM RELINQVO, ITA VT QVINQVE MILIA EX HIIS, vel EANDEM INSVLAM MAEVIO RESTITVAT, licet antea neque legati, neque fideicommissi petitio nascebatur: tamen in pecuniariis causis uoluntatis tuendæ gratia non immerito recipiendum, est ut etiam ex huiusmodi uerbis: siue ad conditionem, siue ad modum respiciant, siue ad dandum, uel faciendum aliquid: fideicommissi actio omnifariè nascatur, videlicet in conditionibus post exitum earum. si uero legato, aut fideicommisso relicto, testator legatarium, aut fideicommissarium prohibuerit hæredem suum, uel alium quendam debitum exigere: habet debitor aduersus legatarium, seu fideicommissarium agentem, vsque ad quantitatem relicti fideicommissi, vel legati exceptionem, C. eodem. l. finali.

DE CONDITIONIBVS INSERTIS, TAM IN legatis, quàm fideicommissis. Titulus V.

CVM testatorem fideicommissum Trallianis ab eo, quem pro parte hæredem instituerat, ita reliquisse proponas, si sine liberis institutus diem obiisset: isque nepotem, quem ex filia susceperat hæredem instituerit: conditionem adscriptam fideicommisso defecisse manifestum est, nisi alia defuncti uoluntas euidenter probabitur, C. de cond. inser. l. prima.

Cum patremfam. fideicommissi nomine, quod in diem certam reliquit, ita cauere præcepisse proponas, si à marito non diuertisset: iurisdictionis originem perinde seruari æquum est, ac si nihil super ea re scriptũ fuisset, nec exemplum legati, vel hæreditatis, in quibus conditio diuortii nonnunquam remitti solet, huic rei comparandum est: cum absurdum sit, ideo perpetui edicti formam negligi, quia patris sui uoluntati non obtemperatur, C. eo. l. secunda.

Si ea conditione Aulazanus legata testamento præstari voluit, si cum matre eius moraretur, & per eum stetit, quominus voluntati testatoris pareret: cum sponte scripturæ testamenti non obtemperauit, ad petitionem non admittitur, C. eod. l. tertia.

Legatum, siue fideicommissum à patruo tuo relictum tibi sub conditione, si filio eius nupsisses: cum filio mortuo priusquam matrimonium cum eo contraheres, conditio defecerit, nulla ratione deberi tibi existimas, C. eo. l. quarta.

Si uxorem tuam tempore nuptiarum in patria potestate fuisse monstretur: fideicommissi commodum ei relictum cum nupserit, nullo alio diem eius prohibente, quæsitum patri non ambigitur. Quod si à patre ante nuptias emancipata fuerit, ac postea decesserit, Superstite patre, & marito, & liberis: actionem fideicommissi sibi competentem ad suos hæredes transmisit, C. eod l. quinta.

Si plures personæ unam conditionem implere fuerint iussæ: apud Vulpianum dubitabatur, utrum ne omnes simul eandem facere debeant, an singuli, quasi soli implere eam compelluntur. Sed uisum est, vnumquemq; necessitatem habere hanc conditionem implere & portionem sibi contingentem accipere, quidquid ex hoc commodi est: vt hi quidem, qui compleuerint iussa, ad lucra vocentur: qui autem neglexerint, sibi imputent, si ab huiusmodi commodo repellantur, C. eo. l. sexta.

DE ADEMPTIONE FIDEICOMMISSORVM. Titulus VI.

FIDEICOMMISSARIA hæreditate Puero dato, aut si ante restitutam decessisset, matri dies relicta, si puer ante diem legati cedentem decessisset, matri dabitur hæreditas, si postea ad pupilli hæredes transmittitur, vtpotè re ipsa mora subsecuta, ff. de adimend. leg. l. tertia, §. si quis Titio, vers. idem dicendum.

Non solum legata, sed & fideicommissa adimi possunt & quidem nuda uoluntate, vnde si capitales vel grauissimæ inimicitiæ intercesserint, fideicommissum, quod relictum, videtur ademptum, si autem leuis offensa fuerit, manet, ff. de adempt. leg. & fideic. l. tertia, §. fin.

Quod si iterum in amicitiam redierunt, & pænituit testatorem prioris offensæ fideicommissum redintegratur, ambulatoria est enim voluntas defuncti vsque ad vitæ supræmum extitum, ff. eod. l. quarta.

Si adimento legatum, quod Titio relictum sit, fideicommissum ab eo datum defunctus reuocare noluerit, hæredes ex causa fideicommissi conueniri poterunt, ff. de adimendis, leg. l. si adimendo, 19.

Si tibi certam rem legauero, & rogauero te, vt eam Titio restitueres, deinde eandem tibi fideicommisero, nec rogauero te, vt alii eam præstares, quæritur, an in tua potestate sit, ex causa fideicommissi eligere, vt fideicommissum non præstes? & magis posteriorem scripturam testamenti placuit spectari, ff. eo. l. si tibi, xxviii.

Alumnæ suæ semproniæ plura legauerat, quædam abstulit, quædam, vt præstarentur ab hærede suo, petiit: in quibus & viginti dari voluit, his verbis. HOC AMPIVS DO LEGO, DARIQVE VOLO VIGINTI AVRI LIBRAS, ET ADIECIT. FIDEIQVE TVAE ATTI COMMITTO VT IN PRIMIS SEMPRONIAM SOROREM TVAM PRO TVA PIETATE ET REGERE ET TVERI VELIS, ET SI PVTAVERIS EAM AD BONAM VITAE CONSVETVDINEM REVERSAM, ITA VIGINTI AVRI LIBRAS EI REDDERE CVM MORIERIS: INTERIM TAMEN REDITVS EIVS, IDEST INTERESSE SEMISSE PRAESTES: postea codicillis ad Mæuium legatarium easdem viginti libras auri transtulit, & fidei eius committit in hæc verba, VIGINTI LIBRAS AVRI, QVAS TESTAMENTO SEMPRONIAE ALVMNAE MEAE RELIQVI: EAS DARI VOLO MAEVIO CAVTIONIBVS INTERPOSITIS, VT EX EA SVMMA EIDEM SEMPRONIAE QVANDIV ADVIXERIT, PRAESTET MENSTRVOS DENARIOS QVINQVE, ET VESTIARII NOMINE DENARIOS CENTENOS VICENOS QVINOS, IDQVE FIDEI VESTRAE COMMITTO CERTA SVM AVTEM TE MAEVI PRO TVA PIETATE PETITVRVM AB HAEREDE TVO, VT VOLVNTAS MEA IN PERSONA ALVMNAE MEAE DVRET: quæsitum est, an Mæuius legatarius cogendus sit post mortem suam viginti libras auri semproniæ restituere, sicut rogatus fuerat Attius hæres? & responsum est, viginti quidem auri libras non cogendum præstare, sed alia, quæ ab eo alumnæ relicta sunt deberi, & a Mæuio & ab hærede eius donec viuat alumna, ff eo. l. alumnæ, 30. in prin.

Cum post apertas tabulas testamenti Priscillianus uixerit, de cuius legato portioneque hæreditatis mater epistola ita cauerat. QVONIAM COGNOVI PRISCILLIANVM FILIVM MEVM IN EXTREMIS ESSE: IVSTISSIMVM, ET PIISSIMVM DVXI, PORTIONEM EIVS HAEREDITATIS, QVAM EI TESTAMENTO DEDERAM, LEGARE MARIANO FRATRI MEO, ET IANVARIO MARITO MEO AEQVIS PORTIONIBVS, ET SI QVID EI AMPLIVS LEGAVERAM, VT SI QVID EI HVMANITVS CONTIGERIT, DO, LEGO, DARIQVE VOLO. Postea ex eadem infirmitate Priscillianus decessit. quæsitum est, an legatum quoque eius ad Ianuarium, & Mæuium ex causa fideicommissi pertineat? & responsum est, posse videri (si decessisset ex ea infirmitate omnimodo legatum ad eos, de quibus quæreretur, transtulisse dicta lege alumnæ, §. finali.

Si rem

Si rem ſuam teſtator legauerit, eamque neceſsitate vrgente alienauerit, fideicommiſſum peti poteſt, niſi probetur adimere ei teſtatorem voluiſſe: probatio autem mutatæ voluntatis ab hæredibus exigenda eſt. Ergo & ſi nomen quis debitoris exegerit, quod per fideicommiſſum reliquit, non tamen hoc animo, quaſi vellet extinguere fideicommiſſum: poterit dici deberi: niſi fortè inter hæc intereſt: hic enim extinguitur ipſa conſtantia debiti: ibi res durat, & ſi alienata ſit. cum tamen quidam nomen debitoris exegiſſet, & pro depoſito pecuniam habuiſſet. putaui fideicommiſsi petitionem ſupereſſe, maximè quia non ipſe exegerat, ſed debitor vltro pecuniam obtulerat, quam offerente ipſo non potuit, non accipere. Paulatim igitur admittemus, & ſi ex hac parte pecuniæ rem comparauerit, quam non hoc animo exegit, vt fideicommiſſarium priuaret fideicommiſſo. poſſe adhuc fideicommiſsi petionem ſupereſſe, ff. de leg. 3. l. fideicommiſſa, xi. §. ſi rem.

Si iure teſtamento facto fideicommiſſum tibi reliquero, deinde poſtea aliud fecero non iure, in quo fideicommiſſum relictum tibi, vel aliud, quam quod priore teſtamento, vel omnino non ſit relictum: videndum eſt, an mens mea hæc fuerit facientis poſtea teſtamentum, vt nolim ratum eſſe priore teſtamento tibi relictum, quia nuda voluntate fideicommiſſa infirmarentur. ſed vix id obtinere poteſt. fortaſsis ideo, quod ita demum à priore teſtamento velim recedi, ſi poſterius valiturum ſit, & nunc ex poſteriore teſtamento fideicommiſſum ei non debetur, etiam ſi iidem hæredes vtroque teſtamento inſtituti ex priori eſtiterunt, ff. eo. l. ſi iure, 18.

Fideicommiſſum relictum & apud eum, cui relictum eſt. ex cauſa lucratiua inuentum, extingui placuit; niſi defunctus æſtimationem quoque eius præſtari voluit, ff. eod. l. nutu, 21.

Qui teſtamento hæredem ſcripſerat, Mæuia ducenta legauit, & fidei eius commiſit, vt centum daret Glaucetychæ, Elpidi autem quinquaginta, Poſtea Mæuius volente teſtatore literas emiſit ad eas ſecundum voluntatem teſtatoris reſtituturum, poſtea teſtator fecit codicillos, quibus & hoc præcepit, ut præter hos codicillos, ſi quid aliud prælatum eſſet, non valeat; quæſitum eſt, an Mæuius, qui ducenta accepit, quia mutauit voluntatem de ea epiſtola teſtator, à mulieribus conueniri ex cauſa fideicommiſsi poſsit? & reſpondit Scæuola, fruſtra Mæuium conueniri, ſiue ducenta, ſiue prædium pro his accepit, ff. eod. l. cum quis, 37. §. qui teſtamento.

Si quis illicitè ædificaſſet, ideſt hoc, quod dirui conſtitutiones iubent, fideicommiſſum relinquere ex eo quis poterit, cum enim dirui neceſſe ſit, nulla dubitatio eſt, quin ſenatuſconſulto impedimento non ſit, ff. eod. l fideicommiſſa, xi. §. ſi quis illicitè.

AD SENATVSCONSVLTVM TREBELLIANVM. Titulus VII.

REſtituta hæreditate, quia is quidem, qui reſtituit, nihilominus hæres permanet, pro illius indemnitate Senatuſconſ. Trebellianum factum eſt, ac poſtea pegaſianum, ſed vltimo placuit exploſo Pegaſiano, quod poſtea ſuperuenit, omnem authoritatem Trebelliano, Senatuſconſ. præſtare, ut ex eo fideicommiſſariæ hæreditates reſtituantur, ſiue habeat hæres ex voluntate teſtatoris quartam, ſiue plus, ſiue minus,

nus, siue nihil pœnitus: & tunc quando nihil, vel minus quarta apud eum remaneat, liceat ei, vel quartam, vel quod deest retinere, vel repetere solutum, quasi ex Trebelliano Senatuscons. pro rata portione, actionibus, tàm in hæredem, quàm in fideicommissarium competentibus,. si vero totam hæreditatem sponte restituerit, omnes hæreditariæ actiones fideicommissario, & aduersus eum competunt. Et Senatuscons. Trebellianum factum est temporibus Neronis octauo Kalendas Septembris, Anneo Seneca, & Trebellio maximo consulibus, cuius verba, hæc sunt. CVM ESSET AEQVISSIMVM, IN OMNIBVS FIDEICOMMISSARIIS HAEREDITATIBVS, SI QVA DE HIS BONIS IVDICIA PERDERENT, EX HIS EOS SVBIRE, IN QVAS IVS FRVCTVSQVE TRANSFERRETVR POTIVSQVE CVIQVE PERICVLOSAM ESSE FIDEM SVAM: PLACET VT ACTIONES QVAE IN HAEREDEM HAEREDIBVSQVE DARI SOLENT, EAS NEQVE IN EOS, NEQVE HIS DARI, QVI FIDEI SVAE COMMISSVM, SICVTI ROGATI ESSENT, RESTITVISSENT. SED HIS ET IN EOS, QVIBVS EX TESTAMENTO FIDEICOMMISSVM RESTITVTVM FVISSET, QVO MAGIS IN RELIQVVM CONFIRMENTVR SVPREMAE DEFVNCTORVM VOLVNTATES, instit. de fideicommiss. hære. & ad Senatuscons. Trebell. §. restituta, & ff ad Senatuscons. Trebell. l. prima, in princ.

Sublata est hoc senatusconsulto dubitatio eorum, qui adire hæreditatem recusare, seu metu litium, seu prætextu metus censuerunt. Quanquam autem senatus subuentum voluit hæredibus, subuenit tamen & fideicommissario. nam in eo, quod hæredes si conueniantur, exceptione vti possunt, hæredibus subuentum est, in eo vero, quod agant hæredes, repelluntur per exceptionem, quodque agendi facultas fideicommissariis competit: proculdubio consultum est fideicommissariis, d. l. prima, § sublata.

In filii quoque familias militis iudicio, qui de castrensi peculio, vel quasi castrensi testari potest, senatusconsultum locum habet, d. l. prima, §. in filii quoque.

De illo quæritur, an is, cui ex causa fideicommissi restituta est hæreditas ex Trebelliano senatusconsulto, ipse quoque restituendo ex eodem senatusconsulto transferat actiones, d. l. prima, §. de illo.

Sed & quoties quis rogatus duobus restituere hæreditatem, alteri purè, vel in diem, alteri sub conditione suspectam dicit ei, cui erat rogatus purè, vel in diem, interim vniuersam hæreditatem restitui, senatus censuit; cum autem extiterit conditio, E velit alius fideicommissarius partem suam suscipere, transire ad eum ipso iure actiones, d. l. prima, §. sed & quoties.

Si filio hærede instituto rogatoque restituere hęreditatem, pater restituat: ex Trebelliano transferuntur actiones, quod est etiam si suo nomine rogatus esset restituere. idem est & si ipsi filio pater rogatus sit restituere hæreditatem, d. l. prima, §. si filio.

Sed & si tutor, vel curator adolescentis, vel furiosi rogatus sit restituere hæreditatem, sine dubio Trebelliano locus erit, d. l. prima, §. sed & si tutor.

Fuit quæsitum, si ipsi tutori rogatus sit restituere pupillus, an ipso auctore restitutionem facere posit, & est decretum à Diuo Seuero non posse tutori se auctore restituere hæreditatem, quia in rem suam auctor esse non potest, curatori tamen adolescentis ab adolescente poterit restitui hæreditas, quoniam necessaria non est auctoritas ad restitutionem, d. l. prima, § fuit quæsitum.

Si autem collegium, vel corpus ſit, quod rogatum eſt reſtituere, decreto eorum, qui ſunt in collegio, vel corpore in ſingulis, inſpecta eorum perſona, reſtitutio valere debet, nec enim ipſe ſibi uidetur quis horum reſtituere, d.l. prima, §. ſi autem collegium.

Si hæres percepto fundo rogatus ſit reſtituere hæreditatem, ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituet hæreditatem, nec multum facit, ſi fundus pignori datus eſt. neque enim æris alieni perſonalis actio fundum ſequitur, ſed eum, cui hæreditas ex ſenatuſconſulto Trebelliano reſtituta eſt, ſed cauendum eſt hæredi à fideicommiſſario, vt ſi fortè fundus fuerit euictus à creditore, habeat hæres cautum: Iulianus autem cauendum non putat, ſed æſtimandum quanti ualet, ſine cautione: hoc eſt quanti vendere poteſt, ſine cautione: & ſi poteſt tanti vendere, non interpoſita cautione, quantum facit quanta pars bonorum, ex Trebelliano tranſituras actiones, ſi minoris, retento eo, quod deeſt, ſimiliter ex Trebelliano reſtitutio fieri debet, quæ ſententia multas quæſtiones dirimit, d.l. prima, §. ſi hæres.

Si is, qui quadringenta in bonis habebat, trecenta legauerit, & deductis ducentis, rogauerit hæredem Seio reſtituere hæreditatem, competit quidem aduerſus fideicommiſſarium trecentorum. ſed non amplius, quam ducentorum actio datur aduerſus eum, in hæredem autem centum, ne damnum fideicommiſſarius ſentiat ultra, quàm ad eum ex hæreditate, quid peruenit, neminem enim oportere plus legati nomine præſtare, quàm ad eum ex hæreditate peruenit, quamuis falcidia ceſſet, reſcripto Diui Pii continetur, dicta lege prima, §. ſi is, qui.

Sed nec ex militis teſtamento plus legatorum nomine præſtatur, quam quantitas eſt hæreditatis ære alieno deducto, nec tamen quartam retinere fideicommiſſario permittitur, d.l. prima, § denique.

Sed ſi quadringenta habens, ducenta legauerit Titio, & partem dimidiam hæreditatis Sempronio reſtituere rogauerit: ex Trebelliano reſtitutionem faciendam Iulianus ait, & legatorum petitionem ſcindi, ſic, vt centum quidem petantur ab hærede, centum vero alia legatarius fideicommiſſario petat. quod idcirco dicit Iulianus, quoniam ſecundum hanc rationem integram quartam habet. id eſt centum, d.l. prima, §. pen.

Idem Iulianus ſcribit, ſi quis quadringenta in bonis habebat, trecenta legaſſet: & deductis centum rogaſſet hæredem, vt hæreditatem Sempronio reſtituat, debere dici, deductis centum, reſtituta hęreditate legatorum actionem in fideicommiſſarium dandam, d.l. prima, §. ſi.

Si ad hæredis onus eſſe teſtator legata dixerit, & hæres adiit hæreditatem, ita debet computatio falcidiæ iniri, ac ſi quadringenta per fideicommiſſum eſſent relicta, trecenta uero legato, vt in ſeptem partes trecenta diuidantur, & ferat quatuor partes fideicommiſſarius, tres partes legatarius, ff. ad Trebell. l. tertia in princip.

Si quis ſub conditione fuit hæres ſcriptus, pendente conditione nihil agit, tametſi paratus ſit reſtituere hæreditatem ff. eo. l. nona, §. fin.

Sed etſi ante diem, vel ante conditionem reſtituta ſit hæreditas: non transferuntur actiones: quia non ita reſtituitur hæreditas, vt teſtator rogauit. planè poſteaquam extiterit condicio, vel dies uenerit, ſi ratam habeat reſtitutionem hæreditatis benignius eſt, intelligi tunc translatas uideri actiones, ff. eo. l. x.

Omnibus ciuitatibus, quæ ſub Imperio populi Romani ſunt, reſtitui debere, &

posse hæreditatem fideicommissam, Appronianum senatusconsultum iubet. sed & actiones in eas placuit ex Trebelliano transferri, sed municipes ad eas admittuntur, ita tamen, vt his, quibus restituetur hæreditas, actorem eligant, & ad agendum, & ad excipiendas actiones, ff. eo. l. omnibus ciuitatibus, 26. cum l. seq. in princ.

Qui ex Trebelliano senatusconsulto hæreditatem restituit, siue petat à debitoribus hæreditariis, siue ab eo petatur, exceptione restitutæ hæreditatis adiuuari, vel submoueri potest, actiones autem fideicommissario competūt, quas habuit hæres eo tempore, quo fideicommissum restituebat. sed Marcello placuit, eas quoque actiones, quæ sub conditione erant, & quarum dies eo tempore non cesserat, fideicommissario competere. sed ante quàm restitueretur hæreditas, exceptione aliqua hæres adiuuandus non est. cum hoc minus ex causa fideicommissi restiturus sit, ff. eo. l. ita tamen, 27. §. qui ex Trebelliano.

Si ex Trebelliano hæreditatem restituit hæres, & fructus prædiorum retinet, vel ipsa prędia, siue etiam debitor eius, qui testamentum fecit, fuerit, necessarium est actionem aduersus eum fideicommissario dari, dicta lege ita tamen, §. si ex Trebelliano.

Hoc idem necessario faciendum est, cum parte hæreditatis restituta, familiæ erciscundæ iudicium inter eum, qui restituit hæreditatem, & qui receperit, accipietur, d. l. ita tamen, §. Marcellus.

Multum interest, vtrum qua pars iure hæreditario retineatur, an vero in re, vel pecunia: nam superiore casu actiones diuiduntur inter hæredem, & fideicommissarium: posteriore vero apud fideicommissarium sunt actiones, ff. eod. l. si legatus, 30. §. multum.

Cum hæreditas ex fideicommissi causa restituto est, si ante cum hærede compromissum est, fideicommissarius cauere debet hæredi, sicut cum hæres multa, antequam restitueret, administrauit. nam quod dicitur, retinere eum oportere, non est perpetuum. quid enim si nihil est, quod retineat? veluti cum omnia in nominibus sunt, aut in corporibus, quæ non possideat? nempe enim is, cui restituta est, omnia persequitur. & tamen hæres iudiciis, quibus conuentus est, aut stipulationibus, quibus necesse habuit promittere, obstrictus manebit, ergo nō aliàs cogetur restituere, quàm ei caueatur, ff. eo. l. cum hæreditas, 36.

Restituta hæreditas videtur, aut re ipsa, si fortè passus est hæres possideri res hęreditarias, vel totas, vel aliquas earum hac mente, vt vellet restituere, & ille suscipere, non si ex alia causa putauit se possidere. sed etsi postea ratum habuit, idem erit dicendum, sed & si verbo dixit se restituere, vel per epistolam, vel per nuntium restituat, audietur, sed & si voluntate tua alii restituerit, in te transibunt actiones. item si alius iussu meo restituit, vel ratum habuit restitutionem, transisse actiones videntur, ff. eo. l. restituta, 37. in prin.

Pupillus autem ipse debet restituere tutore auctore, non tutor sine pupillo, nisi infans est, quia nec mandare actiones tutor pupilli sui potest, nec se quidem auctore pupillum restituere sibi potuisse hæreditatem. Diuus seuerus in persona Arrii Honorati pupilli decreuit, qui Arrio Antonino patruo, & tutori suo restitueat, sed & si pupillo sit restituenda, non posse pupillo sine tutoris auctoritate restitui constat. Non enim solutio est hæreditatis restitutio, sed & successio, cum obligetur, d. l. restituta, §. fin. & l. seq. sed nec ipsi tutori indistinctè restitui potest, ff. eo. l. sed nec, 39.

Si pupillo infanti restituere hæreditatem, quis rogatus sit, si spontè adierit, etiam ipsi

ipſi pupillo tutore auctore reſtituetur hæreditas, ſi quidem in eo, qui fari non poteſt, non magis ea res impedietur, quàm in muto pubere uolenti ſibi reſtitui hæreditatem, ff. eo. l. ſeruo, 65. §. ſi pupillo.

Licentia eſt etiam ſoli tutori rectè fieri fideicommiſsi nomine uniuerſitatis reſtitutionem, quod pupillo relictum eſt, & ſine onere fideiusſionis, vbi tamen pupillus fari non posſit, vel abeſſe noſcitur, nedum nimia ſubtilitate vtimur circa res pupillares, ipſa ſubtilitas ad perniciem eorum reuertatur. idemq; iuris eſſe oportet, & ſi furioſo fideicommiſſaria debeatur hæreditas, vt reſtitutio curatori eius ſoli, nomine ſcilicet furioſi celebretur. Quis enim ſenſus, quæ vox certa furioſo eſſe intelligitur? cum in utroq; caſu reſtituentes pleniſsimā conſequantur ex lege ſecuritatem. hoc eodem obſeruando, & ſi ipſi pupilli, vt furioſi reſtitutione grauati ſunt, C. ad Treb. l. pen. in prin.

Quamuis ſenatus de his actionibus transferendis loquatur, quæ iure ciuili hæredi & in hæredem competunt, tamen honorariæ actiones tranſeunt. nulla enim ſeparatio eſt, immo & cauſa naturalium obligationum tranſit. Perſona autem hæredis inſtituti Trebelliano continetur. Verum hoc iure vtimur, vt & ſucceſſor hæredis rectè ex Trebelliano reſtituat ueluti hæres, vel pater, quibus adquiſita eſt hæreditas: omnes enim quod iuris habent ex Trebelliano ſenatuſconſulto, reſtituere debent, nec intereſt is qui inſtitutus eſt pater rogatus ſit reſtituere, nihil .n. intereſt, cui noſtro nomine reſtituatur, paterfamilias ſit, an is, qui in aliena poteſtate eſt; mulier, an maſculus, quia perinde eſt, atque ſi nobis reſtituta eſſet hæreditas, ff. eo. l. quamuis, xl. cum l. ſeq. ac alia ſeq. in princ.

Si hæredi eius, cui natura debuerit, aliquis ſoluerit ei, cui fideicommiſſa hæreditas ſit, id reddendum eſt, ff. eo. l. ſi hæredi 47.

Si ſingulæ res ab hærede traditæ ſint, iuſſu meo ei, cui eas uendiderim: non dubitamus mihi intelligi factam reſtitutionem, idem erit & ſi iuſſu meo tradantur, cui ego ex fideicommiſſo, aliave qua cauſa eas præſtare debuerim, vel in creditum ire, vel donare voluerim, ff. eo. l. ſeruo, 65, §. fin.

Reſtituta hæreditate iura ſepulchrorum apud hæredem remanent, ff. eo. l. quia perinde, 42. §. fin.

Actiones temporariæ Trebelliani ſolent eſſe euicta hæreditate ab eo, qui poſteaquam fideicommiſſam reſtituit hæreditatem, victus eſt, ſcilicet ante reſtitutionem, lite cum eo conteſtata: poteſtas enim euictionis tollit intellectum reſtitutionis indebito fideicommiſſo conſtituto. Planè ſi fideicommiſſum ab eo quoque, qui poſtea vicit, relictum eſt: quia poſſeſſor in ratione reddendæ hæreditatis partem, quam fideicommiſſario reſtituit, hæredi reputat, defendi poteſt, actiones Trebelliani durare, ff. eo. l. ſi patroni, 55. §. fin.

Facta in fideicommiſſarium reſtitutione, ſtatim omnes res in bonis fiunt eius, cui reſtituta eſt hæreditas, & ſi nondum earum nactus fuerit poſſeſſionem, ff. eod. l. facta, 63. in prin.

Si is, qui hæreditatem ſibi reddi ab hærede ſtipulatus ſit, eique ex ſtipulatu agenti reſtituta fuerit hæreditas: conſtat nihilominus transferri actione, hoc ita eſt, ſi is, cum quo actum ſit, reſtituat hæreditatem. ſi vero ob id, quod non reſtituerit, æſtimatione hæreditatis condemnatus fuerit, remanent actiones hæreditariæ apud eum, qui condemnatus ſit: actor autem quantitatem conſequitur, d. l. facta, §. ſi is qui.

Si hæres ſcriptus reſtituerit hæreditatem, & poſtea de hæreditate controuerſiam paſſus, victus ſit, aut litem ceſſerit, durare actiones conſtitit in fideicommiſſa-

rium semel translatas, d. l. facta, §. si hæres.

Si quis maiorem partem restituerit, quàm rogatus est, in eam partem, quæ excedit non transferuntur actiones, sed cum præcepta aliqua re, aut summa, rogatus sit hæres restituere, & ommissa retentione totam hæreditatem restituerit, rectè dicitur transferri actiones, d. l. facta, §. si quis maiorem.

Si quis rogatus restituere hæreditatem, decesſit antequam eam restituat: hæres eius poterit hæreditatem restituere, & ex Trebelliano senatusconsulto transeūt actiones: sed si duo ei hæredes extitissent, vti quisque restituisset, pro ea parte transibunt actiones, nam etsi ipse partem restituisset, pro parte interim transirent. sed etsi plures hæredes exiterunt ei, qui rogatus est restituere hæreditatem. si quidam interim restituerint, vel cum ei, cui restitui debuit plures hæredes extiterint, cui restituerint, is pro ea parte ex hoc senatusconsulto habebit actiones, ff. eo. l. si eius pupilli, lxiiii. §. si quis rogatus.

De euictione prædiorum, uel cæterarum rerum cauere hæres cum restituit hæreditatem non debet, quinimo in contrarium caueri hæredi oportet. si quid ex his euictum esset, quæ ab ipso hærede venissent, ff. eo. l. de euict. lxix.

Si hęres institutus Titio rogatus sit restituere hæreditatem, & rursus Titius hæredi, post tempus sufficiunt directæ actiones hæredi, ff. eo. l. si hæres, lxx.

Si temporalis actio in hæreditate relicta fuerit, tempus, quo hæres experiri antè restitutam hæreditatem potius imputabitur ei, cui restituta fuerit, ff. eo. l. si hæres institutus, lxx. §. fin.

Cum ex Trebelliano senatusconsulto restituitur hæreditas, seruitutes, quas mutuo p̄dia hæredis & testatoris habēt, nihilominus valēt, ff. eo. l. si hæres, 73. §. fi.

Cum Titiana hæreditas ex Trebelliano senatusconsulto restituta est, Męuianam hæreditatem, quam Titius defunctus ex Trebelliano sempronio restituere debuit, & ipse restituere poterit. sicut alius quilibet successor, ff. eod. l. patrem, 55. §. cum Titiana.

Nihil autem interest vtrum aliquis ex asse hæres institutus, aut totam hæreditatem, aut pro parte restituere cogetur, an ex parte hæres institutus, aut totam eā partem, aut partem partis restituere rogatur: nam & hoc casu eadem obseruantur, quę in totius hæreditatis restitutione dicta sunt, Inst. de fideic. hæred. & ad Trebell §. nihil autem.

Trebellianum senatusconsultum locum habet, quotiens quis suam hæreditatem, vel totam, vel pro parte fidei hæredis committit, quare si Mæuius te hæredem instituerit, & rogauerit, ut hæreditatem Titii restituas, tuque hæreditatem Mæuii adieris, perinde à te fideicommissum petetur, ac si fundum, qui tibi à Titio legatus esset, restituere rogatus fuisses. Ideoque & si suspectam Mæuii hæreditatem dixeris, cogi te non oportet eam adire. Quod si Mæuius te rogauerit, & suam hæreditatem & Titianam restituere, tuque sponte adieris hæreditatem, vteris legis falcidiæ commodo, & partem quartam Mæuianæ hæreditatis retinebis, dimidiam & quartam ex fideicommisso restitues, nec intererit eidē vtrūque hæreditatem, an alii Mæuianam, alii Titianam rogatus fueris restituere, ff. eo. l. ita tamen, 27. §. Trebellianum.

Ad eum, cui ex Trebelliano senatusconsulto pars hæreditatis restituitur, successionis onera, seu legatorum præstationem pro competenti portione spectare indubitati iuris est, C. ad Trebell. l. secunda.

Si quis una aliqua re deducta, siue præcepta, quæ quartam continet (veluti fundo vel alia re) rogatus sit restituere, hæreditatem simili modo ex Trebelliano

ſenatuſconſulto reſtitutio fiet, perinde, ac ſi quarta parte retenta rogatus eſſet reliquam hæreditatem reſtituere, ſed illud intereſt, quod altero caſu, ideſt cum deducta, ſiue præcepta aliqua re reſtituitur hæreditas inſolidum ex eo ſenatuſconſulto actiones transferuntur, & res, quæ remanet apud hæredem, ſine ullo onere hæreditario apud eum remanet, quaſi ex legato ei adquiſita. Altero vero caſu, ideſt, cum quarta parte retenta rogatus eſt hæres reſtituere hæreditatem, & reſtituit, ſcinduntur actiones, & pro dodrante quidem transferuntur ad fideicommiſſarium, pro quadrante remanent apud hæredem. Quinetiam licet vna re aliqua deducta, aut præcepta reſtituere aliquis hæreditatem rogatus ſit, in qua maxima pars hæreditatis contineatur, æquè inſolidum transferuntur actiones, & Secum deliberare debet is, cui reſtituitur hæreditas, an expediat ſibi reſtitui: eadem ſcilicet interueniunt, etſi duabus pluribusve deductis præceptisve rebus reſtituere hæreditatem rogatus ſit, ſed etſi certa ſumma deducta, præceptave, quæ quartam vel etiam maximam partem hæreditatis continet, rogatus ſit aliquis hæreditatem reſtituere, idem iuris eſt, quæ autem dicta ſunt de eo, qui ex aſſe inſtitutus eſt, eadem transferuntur & ad eum, qui ex parte hæres ſcriptus eſt, Inſt. de fideic. hær. & ad ſen. cōſ. Treb. §. ſi quis vna aliqua.

Reſcripto Diui Antonini ſignificatur, vt ſi quis accepta à Titio pecunia, quæ quartam hęreditatis continet: rogatus ſit ei reſtituere hæreditatem: licet tardius detur pecunia, ſine intereſſe eam dari debere, quia quanto tardius quiſquam pecuniam dat, tanto tardius ad fideicommiſſum peruenit, & medii temporis fructus perdit: quamobrem ſi ante datam pecuniam tenuerit hęreditatem, fructus quos percepit, reſtituere hæredi eum oportet. Idem iuris eſt etſi quis ita hæredis fideicommiſerit, ROGO SI TITIVS TIBI CENTVM DEDERIT, RESTITVAS EI HAEREDITATEM MEAM, ff. eo l. facta, lxiii. §. reſcripto.

Si certa portio hæreditatis alicui relicta proponitur, & is res hæreditarias quaſdam furatus ſit: in his rebus, quas ſubtraxit, denegari ei petitionem oportere rectè reſpondetur, ff. eo. l. paulus, xlviii.

Hæres à debitore hæreditario fideiuſſorem accepit, deinde hæreditatem ex Trebelliano reſtituit: fideiuſſoris obligatio in ſuo ſtatu manet, ff. de fideiuſſorib. l hæres, xxi. in princip.

Titius rogatus eſt, quod ex hæreditate ſuperfuiſſet, Mæuio reſtituere, quod medio tempore alienatum, vel deminutum eſt, ita quandoque peti non poterit, ſi non interuertendi fideicommiſsi gratia tale aliquid factum probetur, Diuus autem Marcus cum de fideicommiſſaria hæreditate cognoſceret his verbis; QVIDQVID EX HAEREDITATE MEA SVPERFVERIT. ROGO RESTITVAS. & uiri boni arbitrium eſſe crediderit: iudicauit enim erogationes, quæ hæreditate factæ dicebantur, non ad ſolam fideicommiſsi deminutionem pertinere: ſed pro rata patrimonii, quod hæres proprium habuit, diſtribui oportere. Propter huiuſmodi tractatum Męuius fideicommiſsi nomine cautionem exigere debet, quod eo pertinet, non ut ex ſtipulatione petatur, quod ex fideicommiſſo peti non poterit, ſed ut habeat fideiuſſores eius quantitatis, quam ex fideicommiſſo petere potuit, ff. ad Treb l. Titius, liiii.

Ex teſtamento, quod iure non valet, nec fideicommiſſum quidem, ſi non ab inteſtato quoque ſuccedentes rogati probentur, peti poteſt, C. de fideicommiſ. l. ex teſtamento, xxix.

Rogatus hæreditatem reſtituere ſeptitio cum erit annorum viginti, interea fundos, quos defunctus pignori acceperat, vendidit; & propterea pignoratitio

iudicio à debitore conuentus decelsit, hærede relicto sempronio, & iudicio nondum finito restituit hæreditatem septitio, quæsitum est, an iudicio nihilominus ipse condemnari debeat, cum potuerit retinere, vel caueri, sibi id, quod ex causa iudicati præstaturus esset? Respondit Scæuola, iudicii executionem nihilominus aduersus hæredem, & post restitutam hæreditatem mansisse, ff. eo. l. Lucius, lxxviii. § pen.

Hæres eius, qui post mortem suam rogatus erat vniuersam hæreditatem restituere minimam quantitatem, quam solam in bonis fuisse dicebat his, quibus fideicommissum debebatur, restituit: postea repertis instrumentis apparuit quadruplo amplius in hæreditate fuisse. Quæsitum est, an in reliquum fideicommissi nomine conueniri possit? Respondit Scæuola, si non transactum esset, posse, d. l. Lucius, §. fin.

Præterea intestatus quoque moriturus potest rogare eum, ad quem bona sua legitimo iure pertinere intelligit, vt hæreditatem suam totam, partemve eius; aut rem aliquam (veluti fundum, pecuniam) alicui restituat, cum alioquin legata, nisi ex testamento non valeant: eum quoque, cui aliquid restituitur, potest rogare, vt id rursum alii, aut totum, aut partem, vel etiam aliquid aliud restituat, Inst. de fideic. hæred. & ad Trebell. §. præterea, & ff. ad Trebell. l. prima, § hoc senatusconsultum, & l sexta, §. meminisse.

Si ea, quam Titius instituerat, siue quæsita, siue non quæsita hæreditate decesserit, cum tamen simpliciter antequam duodecimum ætatis annum impleuisset, verbis præcariis testamento facto, nonnullos ei uoluerit substitutos esse, nihil prohibet fideicommissum peti, vel ab ipsius hæredibus, vel ab his, qui bona intestati tenent. Tunc enim locum habet, quod regulariter traditur ea, quæ in testamento relinquuntur. si ex testamento non adeatur hæreditas, non valere: cum verbis relicta directis adiri potuit hæreditas, non cum illa ipsa sic data est, vt esset ab intestato successoribus postulanda, C. de fideic. l. si ea, xiiii.

Si per fideicommissum hæreditas Reipublicæ relicta est, ex Trebelliano senatusconsulto (quod ab intestato quoque locum habet) quartæ partis & fructus eius restitutio competit, C. ad Trebell. l. tertia.

Et sine scriptura per fideicommissum hæreditas rectè relinquitur, si uxor maritum, & priuignum suum in discrimine mortis constituta designauit velle successionem obtinere vsque ad dodrantem eius voluntatem ratam seruari conuenit, cum ab intestato ei succedentes de fideicommisso restituendo conuentos, vltra quartam, ære alieno deducto, quantum penes eos sententia senatusconsulti relinqui præcepit, tantum obtinere posse præstiterit, C. eod. l. quinta.

Si auia testatoris ex parte scripta hæres, & rogata restituere portionem hæreditatis nepoti, Titio calliditate & fraude repudiauit hæreditatem, vt ad alium nepotem & cohæredem deuoluatur portio, à quo ipsi Titio nominatim non fuerat fideicommissum relictum, & priusquam pro hærede gereret, mortua sit: fructus fideicommissi non amittitur, quia etiam à substitutis fideicommissum debetur, C. ad Treb. l. quarta.

In fideicommissaria hæreditatis restitutione constat non venire fructus, nisi mora facta est, aut cum quis specialiter fuerit rogatus & fructus restituere. Planè fructus in quartam imputantur, vt est & rescriptum. Quotiens quis rogatur hæreditatem restituere, id videtur rogatus reddere, quod fuit hæreditatis, fructus autem non hæreditati, sed ipsis rebus accepto feruntur, ff. ad Treb. l. in fideicommissaria, xviii. in princ.

HAERE-

HAEREDES MEI QVIDQVID AD EOS EX HAEREDITATE BONISVE MEIS PERVENERIT, ID OMNE POST MORTEM SVAM RESTITVANT PATRIAE MEAE, COLONIAE BENEVENTANORVM. nihil de fructibus pendente conditione perceptis petitum videri conſtat, ff. eod. l. hæredes mei, 57. in prin.

Deducta quarta reſtituere rogatus hæreditatem priuſquam reſtitueret, hæreditario debitori hæres extitit: quoniam actio confuſa per Trebellianum redintegrari non poteſt: pecuniæ quoque debitæ dodrans ex cauſa fideicommiſsi petetur. Sed in eum diem, quo actio confuſa eſt, intereſſe præteriti tẽporis, quod in obligatione vel officio iudicis fuerit, computabitur, poſterioris ita demum, ſi mora fideicommiſſo facta ſit. ff. eod. l. deducto, 58. in prin.

Cùm hæreditas ex cauſa fideicommiſsi in tempus reſtituenda eſt, non idcirco nominum periculum ad hæredem pertinebit, quod hæres à quibuſdam pecuniã exegerit, d. l. deducta, §. cum hæreditas.

Qui poſt tempus hæreditatem reſtituere rogatus eſt, intereſſe a debitoribus hæreditariis perceptum cuius dies poſt mortem creditoris ceſsit, quo non exacto, omnis intereſſe actio (nam hæreditaria ſtipulatio fuit) ex Trebelliano trãs feretur, & ideo nec indebiti repetitio erit, ac ſimiliter hæreditario creditori, ſi medii temporis non ſoluatur intereſſe fideicommiſſarium, in his quoque Trebellianum tenebit, nec ideo quærelæ locus erit: quod de fructibus hæres, quos iure ſuo præcipiebat intereſſe non ſoluerit, quòd ſi intereſſe medii temporis ſoluerit, eo nomine non erit retentio, cùm proprium negotium geſsit, quippe ſortem redderre creditori coactus, fideicommiſſario nihil intereſſe imputabit ff. eod. l. deducta, 58. §. qui poſt tempus.

Acceptis centum, hæreditatem rogatus reſtituere, totam pecuniam iure falcidiæ percipere videtur, & ita Diui Hadriani reſcriptum intellectum eſt, tamquàm ſi ex bonis nummos retenturus fuiſſet, quod tunc quoque reſpondendum eſt, cùm pro parte hæreditatem cohæredi ſuo reſtituere rogatur. Diuerſa cauſa eſt prædiorum pro hæreditaria retentorum. quippe pecunia omnis de portione retineri poteſt. prædiorum autem alia portio non niſi a cohærede, qui dominium habet; accipitur, cum autem prædia maioris pretii, quam portio hæreditatis eſſent, in ſuperfluo prædiorum petenti fideicommiſsario falcidiam interuenire viſum eſt, concurrentem enim pecuniam compenſari placuit, d. l. deducta, §. acceptis.

Ante diem fideicommiſsi cedentem fructus & intereſſe, quod debitores hæreditarii, cum poſtea ceſsiſſet dies, ſoluerunt. item mercedes prædiorum ab hærede perceptæ, portioni quadrantis imputabuntur. Cum autem poſt mortem ſuã rogatus reſtituere hæreditatem, res hæreditarias diſtrahere non cogatur hæres, ſortium, quę de pretiis redigi potuerunt, intereſſe propter vſum medii tẽporis præceptum non videbitur, d. l. deducta, 58. §. ante diem.

Quod ex hæreditate ſuperfuiſſet, cùm moreretur, reſtituere rogatus, fructus ſuperfluos reſtituere non videtur rogatus, cum ea verba deminutionem quidem hæreditatis admittunt, fructuum autem additamentum non recipiant, ff. eod. l. deducta, §. penultimo.

Hæres eius, qui bonorum ſuperfluum poſt mortem ſuam reſtituere fuerat rogatus, pignori res hæreditarias datas, ſi non in fraudem id factum ſit, liberare nõ cogitur, d. l. deducta, 58. §. fin.

Ea, quæ dotem dabat, pacta erat cum marito, ut mortua ſe in matrimonio dotis

pars

pars matri eius redderetur: nec eo nomine stipulatio à matre interposita est: moriens deinde matrem, & maritum suum hæredem fecerat, & a matre petierat, vt hæreditatem Titio restitueret. iudex aditus de hæreditate diuidenda, partem dotis quasi ex vtili pacto pro parte matri adiudicauerat. quærebatur, an ea portio ex causa fideicommissi præstanda sit? quam non esse restituendam putatur, quia non quasi hæres, sed quasi mater ex pacto accepit. nec occasione hæreditatis, sed errore ex pacto eam habuit, ff. eod. l. debitor, 59. §. fin.

Si eius pupilli, cui sine tutoris auctoritate pecunia credita erat, restituta ex eo Senatusconsulto mihi fuerit hæreditas si soluam creditori, non repetam. atquin hæres si post restitutionem soluat, repetet non ob aliud, quàm quod ab eo in me naturalis obligatio translata intelligitur, & si eius mihi restituta sit hæreditas, qui pupillo sine tutoris auctoritate crediderit: si soluerit mihi pupillus, non repetet, at si heredi soluerit repetet non repetiturus si ante restitutionem soluisset, ff. ad Trebellia. l. si eius, lxiiii. in prin.

Si hæres antequam fideicommissariam hæreditatem restitueret, alienauerit quid ex hæreditate, aut rupperit quid, vel fregerit, vel vsserit, non competit in eum vlla ciuilis actio, restituta postea hæreditate ex Trebelliano Senatusconsulto, sed ex fideicommissi causa erit hoc, quod deperierit persequendum: sin verò post restitutam hæreditatem horum quid admiserit hæres, dicendum est lege Aquilia cum eo agi posse, si animal hæreditarium aut vulnerauerit, aut occiderit, ff. eod. l. si hæres, 70. §. si hæres.

Hæres præcepto fundo rogatus erat hæreditatem restituere. fundus alienus erat. Aristo aiebat, videndum vtrum eum omnimodo penes hæredem fundum esse voluit testator, an ita demum si ipsius est sed sibi superius placere; ideoque æstimatio eius retinenda est, ff eod. l. hæres, 72.

Si hæres pecuniam hereditariam crediderit & in eam causam pignora acceperit, actiones non competunt cui restituta fuerit hæreditas aduersus ipsa pignora, sed aliqua dubitatio remanebit, si in eum cōtractum qui a defuncto fuerit interpositus, hæres antequam restitueret hæreditatem pignus acceperit, sed nec sic quidem ipse admittetur ex fideicommisso. tamen habet aduersus hæredem actionem, vt ei cedat pro pignoris cōmodo actionem, ff. eod. l. si hæres, 73. in principio.

Titia ex asse hæres scripta, partem dimidiam hæreditatis Mæuiæ, rogata restitueret: fundum a testatore obligatum luere noluit, sed cum vendente creditore mandauit redimendum Seiæ: quæsitum est, an Titia ex causa fideicommissi Mæuiæ teneatur? responsum est, cum rogata hereditatem restituere proponatur: nihil proponi, cur non teneatur: subest enim præstari oportere id; quanto pluris fundus fuit, quàm ad creditorem peruenire oportuit, ff. eod. l. Lucius, 78. §. Titia.

Cum hæreditas ex Trebelliano Senatusconsulto restituta est, heredi dandum est, ut impleatur conditio, nec hoc restituendum est ex causa fideicommissi. Si autem me hærede instituto controuersia mihi fiet hereditatis, si cauet legatarius euicta hereditate reddi legatum, & ipsi cauendum est reddi quod dedit. sed si iussu sis mihi decem dare, & accipere hereditatem ex Senatusconsulto, decem tibi ex causa fideicommissi non restituam, ff. de conditionibus, & demonstra. l. qui heredi, 44. §. cum hæreditas.

Si pupillus parenti suo hæres extitit, & fideicommissam hæreditatis partem restituit, mox abstinetur paterna hæreditate: optio deferenda est fideicommissa-

rio,

rio,vt,aut portionem quoque pupilli adgnoscat,aut a toto discedat, aut omnimodo bona vendenda sunt: vt id,quod superfluum est,pupillo seruetur, & si insolidum bona venire non possunt, omnimodo actiones fideicommissario denegandæ erunt: erat enim in potestate illius vniuersum suscipere, & si quid plus erit,pupillo seruare,ff.ad Trebel.l.si pupillus,79.

Matrem,& Auunculum,eosdemque creditores suos hæredes scripsit Lucius Titius,& eorum fideicommisit,vt post mortem restituerent,quod ex re familiari testatoris superfuerit Septitio.hæredes non modicam partem bonorum testatoris consumpserunt, & multos hæredes relinquerunt. quibus scientibus multa corpora,quæ remãserunt ex bonis Lucii Titii possedit,id, quod Lucius Titius debuit matri,& auunculo, hæredes eorum à Septitio petere non possunt: aditione enim hæreditatis confusa obligatio interciderat,sed fideicommissi petitio erat,cuius æquitas deficit his, qui multa ex hæreditate consumpsisse proponuntur,ff.eod.l.penultima.

Iulius fœbus testamento facto,cum tres liberos hæredes institueret, fœbum & Heracliam ex eadem matre, Polycratem ex alia,æquis portionibus;petiit à Polycrate minore fratre,ut accepto certo prædio, hæreditatem fratribus concederet: & inuicem eos,qui ex eadem matre erant,si quis eorum hæres non fuisset,substituerat Polycrati,si intra pubertatem decessisset,secundas tabulas fecit,quas matri eius commendauit,aperiendas,si impubes obiisset; deinde petiit à prioribus,ut si quis eorum sine liberis decederet,portionem suam,exceptis bonis maternis eorum & auitis,ei vel eis,qui superessent,restitueret. Heraclia soror mortua sine liberis fratrem fœbum hæredem instituit, Polycrates fideicommissum petierat,& obtinuerat apud Aurelium Proculum Proconsulem Achaiæ.appellatione facta,cùm solum fœbus egisset, solitariè suo vnius nomine,& pro se tantum euictus est:quia EI VEL EIS verba, utrosque fratres complecterentur. atqui inuicem duos illos tantum substituerat: sed & uoluntas patris hæc videbatur,qui exceperat eorum bona materna : quia Polycrates aliam matrem,& quidem superstitem habebat: cuius etiam fideicommiserat,vel legata,quæ ei dederat,intestata moriens Polycrati filio suo restitueret,ff.ad Trebel.l.fin.

Cum hæreditas ex Trebelliano Senatusconsulto restituitur,si res vrgeat,& metus erit,ne per absentiam fortè fideicommissarii dies actionis exeat, hæres iudicium suscipere cogitur,sim liique modo filio de possessione contra tabulas deliberante,scriptus hæres a creditoribus hæreditariis conuenitur,ff.ad Trebel. l.cum hæreditas,49.

Hæres cum debuerat quartam retinere totam hæreditatem restituit,nec cauit sibi stipulatione proposita.similem eũ esse Aristo ait illis,qui retentiones, quas solas habent,omittunt sed posse eum rerum hæreditariarum possessionem uel repetere,vel nancisci,& aduersus agentem doli mali exceptione uti posse eũ, & debitoribus denuntiare,ne soluerent.ff eod.l.hæres,xxi.

Qui ex Senatusconsulto quartam partem hæreditatis retinuit, & dodrantem fideicommissario restituit,id,quod creditoribus hæreditariis pro nouem vnciis præstiterit,à fideicommissario petere poterit,C.ad Treb.l.prima.

Si hæres post multum temporis restituat,cum præsenti die fideicommissum sit: deducta quarta restituet,fructus enim qui percepti sunt, negligentia petentis non iudicio defuncti percepti uidentur.Alia causa est,si sub conditione, vel in diem rogatus fuerit:tunc enim quod percipitur summouet falcidiam : si tantum

tum fuerit, quantum quartam facit, & quartæ fructus. nam fructus, qui medio tempore percepti sunt ex iudicio testantis percepti videntur, ff. eod. l. mulier, 22. §. si hæres.

Quotiens pater, vel mater filio seu filia, filiis vel filiabus ex æquis, vel in æquis partibus hæredibus institutis, inuicem, seu simpliciter quosdam ex his, aut quendam rogauerit, qui prior sine liberis decesserit, portionem hæreditatis suæ superstiti, seu superstitibus restituere, omnibus modis iubetur, ut retenta quarta pro authoritate Trebelliani Senatusconsulti, nō per imputationem redituum (licet hoc testator rogauerit, uel iusserit) sed de ipsis rebus hæreditariis dodrās restituatur. ideq; in retinēda legis falcidiæ ratione obtinere iubetur, & si pater vel mater filio, seu filia institutis (sicut supra dictum est.) hæredibus, rogauerit eos, easve nepotibus, vel neptibus pronepotibus; vel proneptibus suis, ac deinceps restituere hæreditatem, C. ad Trebel. l. iubemus. sexta, in prin.

Declaratio huius legis iubemus habetur in nostro libro secundo de conciliatione legū digest. & codic. nu. 7.

Sed hæc dispositio non producitur vlterius quàm in his personis, & casibus, quorum superius mentio facta est, d. l. sexta, §. fin.

Si quis rogetur restituere hæreditatem & aliquæ res perierint, Placet non cogi hæredem reddere quod non habet, culpæ planè reddere debet rationem, sed eius, quæ dolo proxima est: & ita Neratius libro primo responsorum scribit, sed & si cum distrahere deberet, non fecit lata culpa, non leui & rebus suis consueta negligentia, huiusmodi rei rationem reddet. sed & si ædes vstæ sunt culpa eius, reddet rationem. sed ipse, si quem sumptum fecit in res hæreditarias, detrahet, quod si sine facto eius prolixitate temporis ædes usu adquisitæ sint, æquissimum erit nihil eum præstare cùm culpa careat, ff. ad Trebellia. l. mulier. 22. §. sed enim si quis.

Cum hæres, deductis legatis, hæreditatem per fideicommissum restituere rogatur, non placet ea legata deduci, quæ peti non poterant. sed cum vxori pro parte hæredi scriptæ dos prælegetur, eaque deductis legatis hæreditatem restituere rogatur: etiam si quartam, quam per legem falcidiam retinet, tantum efficiat, quantum in dote est, tamen pro sua portione dotis prælegatæ partem deducit: cum enim vtrunque consequitur, nihil interest inter hanc mulierem, & quamuis alium creditorem hæredem institutum, & hæreditatem restituere rogatum. idem probatur: & si non deductis legatis fideicommissum ab ea relictum sit, ff. eod. l. cum hæres, 51.

Si Titius rogatus sit hæreditatem Mæuio restituere, Mæuius Seio certam pecuniam, & Titius quartæ retinendæ beneficio aduersus Mæuium vsus fuerit, Neratius scribit, Mæuium quoque Seio eo minus æquum esse præstare, ne ipse de suo damnum sentiat, ff. eod. l. facta, 63. §. si Titius.

Hæres institutus uxori rogatus hæreditatem restituere, restituit detracta quarta: quæsitum est. cum vxor quartam partem hæreditatis præsenti die, & reliquam post tempus alii rogata a testatore fuisset restituere, an id quod hæres ei detraxisset quartæ nomine, in restituendo fideicommisso imputare possit? responsum est, quatenus cepisset, fideicommisso obstrictam, ff. eod. l. Lucius, 78. §. hæres institutus.

Si totam hæreditatem rogatus restituere, tu spontè adieris, & sine deductione quartæ partis restitueris, difficile quidem crederis per ignorantiam magis, nō explendi fideicommissi causa hoc fecisse. sed si probaueris per errorē te quartam non retinuisse, recuperare eam poteris, ff. eo. l. si hæres, 68. §. fi.

Vt Trebelliano locus esset, non sufficit de hæreditate rogatum esse, sed quasi hæredem

redem rogari oportet. Denique ſi portio hæreditatis fuerit legata (legari enim poſſe etiam portionem hæreditatis placuit:) rogatuſque fuerit hanc partem reſtituere: dubio procul non fiet reſtitutio ex Senatuſconſulto; ideoque nec quarta retinebitur, ff. eod. l. mulier, 22. §. fin.

Si res aliena Titio legata fuerit, iſque domino rei hærede inſtituto petierit, vt hæreditatem Mæuio reſtituat. Mæuius legatum inutiliter petet: nõ enim poterit conſequi, quod ad inſtitutum, ideſt rei dominum peruenire non poterat, ff. eodem l. ſi res aliena, 52. in prin.

Imperator Hadrianus, cum Viuius Cerealis filio ſuo Viuio Simonidi ſi in poteſtate ſua eſſe deſiiſſet hæreditatem reſtituere rogatus eſſet, ac multa in fraudẽ fideicommiſsi fieri probaretur: reſtitui hæreditatem filio iuſsit, ita ne quid in ea pecunia quandiu filius eius viueret, iuris haberet. nam quia cautionis non poterant interponi conſeruata patria poteſtate: damnum conditionis propter fraudem inflixit. poſt decreti autem auctoritatem in ea hæreditate filio militi comparari debuit, ſi res à poſſeſſoribus peti, vel etiam cum debitoribus agi oporteret. ſed paternæ reuerentiæ congruum eſt, agenti fortè Patri officio iudicis ex acceſsionibus hæreditariis emolumentum præſtari, ff. eodem. l. Imperator, 50.

Diſpoſitum fuerat hæredem nolentem adire hæreditatem, & reſtituere fideicommiſſario, cogi adire, & reſtituere, cumque hoc multæ leges diſponerent ipſæ leges propter remedium introductum per nouellam conſtitutionem ommiſſæ ſunt cuius nouellæ tenor infra deſcribitur.

Qui vel hæredes ab aliquibus ſcripti ſunt, aut fideicommiſſa (ſiue ex vniuerſorũ bonorum ſiue ſpecialia ſunt) aut legata meruerunt iis, omnino neceſsitas incumbat implendi eius, quod teſtator, aut qui legato eos honorauit conſtituit, modo quod iniunctum eſt, legitimum ſit, nec vlla id lex prohibeat, aut ut maxime honoratus ſcere omittat, ratum nihilominus fore expreſsis verbis demõſtret, nouell. conſt. prima. §. his autem à nobis.

Si quis autem quod à teſtatore diſpoſitum eſt, non impleat, ſed dum quod iuſſus eſt, facere recuſat, decreto iudiciario admonitus per integrum annum ea, quæ honorato relicti nomine competunt, extraxerit, ſi quidem ex illorum numero eſt, qui neceſſario aliquid lege capiunt in maiorem autem partem, quam lex requirit, hæres ſcriptus eſt, tantum capiat duntaxat, quantum illi in ratione trientis iure ſucceſsionis ab inteſtato lex dari concedit. Quod reliquum eſt, id totum auferatur, & ſi quidem alii hæres ſcripti exiſtunt adcreſcat illis pro ea parte, quæ cuique in inſtitutione attributa eſt. Quod ſi nemo alius hæres exiſtat; aut qui ſcripti ſunt, hæreditatẽ fortè non adeunt, tunc q̃d aufertur adiiciatur reliquis rebus, neque non legatariis, fideicommiſſariis copia fiat adeundę, & adquirendæ eius hæreditatis, ut tamen modis omnibus imperata faciant, uidelicet cautione prius ab eis præſtanda, prout vel rerum vel perſonarum ratio admiſerit, omnia ſe præceptis rebus facturos, quæ teſtatores rectè voluerint. Enimuero ſi nemo eorum, quorum in teſtamento habita eſt mentio, hoc eſt neque cohæres, neque legatarius, neque fideicommiſſarius adire uoluerit, tunc poſt eum, qui ſcriptus quidem hæres: in legitimam vero duntaxat partem per hanc legem concluſus eſt, ad alios, quos ab inteſtato lex vocat, bona deferantur, ut conſimiliter cautionem dent ſe completuros, quæ teſtamento ſunt comprehenſa, d Nouel. conſt. § ſi quis autem.

Inordinati autem, aut confuſi aliquid non admittitur. Sed & quiſque poſt eum, qui

qui hac lege exclusus est: prior ex ordine vocatur. ita & vocatur prior postea, qui eum sequitur, & deinceps donec, qui postremus est relinquitur locum faciat vel alicui extraneo adire volenti & relicta exequenti. Post quos fiscus etiam (si voluerit) ponitur, d. Nouel. const. §. inordinati.

Idem ordo in legatariis quoque & fideicommissariis est, vt prius adeundi copia detur fideicommissario vniuersorum bonorum, aut plures cum sunt, ei qui maiorem portionem habet, quandoquidem imitatione propemodum hæres existit. Quod si vel nemo existat, qui vniuersitate bonorum honoratus sit, vel is, quod testator iussit exequi recuset ad eos huiusmodi facultas transibit, qui maioribus specialibus legatis, vel fideicommissis honorati sunt, d. Nouel. constitutione, §. eundem.

Quod si nemo legatarius, vel fideicommissarius existat, qui per vniuersitatem bonorum, aut etiam specialiter maiore portione, vel legato honoratus sit, sed parem omnes fortunam obtineant. tunc ea ratione, quam ante exposuimus, item vniuersales fideicommissarii, aut qui ex illis, quod præceptum est, vult exequi, cæteris præferantur. Reliqui verò legatarii, vel fideicommissarii, qui nihil inter se legato differunt, vel ad unum omnes, si uolent, uel quotquot ex illis uolent, uocentur. Si neque legatarius quisquam, neque fideicommissarius hoc in se receperit. Atque hæc quidem omnia procedunt, ubi necessaria quædam datio in quēpiam eorum, quibus natura aliquid ex testatoris, ac defuncti successione debetur, subest, d. Nouell. constitut. §. quod si nemo, & §. reliqui, & §. atque hæc.

Si uero nulla huiusmodi persona in institutionibus subsit, sed spontaneam liberalitatem testator in nouissima sua contulerit, deinde scriptus hæres intra tēpus ante dictum imperata non faciat, auferuntur illi quidem quæ relicta sunt, ut neque occasione falcidię, ueque ulla alia de causa quidquam possit capere. similiter autem cum superioribus, & ea obtineant, ut siquidem cohęredes adfuerint, hi ipsi uocentur, deinde ad legatarios, & fideicommissarios, & omnes alios, qui ab intestato succedunt ordine paulò ante adsignato bona perueniūt ubique adnexo onere implendi ea quę, ut dictum est, testator legibus conformia pręceperit. Si uerò institutio pręterea substitutionem habuerit, nemini dubium, quin prius (si uellit) ad substitutum, qui ad legis pręscriptum omnia legata pręstet. bona peruentura sint. Sicque illo non uolente, Tunc secundum obseruationem dictam ablata cohæredibus legatariis successoribus ab intestato. item extraneo, & fisco qui per omnia legitimas defunctorum uoluntates exequantur. Propterea enim ad tam uaria successionum genera respexit, lex ne cuius defuncti hæreditas non adita caduca fiat, d. Nouel. prima, §. si uero nulla.

Exhæredati uerò liberi, si iuste à patre exclusi sint, nihilque ex uoluntate patris habeant, neque uocantur, neque admittuntur, etiam si plus millies uelint, una enim est hæc legum intentio, ut quæ defuncti constituerunt, impleantur. eum enim, quem defunctus ipse a substantia sua abigit, quomodo iustum fuerit uocare ad res, quarum ille eum per exhæredationem expresse contra ipsum factā participem esse noluit? d. Nouel. prima. §. exhęredatos.

In omnibus autem casibus in quibus cum suprascripti uoluntatem testatoris nō implent, personæ uel ex testamento, uel ab intestato, uel etiam cæteri uocātur permittitur uniuersis eiusmodi personis, ut & hæredes fiant, & aditionis siue pro hærede gestionis, (quæ legis uocabula sunt) ius habeant, omniaque ut hæredes gerant, siue conueniantur, siue alios conueniant, id quod propria aucto-

ritatę

ritate vetuſtiſsimæ etiam leges præſtabant. facientes hæredes eos, quinque hæredes ſcripti fuerant, neque ab inteſtato vocabantur. His omnibus obtinentibus, & ſi non ab hærede, ſed à legatario, vel fideicōmiſſario, vel qui mortis cauſa quid percepit, dari quippiam fierive teſtator uoluerit: eodem ordine ſeruato, ut ablatarum rerum occaſione, ut à ſubſtituto quidem legatarii incipiat, deſinat uero in fiſcum, d. Nouel. conſt. prima, §. in omnibus.

Neque quiſquam legi huic indignetur. ſi talibus quodammodo relictis priuetur, ſed animo reputans quod omnibus omnino hominibus uitæ finis mors ſit, nō tantum ſpectet quid ipſe ab aliis accipiat, ſed potius recogitet, quod & ipſe moriturus aliis mandata dabit: & niſi ab hac ei lege auxilium feratur, nihil eorum quæ uel ſummo cum ſtudio pręceperit ad effectum perueniet. nec enim illis hominibus tantum, qui tempore huius legis, uiuebant lex prolata eſt, ſed omnibus etiam poſt currentibus ſeculis, d. Nouell. conſt. prima. §. nec quiſquam.

Finis Libri Septimi.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omißis iis, quibus a iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Octauus.

QVANDO DIES LEGATORVM, VEL FIDEICOMMISSORVM CEDAT.
Titulus I.

MORTVO patre licet viuo pupillo, dies legatorum à substituto datorum cedit, ff. quando dies legati cedat. l. prima.

Si purè sit vsusfructus legatus, vel vsus, vel habitatio, neque eorum dies ante aditam hæreditatem cedit, neque petitio ad hæredem transit; idem & si ex die sit vsusfructus relictus. nam cùm ad hæredem non transferatur, frustra est si ante quis diẽ eius cedere dixerit, ff. eod. l. secunda, & tertia.

Si vsusfructus, aut decem, utrum legatarius uoluerit, sint legata: vtrunque spectandum est, & mortem testatoris, & aditionem hæreditatis; mortem, propter decem: aditionem; propter vsumfructum, quamuis enim electio sit legatarii, tamen nondum electioni locus esse potest, cùm proponatur, aut nondum testatorem decesisse, aut eo mortuo hæreditatem nondum aditam. Inde quærit Iulianus si post mortem testatoris legatarius decedat, an ad hæredem transferatur legatum. & libro trigesimo septimo digestorum scribit: posse dici decem transtulisse: quia mortuo legatario dies legati cedit, argumentum Iulianus pro sententia sua adfert tale. SEIA DECEM, AVT SI PEPERERIT FVNDVM HAERES MEVS DATO. nam si antequam pariat, inquit, decesserit, ad hæredem suum decem transmittet. Si ita quis legauerit, filiofamilias, ut ipsi soluatur: potest procedere legatum, nec imputari hæredi, cur non patri, sed potius filio soluat: finge enim hoc nominatim expressum ita, ut filio soluat, certè si pater petat, exceptione erit repellendus, ff. eo. l. si usus fructus, xiiii. in prin.

Si

Si habitatio filiofamilias legata sit, non acquiritur patri legatum, si ante aditam hæreditatem filius decesserit. nam cum personæ cohæreat, rectè dicitur ante aditam hæreditatem diem non cedere, ff. eod. l. ix.

Si cum hæres morietur, legatum sit, conditionale legatum est. denique viuo hærede defunctus legatarius ad hæredem non transfert, si verò cùm ipse legatarius morietur, legatum sit ei: certum est, legatum ad hæredem transmitti, ff. eodem l. quarta.

Quod purè datum est, si sub conditione adimatur, quasi sub conditione legatum habetur: at si extrinsecus suppendatur legatum, non ex ipso testamento, licet ante decedat legatarius, ad hæredem transmisisse dicitur legatum: veluti si rem dotalem maritus legauerit extero, & vxori aliquam pro dotali re pecuniam: deinde deliberante vxore de electione dotis, decesserit legatarius, atque legatum elegerit mulier: ad hæredem transire legatum dictum est: idque & Iulianus respondit. magis enim mora, quam conditio legato iniecta uidetur, ff. eod. l. sexta, in princ.

Cum sine præfinitione temporis legatum ita datum fuerit. VXORI MEAE PENVM HAERES DATO. SI NON DEDERIT, CENTVM DATO. vnum legatum intelligitur centum: & statim peti potest. Penoris autem causa eo tantùm pertinet, ut ante litem contestatam tradita pro peno, hæres liberetur. Quod si ita scriptum sit. SI PENVM INTRA CALENDAS NON DEDERIT, CENTVM DATO. non efficitur, ut duo legata sub conditione uideantur. idcirco si uxor ante Calendas deceperit, hæredi suo neque penum relinquet, quæ legata non est, neque centum, quia dies legati non est, neque cẽtum, quia dies legati cesserit, ff. eod. l. cum sine, xix. in prin.

Cum ab eo mihi fideicommissum datum est, cui sub conditione legatum est: quẽadmodum si hærede instituto sub conditione purè mihi legetur, ff. eo d. l. cum sine, xix. §. cum ab eo.

Si debitori, quod sub conditione debet, legatum est, præsens legatum est, agique ex testamento statim potest, ut liberatio præstetur, & si post mortem testatoris decesserit, ad hæredem transmittit actionem. hæc dicenda erunt, & si non ipsi debitori, sed alii cuilibet similiter legatum esse proponatur, d. l. cum sine, §. fin.

Si cum præfinitione annorum legatum fuerit, ueluti TITIO DENA VSQVE AD ANNOS DECEM, Iulianus libro trigesimo digestorum scribit, interesse, & si quidem alimentorum nomine legatum fuerit, plura esse legata, & futurorum annorum legatum legatarium mortuum ad hæredem non transmittere. Si verò non pro alimentis legauit, sed in plures pensiones diuisit exonerãdi hæredis gratia hoc casu ait, omnium annorum vnum esse legatum, & intra decennium decedentem legatarium etiam futurorum annorum legatum ad hæredem suum transmittere. ff. eod. l. si cum præfinitione, xx.

FIRMIO HAELIODORO FRATRI MEO DARI VOLO QVINQVAGINTA EX REDITV PRAEDIORVM MEORVM FVTVRI ANNI. post ea non uideri conditionem additam, sed tempus soluendæ pecuniæ prolatum uideri, responsum est, & ex fructibus fundi relicta pecunia non perceptis, ubertatem esse necessariam anni secundi, ff. eod. l. firmio, xxv. in prin.

Si dies legato ad posita non est. præsens debetur, aut confestim ad eum pertinet, cui datum est. Dies adiecta quamuis longa sit, si certa est, ueluti Calendis Ianuariis centesimis: dies quidem legati statim cedit, sed ante diem peti non potest: at si incerta, quasi cùm pubes erit, cùm in familiam nupserit, cùm magistra

tum inierit, cùm aliquid demum (quod scribendo comprehendere sit commodum) fecerit: nisi tempus, conditione abtigit: neque res pertinere, neque dies cedere potest, ff. eod. l. si dies, xxi. in princ.

Si sub conditione, qua te hæredem institui, sub ea conditione legatum sit: Pomponius putat, perinde huius legati diem cedere, atque si purè legatum esset: quoniam certum esset hærede existente debitum iri, neque enim per conditionem hæredum incerta legata: nec multum interest tale legatum ab hoc: SI HAERES ERIT DATO. d. l. si dies, §. fin.

Cum in annos singulos legatur; non vnum legatum esse, sed plura constat. Nec refert singuli aurei in annos singulos legentur, an in annum primum mille aurei, in secundum equus, in tertium frumentũ. nec semel dies eius cedit, sed per singulos annos. sed vtrum initio cuiusque anni, an verò finito anno cedat, quęstionis fuit, & Labeo, Sabinus, & Celsus, & casius, & Iulianus in omnibus, quę in annos singulos relinquuntur, hoc probauerunt, vt initio cuiusque anni huius legat in dies cederet. Item huius legati dies ex die mortis cedit, non ex quo adita est hæreditas, & si fortè post multos annos adeatur hæreditas omnium annorum legatario debetur, sed & si quot annis sit legatum, videtur etiam in hoc initium cuiusque anni spectandum: nisi fortè euidens sit voluntas testatoris in annuas pensiones ideo diuidentis, quoniam non legatario consultum, sed hæredi prospectum voluit, ne vrgeretur ad solutionem, ff. eod. l. cum in annos, x. & seq. ac. l. nec semel, xii. in prin. usque ad §. si in habitatione.

Nouissimè Pomponius scribit, nihil interesse, vtrum in annos singulos, vel quotannis, an in singulos menses, vel quot mensibus, an in singulos dies, vel quot diebus legetur: ipse quoque huic sententiæ accedo. proinde & si annui legentur tot aurei, idem erit dicendum, d. l. nec semel, §. nouissimè.

Si competenti iudici annua legata, vel fideicommissa tibi relicta probaueris, ab initio cuiusque anni exigendi ea habebis facultatem, C. eod. l. prima.

Si post diem legati cedentem legatarius decesserit, ad hæredem suum transfert legatum. itaque si purum legatum est, ex die mortis dies eius cedit: si verò post diem sint legata relicta, simili modo, atque in puris dies cedit, nisi fortè id fuit legatum, quod ad hæredem non transit. nam huius dies non ante cedit. ut puta, si vsusfructus sit post annum relictus. hæc enim sententia probatur, sed si sub conditione sit legatum relictum, non prius dies legati cedit, quàm conditio fuerit impleta, ne quidem si ea fuerit conditio, quæ in potestate sit legatarii, sed si ea conditio fuit, quam prętor remittit: statim dies cedit: idemque & in impossibili conditione. quia pro puro hoc legatum habetur. item si qua conditio sit, quæ per legatarium non stat, quominus impleatur: sed aut per hæredem, ut per eius personam in cuius persona iussus est parere conditioni: dies legati cedit. quoniam pro impleta habetur, vt puta si iussus sim hæredi eam dare, & ille accipere nolit. sed & si ita mihi sit, si Seiam vxorem duxero, nec ea velit nubere, dicendum erit diem legati cedere, quod per me non stat, quominus parcam conditioni, sed per alium stat. quominus impleatur conditio. iisdem autem diebus idest iisdem pensionibus hæredi præstabitur, quibus legatario ipsi præstabatur, ff. eod. l. quinta. in princ. usque ad §. si cum dies.

Si Petronilla ad eam ætatem peruenerit, cui legatum, vel fideicommissum relictũ erat: petitionem ad hæredem transmisit, licet ante decesserit, quàm consequeretur legatum, vel fideicommissum, C. eod. l. tertia.

Ex his verbis DO LEGO AELIA SEVERINAE FILIAE MEAE, ET SECVNDAE

CVNDAE DECEM: quæ legata accipere debebunt, cum ad legitimum statum peruenerint: non conditio fideicommisso inserta, sed petitio in tempus legitimæ ætatis dilata videtur. Et ideo si alia Seruiana filia testatoris, cui legatū relictum est, die legati cedente, vità functa est, ad hæredem suum actionem trāsmisit: scilicet vt eo tempore solutio fiat, quo Seuorina, si rebus humanis subtracta non fuisset, vigesimum annum ætatis impleſſet. Non cæptum enim annum, sed impletum, si de emolumento relicti fideicommisi trahetur, expectandum esse iuris prudentibus placuit. C. eod. l. pen.

Agrum pluribus relictum nominatim animaduertimus, & cautum, vel ad eum, qui superfuiſſet, pertineret. Quicunque igitur is fuerit: ad hæredem suum dominium transmittit, nec tali fideicommisso adstringitur, C. eod. l. secunda.

Huiusmodi legatū. SIVE ILLVD FACTVM FVERIT, SIVE NON FVERIT, ILLI DO, LEGO. ad hęredem non transit, nisi alter casus extiterit uiuo legatario, quoniam causa, ex qua debeatur, præcedere semper debet, nec quia certum est alterutrum futurum omnimodo debebitur. nam tale legatum. CVM MORIETVR HAERES, DATO, certum est debitum iri, & tamē ad hæredem legatarii non transit, si viuo hærede decedat, ff. eod. l. huiusmodi, xiii.

Si Titio, cum is annorum quatuordecim esset factus, legatū fuerit, & is ante quartumdecimum annum deceſſerit: verum est ad hæredem eius legatum non transire. quoniam non solum diem, sed & conditionem legatum hoc in se continet, si effectus esset annorum quatuordecim, qui autem in rerum natura non esset, annorum quatuordecim non esse, non intelligeretur. nec interest. utrum scribatur. SI ANNORVM QVATVORDECIM FACTVS ERIT. an priore scriptura per conditionem tempus demonstratur. sequenti per tempus conditio: utrobique tamen eadem conditio est, ff. eo. l. si Titio, xxii. in princ.

Si penum hæres dare damnatus sit, vel fundum, & si non dediſſet, decem, & penus legatus, & translatus erit in decem, si noluerit penum hæres dare: & tunc pecunia debetur, cùm interpellatus fundum non dediſſet, & si interea deceſſerit legatarius, tunc hæredi eius non nisi fundum debet, nanq; cùm dictum est. AT PVBLICIVS FVNDVM DATO, perfectum est legatum, & cum dicit. SI NON DEDERIT, CENTVM DATO. sub conditione fundi legatum ademptum uidetur eo casu, quo centum deberi cæperint. quorum quia conditio uiuo legatario non extiterit, fortè, quia interpellatus hæres non sit: euenerit, ut ademptio nihil egerit, fundique legatum durauerit. Planè si sic legatum sit. SI PENVM NON DEDERIT, DECEM DATO, dicetur non esse penum legatum, ff. eod. l. si penum, xxiiii.

Cùm illud, aut illud legetur, enumeratio plurium rerum disiunctiuo modo comprehensa plura legata non facit, nec aliud probari poterit, si purè fundum alterum, vel alterum sub conditione legauerit. nam pendente conditione, non erit electio, nec si moriatur, ad hæredem transiſſe uidebitur. HAERES MEVS TITIO DATO, QVOD MIHI SEIVS DEBET, si Seius pupillus sine tutoris auctoritate numos accepiſſet, nec locupletior factus esset, & petitor ad præsens debitum uerba retulit, quia nihil eius debet, nullius momēti legatum erit, quod si verbo debiti naturalem obligationem, & futuram solutionem cogitauit: interim nihil, si Titius petet, quasi tacitè conditio inserta sit, non secus ac si ita dixiſſet. TITIO DATO QVOD PVPILLVS SOLVERIT: vel si legaſſet quod ex equa natum erit, uel fructus, qui in illo fundo nascentur, contrarium non est, quod si medio tempore legatarius moriatur, & postea par-

sus edatur, fructus perueniant, pecuniam pupillus ex soluat, hæres legatarii petitionem habet. nanque dies legati, cui conditio non adscribitur, quamuis extrinsecus ex pectanda sit, cedit, ff. eod. l. cum illud, xxv.

Pater annua tot ex fructu bonorum, quæ vxori legauit, accessura filii patrimonio præter exhibitionem, quam æquè matri mandauit, ad annum ætatis eius vicesimum quintum vxorem præstare voluit. non plura, sed vnum esse fideicommissum cæteris pensionibus diuisum apparuit, & ideo filio intra ætatem suprascriptam diem functo, residui temporis ad hæredem fideicommissum eius trāsmittit: sed non initio cuiusq; anni peti pecuniam oportere, quod ex fructibus vxori datis pater filio præberi uoluit. cæterum si pecuniam annuam pater alimentis filii destinasset, non dubiè persona deficiente causa præstandi uidetur extincta, ff. eod. l. firmio, xxvi. §. fin.

Eorum legatorum, quæ in codicillis relicta sunt, perinde dies cedit, atque testamento relictorum, ff. eod. l. sexta. §. finali.

Si fideicommissum ab intestato fuerit sorori relictum codicillis, & posteaquā dies fideicommissi cessit, rebus humanis (licet ignorans fideicommissum) excesserit: actionem huiusmodi acquiri potuisse, dissimulate non poteris: salua scilicet ab intestato succedenti quarta portione, C. eod. l. finali.

Si cui equus generaliter legatus sit, & antequam vindicet decesserit, ad hæredem suum legatum transfert, ff. eod. l. nec semel, xii. § si cui.

Si Titio sit sic legatum, quem Seius elegerit, & Seius post electionem decesserit, locus est vindicationi semel adquisitæ, ff. eod. l. nec semel, §. fin.

Si ita esset liberis fideicommissum relictum, si morte patris sui iuris essent effecti, nec mortalitate patris, sed emancipatione patres familiarum constituti sint. deberi eis fideicommissum nemo dubitauerit, diemque eius emancipatione cessisse, qui morte patris cederet, ff. eod. l. si ita, xv.

Is, cui ita legatum est. QVANDOQVE LIBEROS HABVERIT. si prægnante vxore relicta decesserit, intelligitur expleta cōditione decessisse, & legatum valere, si tamen posthumus natus fuerit, ff. eod. l. is cui, xviii.

Cum vxori vsusfructus fundi legatur, & eius propietas cum liberos habuerit: nato posthumo, statim proprietatis legati dies cedit: nec quicquam obest, si is decedat, C. eod. l. quarta.

Filium familias ex parte purè instituit hæredem, eique fideicommissum dedit, & eodem testamento ita cauit: QVOD EGO LVCIVM TITIVM HAEREDEM INSTITVI, ITA EVM ADIRE HAEREDITATEM VOLO, SI IS PATRIA POTESTATE LIBERATVS FVERIT. adita hæreditate a cohæredibus eius si purè legatum sit datum, dies legati cessit, & à cohęrede filii pro hęreditaria parte, fideicommissum peti pōt, ff. e l. filiusfamilias. 27. in prin.

Quædam autem cōditiones etiam superuacuæ sunt, ueluti si ita scribit. TITIVS HAERES ESTO, SI TITIVS HAEREDITATEM MEAM ADIERIT, MAEVIO DECEM DATO. nam pro non scripta ea conditio erit, ut omni modo ad hæredem Mæuii legatū transeat, etiamsi Mæuius ante aditā hæreditatē decesserit, & idē si ita fuerit scriptum. SI TITIVS HAEREDITATEM MEAM ADIERIT INTRA DIES CENTVM MAEVIO DECEM DATO. nā hoc legatum in diem erit, non sub cōditione, quia definitio labeonis probanda est dicentis, id demum legatum ad hæredem legatarii, transire, quod certum sit debitum iri, si adeatur hæreditas. si tamen duos hæredes instituam, & si alter ex his adeat hæreditatem, alicui legem, ab omnibus hæredibus: non

erit

erit pro superuacuo ea conditio, sed in portionem quidem cohæredis valebit: in ipsius autem, cuius persona in conditione comprehensa est, superuacua erit, perinde atque si solo cohærede instituto eo modo legatum esset, ff. eod. l. si Titio, 22. §. quædam.

Cum ab hæredibus alumno centum dari testator voluisset, eam pecuniam ad aliū transferri, vt in annum, 25. honestam vtilitatem eius summæ perciperet alumnus, ac post eam ætatem sortem ipsam intra 25. annum eo defuncto ad hæredem pueri fideicommissum transmittitur. nam certam ætatem sorti soluendæ præstitisse uidetur, non purè fideicommisso relicto cōditionem insertam. Cum autem fideicommissum ab eo peti non posset, penes quem voluit pecuniam collocari, propter hæc verba: EAMQVE ALVMNO MEO POST, AETATEM SVPRASCRIPTAM CVRABIS REDDERE. fideicommissum ab hæredibus petetur, qui pecuniam dari stipulari debuerunt, sed fideiussores ab eo non petētur, cuius fidem sequi defunctus maluit, ff. eo. l. firmio, 25. §. cū ab hæredib.

Si fundus instructus relictus sit, quęritur quemadmodum dari debeat. utrum sicut instructus fuit, mortis tempore, an eo tempore, quo facti sunt codicilli, an quo peti cœpit? respondit Scæuola, à quibus instructus sit fundus, cum dies legati cedat, deberi, ff. eo. l. si fundus, 28.

Quod pupillæ legatum est, quandoq; nupserit; si ea minor, quam viripotens, nupserit, non ante ei legatum debebitur, quam viri potens esse cæperit, quia non potest uideri nupta, quæ virum pati non potest, ff. eo. l. pen.

Si in personam patris tui, cui te successisse ꝓponis fideicommissi dies vtiliter cessit, licet tp̄e, quo fuerat datum, necdum te natum fuisse probetur, uxorē patrui tui, quem cōtendis rogatum fuisse patri tuo si sine liberis decesserit ab auo tuo relicta restituere, si ei successerit, de fideicommisso conuenire debes. Nam si patrui etiam hæreditas tibi quæsita est, non de fideicommisso quærendum, sed hæreditas ab ea vendicanda est, C. de fideic. l. si in personam, 21.

Is, cui sub conditione legatum est, pendente conditione non est creditor: sed tūc cum extiterit conditio quamuis eum, qui stipulatus est sub conditione, placet etiam pendente cōditione creditorem esse, ff. de obl. & act. l. is cui, 42. in prin.

VT LEGATORVM, SEV FIDEICOMMISSORVM SERVANdorum causa caueatur. Tit. II.

LEgatorum nomine satisdari oportere prætor putauit, vt quibus testator dari fierive voluit his diebus detur, vel fiat, dolumq́; malum absuturum stipulentur. Semper autem satisdare cuiuscunq; sit dignitatis, vel quantitatum, quaruncunque hæres, nec sine ratione hoc prætori visum est, sicuti hæres incumbit possessioni bonorum, ita legatarios quoque carere non debere bonis defuncti, sed aut satisdabitur eis, aut si satis non datur, in possessionem bonorum venire prætor voluit, ff. ut leg. vel fideic. ser. causa cau. l. prima, in princ.

Quoniam nihil actor amplius postulat, quam vt fideicommissi nomine satisdetur non debet is. qui iuri dicendo præest, subtiliter cognoscere debeatur, nec ne fideicommissum, sed tantum decernere, vt satisdetur, C. eo. l. prima.

Etiam de præsenti legato locum habet hæc satisdatio, quoniam nonnullas moras exercitio iudicii habet, ff. eo. l. etiam, 15. in princ.

Non solum autem omnibus legatariis satisdari oportet, sed & successoribus legatoriorum satisdari debere, iam constat, quamuis isti non ex iudicio defuncti,

sed

ſed ſucceſsionis neceſsitate, quaſi ad es alienũ admittanť, ff. eo. l. 1. §. non ſolũ.

Sed & procuratoribus legatariorum ſatiſdandum eſt, quo iure vtimur, d. l. prima, §. ſed & procuratoribus.

Procuratori eius, qui abſens eſſe dicitur, ſi ſtipulanti legati nomine ſpondeat hæres. Offilius ait ita cauere debere, ſi is, cuius nomine caueat, uiuat, uidelicet, ne teneatur illo ante defuncto, d. l. prima, § procuratori eius.

Planè ſi ei, qui in alicuius poteſtate erit, legatum ſit, caueatur ei, cuius iuri ſubiectus eſt, d. l. prima, §. planè ſi ei.

Si ei, qui in alterius poteſtate erit, incerta die legatum fuerit, cauebitur ei, qui habet eum in poteſtate non præciſè, ſed ſub conditione, ſi cum eius legati dies cedit, in poteſtate ſit. cæterum ſi ſui iuris inueniatur, iniquum eſſe, viſum eſt, patri cautum eſſe, cum alii legatum debeatur, quanquam etſi ſine hac adiectione caueretur, veruntamen exceptione patrem ſubmoueremus, ſi exiſtentis conditionis tempore non haberet eum in poteſtate, euenit tamen ſecundum hoc, vt in caſum non ſit delegato cautum. nam ſi exiſtentis conditionis tempore ſui iuris eſt, non erit cautum. Nec ſi fortè velit pater cauere nominem amplius petiturũ compellendus erit hæres legatum, quod iam filius petere poteſt, alii quam, cui debetur exſoluere, d. l. prima, §. fin. cum l. ſeq.

Sed & ipſius qui ſunt in poteſtate, cauendum, quemadmodum ſolet caueri, ſi eadem res duobus ſub diuerſis, vel contrariis conditionibus relicta ſit, duobus. n. ſatiſdatur. ſed in vtroq; caſu iiſdẽ ꝑſonis ſatiſdationẽ ſubituris, ff. eod. l. tertia,

Filio à patre ſuo conditione hærede inſtituto legatum eſt. huius legati ſatispetere non poſſunt, ſed pendente conditione emancipatus ſi ſatispetat: quęritur an audiẽdus ſit, ne beneficium patris ipſi oneroſum ſit, an ſibi imputare debet, qui dederit ei ſtipulandi aduerſus ſe facultatem. ſed melius eſt per mediocritatem cauſam dirimere, vt cautioni tantum cum hypotheca, ſuarum rerum committatur, ff. eod. l. ſeptima.

Quæ filium legitimum relinquebat, patrem ſuum ex aſſe ſcripſit hæredem, fideiq; eius commiſit, vt quidquid ad eum ex hæreditate eius perueniſſet, cum moreretur, reſtitueret filio teſtatricis nepoti ſuo, & hæç verba adiecit. SATIS A SEIO PATRE MEO EXIGI VETO. quæſitum eſt, cum iſte ſeius ſubſtantiam ſuam diſſiparet, & vereretur pater fideicommiſſarii, ne inanè fideicommiſſum conſtituatur, an ad ſatiſdationem fideicommiſsi nomine patrem defunctę compellere poſsit? reſponſum eſt, non compellendum cauere, ff. eod. l. fi. in prin.

Item quæſitum eſt, teſtatricem apud maritum ſuum, ex quo filium reliquerat, res depoſuiſſe non exacta cautione depoſitionis, an ea res patri hæredi reſtitui debeat, an vero quoniam emolumentum totius hæreditatis ad filium defuncti reuerti deberet, apud maritum remaneret, apud quem dos remãſiſſet, reſponſum eſt, quod mulieris manſiſſet, nec in dote fuiſſet, reſtituendum eſſe hæredi, d. l. fi. §. item quæſitum.

Si procurator ſatislegatorum deſideret, ſiquidem mandatum ei ſit, non habebit neceſſe de rato cauere, ſed erit ei ſatiſdandum. ſi vero dubitetur, an mandatum ſit, vel non ſit, de rato cautio erit exigenda, ff. ut in poſſ. leg. mittat. l. tertia.

Non ſolum autem legatorum nomine hæredes cauent, ſed & ſucceſſores eorũ, is etiam, cui ex ſenatuſcõſulto reſtituta eſt hæreditas, nihilominus ad cautionem compellitur. nec non, & qui per alios hæredes exiſtunt, ad ſatiſdationem compelluntur, ff. vt leg. ſeu fideic. l. prima, §. non ſolum, ii.

Si cui ita ſit legatum, vel fideicommiſſum relictum, & ſi id perdidiſſet, rurſum relictum,

lictum, videatur an satis sequentis legati, siue fideicommissi petere posit. mouet quæstionem, an fideicommissum hoc siue legatum debeatur, & quotiens debeatur, & an ipse legatarius cauere debeat, se non perditurum: De his omnibus extat rescriptum Diui Pii ad Iunium Mauricum tale. clodio Fructulo secundum ea, quæ epistola continentur legata, siue fideicommisso ex testamento clodii fœlicis præstari debent citra necessitatem cauendi, nihil ex iis deminuturum se, nam quod fidei hæredis ab eodem testatore commissum est. vt si Fructulus perdidisset, quod ei in testamento relictum est, rursus hæres ei id restitueret, non eò pertinet, vt aut Fructulo priorum legatorum nomine satisdatio iniungenda, aut onerandus sit hæres in infinito, vt quotiens is perdiderit restituere ei tantundem debeat, sed vt per fideicommissum posterius duplicata legata eius videantur, nec amplius ad periculum hæredis pertineat, si quid postea is cõsumpsit exsoluto ei posteriore fideicommisso. Rescripto ergo ostensum, legatarium hæredi non debere cauere, se non perditurum. Versa uice an hæres de sequenti legato, siue fideicommisso cauere debeat, quæritur. & quidam putant non debere ei caueri, cum in suo arbitrio habeat, ne perdat id, qđ sibi relictum est. quamuis si quis inspexerit, quod sub conditione relictum est, dicere debeat satisdationem exigendam. certè siue ex asse, siue ex parte quis legatum debeat, cauere debet, siue institutus sit hæres, siue substitutus, d.l. prima, §. si cui, vsque ad §. bellissimè.

Bellissimè quæritur, an hæc stipulatio incrementum ex fructibus vel interesse sentias, & rectè placuit ex mora incrementum habituram stipulationem. ut id, quod oportebit comprehendat, d.l. prima, §. bellissimè.

Verius est in hãc stipulationem res vel precia deduci, d.l. prima, § item quæritur.

Si decem, quæ in arca erant, mihi legata sint, tibi eorum vsusfructus legatus sit, si purè utrique legatum sit relictum, is, cui proprietas legata est, ipso iure decem vindicabit: fructuarium autem ex senatusconsulto acturum, & quinque vsumfructum petiturum cõstat. sed cum decem vindicat proprietarius per exceptionem doli repelli, qua fructuarius de redendis quinque hæredi cauit. Planè si decem aureorum possessionem legatarius habeat, Marcellus ait, dandam, vel hæredi, vel fructuario vtilem actionem in legatarium: si modo ei caueatur. sed si sub conditione ei decem legata sint, fructuarium interim decem oblata cautionem habiturum. legatario vero, cui proprietas legata est, interim legatarios stipulatio præstanda est. sed si omiserit stipulationem, existente conditione ad exhibendum eum posse agere Marcellus ait, sed si ignorans hæres legatum, decem fructuario dedit, ad exhibendum eum non teneri palam est. Succurrendum tamen legatario aduersus fructuarium Marcellus ait, d.l prima, §. si decẽ.

Qui minorem partem hæreditatis possidet, cum ex maiore parte hæres sit, siquidem ipso iure minuatur portio hæreditatis, securior erit hæres, neq;.n. ex maiore parte ex stipulatu tenetur legatariis, quam ex qua hæres est. Si uero nomen quidem hæredis apud eos integrum maneat veruntamen effectu minus habeant hæreditatis, & cauerint legatorum nomine, videntur onerari: quia ipso iure pro ea parte legata debent, pro qua hæredes sint. Sed enim æquissimũ est, non maiorem partem legatariis soluere, quam cuius habent emolumẽtum. hoc autem euenit cum hæreditas pro aliqua parte ex Trebelliano restituitur. nam pro rata exonerandi sunt hæredes eius partis nomine, cuius emolumentum sibi ablatum est, d l. prima, §. qui minorem.

Si & ab hærede instituto legatorum satis acceperit legatarius, & à Trebelliano

fidei-

fideicommissario, vtraque quidem stipulatio committetur. Sed exceptione se tuebitur hæres, quia cauere non debuerit. Sed si pars hæreditatis restituta sit, ab vtroque cauendum est, ff. eo. l. etiam, 15. §. si &

Si quis omissa stipulatione litem de legato contestatus est. probandum est cessare debere stipulationem, idemque in fideicommissis quoque probandum est, ff. eo. l. prima, § planè. 1.

Si quis sub conditione legatum stipulatus, pendente conditione decesserit, stipulatio euanescit: quia legatum non transmittitur, & huic stipulationi easdem causas, & conditiones inesse sciendum est: perinde si qua sit exceptio, quæ petenti legatum opponi solet, eandem ex stipulatu quoque agenti opponendam esse placet, d. l. prima, §. si quis sub conditione.

Postquam hæres ab hostibus captus est, conditio legati, cuius nomine proposita stipulatione cautum fuerat, extitit. fideiussores interim teneri negatum est. quia neque ius, neque persona esset, ad quam verba stipulationis dirigi possint, ff. eo. l. quinta, in princ.

Si dies, aut conditio ad legati, seu fideicommissi petitionem, actionemve differre dicatur, & ideo satisdatio desideretur, hæres autem per calumniam postulari contendat, & relictum neget, non aliter audiendus erit, qui cauere postulat, quam si scripturam, qua relictum adfirmet, exhibuerit, d, l. quinta, §. si dies.

Si quando incerta summa est fideicommissi: qui cognoscit taxatione quoque fideiussores petuntur, ff. eo. l. sexta, in prin.

Cum legatorum nomine satisdatum est: simul dies legatorum cessit, protinus iisdem diebus etiam ex stipulatione debentur. Non tamen, vt statim peti possint, debetur enim quod die certa præstari oportet, licet dies nondum venit, ff. eo. l. octaua, & seq.

Si à te hærede mihi legatum sit sub conditione, tuque postquam adieris hæreditatem, satisderis legatorum, & post mortem tuam ante aditam tuam hæreditatem conditio legati extiterit, Sabinus ait, fideiussores mihi teneri, quia omnimodo dari oportet legatum, & si in rem esset concepta stipulatio, ff. eo. l. x.

Si duo eiusdem nominis de legato contendant, vtrisque satisdatur, nec oneratur hæres, cum posit eosdem fideiussores ad stipulationem adhibere, qui & ipsi non onerantur, cum futurum sit, vt vni tenerentur, ff. eo. l. si duo, 16.

Si ab uno ex hæredibus legatorum satis accepimus, cum ab omnibus hæredibus nobis legatum esset. si pars cohæredis adcrescat promissori, in totum fideiussores tenentur, si solidum legatum is cœperit debere, ff. eo. l. si ab uno, 17.

Licet vt non petatur cautio, conditio testamento scripta fuerit: non videtur conditio. & ideo licet desiderauerit quis caueri sibi, non videtur conditione defectus. quia postquam remitti talem conditionem iure publico placuit, nec onus cautionis sequitur, neque conditio intelligitur, ff. eo. l. licet, 12.

Ipsis rerum experimentis cognitum est ad publicam vtilitatem portionem, ut satisdationes, quæ voluntatis defunctorum tuendæ gratia in legatis, & fideicommissis introductæ sunt, eorundem voluntate remitti possint. Quocunque re, iudicio voluntatis cautio legati, vel fideicommissi remitti potest, C. eo. l. secũda.

Sciendum est fideicommissi quidem, & legati satisdationem remitti posse. Vt autem boni uiri arbitratu is, cui vsusfructus relictus est, vtatur, fruatur: minimè satisdationem remitti testamento posse, C. eo. l. septima.

Ei quoq;, cui legatorum actio datur in eũ, qui prætermissa institutione ab intestato possidet hæreditatẽ legatorũ satisdatur. & nisi satisdabitur in posses. legat. seruan-

seruandorum causa mittitur. nam hæc quoque prætor perinde salua esse vult, atque ea, quæ iure ciuili debentur, ff. eo. l. ei quoque, 13.

Si ex causa fideicommissi sit apud aliquem hæreditas, nec legatorum satisdat. in possessionem aduersus eum legatarius mittitur, ff. eo. l. quarta.

Si legatarii aduersus me in possessionem legatorum seruandorum causa missi sunt. procurator, vel quis alius meo nomine cauerit: perinde mihi prætor accommodati interdictum, quod iubeantur discedere legatarii possessione, ac si ego cauissem, ff. eod. l. si legatarii, xi.

Hæc stipulatio & in fideicommissis locum habet, si purè sit fideicommissum relictum, siue ex dies certa, vel sub conditione, siue res aliqua, siue hæreditas, siue ius aliquod relictum est: Quotiens vero euidens res est, vt certum sit nullo modo fideicommisso locum esse, per quam iniquum esse superuacua cautione onerari hæredem, ff. eo. l. hæc stipulatio, 14.

Etiam si ab intestato debeatur fideicommissum, locum habet hæc stipulatio, ff. eo. l. etiam, 15. §. fin.

Admonendi autem sumus rebus publicis remitti solere satisdationem fideicommissorum, etiam si quando necessitas dandi intercedat, repromissio planè exigenda est voluntati defuncti statu iri, ff. eo. l. sexta, §. admonendi.

Si ad fiscum portio hæreditatis peruenerit, cessabit ista stipulatio. quia nec solet fiscus satisdare, ff. eo. l. prima, §. si ad fiscum.

Cum quærebatur ubi fideicommissi seruandi causa caueri oporteat. Imperator Titius Antoninus rescripsit, si domicilium Romæ, non haberet hæres, & omnis hæreditas in prouincia esset, ad satisdationem fideicommissi nomine in prouincia fideicommissarium remittendum esse, quare si hæres in eum locum cauendi gratia remitti desideret, vbi domicilium habet legatarius autem ibi caueri postulet, vbi est hæreditas, non erit hæres remittendus. idque idem Imperator rescripsit, quibus literis adiectum, & si bona iam distracta sunt, uel testatoris permissi, vel concedente legatario. pretium eorum fideicommissi seruandi causa in deposito habendum, ff. eo. l. quinta, §. fi.

Tutor, qui & cohæres pupilli erat absente pupillo cum admonuerunt eum legatarii fideicommissi nomine insolidum ipse cauit. quæsitum est, an in pupilli adultum factum danda sit vtilis actio. Respondit Scæuola dandam, ff. eodem lege finali, §. finali.

Si quis cum uetitus esset satis accipere, acceperit an repeti satisdatio ista possit? & hæres condicat liberationem? & quidem si sciens hæres indebitum cauit, repetere non potest, quid deinde si ignorauit remissam sibi satisdationem? potest condicere, si uero hoc non potuisse remitti crediderit, nunquid condicere possit. qui ius ignorauit? adhuc tamen benignè quis dixerit, satisdationem condici posse. quid deinde si commissa sit stipulatio, fideiussores putamus exceptione uti posse, an non, & magis est, vt utantur exceptione, quia ex causa intercessit satisdatio, ex qua non debuit, ff. ut in poss. leg. mitt. l. prima in princ.

Si debitori liberatio sit relicta, non est exigenda cautio, quia habet penes se legatum, quippe si conueniatur exceptione doli mali uti possit, dicta lege prima, §. si debitori.

Ei cui legatum solutum est, cum constet legatum non deberi Diuus Pius ad Emilium equestrem rescripsit, non debere prætorem satisdationem admittere, dicta lege prima, §. ei cui.

Tunc ante aditam hæreditatem satisdādum de legatis est, cum adhuc dubium est, an hæ-

an hæreditas adeatur. cæterum si certum sit repudiatam, vel ommissam hæreditatem, vel abstinentes necessarios hæredes frustra hoc edictum imploratur. cum certum sit legatum, vel fideicommissum non deberi. Si autem certum sit hæreditatem necdum aditam fuisse, nec satisdatio, nec possessio locum habet, ff. eo. l prima, §. fi. cum l. seq.

Si is à quo satispetitur offerat cognitionem & dicat. HODIE CONSTET DE FIDEICOMMISSO HODIE AGAMVS. dicendum est cessare satisdationem. cum possit ante de fideicommisso, quam de satisdatione constare. Nec non illa cognitio imploranda erit ab hærede, si forte dicatur per calumniam satispeti. hoc enim commune omnium satisdationum. Diuus enim Pius rescripsit eum, apud quem satispetitur, debere explorare num per calumniam satispetat? de qua re summatim debet cognoscere, ff. eo. l. tertia in prin.

Si semel fuerit satisdatum, quæsitum est, an rursus etiam cauendum sit. si forte dicatur egenos fideiussores esse datos. & magis est, vt caueri non debeat, hoc. n. Diuus Pius rescripsit. ille enim facilitati suæ expensum ferre debere, qui minus fideiussores idoneos accepit. neque enim oportet per singula momenta onerari eum, à quo satispetitur. Planè si noua causa allegetur veluti, quod fideiussor decesserit, aut etiam rem familiarem inopinato fortunæ impetu amiserit, æquum erit præstari cautionem, d. l. tertia, §. fin. cum l seq.

Cum Arthemidoram patri pupillorum tuorum hęredem extitisse proponas. quanuis vt fideicommissam hæreditatem his, cum moreretur, restituere parata sit: nullam tamen aduersus debitores hæreditarios habent pupilli tui actionem. Planè ut satis fideicommissorum nomine Arthemidora det (si modo testator id fieri non prohibuerit) apud suum iudicem conueni. C. eo. l. quarta.

Contra eos, siue successores eorum, qui Rempublicam administrantes per officii necessitatem ciuitati sub cōditione relicti fideicommissi satis accipere debuerunt: quanti Reipublicæ intererit satis acceptum non esse dirigendam certum est actionem, C. eo. l. fin.

VT IN POSSESSIONEM LEGATORVM, VEL FIDEICOMmissorum seruandorum causa esse liceat. Titul. III.

Stipulatio, de qua in hoc Titulo tractatur, est prætoria, & inter prætorias cautionales. ut habetur, ff. de stip. prætorijs, l prima, §. cautionales. Sed tamen hic describitur.

NON exigit prætor, ut per hæredem stet, quominus caueat, sed contentus fuit. per legatarium vel fideicommissarium non stare, quominus ei caueatur, quare si non fuerit, qui interpelletur cautionis nomine, hoc est is, a quo legatum fideivecommissum relictum est. omnimodo poterit legatarius & fideicommissarius in posessionem ex hoc edicto mitti. quia uerum est. per eum, cui caueri oportebit, non fieri quominus caueatur, non sanè tamen, & satisdatio debet offerri legatario. sed sufficit, siue desiderauit, ei non caueri, siue non habeat, à quo satis desideret, ff. vt in posses. legatorum, l. prima, §. non exigit.

Is cui legatorum fideive commisorum nomine non cauetur misus in posesionem, nunquam pro domino esse incipit, nec tam posesio rerum ei, quam custodia datur. neque enim expellendi hæredem ius habet, sed simul cum eo possidere

sidere iubetur, vt saltem tædio perpetuæ custodiæ extorqueat hæredi cautionem, ff. eo. l. quinta. in prin.

Si alius damni infecti nomine in possesionem missus sit, alius legatorum seruandorum causa posse eum, qui legatorum seruandorum causa in possesionem missus est: etiam damni infecti satisdare, qui si satisd: derit, non aliter possessione decedere debebit, quam ei cautum fuerit etiam eo nomine, quo se damni infecti obligauit, d. l. 5. §. si alius.

Si plures legatarii in possesionem mitti desiderauerint, omnes uenire debent. in possesionem is enim qui ex causa legatorum possidet, sibi non alii possidet. Alia est causa. cum creditores rei seruandæ causa in possesionem mittuntur. nam is qui possidet, non sibi, sed omnibus possidet, d. l. 5. § si plures.

Qui prior missus est legatarius in possesionem non præfertur ei, qui postea mittitur inter legatarios enim nullus ordo seruatur, sed simul omnes æqualiter tuentur, d. l. 5. §. qui prior.

Postquam rei seruandæ creditores possidere cæperunt. legatorum seruandorum gratia missus in possesionem creditoribus potior non habebitur, d. l. quinta, §. postquam.

Si rei seruandæ causa in possesionem missus esset proprius creditor hæredis, & rei per fideicommissum mihi relictæ adeptus fuerit possesionem nihil me per eum lædi oportere conuenit, non magis quam si ab ipso hærede, eam rem pignori accepisset, ff. eo. l. si fideicommissorum, xi. § si.

Qui in possesionem legatarum, seruandorum causa mittitur, in possesionem, quidem rerum hæreditariarum omnimodo ueniet, hoc est earum, quæ in causa hæreditaria manent, earum autem quæ in causa hæreditaria non erunt, non alias mittitur quam si dolo malo in ea causa esse desierit, nec semper, sed causa cognita, ff. eo. l. quinta, qui in possesionem.

Bonorum autem appellatione hæ res comprehensæ videbuntur, quarum proprietas ad hæredem pertinet, sed etsi vectigales agri sunt & si qua pignora creditori data, in eorum quoque mittetur possesionem, sed & in fœtus pecorum item fructus æque omnimodo legatarius & fideicommissarius mittentur. sed etsi rem alienā defunctus bonafide fide emerit in possesionē eius mittendum legatarium constat, nam & hæc res in causa hæreditaria est, ff. eo. l. quinta, §. bonor.

Si ab impuberis substituto legata sint relicta & impubes decesserit missio non solum in ea bona, quæ testatoris fuerunt, verum ad ea quoque, quæ impubes adquisiuit locum habebit. nam hæc quoque hæreditaria sunt, viuo autem impubere, neque missio, neq; satisdatio locum habet, d. l. quinta, § si ab impuberis.

Si deposita res apud defunctum fuerit, vel commodata locum missio non habet, quia non sunt istæ res hæreditariæ, d. l. quinta, §. si deposita.

Missi itaque legatarii impedient etiam eum, qui satisdedit rei administratione, quare suadendum erit hæredi, ut in assem satisdet, ne administratio eius impediatur, d. l. quinta. §. missi.

Si hæres non sit à quo fideicommissum relictum est, sed alterius nominis successor. dicendum est, vt edicto locus sit. & dolo eius sit æstimandas. sed etsi hæredis hæres sit, qui dolo fecit, æquè nocere debebit. Dolum accipere debemus, & culpam latam, sed non omnem dolum, sed qui in necem legatariorum, & fideicommissariorum factus est, d. l. quinta, §. si hæres, & §. dolum.

Imperator Antoninus Augustus rescripsit certis ex causis etiam, in propria bona hæredis legatarios & fideicōmissarios esse mittendos. si post sex menses, quum adi

adi pro tribunali hi fuerint quorum de ea re notio eſt, in ſatisfactione ceſsatum eſt, inde fructus percepturos, quoad voluntati defunctorum ſatisfiat. quod remedium obſeruabitur & aduerſus eos, qui ex qua cauſa fideicommiſso moram faciunt. Satisfactionis uerbum licet latius patet, tamen ad exſoluendum legatum refertur. proinde etſi remiſsa ſit ſatiſdatio reſcriptum locum habebit, quia mora fit ſolutioni. ſex autem menſum continuum tempus, non poſseſsionum computatur. & ceſsatum non accipimus ſi pupillus tutorem non habeat, nec curatorem furioſus, vel adoleſcens. nam fruſtratio non debet huiuſcemodi perſonis nocere, quæ ſunt indefenſæ certè ſi hæreditas iacuerit aliquo tempore, hoc tempus de medio trahendum eſt, d.l.5, §. imperator, vſque ad §. quæri poterit.

Si legatorum ſatis non datur, reſtituta hæreditate in earum quoque rerum poſſeſsionem legatarius mittendus erit, quæ dolo malo eius, cui reſtituta eſt hæreditas in hæreditaria cauſa diſserunt, ff. eo. l. octaua.

Etiam ſi condemnatus hæres fuerit, nec pecuniam ſoluat, poteſt legatarius deſiderare mitti in poſſesſionem, cum ſub conditionibus contrariis eadem res duobus legetur, ſi non caueatur, uterque mittitur in poſseſsionem, ff. eo. l. 9.

Quod ſi ex conſtitutione quis mittatur in poſseſsionem cauendum eſt, ne uis fiat vtenti, & fruenti legatario, ff. eo. l. quinta, §. quod ſi.

Miſſus in poſſesſionem ſi non admittatur, habet interdictum propoſitum, aut per uiatorem, aut per officialem præfecti, aut per magiſtratus introducendus eſt in poſſesſionem, misſio autem locum habebit non tantum, ſi quis id ipſum, quod legatum eſt, rogatus ſit, verumetiam ſi quid vel ex eo, vel pro eo reſtituere fuerit rogatus, d. l. quinta, §. miſsus.

Conſtitutio autem Diui Antonini pertinet ad eos, à quibus utiliter fideicommiſſum relictum eſt (ſi) quamuis hæredes non ſint, par enim utilitas eſt, d. l. quinta, §. conſtitutio.

Quæri poteſt an inuicem intereſse hi fructus cedant, quod in fideicommiſsis debetur, & cum exemplum pignorum ſequamur id, quod ex fructibus percipitur primum in intereſse, mox ſi quid ſuperfluum eſt, in ſortem debet imputari, quinimo & ſi amplius quam ſibi debetur, perceperit legatarius, exemplo pigneratitiæ actionis etiam utilis actio, ad id refundendum dari debebit. Sed pignora quidem quis, & diſtrahere poteſt. hic autem frui tantum ei conſtitutio permiſit, vt feſtinetur ad ſententiam, d. l. quinta, §. quæri poterit.

Qui legatorum ſeruandorum cauſa in poſſesſionem mittitur. & fructus cuſtodire & cætera debebit. & pati quidem hæredem colere agros, & fructus redigere, ſed cuſtodire legatarium fructus oportebit, ne ab hærede conſumantur, quod ſi hæres fructus nolit cogere, permittendum erit legatario cogere fructus, & coactos ſeruare. quinimo ſi tales ſint fructus, quos primo quoque tempore venire expediant uendere, quoque legatario permittendum eſt, & pretium ſeruare. In cæteris quoque rebus hæreditariis miſsi in poſſeſsionem, hoc erit officium, vt vniuerſas res hæreditarias colligat, & ibi cuſtodiat, vbi domicilium defunctus habuit, & ſi nulla domus ſit habitationē conducat, vel horeum quodam, in quo res collectæ cuſtodiantur. & ita legatarius cuſtodire res hæreditarias debet, ut neque hæredi auferantur, neque depereant, deterioresve fiant, d. l. quinta, §. qui legatorum.

Qui legatorum ſeruandorum cauſa in bonis eſt, in cauſa veſcendi deminuet, ſi filia, neptis, proneptis, vxorve eſſet, nec nupta ſit, nec ſuum quidquam habeat, ff. eod. l. penult.

Si

Si Titio purè legatum fuerit, & eius fideicommissum sub conditione, ut Sempronio restitueret, non inique prætorem statuturum Iulianus scripsit. si antequam legatum consequatur legatarius fideicommissi conditionalis satis non det, ut magis det Sempronio legati persecutionem, vt is legatario satisdet, deficiente conditione reddi decem. sed & si acceperit Titius ab hærede decem, æquum esse Iulianus ait. cogi eum inuicem satisdare, aut ipsa decem tradere, & Sempronium Titio cauere, & hoc iure vtimur, id enim & Marcellus ait, quid ergo si & legatum sit sub conditione relictum & fideicommissum, neque fideicommissi satisdetur æquissimum erit fideicommissarium nomine legati satis accipere ab hærede, si ei legatarius non caueat, scilicet vt & ipse legatario caueat, quod si iam accepit legatarius ab hærede satis, decernendum erit ex ea satisdatione magis fideicommissario, quàm legatario dandam actionem. in eum scilicet casum, quod fideicommissi eius conditio extitit: ipsius etiam legati persecutio danda erit fideicommissario, si nondum solutum est, & conditio eius extitit, scilicet si fuerit fideicommissarius paratus cauere legatario, dicta lege quinta, §. finali.

Si pecuniæ numeratæ vsus fructus legatus esset, & in testamento cautum ne eo nomine satisdaretur. proprietas non est legata. sed legatario permittendum satisdare, & vsumfructum pecuniæ habere & propemodum in hac propositione nullæ prætoris erunt partes, quia nisi satisdetur. agi cum hærede non poterit, ff. eo. l. sexta, in principio.

Qui fideicommissi seruandi causa in possesionem missus est. non prius de possessione decedere debet, quam ei fideicommissum solutum, aut eo nomine satisdatum fuerit. nam quod si integra re fieret, in possesionem nõ mitteretur: id cum offeretur discedere a possessione debet, d. l. sexta, §. fin.

Dum venter in possesionem est, nullus legatorum seruandorum causa in possessionem esse potest, ff. eo. l. septima.

In possessionem missus legatorum seruandorum causa si litem eo nomine contestatus sit, non ante decedere posses sione debet, quam ei pro lite fuerit cautum, ff. eo. l. quinta, §. in possessione missus.

Cum sub conditionibus contrariis eadem res duobus legetur, si nõ caueatur vterque mittitur in possesionem, ff. eo. l. etiam si, ix. §. fin.

Si nullæ sint res hæreditariæ, in quas legatarii, vel fideicommissarii mittantur. in rem quidem hæredis mitti non possunt. sed per prætorem denegatas hæredi actiones ipsi persequentur, ff. eo. l. x.

Quamuis minima res legata sit, uel per fideicommissum relicta. tamen si non soluatur ab hærede, vel eo nomine caueatur, eum caueri oporteat in possesionem omnium bonorum, quæ ex ea hæreditate sunt, legatarium siue fideicommissarium prætor legatorum seruandorum causa mittit, ff. eo. l. quamuis, 13.

Si fideicommissorum vel legatorum seruandorum causa missus in possesionem eam rem teneas, quæ mihi per fideicommisſnm relicta esset, æquius est me eam habere, cui ea ipsa relicta est, quàm te, qui alterius fideicommissi nomine ingressus in eam esses. nam & si mihi sub conditione legatum est, & tu medio tempore in possesionem ei factus fueris legatorum seruandorum causa, deinde conditio impleta esset, non denegabitur mihi eius rei integra pessecutio, ff. eo. l. si fideicommissorum, xi. in princ.

Municipiis fideicommissum relinqui posse dubium non est, sed si non caueatur aduersus quidem municipes non dubitabimus ex hoc edicto iri in possessionem

nem posse. ipsos vero municipes, si his non caueatur, non idem adsecuturos, sed extraordinario remedio opus erit, uidelicet ut decreto prætoris actor eorum in possessionem mittatur, ff. eo. l. municipiis, 12.

Satisfieri uoluntati defuncti sic accipitur. quoad uoluntati defuncti, vel ex fructibus, vel aliunde satisfiat, ff. eo. l. prima, §. satisfieri.

Si postquam seruandi legati, seu fideicommissi gratia in possessionem inductus es, pignoris obligatio, aut venditio ab hærede interuenerit: procedere causam tuam, quam iure prætorio veluti pignus habuisti, manifestum est, C. eo. l. 3.

Qui legati siue fideicommissi causa in possessionem mittuntur, non proprietatem noncifcuntur, sed ius pignoris. Vt autem & post acceptum pignus satisfiat uolũtati defuncti competens iudex te adeunte prouidebit, C. eo. l. quinta.

Certa est forma iurisdictionis qua fideicommissi seruandi causa in possessionem rerum quæ in causa hæreditaria sunt, aut dolo malo esse desierunt, is cui legati vel fideicommissi nomine satis non datur, mittitur, vel in proprias res hæredis, si fideicommisso satis non fit post sex menses, quam peti cœperat, C. eo. l. 6.

DE IVRE CODICILLORVM. Tit. IIII.

ANte Augusti tempora constat codicillorum ius in vsu non fuisse, sed primus Lucius Lentulus (ex cuius persona etiam fideicommissa esse cœperunt) codicillos introduxit, postea & cum labeo codicillos fecisset iam nemini dubium erat, quin codicilli iure optimo admitterentur, inst. de codicil. in princ.

Codicillos is demum facere potest, qui & testamentum facere potest, at codicilli totiens ualent, quotiens quis testamentum quoq; facere posit, non tamen hoc ita intelligemus, vt exigamus potuisse eum eo tempore, quo scribit eos codicillos, testm̃ facere, quid. n. si sufficientium testium facultatem nõ habuit, sed si iure testamenti factionem habuit, ff. eo. l. sexta, §. codicillos, & l. octaua, §. codicil.

Aristo negauit valere codicillos ab eo factos, qui pr̃familias esset, nec ne ignorasset, Vulpianus notat, nisi veteranus fuit, tũc re & testm̃ valebit, ff. eo. l. Arist. ix.

Nec codicillos furentem posse facere certissimi iuris est. Si igitur scriptura uelut codicillorum patris fuit prolata, ut aliquid ex hac peti posit, asseuerationi filii mentis patrem compotem fuisse negantis, fidem adesse probari conuenit, C. de cod. l. quinta.

Si post factum testamentum codicillos, quis confirmauerit, deinde arrogandum se præbuerit & ibi codicillos fecerit, atq; ita emancipatus decesserit, quęritur an legata ex codicillis debeantur, nam & testamẽtum ualet, & eo tempore eos fecit, quo testamenti factionem non habuit, nec similis est muto, qui rectè codicillos confirmauerit. licet. n. is testamentum facere non posit, tamen testm̃ quod antea fecerat, in eodem statu est, huius autem codicillos valere. nam etsi posthumus ratus ruperit testamentum & decesserit nihilominus codicilii ualent, ff. de iur. cod. l. octaua, si post factum.

Similes testamentum quidem ante militiam, sed codicillos in iustitia fecerit, an iure militari valeant codicilli quæritur quoniam. testamentum iure communi valet: nisi si militiæ tempore signauit vel quædam adiecerit. certæ codicilli militiæ tp̃e facti nõ debẽt referri ad testm̃, sed iure militari ualẽt, d. l. 8. § si miles.

Conficiuntur codicilli quatuor modis, aut. n. in futurum confirmantur, aut in prę teritũ, aut per fideicommissum testamento facto, aut sine testamento. sed ideo

fidei-

fideicommiſsa dari pñt ab inteſtato ſuccedentibus: qm̃ creditur paterfamilias ſpõte ſua his relinquere legitimam hæreditatẽ,ff. de iure codicill.l.8. in prin.

Ab inteſtato factis codicillis,relicta etiam poſtea natus inteſtati ſucceſſor debebit:quicunque enim ab inteſtato ſucceſſerit,locum habent codicilli.nam unus caſus eſt,nec intereſt,qui ſuccedit,dum inteſtato ſuccedat.ad teſtamentum autem,quod quoquo tempore feciſſet,pertinent codicilli: ſed vicem teſtamenti exhibent. Teſtamento autem facto ius ſequuntur eius,ff.eo.l.ab inteſtato, xvi.

Rupto quidem teſtamento poſthumi agnatione codicillos quoque ad teſtamentum pertinentes non valere in dubium non venit. Sed cum poſt ruptum teſtamentum patrem literas emiſiſſe proponatur,quibus præcedens iudicium con firmauit.Prætor nihil contra ius fecit,ſi nouiſsimam eius volũtatem ſecutus relictum teſtamento reipublicæ fideicommiſſum, vt ex codicillis relictum præſtandum eſſe pronuntiauit,C.de codicillis,l.prima.

Is qui teſtamentum facere opinatus eſt,nec voluit quaſi codicillos id valere,uidetur nec codicillos feciſſe. Ideoq; quod in illo teſtamento ſcriptũ eſt.licet quaſi in codicillis poterit ualere: tamen non debetur,ff.de iur.codicil.l.prima.

Si ei qui poſt teſtamentum factum & ante codicillos ſcriptos natus eſſet, codicillis per fideicommiſſum aliquid daretur:utile eſt.quod ſi ei,qui poſt teſtamentum factum,& antequam codicilli ſcriberentur mortus eſſet, datum eſſet pro non ſcripto habetur.ff.eod.l.ſecunda,in princ.

Codicillorum ius ſingulare eſt,ut quæcunque in his ſcribentur,perinde haberentur,ac ſi in teſtamento ſcripta eſſent,d.l.ſecunda,§. codicillorum.

Hæreditas teſtamento inutiliter data, non poteſt codicillis quaſi hæreditas confirmari.ſed ex fideicommiſſo petitur ſalua ratione legis falcidiæ, d.l.ii.§.fin.

Non tm̃ autẽ teſtamento facto poteſt quis codicillos facere, ſed inteſtatus quis decedens fideicommittere codicillis poteſt.Sed etiam Diuus Seuerus & Antoninus reſcripſerunt ex his codicillis,qui teſtamentum præcedunt poſſe fideicommiſſum peti ſi appareat eum,qui teſtamentum fecit,à uoluntate quàm in codicillis expreſſerat,non receſsiſſe,inſt.de codicil.§.non tantum.

Si quis cùm teſtamentum nullum habebat codicillis fideicommiſſa hoc modo dedit. SI QVIS MITTI HAERES ERIT, EIVS FIDEICOMMITTO, fideicommiſſa præſtari debent,quia paterfamilias qui teſtamenti factionem habet,& codicillos faceret:perinde haberi debet,ac ſi omnes hęredes eius eſſent, ad quos legitima eius hæreditas,peruentura eſset. Sed & ſi poſt codicillos factos natus eſset quis proximus adgnatus,uel ſuus hæres,fideicommiſsum præſtari debebit,intelligitur.n.is quoque hæres ſcriptas, & ideo non perinde habendus eſt.ac ſi rupiſset hos codicillos,ff.de iur.cod.l.tertia, in prin.

Teſtamento facto etiam ſi codicilli in eo confirmati non eſſent,uires tamen ex eo capient. Denique ſi ex teſtamenti hæreditas adita non fuiſset, fideicommiſsum ex huiuſmodi codicillis nullius momenti erit, dicta lege tertia,§. teſtamento.

Siue initio quæ fuerat codicillis relicturus generaliter ſiue nouiſsimè relicta ſeruari mandauerit,confirmatione munitus nullam iuſtam gerere ſolicitudinem poteſt,C.de codicill.l.ſexta.

Ante tabulas teſtamenti codicilli facti,non aliter ualent,quã ſi teſtamento quod poſtea factum eſt,uel codicillis confirmentur,aut uoluntas eorum quocunque iudicio retineatur,ſed non ſeruabuntur ea de quibus aliter defunctus nouiſsimè iudicauit,ff.de iure cod.l.quinta.

Diui

Diui Seuerus, & Antoninus rescripserunt, nihil egisse matrem, quæ cum purè liberos suos hæredes instituerit conditionem emancipationis codicillis adiecit, quia neque conditionem hæredi instituto codicillis adiicere neque substituere directo potest, ff. eod. l. sexta, in princ.

Licet in confirmatione codicillorum paterfamilias adiecerit, vt non alias valere velit, quàm sua manu signatos, & subscriptos, tamen valent facti ab eo codicilli, licet neque ab eo signati neque manu eius scripti fuerint. nam ea quæ postea geruntur prioribus derogant, d. l. sexta, §. licet.

Si post testamentum factum mortuo codicillis quis legauerit, licet testamento cõfirmatis pro non scripto legatum fit, ff. eod. l. sexta, §. fin.

Quædam non referuntur ad confirmationem codicillorum veluti si ante captiuitatem quis codicillos confirmauerit, & in captiuitate codicillos scribat, nam non valent, idest si aliquo modo ius testamenti faciendi desierit habere. Præterea in illis, quæ non iuris, sed facti sunt, non est perinde habendum, quod codicillis scribitur, atque si ubi confirmantur, scriptum fuisset veluti si ita in codicillis scriptum erit. VESTEM QVAE MEA EST. codicillorum tempus spectandum, non quo confirmantur. ITEM SI TITIVS VIVVS EST. vel SI TOT ANNIS EST. codicillis legauit Seio tempus codicillorum, non quo fit testamentum, spectandum est, ff. eod. l. septima.

Si quis certi generis codicillos confirmauerit. puta. QVOS NOVISSIMOS FECERO: non utique statim, quæ codicillis dantur consistere videbantur. quandiu alii quoque fieri possint, & ideo si alii postea fiant, legata in prioribus data non valebunt, ff. eod. l. conficiuntur, §. fi.

Codicillos plures quis facere potest, & ipsius manu, neque scribi, neque signari necesse est, ff. eod. l. sexta, §. codicillos.

Quod per manus traditum est, codicillis hæreditatem dari non posse rationem illam habet, ne per codicillos, qui ex testamento valerent ipsum testamentum, quod vires per institutionem hæredum accipit confirmari videretur, ff. eodem, l. x.

Hæreditatem quidem neque dari, neque adimi codicillis posse manifestũ est, uerbis tamen præcariis, per huiusmodi etiam nouissimi iudicii ordinationem iura non faciunt irritas voluntates. Vnde inefficaciter quis codicillis rogatur, ut quibusdam rebus contentus portionem quam testamento fuerat consecuturus aliis restitueret. C. de codicillis, l. secunda.

Si idem codicilli, quod testamentum possent, cur diuersum his instrumentis vocabulum mandaretur, quæ uis, atque potestas vna sociasset. Igitur specialiter codicillis instituendi, ac substituendi potestas iuris authoritate data non est. C. eod. l. septima.

Tractari solet de eo, qui cùm Tabulas testamenti non fecisset codicillis ita scripsit. TITIVM HAEREDEM ESSE VOLO. sed multum interest, utrum fideicommissariam hęreditatem à legitimo per hanc scripturam quam codicillorum instar habere uoluit, reliquerit, an vero testamentum facere se existimauerit. nam hoc casu nihil à legitimo peti poterit. Voluntatis autem quæstio ex eo scripto plerunque declarabitur, nam si forte à Titio legata reliquit, & substitutum adscripsit, hæres si non extitisset, sine dubio non codicillos, sed testamentum facere voluisse intelligetur, ff. de iur. cod. l. illud, xiii. §. tractari.

Controuersia huiusmodi tractata est, an legata, quæ posteaq̃ instituti morte obierũt codicillis adscripta, vel adẽpta sunt a substitutis debeantur, idest, an ꝑinde

datio,& ademptio etiam hoc tempore codicillis facta valeat, ac si testamento facta esset. quod Sabinum,& Cassium respondisse aiunt,proculo dissentiente. nimirum autem Sabini,& Cassii collectio,quam & ipsi reddunt, illa est . quod codicilli pro parte testamenti habentur,obseruationemque,& legem iuris inde traditam seruent. Sceuola dicit sententiam Proculi verissimam esse: nullius enim momenti est legatum quod datum est ei,qui tempore codicillorum in rebus humanis non est,licet testamenti fuerit. esse enim debet cui detur. deinde sic quæritur,an datum consistat,ut non ante iuris ratio,quàm persona quærenda sit,& in proposito igitur quod post obitum hæredis codicillis legatum, vel ademptum est,nullius momenti est, quia hæres,ad quem sermonem conferat in rebus humanis non est,eaque ademptio,& datio nunc vana efficietur,hæc in eo hærede,qui ex asse institutus erit,dato substituto,ita ut ab instituto codicilli confirmarentur. Quod si duo instituti sint substitutis datis,vnusque eorum decesserit: vtilia uidentur legata. sed circa cohæredem erit tractatus, nunquid totum legatum debeat,si quisquis mihi hæres erit,legatum erit: an vero nō, quia sit substitutus hęres,qui partem faciat,licet ipse non debeat. idem etiam potest circa nomina expressa tractari. multoque magis solum cohæredem totum debere putatur. quia is adiunctus sit,qui etiam tunc cum adiungebatur in rebus humanis non erat,ff. eod. l. quidam,xiiii.

Sed cum ea testatoris voluntas fuerit,ut ex uniuersa hæreditate legata erogarentur,dicendum est scriptis hæredibus profuturum doli exceptionem, si amplius quam hæreditaria portio petatur,ff. eod. l. ad eum,xv.

Cum proponatur matrem diuersis temporibus,ac dissonis voluntatibus duos codicillos ordinasse,in dubium non venit,id,quod priori codicillo inscripserat, per eum in quem postea secreta voluntatis suę contulerat,si a prioris tenore discrepat,& contrariam voluntatem continet,reuocatum esse, C. de cod. l. tertia.

Non idcirco miuus quod intestato filio, & absente codicillos mater tua fecit. ii quibus præcariis uerbis adscriptæ sunt, relicta capiunt, C. eod. l. quarta.

Si quis agere ex testamento quolibet modo, siue scripto, siue sine scriptura confecto de hæreditate voluerit,ad fideicommissi persecutionem aspirare cupiens, minime permittatur. Tantum enim abest,ut aditum cuique pro suo migrandi desiderio concedatur,vt etiam illud sancitum sit. si testator faciens testamentū in eodem,pro codicillis etiam id valere complexus sit, qui hæreditatem petit, ab ipsis intentionis exordiis,utrum velit eligendi habet potestatem, sciens se unius electione alterius sibi aditum præclusisse ita,ut siue bonorum possessionem secundum tabulas, siue secundum nuncupationem, postulauerit aut certe mitti se in possessionem ex morte petierit: statim inter ipsa huius iuris auspitia propositum suæ intentionis explanet, C. eod. l. fi. in prin.

Illud quoque pari ratione seruandum est. vt testator qui decreuit facere testamētum,si id implere nequiuerit intestato uideatur defunctus,nec transducere liceat ad fideicommissi interpprætationem uelut ex codicillis ultimam uoluntatem: nisi id ille complexus sit,ut uim etiam codicillorum scriptura debeat obtinere illo electionis uidelicet iure perdurante,ut qui ex testamento agere uoluerit,ad fideicommissum migrare non possit, d. l. fi. §. illud quoque.

Si quis uero ex parentibus utriusque sexus,ac liberis usque ad quartum gradum agnationis uinculis alligatus,uel cognationis nexu constrictus usq; ad tertium scriptus hæres fuerit,uel nuncupatus in eo uidelicet testamento,quod testator

uicem

uicem quoque codicillorum voluit obtinere, licebit ei si de hæreditate ex testamento secundum mortui voluntate agens fuerit superatus, vel certe ipse sponte voluerit ad fideicommissi subsidium conuolare: non enim par eademque ratio videtur, amittere debita, & lucra non capere, d.l.fin.§.si quis.

In omni autem vltima voluntate, excepto testamento, quinque testes, vel rogati, vel qui fortuito venerint in vno eademque tempore debent adhiberi, siue in scriptis siue sine scriptis voluntas conficiatur, testibus videlicet quando in scriptis voluntas componitur subnotationem suam accommodantibus, d.l. finali. §.finali.

Finis Tertiæ Partis.

QVARTA PARS, COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omißsis iis, quibus a iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Primus.

DE SVCCESSIONIBVS VNIVERSALIBVS AB INTESTATO.

SI TABVLAE TESTAMENTI NVLLAE EXTABVNT. Titulus I.

POSTQVAM prætor locutus est, de bonorum succeßsione eius, qui testatus est, transitum fecit ad intestatos, eum ordinem secutus, quem & lex xii. Tab. secuta est. Fuit enim ordinarum ante de iudiciis testantium, sic deinde de succeßsione ab intestato loqui. ff. si tab. test. nullæ ext. l. prima, in princ. Intestatus decedit, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non iure fecit: aut id, quod fecerat, ruptum irritumve factum est, aut si ex eo nemo hæres extiterit, ff. de suis, & leg. l. prima, in princ.

Planè qui testari non potuit, propriè non est intestatus, puta impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est, sed hos quoque pro intestatis accipere debemus: Eum quoque, qui ab hostibus captus est, quoniam per legem Corneliam succeßsio his defertur, quibus deferretur si in ciuitate deceßsissent, nam & eius hæreditas fuisse creditur, d. l. prima. §. planè.

Siue tabulæ testamenti extent, siue non extent, si secundum eas, nemo bonorum posseßsionem accipit, intestati datur bonorum posseßsio, ff. quis ordo in bon. poss. l. prima. §. primo.

Si hæres institutus omisit hæreditatem, erit legitimus hæres; quoniam hæc verba, si intestatus moritur, ad id tempus referuntur, quo testamentum destituitur non quo moritur, ff. de lib. & posth. l. si quis posthumos, ix. §. sed & si hęres. & C. de petit. hæred. l. si scripti hæredes, ix.

Et intestatus est, non tantum, qui testamentum non fecit, sed etiam cuius ex testamento hæreditas adita non est, ff. de verb. signif. l. intestatus, lxiiii. & ff. de regu. iuris, l. si nemo, 141. alias, 142.

Ius nostrum non patitur eundem in paganis, & testato, & intestato decessisse, earumque rerum naturaliter inter se pugna est, ff. de reg. iur. l. vii.

Suos hæredes accipere debemus filios filias, siue naturales, siue adoptiuos, ff. de suis, & leg. hæred. l. prima, §. suos.

Si filius hæres esse desiit: in eius potestatem succedunt omnes nepotesque ex eo nati quod naturali æquitati contingit. Filius autem hæres esse desinit si capitis diminutione, vel magno, vel minore exierit de potestate. Quid si filius apud hostes sit quandiu viuit nepotes non succedunt. Proinde & si fuerit redemptus non succedunt ante luitionem. Sed si interim decesserit cum placeat cum statu recepto decessisse, nepotibus obstabit, ff. de suis & leg. hære. l. prima, §. si filius.

Sed si filius meus viuo patre meo ab hostibus captus est, mox ibi me patrefamil. facto decesit nepotes in eius locum succedunt non minus autē neptes, quàm nepotes succedunt in locum parentum. d. l. prima, §. sed si quis.

Interdum licet parens alicuius in potestate esse non desierit, sed nec cæperit, tamen dicimus succedentes ei libros existere; vtputa arrogaui eum cuius filius ab hostibus erat captus, nepos autem in ciuitate, mortuo filio arrogato, mortuo & captiuo apud hostes pronepos iste suus hæres mihi erit, d. l. prima, §. interdum licet.

DE SVCCESSIONE AB INTESTATO. Titul. II.

Ex nouella constitutione.

Quia ex hac lege priores ll. vocant, cōgruè hæc lex describitur, vt ommittātur omnia, quæ huic legi sunt cōtraria.

IVstinianus inquit: Necessarium visum est, lege clara; & compendiaria diuisione, omnes simul cognationis ab intestato successiones ad certam redigere formulam, vt prioribus legibus, quæ de hac causa prolatæ sunt, vacātibus; ea sola de cætero seruentur, quæ modo disposita sunt. Nouel. const. 118. in primis verbis.

De successione liberorum.

Cum omnis ab intestato generis successio tribus internoscatur ordinibus, hoc est ascendentium, descendentium, & ex transuerso consistentium, qui in agnatos, & cognatos diuiduntur, vt prima successio penes descendentes sit, decernitur, d. Nouel. 118. §. cum omnis.

Si quis igitur descendentium intestato defuncto superfit, cuiuscunque sexus, aut gradus, siue per masculinam, siue per fœmininam sobolem descendat, & siue alterius potestate subditus, siue potestate solutus sit; omnibus is ascendentibus & ex transuerso cognatis præfertur. Tametsi enim defunctus alterius potestati subditus fuit, nihilominus tamen filios eius cuiuscunque sexus, vel gradus fuerint ipsis ēt parētibus præferri iubetur, quorū potestati defunctus subiectus fuit, in illis videlicet rebus, quæ secundū cæteras leges parentibus non acquiri tur. In quibus enim casibus earum rerum vsusfructus acquiri, conseruarive debet, in iis leges de his latæ parentibus reseruantur. Ita tamen, vt si quem ex iis descendentibus mori contingat relictis filiis, illius filii, aut filiæ, aut reliqui de

scen-

ſcendentes in locum parentis ſui ſuccedant, ſiue ſub poteſtate defuncti, ſiue eius poteſtate ſoluti inueniantur: tam magnam ex hæreditate defuncti portionem percepturi, quotcunque tandem fuerint, quantam eorum parens adeptus eſſet, ſi ſuperfuiſſet. quod genus ſucceſsionis vetuſtas appellauit in ſtirpes. Si quidem in hoc ordine gradum non perquiritur, ſed cum filiis, & filiabus, ex præmortuo etiam filio, aut filia nepotes vocantur: nulla differentia introducenda, mares, ne an fœmellæ fuerint, & per maſculinam ne lineam, aut fœmininam deſcendant, ſiue ſub poteſtate, ſiue poteſtate liberi ſint: Atque hæc quidem de ſucceſsione deſcendentium ſunt diſpoſita. d. Nouel. 118. §. ſi quis igitur.

Conſequens poſtea viſum eſt, & de aſcendentibus decernere, quomodo ad deſcẽdentium ſucceſsionem vocentur, d. Nouel. 118. §. conſequens.

Quamuis non ſic parentibus liberorum, ut liberis parentum debeatur hæreditas, quoniam parentes ad bona liberorum ratio miſerationis admittit, liberos naturæ ſimul, & parentum commune votum. ff. unde liberi. l. ſcripto, §. ſi.

Item, Nam & ſi parentibus non debeatur filiorum hæreditas propter votum parentum, & naturalem erga filios charitatem: Turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus, quàm liberis piè relinqui debet. ff. de inoff. teſta. l. Nam & ſi, xv. in prin.

De ſucceſsione parentum.

Si igitur, cum defunctus deſcendentes hæredes non relinquat pater ipſi, aut mater, aut alii parentes ſuperuixerint, omnibus hi ex tranſuerſo cognatis præferuntur, exceptis ſolummodo ex utroque parente defuncto coniunctis fratribus, fratrumque filiis, ut per ſequentia declarabitur, d. Nouell. 118. §. ſi igitur cum defunctus.

Si multi ex aſcendentibus ſuperſint, hi præferrendi ſunt, qui gradu proximi inueniuntur, maſculos iuxta, & fœminas, ſiue paterni, ſiue materni generis. Si eundem gradum omnes tenebunt, hæreditas inter ipſos æquis portionibus diuidetur: vt ſemiſſem quidem omnes paterni generis aſcendentes capiant, quotcunque tandem ſint: reliquum vero ſemiſſem aſcendentes materni generis, quotcunque eos tandem inueniri contigerit. Si cum aſcendentibus inueniantur ex utroque parente defuncto coniuncti fratres, fratrumve filii: cum gradu proximis vocabuntur, licet pater, aut mater ſint: diuidenda uidelicet inter ipſos hæreditate pro perſonarum numero, vt aſcendentium atque fratrum quiſque pro ſe æqualem portionem habeat, ſed & fratrum filii portionem ſui parentis capiant, d. conſt. 118. §. ſi multi.

Nullum in hoc caſu uſumfructum omnino pater ſibi ex filiorum filiarumve portione vindicare poteſt: quandoquidem per præſentem legem pro eo vſufructu pars hæreditatis etiam iure dominii tribuitur. nulla differentia inter haſce perſonas conſeruanda, fœmellæ ne, an mares ſint, qui ad hæreditatem uocantur, & per maſculinam ne, an fœmininam perſonam defunctum contingant, & ſub poteſtate ne, an poteſtate liber fuerit, cui ſuccedunt, d. Nou. 118. §. nullum in.

Reſtat tertium ordinem definire, qui ex tranſuerſo appellatur, diuiditurque in agnatos, & cognatos, d. Nouell. 118. §. Reſtat.

Si defunctus igitur, neq; deſcendentes, neque aſcendentes reliquerit. Primo ad hæreditatẽ vocantur fratres, & ſorores, qui eodem patre, & eadem matre pro-

gnati sunt, consimiliter quoque fratrum filii, qui & cum patribus ad hæreditatem vocantur. His vero non subsistentibus, secundo loco illi fratres ad hæreditatem vocantur, qui ex vno parente defunctum contingunt, per patrem solum, vel per matrem. Quod si defuncto fratres supersunt, & alterius fratris, sororisve præmortuorum filii, vocabuntur hi ad hæreditatem cum patruis, & auunculis, amitis, & materteris suis, & quotcunque tandem fuerint, tam magnam ex hæreditate portionem capient, quanta percepturus fuisset pater eorum, si superuixisset. Vnde consequens est, vt si præmortuus forte frater, cuius filii super sunt, per vtrunque parentem defunctæ modo personæ coniunctus fuerit, qui vero supersunt fratres, per patrem duntaxat, aut matrem forsitan hunc contingant: præferuntur eiusmodi filii patruis, auunculis, amitis, materteris suis, & si tertio gradu sint, quemadmodum & pater eorum præfereretur, si superfuisset. Et è contrario si superstes frater ex vtroque parente defunctum contingat, qui vero præmortuus est, per vnum tantummodo parentem illi coniunctus sit, id genus filii ab hæreditate excluduntur quemadmodum & ipse, si superesset, excluderetur, d. const. 118. §. si defunctus igitur.

Id autem priuilegii in hoc cognationis ordine solis præbetur fratrum, sororumve filiis, aut filiabus, ut in iura parentum suorum succedant; Nulli enim omnino alii personæ, quæ ex hoc ordine proficiscitur, hoc ius conceditur, d. Nouell. 118. §. Id autem priuilegii.

Quandoquidem igitur fratris, & sororis filiis huiusmodi priuilegium concessum est, vt soli in locum parentum suorum succedentes, cum tertio gradu sint, cum his, qui primo, & secundo gradu sunt, ad hæreditatem vocentur: illud manifestarium est, quod patruis, & auunculis neque non amitis, & materteris defuncti præferantur, tametsi similiter, & illi tertium cognationis gradum teneant, d. Nouell. 118. §. quandoquidem.

De successione omnium ex transuerso cognatorum.

Cæterum si neque fratres, neque filios fratrum, (ut dictum est) defunctus reliquerit, omnes ex transuerso cognati ordine vocantur ad hæreditatem, secundum vniuscuiusque gradus prærogatiuam, vt qui gradu proximi sunt, cæteris præferantur. At si multi eiusdem gradus inueniantur, hæreditas inter ipsos pro personarum numero diuidetur, id quod leges in capita appellitant, d. Nou. const. 118. §. cæterum, si neque fratres.

Nulla vero differentia erit in quacunque succesione, aut hæreditate, inter mares aut fœminas, qui ad hæreditatem vocantur, quia communiter, & ex æquo ad hæreditatem vocantur, siue per masculinam, siue per fœmininam personam defuncto coniungantur. Quin in omnibus succesionibus agnatorum pariter, & cognatorum differentia aboletur, siue per causam fœmineæ personæ, siue per causam emancipationis, siue quocunq; alio modo prioribus tractatum est legibus: & omnes absque aliqua huiusmodi differentia secũdum cognationis suæ gradum, ad cognatorum ab intestato succesionem venire iubentur, d. Nouel. const. 118. §. nullam vero differentiam.

DE

DE SVIS, ET LEGITIMIS HAEREDIBVS. Titul. II.

IN suis hæredibus euidentius apparet, continuationem dominii eo rem perducere, vt nulla videatur hæreditas fuisse quasi olim hi domini essent, qui etiam viuo patre quodam modo domini existimabantur, ff. de lib. & post. l. in suis, xi.

Sed adoptiuos hactenus admittimus, si fuerint in potestate; cæterũ si fuerint sui iuris; non inuitantur, ff. si Tab. test. nullæ ext. l. prima. §. libertos.

Adoptiui autem liberi post emancipationem ita admittuntur, si fuerint ex liberis naturalibus; vt puta, nepos naturalis ab auo adoptatus, ff. ad Tertul. l. siue, §. liberi ibi adoptiui, 2.

Vtique ad legitimam hereditatem is, qui in vtero fuit admittetur, si fuerit editus. Inde solet remorari in sequẽtes sibi agnatos, quibus præfertur, si fuerit editus. Inde & partes facit iis, qui pari gradu sunt, vtputa frater vnus est, & vterus, vel patrui filius vnus natus, & qui in vtero est: sed post decem menses natus non admittetur ad legitimam hæreditatem. De eo autem; qui centesimo octuagesimo secundo die natus est. Hippocrates scripsit, iusto tempore uideri natum, ff. de suis, & legit. l. tertia.

Sed & si matris execto ventre filius editus sit, magis dicendum est hunc quoque ad legitimam hæreditatem admitti, & argumento est, quia ex omni parte venter in possessionem mittitur, ff. ad Tertul. l. prima, §. qui mortis, ibi, sed & si. ff. vnde cogn. l. prima, §. si qua.

Si maior quinquagenaria partum ediderit, licet mirabilis huiusmodi partus sit, & raro contingat. tamen nihil eorum, quæ probabiliter à natura noscuntur esse producta respicitur, sed omne ius, quod liberis præstitum est, hoc in huiusmodi filiis, vel filiabus seruatur. C. de leg. hæred. l. si Maior, xii.

Nepotes, & deinceps interdum, etiam si parentes eos mortis tempore præcesserunt, tamen possunt hæredes existere. quod ita procedit, si paterfamilias testamento facto decessit exhæredato filio, mox deliberante hærede instituto filius decessit, postea deinde repudiauit hæres institutus. poterit nepos suus hæres esse. Idem erit dicendum, & si filius ex asse sub conditione, quæ fuit in arbitrio ipsius, vel nepos sub conditione institutus, non impleta conditione decesserit nam dicendum erit, suos posse succedere: si modo mortis testatoris tempore, vel in rebus humanis, vel saltem concepti fuerint, ff. de suis, & legit. l. prima, §. sciendum, & ff. vnde lib. l. scripto, vi. in princ.

Cæterum, & si non sit exhęredatus nepos, adiri poterit ex testamento hęreditas, à scripto hærede mortuo filio: quare qui non obstat iure intestati, iure testati uidebitur obstitisse, d. l. scripto, §. Cæterum.

Cui se patris post auum intestato defuncti negat hæredem: mortui aui paterni suscipere facultates non potest, C. vnde lib. l. tertia.

Quidam filium habuit, & ex eo nepotem, si filius in potestate manens deportatus est; Nepos admittitur: Deportatos enim mortuorum loco habendos esse constat: ff. de bon. poss. con: tab. l. prima, §. penult.

Interdum, licet parens alicuius in potestate esse non desierit, sed nec cœperit: tamen dicimus succedentes ei liberos suos existere, ut puta arrogaui eum, cuius filius ab hostibus erat captus, nepos autem in ciuitate. mortuo filio arrogato, mortuo captiuo apud hostes, pronepos iste suus hæres mihi erit, ff. de suis, & legit. l. prima, §. interdum licet.

Verum eſt, eos eſſe conſanguineos, etiam ſi ſui hæredes non extiterunt patri, ut puta exhæredatos; ſed & ſi pater eorum deportatus fuerit, nihilominus hos inter ſe conſanguineos eſſe, licet parris ſui hæredes non extitiſſent, & qui nunquam in poteſtate fuerunt, erunt ſibi conſanguinei, ut puta, qui poſt captiuitatem patris naſcuntur, vel poſt mortem, ff. de ſuis, & leg. l. prima, §. poſt ſuos.

Non ſolum naturales, verum etiam adoptiui quoque iura conſanguinitatis habebunt, cum his, qui ſunt in familia, uel in vtero, vel poſt mortem patris nati, d. l. prima, §. fin.

Interdum ulteriorem agnatum admittimus; ut puta; fecit quis teſtamentum cum haberet patruum, & patrui filium deliberante hærede ſcripto patruis deceſſerit, mox hæres inſtitutus repudiauit hæreditatem patrui filius admittetur, ff. de ſuis, & leg. l. ſecunda §. interdum.

Proximum non eum quærimus, qui tunc fuit, cum moreretur pater familias; ſed eum, qui tunc fuit, cum inteſtatum deceſsiſſe verū ſit. d. l. ſecunda, §. proximū.

Si quis, cum haberet fratrem, & patruum deceſſerit, teſtamento facto, deinde pendente conditione hæredum ſcriptorum, frater inteſtato deceſſerit, mox conditio defecerit; patruum poſſe vtriuſque adire hæreditatem legitimam conſtat, ff. eo. l. ſi quis. v.

Proximus accipietur etiam is, qui ſolus eſt, quamuis proximus ex pluribus dicitur, ff. vnde cogn. l. prima, §. proximus.

Et qui poſt captiuitatem, vel deportationem, item hi, qui eo tempore, quo capiebantur, vel deportabantur pater, in poteſtate fuerunt, ius inter ſe conſanguinitatis habent, & ſi hæredes patris non extiterint, ſicut exhæredati, ff. vnde legi. l. ultima.

Sicut omnes, qui ad ſucceſsionem vocantur pupilli mortui, ſi defuncto eius patre tutorem ei, ſecundum legem non petierint intra annum omnem eis ab inteſtato, ſiue iure ſubſtitutionis ſucceſsionem eius, ſi impubes moritur denegandā eſſe, C. de leg. hæred. l. ſciant, x.

COMMVNIA DE SVCCESSIONIBVS, Titulus III.

Affinitatis iure nulla ſucceſsio permittitur, C. communia de ſucceſſ. l. Affinitatis, 7.

Vitrico priuigni ſucceſsionem inteſtato non deberi certiſsimum eſt C. eod. l. Vitrico, 3.

Nutritoribus hoc nomine non defertur hæreditas, C. eodem lege, Nutritoribus, x.

Si quis nauicularius ſine teſtamento, ac liberis, vel ſucceſſoribus defunctus ſit, hæreditas eius non ad fiſcum, ſed ad corpus nauiculariorum, ex quo fatali ſorte ſubtractus eſt, defertur, C. de hæred. decurio. l. prima.

Miles legionis, & vexillationis ſi inteſtatus ſine legitimo hærede deceſſerit, ad vexillationem, in qua militauerit, res eius neceſſariò peruenire debent, C. eod. l. ſecunda.

Si quis coarctali conditione grauatus ſine teſtamento, vel quolibet ſucceſſore obierit, ſucceſsio eius non ad fiſcum, ſed ad cæteros cohortales eiuſdem prouinciæ pertinebit, C. eod. l. tertia.

Si quis fabricenſis ſine liberis ſine legitimo hærede deceſſerit nullo condito teſtamento,

stamento, eius bona cuiuscunque summæ sint, ad eos pertinent, qui ueluti creditores decedentium attinentur; qui fisco pro intercepto respondere coguntur: hoc enim facto contingit, vt reip. ratio salua permaneat, & fabricentes collegarum suorum solatiis perfruuntur, qui damnis, ac detrimentis retinentur obnoxii, C. eo. l. fi.

Cognatis accusatio nihil obest ad successionem, si accusauerint cognatos suos, ff. vnde cognati, l. sexta.

Post legatum acceptum non tantum licebit falsum arguere testamentum, sed etiam testamentum non iure factum contendere, ff. de iis, quib. vt indign. l. quinta in princip.

Postquam legatum a te accepi, si hæreditatem peto, non aliter aduersus te petitio dabitur, quam si legatum redderem. Si tamen caueatur, si contra eum de hæreditate iudicatum fuerit, reddi ei legatum; cum iniquum sit eo casu possessorem hæreditatis legatum, qnod persoluerit, retinere: & maxime si non per calumniam, sed per errorem hæreditatem petierit aduersarius, item ei qui legatum ex testamento abstulisset causa cognita hæreditatis petitio denegatur, sed si manifesta calumnia sit, ff. de petitio. hæredi. l. postquam legatum, xlvi.

DE ACQVISITIONE PER ARROGATIONEM. Titulus IIII.

EST & alterius generis per vniuersitatem successio, quæ neque lege duodecim tabularum, neque prætoris edicto, sed eo iure, quod consensu receptum est, introducta est. Ecce enim cum paterfa. se se in arrogationem dat, omnes res eius corporales, & incorporales, quæq; ei debitæ sunt arrogatori antea quidem pleno iure acquirebantur, exceptis iis, quæ per capitis diminutionem pereunt: quale est ius agnationis (usus etenim, & usus fructus, licet his antea connumerabantur, attamen capitis diminutione minima eos tolli prohibitum est) nunc autem eadem acquisitio, quæ per arrogationem fiebat, coarctata est ad similitudinem naturalium parentum: Nihil enim aliud, nisi tantummodo vsusfructus, tam naturalibus parentibus, quam adoptiuis per filiosfa. acquiritur in iis rebus, quæ extrinsecus filio obueniunt, dominio eis integro seruato, Inst. de acqui. per arrog. in princ.

Mortuo filio arrogato in adoptiua familia etiam dominium rerum eius ad arrogatorem pertransit, nisi descendentes supersint ex ipso filio arrogato, aut sic arrogatus fuisset impubes; quia ex cautione facta ab arrogatore se restituturum, quæ ex bonis eius consecutus fuerit, restituet bona illis, ad quos res peruenturæ essent, si arrogatus permansisset in statu suo, Instit. eod. §. mortuo.

Sed ex diuerso pro eo, quod is debuit, qui se in adoptionem dedit, ipso quidem iure arrogator non tenetur, sed nomine filii conuenitur; & si noluerit eum defendere, permittitur creditoribus per competentes magistratus bona, quæ eius cum vsufructu futura fuissent, si se alieno iuri non subiecisset, possidere, & legitimo modo ea disponere, Inst. eo. §. fi.

VNDE

VNDE VIR ET VXOR.
Titulus V.

MARITVS & vxor ab inteſtato ſibi inſolidum ſuccedunt, quoties deficit omnis parentum, liberorumve, ſeu propinquorum legitima ac naturalis ſucceſsio fiſco excluſo, C. vnde vir & uxor. l. vnica, & C. quorum bonor. l. tertia.

Vt bonorum poſſeſsio peti poſsit. VNDE VIR ET VXOR iuſtum eſſe matrimonium eſſe oportet contractum. Cæterum ſi iniuſtum fuerit matrimonium nequaquam bonorum poſſeſsio peti potuit, quemadmodum nec ex teſtamento adiri hæreditas poteſt. nihil enim capi propter iniuſtum matrimonium poteſt, ff. vnde vir & vxor, l. unica, in prin.

Quinque legibus damnatæ mulieris dos publicatur maieſtatis: Iuliæ uis publicæ: patricidii, veneficiis deſicariis. Et omnes omnino maritus ſaluas actiones contra fiſcum habet, ff. de bon. damn. l. tertia & quarta.

Sed ſi alia lege capite punita ſit, quæ lex dotem non publicat: quia prius ſerua pœnæ efficitur uerum eſt dotem mariti lucro cedere, quaſi mortua ſit, ff. eo. l. quinta.

Finis Libri Primi.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omiſsis iis, quibus a iure Canonico, Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione, contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Secundus.

DE GRADIBVS, ET AFFINITATIBVS, ET EORVM NOMINIBVS.
Titulus Vnicus.

IVRISCONSVLTVS cognatorum gradus, & affinium noſce debet: quia legibus hæreditates, & tutelæ proximum quemq; agnatum, uel cognatum redire conſuluerunt. Præterea lege iudiciorum publicorum contra affines, & agnatos teſtimonium inuiti dicere non coguntur, ff. de gradib. l. Iuriſconſultus, x. in princ.

Inter agnatos, & cognatos hoc intereſt, quod agnatis & cognati continentur: In cognatis uero non utique & agnati, verbi gratia patris frater, ideſt patruus, & agnatus eſt, & cognatus, matris autem frater, ideſt auunculus cognatus eſt, agnatus non eſt, ff. vnde legit. l. quinta, in principio.

Neceſſarium eſt exponere, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Quare imprimis admonemus cognationem aliam ſupra numerari, aliam infra aliam extranuerſo, quæ etiam à latere dicitur. Superior cognatio eſt parentum, inferior liberorum, ex tranſuerſo fratrum, ſororumve, & eorum, qui quęve ex his generantur, & conuenienter patrui, amitæ, auunculi, materteræ. & ſuperior quidem, & inferior cognatio à primo gradu incipit: At ea, quę extranſuerſo numeratur, à ſecundo, Inſt. de gradib. in princ. & ff. eo. l. prima, in princ. vſque ibi, & ideo incipit à ſecundo.

Cognatorum directo limite in duas lineas ſeparantur; quarum altera eſt ſuperior, altera inferior, ex tranſuerſo autem & ſecundo gradu tranſuerſæ lineæ pendent, ff. eo. l. cognationum nona.

Gradus dicti ſunt ad ſimilitudinem ſcalarum, locorumve procliuium, quos ita ingredimur, ut a proximo in proximum, ideſt, in eum, qui quaſi ex eo naſcitur, tranſeamus, ff. eod. l. Iuriſconſultus, x. §. Gradus.

Non

Non facile quod ad nostrum ius attinet, cum de naturali cognatione quæritur, septimum gradum, quis excedit, quatenus vltra eum ferè gradum rerum natura cognatorum uitam consistere non patitur, ff. eo. l. quarta in prin.

Quoties quæritur, quoto gradu quæque persona sit, ab eo incipiendum est, cuius de cognatione quæritur, & si ex inferioribus, aut superioribus gradibus est recta linea sursum versum, vel deorsum tendentium, facile inuenimus gradus, si per singulos gradus proximum quemque numeramus. Nam qui ei, qui mihi proximo gradu est, proximus est, secundo gradu est mihi similiter enim accedentibus singulis crescit numerus. Idem faciendum in transuersis gradibus, sic frater secundo gradu est, quoniam patris vel matris persona, per quos coniungit, prior numeratur, ff. de gradibus, l. Iurisconsultus, x. §. nam quotiens.

Parentes apud Romanos usque ad Tritauum proprio uocabulo numerantur, vlteriores qui non habent speciale nomen maiores appellantur. item liberi vsque ad Trinepotem ultra hos posteriores uocantur, dicta lege Iurisconsultus, §. Parentes.

Sunt & ex lateribus cognati, vt fratres sororesque, & ex his prognati, item patrui Amitæ, & Auunculi, & Materteræ dicta lege Iurisconsultus, §. sunt, & ex.

In ea familia ad quam per adoptionem venit nemo illi cognatus est, præter patrem, eosve quibus adgnascitur, affinis autem ei omnino in ea familia nemo est, ff. eo. l. quarta, §. in adoptionem.

In adoptionem datus quascunque cognationes, affirmitatesque habuit, retinet, agnationis iura perdit, d. §. in adoptionem.

Si filium naturalem emancipauero, & alium adoptauero non erunt fratres. Si filio meo mortuo Titium adoptauero videtur defuncti frater fuisse, ff. eodem lege quinta.

Quoniam quædam iura inter affines quoque uersantur non alienum est. hoc loco de affinibus quoque breuiter disserrere. Affines sunt uiri; & uxoris cognati dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diuersæ inter se sunt, per nuptias copulantur & altera ad alterius cognationis finem accedit. namque coniungendæ affinitatis causa fit ex nuptiis, ff. eo. l. quarta, sed quoniam.

Nomina vero eorum hæc sunt. Socer. Socrus. Gener Nurus. Nouerca Vitricus. Priuignus Priuigna, d. l. quarta, §. nomina.

Socri, & Socrus, & Generi, & nurus appellatione sponsus quoque & sponsa ex sponsalibus acquiritur, ff. eo. l. octaua.

Item Generi & nurus appellatione sponsus quoque & sponsa continentur, at soceri, & socrus appellatione sponsorum parentes contineri non uidentur, ff. eodem lege sexta.

Constat, nec sponsam filii nurum esse, nec patris sponsam nouercam esse, instituta de nup. §. si uxor.

Vxor liberis ex alia uxore natis nouerca dicitur, matris uir ex alio natis uitricus appellatur, ff. eo. l. quarta, §. uxor liberis.

Priuignus est vxoris meæ filius, & alio uiro natus ego illorum uitricus, & priuignus etiam is est, qui vulgo conceptus ex alia natus est, quæ postea mihi nupsit, Equæ & is, qui cum in concubinatu erat mater eius, natus est ex ea, quæ postea alii nupta est, d. l. quarta, §. priuignus, & l. septima.

Viri frater leuir, est, viri soror glos dicitur, duorum fratrum uxores genitrices dicuntur, d. l. quarta, §. uiri.

DE

DE SPECIEBVS, ET NOMINIBVS cognatorum ſecundum ſeptem gradus. Titulus II.

TRANSEAMVS nunc ad gradus, & ipſos ſingulatim numeremus, ff. de gradibus, l. iur. con. x. §. tranſeamus.

PRIMI GRADVS.

Primo gradu cognationis ſunt ſurſum verſum duo, pater. & mater. deorſum verſum duo filius & filia, qui tamen & plures eſſe poſſunt, inſt. de grad. §. primo gradu, & d. l. Iuriſconſ. §. primo gradu.

SECVNDI GRADVS.

Secundo gradu duodecim perſonæ continentur, Auus ſupra Auia infra nepos nepts. Ex tranſuerſo frater ſoror. Auus hoc eſt patris, & matris pater: item Auia ſimiliter, tam paterna, quam materna, Frater quoque per vtrunque parentem accipitur, ideſt aut per matrem tantum, aut per patrem, aut per utrunque, ideſt ex vtroque parente eodem. Sed hic numerum non auget: quod nihil differt hic ab eo, qui eundem patrem habet tantum niſi, quod is eoſdem cognatos tam paternos, quam maternos habet. & ideo euenire ſolet, in his, qui diuerſis parentibus nati ſunt, ut qui meo fratri frater ſit, meus cognatus non ſit, Pone me fratrem habere ex eodem tantum patre illum habere ex eadem matre. illi inter ſe fratres ſunt, mihi alter cognatus non eſt. ſoror ſimiliter numeratur, vt frater, nepos quoque dupliciter intelligitur ex filio vel filia natus. idem eſt, & in nepte, Inſt. de gradibus, §. 2. & ff. eo. l. x. §. ſecundo.

TERTII GRADVS.

Tertio gradu perſonæ continentur xxxij ſupra.

Proauus, qui quadrifariam intelligitur, eſt enim aui Paterni, aut materni pater. item auiæ paternæ, aut auiæ maternæ pater.

Proauia quoque quatuor perſonas complectitur, eſt enim aut aui paterni, aut auiæ paternæ mater. item aui materni & ſimiliter auiæ maternæ mater.

Patruus is autem eſt patris frater, & ipſe dupliciter intelligendus eſt; ex patre uel matre, auia paterna mea nupſit patri tuo, peperit te, aut auia Paterna tua nupſit patri meo peperit me ego tibi patruus ſum, & tu mihi. id euenit ſi mulieres altera alterius filio nupſerit. nam qui ex his maſculi nati fuerint, inuicem patrui ſunt. quæ fœminæ inuicem amitæ. item maſculi fœminis ſimiliter patrui femidæ illis amitæ. Si uir & mulier ille filiam eius duxerit, illa filio eius nupſerit. qui ex patre aduloſcentis nati erunt, ex matre puellæ natos fratris filios: illi eos patruos, & amitas appellabunt.

Auunculus eſt matris frater. eadem ſignificatione, qua in patruo diximus, contigit. Si duo uiri alter alterius filiam duxerint, qui ex his maſculi nati fuerint inuicem auunculi, quæ fœminæ inuicem materteræ erunt. & eadem ratione maſculi puellis auunculi & illæ illis erunt materteræ. Amita eſt patris ſoror ſicut ſupra accipiendi, matertera eſt matris ſoror ſimiliter, ut ſupra. Illud notandum eſt, non quemadmodum patris matriſque fratres, & ſorores, patrui, Amitæ, auunculi, materteræ dicuntur, ita fratris, ſororiſq; filios, filias nomen ſpeciale cognationis habere. ſed ita demoſtrari fratris, ſororiſque filios, filias. quod quidem & in aliis accidere ex poſterioribus apparuit.

Pronepos quoque & pronepotis quadrifariam intelliguntur. aut enim ex nepote ex filio, aut ex nepote ex filia deſcendunt: aut ex nepte ex filio, aut ex nepote

ex filia propagantur, Inst. de gradib. §. tertio gradu, & ff. eodem lege decima §. tertio gradu.

QVARTI GRADVS.

Quarto gradu personæ continentur, lxxx. supra.

Abauus cuius intellectus in octo personas porrigitur. Est enim proaui paterni, aut materni pater, quos singulos duplici modo intelligendos diximus. aut pro auiæ paternæ, aut maternæ pater; quæ & ipse singulæ dupliciter accipiuntur.

Abauia & hæc octies numeratur. est enim proaui paterni, aut materni, item pro auiæ paternæ, aut maternæ mater.

Infra.

Abnepos abneptis. hi sunt pronepotis, pronepotis filius, filia nepotis, neptis ve nepos, neptis filii filiæve pronepos, proneptis: nepote uel ex filio nato, uel ex filio nepte, vel ex filio nata, vel ex filia acceptis, vt ad singulas personas gradu descẽdamus, sic filius nepos pronepos abnepos Filius, nepos pronepos abneptis. Filius nepos, proneptis, abnepos. (Filius nepos proneptis, abneptis. Filius, neptis, pronepos, abneptis. Filius neptis pronepos, abneptis, Filius neptis, pronepos abneptis. Filius neptis, pronepotis abnepos, Filius neptis proneptis) abneptis, similiter hæ personæ enumerabuntur proposita filia & sic fient sexdecim, d. §. quarto uers. abnepos.

Ex transuerso.

Patruus magnus est frater aui. qui auus item frater. cum duobus modis intelliguntur, quatuor personas hoc nomen complectitur: vt sit aui paterni vel materni frater, qui vel eodem patre idest proauo, vel tantum matre eadem, idest proauia natus est. qui autem mihi patruus magnus est. is patri meo vel matri meæ patruus est.

Amita magna est auis soror auus autem, item soror (ut supra diximus duplici ter intelliguntur, & ideo hic quoque quatuor personas intelligimus. Similiter quæ patris mei, vel matris meæ, amita est, mihi erit amita magna.

Auunculus magnus hic est auiæ frater, quatuor personæ huic nomini eadem ratione subiectæ sunt: mihique is est auunculo magnus, qui patri meo uel matri meæ auunculus.

Matertera magna est auiæ soror, quatuor modis & hæc ob eandẽ causam intelligitur. eaque patri meo vel matri meę matertera est, mihi matertera magna vocatur.

De Patruelibus.

Eodem gradu sunt, & illi qui vocantur fratres patrueles item sorores patrueles (amitini amitinæ) consobrini consobrinæ. hi autem sunt qui ex fratribus vel sororibus nascuntur. quos quidam ita distinxerunt, ut eos quidem qui ex fratribus nati sunt, fratres patrueles. item eas, quæ ex fratribus natæ sunt, sorores patrueles: ex fratre autem & sorore, amitinos amitinas, eos uero & eas, qui quæve ex sororibus nati, nati natæve sunt consobrinos, consobrinas, quasi consororinos: sed plerique hos omnes consobrinos vocant. sicut Trebatius.

Sed hac appellatione nominum personæ cadunt sedecim hæ, patrui filius, item filia Bifariam, sicut supra numerantur. nam patris mei frater esse potest uel ex patre solo, vel etiam ex matre sola. Amitæ filius, item filia, Auunculi filius, itẽ filia. Materteræ filius item filia, amita, auunculo, matertera acceptis duplici intellectu secundum eandem rationem.

Fratris

Fratris ſororiſque nepos, ac neptis eodem gradu ſint. Sed & frater item ſoror, nepos ve & neptis dupliciter accepti continebunt perſonas ſexdecim, ſic, fratris eodem patre nati, nepos ex filio, nepos ex filia, fratris eadem matre, alio patre nati nepos ex filio, nepos ex filia, fratris eodem patre nati neptis ex filio neptis ex filia. fratris alio patre eadem matre nati, neptis ex filio neptis ex filia, eademque cauſa octo perſonæ efficient, ut aliæ octo accedant ex ſorore natorum nepotes neptesque, & ſimiliter numerantur a nobis fratris autem mei nepos, neptiſque me patruum magnum appellant, ſororum fratrumque meorum nepotes neptesque. item mei inter ſe conſobrini ſunt, inſtitut. de grad. §. quarto gradu, ff. eodem. l. prima, §. quarto gradu, & lege decima, §. quarto gradu.

QVINTI GRADVS.

Quinto gradu perſonæ continentur. Clxxxiiij. ſupra.

Atauus, Atauia, Atauus eſt abaui, vel abauiæ pater. proaui, uel proauiæ auus, aui auiæque proauus patris, vel matris abauus. huius appellatio perſonas complectitur ſexdecim, enumeratione facta, tàm per mares, quàm per fœminas, vt ſic ad ſingulas perueniamus. Pater, Auus, proauus, abauus, atauus. Pater auus, proauus, abauia, atauus. Pater, auus, proauia, abauus, atauus. Pater, auus, proauia abauia, atauus. Pater, auia, proauus, abauus, atauus. Pater, auia, proauus, abauia, atauus. Pater auia, proauia, abauia, atauus. Pater auia proauia, abauus, atauus. Similiter matris perſona propoſita numeratio fiet. Atauia totidem perſonas continet eadem ratione numeratas, ideſt ſexdecim.

Infra.

Sororis pronepos proneptis, ſimiliter ſexdecim perſonas continent.

Adnepos adneptis, hi ſunt abnepotis, uel abneptis filius filia, pronepotis, vel proneptis nepos, neptis nepotis, vel neptis pronepos proneptis, filii uel filiæ abnepos abneptis, numerabuntur ſub hac appellatione triginta duo perſonæ: quia abnepos ſexdecim habet, & totidem abneptis.

Ex tranſuerſo.

Fratris pronepos proneptis. continebunt hi perſonas ſexdecim: fratre dupliciter, & pronepote, & pronepte ſingulis quadrifariam (vt ſupra demonſtratum eſt) acceptis.

Patruus maior. eſt proaui frater, patris, uel matris patruus magnus. ſub hoc nomine erunt perſonæ octo, & ſic enumerabuntur. Pater, auus proauus abauus frater proaui. Pater auus, proauus, abauia, frater proaui. Pater, auia, proauus abauus. frater proaui. Pater auia proauus, abauia frater proaui. totidem erunt matris perſona & proauo eius propoſitis. Ideo autem fratrem proaui enumerantes ante abauum ponimus, quod vt ſupra ſignificauimus. non aliter peruenietis ad eum de quo quæritur, niſi per eos tranſitum erit, ex quibus naſcitur.

Auunculus maior. is eſt proauiæ frater, patris, vel matris, auunculus magnus, eadem denumeratione hic quoque octo perſonas computabimus, hoc tantum immutato, ut is frater proauiæ ponatur.

Amita maior, ea eſt proaui ſoror, patris, uel matris amitamagna. quod ad numerum & expoſitionem perſonarum, eadem erunt immutato hoc, ut proaui

ſoror ad extremum ponatur.

Matertera maior. hæc eſt ſoror proauiæ, patris vel matris matertera magna. numerus perſonarum idem eſt, ut in nouiſsimo ponatur proauiæ ſoror. hos omnes à patruo maiore, quos retulimus quidam appellant, ita propatruus, proauunculus proamita, promatertera, qui tamen ita nominantur, illi contra fratris, vel ſororis pronepotem me demonſtrant.

Patrui magni filius filia. hi ſunt aui fratris filius filia proaui, aut proauiæ nepos, neptis ex filio, filia patris uel matris conſobrinus, conſobrina. octo perſonas, & hic computabimus quod auus & frater, vt iam dictum eſt, dupliciter accipiuntur, & ideo patrui magni filius quatuor implet, totidem filia.

Amitæ magnæ filius filia. hi ſunt aui ſororis filius filia proaui proauiæ nepos neptis ex filia, patris uel matris conſobrinus, conſobrina numerus perſonarum idem qui ſupra. Auunculi magni filius filia. hi ſunt auiæ fratris filius filia, proaui aut proauiæ nepos, neptis ex filio, patris, uel matris conſobrinus, aut conſobrina numerus idem.

Materteræ magnæ filius filia. hi ſunt auiæ ſororis filius, filia proaui, proauiæ nepos, neptis ex filia, patris uel matris conſobrinus, conſobrina. computatio eadem. Perſonæ, quas enumerauimus a patrui magni filio, ei de cuius cognatione quæritur proprius ſobrinis uocantur. nam & Maſſurius ait, quem quis appellat propiorem ſobrino, qui eſt patris, matrisve conſobrinus, aut conſobrina, ab eo conſobrini, conſobrinæve filius filia nominatur.

Patrui nepos neptis, hi ſunt aui paterni, vel auiæ paternæ pronepos proneptis ex nepote, vel ex nepte filio natis, conſobrini conſobrinæ filius filia octo perſonas continebunt, quatuor nepos, quatuor neptis, quia & patruus dupliciter accipitur. Et nepos uel neptis ſub ſingulis patruorum perſonis duplicatur.

Amitæ nepos, vel neptis hi ſunt aui paterni, uel auiæ paternæ pronepos, proneptis ex nepote, vel nepte filia natis, conſobrini, conſobrinæ, filius filia numerus idem eſt.

Auunculi nepos, neptis, hi ſunt aui materni, uel auia materni pronepos proneptis, cætera eadem quæ in patrui nepote, uel nepte.

Materteræ nepos neptis: hi ſunt aui materni, uel auiæ maternæ pronepos proneptis ex nepote, vel nepte filia natis. perſonarum numerus idem. His omnibus quos a patrui nepote propoſuimus, is de cuius cognatione quæritur, propius ſobrino eſt. nam patris uel matris eorum conſobrinus eſt, Inſtitu. de grad. §. quinto gradu, & ff. eodem lege prima, §. fi. cum leg. ſeq. & l. decima, §. quinto gradu.

SEXTI GRADVS.

Sexto gradu continentur perſonæ quadringentæ quadragintaocto.

Supra.

Hæ. Tritauus, eſt autem Tritauus patris & matris atauus, aui uel auiæ abauus, proaui proauiæ proauus abaui uel abauiæ, auus ataui, uel atauiæ pater, dictus. quaſi tertius auus perſonas autem complectitur triginta duas. Geminetur enim neceſſe eſt numerus, qui in atauo fuit, immutatione per ſingulas perſonas, propter atauiam facta; ut ſedecies tritauus intelligatur ataui pater, & totiens atauiæ.

Tritauia ſimiliter numerata faciet perſonas triginta duas.

Infra.

Infra.

Trinepos trineptis. hi ſunt filii, filiæve, adnepos, adneptis nepotis, neptis abnepos, abneptis. pronepotis, proneptisve pronepos, proneptis, abnepotis, abneptisve, nepos, neptisve adnepotis adneptis, filius, filia. hæ appellationes demonſtrant perſonas ſexaginta quatuor. nam triginta duas trinepos complet, totidem trineptis. abnepote enim numerus quadruplatus in ſe efficit triginta duo: ipſo nepote duas ſignificante pronepote quatuor, abnepote octo, adnepote ſexdecim. his accedunt trinepos, trineptis vna ex atnepote nati. altera ex adnepte per ſingulos autem gradus ideo geminatio fit, quia maribus adiiciuntur fœminæ ex quibus proximus quiſque progenitur, & numerabuntur: ſic. Filius nepos, pronepos, abnepos, adnepos, trinepos. item trineptis. Filia, nepos, pronepos, abnepos, adnepos, trinepos, item trineptis. Filius neptis, pronepos, abnepos, atnepos, trinepos, item trineptis. Filia neptis pronepos, abnepos, trinepos, item trineptis, Filius nepos proneptis abnepos, atnepos trinepos, item trineptis. Filia nepos proneptis, abnepos, atnepos, trinepos. item trineptis. Filia neptis, proneptis, abnepos atnepos, trinepos. item trineptis. Filia neptis, proneptis, abnepos, atnepos, trinepos. item trineptis. filius, nepos, pronepos, abneptis, atnepos, trinepos. item trineptis. Filia nepos, pronepos abneptis, atnepos trinepos, item trineptis. Filius nepos proneptis, abneptis, atnepos, trinepos. item trineptis filia, nepos proneptis abneptis atnepos, trinepos, item trineptis. Filius neptis pronepos, abneptis atnepos, trinepos. item trineptis filia neptis, pronepos, abneptis, atnepos, trinepos, item trineptis. Filius neptis, proneptis, abneptis adnepos, trinepos. item trineptis. Filia neptis proneptis abneptis, atnepos trinepos, item trineptis. Filius, nepos pronepos abnepos atneptis trinepos. item trineptis. Filia nepos, pronepos, abnepos; atneptis, trinepos item trineptis. Filius neptis pronepos abnepos, atneptis, trinepos, item trineptis. Filia neptis, pronepos, abnepos, atneptis, trinepos item trineptis. Filius, nepos proneptis, abnepos atneptis, trinepos, item trineptis. Filia nepos proneptis, abnepos, adneptis trinepos, item trineptis. Filius neptis proneptis abnepos, atneptis trinepos, item trineptis. Filia neptis proneptis, abnepos, atneptis trinepos, item trineptis. Filius nepos pronepos abneptis, atneptis trinepos, item trineptis. Filia nepos pronepos abneptis, atneptis, trinepos. item trineptis, Filius nepos, proneptis, abneptis, atneptis, trinepos item trineptis. Filia nepos proneptis, abneptis atneptis, trinepos, item trineptis, Filius neptis pronepos, abneptis, atneptis, trinepos, item trineptis. Filia neptis pronepos, abneptis, atneptis, trinepos item trineptis. Filius, neptis proneptis, abneptis, atneptis, trinepos; item trineptis. Filia neptis proneptis abneptis. atneptis, trinepos. item trineptis. d. l. iuriſconſ. x. §. ſexto gradu.

Ex tranſuerſo.

Patruus maximus, is eſt abaui frater, ataui, & atauiæ filius, p̄ris uel matris patruus maior, perſonas continebit ſexdecim ſic, pater auus, proauus, abauus, atauus, abauii frater. Pater auus proauus, abauus, atauia. frater abaui Pater, auus, proauia, abauus, atauus, frater abaui. Pater auus, proauia, abauus, atauia, frater abaui. Pater auia, pauus, abauus, atauus, frater abaui. Pater auia proauus, abauia,

ataauia, frater abaui. (Pater auia, proauuia, abauus, attauus, frater abaui.) Pater auia proauia, abauus, atauia, frater abaui. totidem erunt matris appellatione proposita.

Amita maxima ea est abaui soror, patris amita maior. cætera vt in patruo maximo: immutato hoc tantum, ut ubi est abaui, frater ponatur ab aui soror. Auunculus maximus, is est abauiæ frater patris, vel matris auunculus maior, & numerus idem, & personarum expositio eadem quæ supra: hoc duntaxat imutato, vt pro abaui fratre abauiæ fratrem ponas.

Matertera maxima, est abauiæ soror, patris, vel matris matertera maior, cætera vt supra ad extremum duntaxat pro abauiæ fratre proposita abauiæ sorore. hos omnes, quos a patruo, maximo posuimus, quidam his nominibus designant: ab patruus, abauunculus, abamita; abmatertera. itaque & nos indifferenter hos ponemus. quos ego autem appello abpatruos, abaunculus, abimitas, abmaterteras, illi me demonstrant fratris, sororisque abnepotem.

Patrui maioris filius filia. hi sunt proaui fratris filius filia, abaui, abauiæ, per proauum nepos, neptis ex filio. personæ sub hoc erunt sedecim enumeratione sic ducta, ut in quinto gradu cum patruum maiorem demonstraremus, fecimus adiecto duntaxat filio filia: quia filius patrui maioris totidem necesse est persona complectatur, quod patruus maior, idest octo. totidem ex filiæ persona, computatis, is numerus efficietur, quem supra posuimus.

Amitæ maioris filius filia. hi sunt proaui sororis filius filia, abaui abauiæ, per proauum nepos neptis ex filia, & hic eadem ratione personas dinumerabimus totidem.

Auunculi maioris filius filia. hi sunt, proaui proauiæ fratris filius filia, abaui, abauiæ per proauiam nepos, neptis ex filio. eadem hic dinumeratio facienda est. quæ in patrui maioris filio filia.

Materteræ maioris filius filia. hi sunt proauiæ. sororis, filius, filia, abaui, abauiæ per proauiam nepos, neptis ex filia. circa numerum personarum, & expositionem, vt supra. Hi omnes: quos proposuimus a patrui maioris filio; auo auiæ esse eius de cuius cognatione quæritur. fratribus, & sororibus eorum consobrini consobrinive sunt: at patri matrique eiusdem; fratribusque, & sororibus utrius eorum proprius sobrinis. Patrui magni nepos, uel neptis, amitæ magnæ nepos, vel neptis auunculi magni nepos vel neptis, materteræ magnæ nepos, vel neptis hæc singula nomina continent personas sexagintaquatuor. nam cum patrui magni, uerbi gratia, persona quadrifariam intelligatur, nepotis bifariam geminatur is numerus nepote duntaxat adnumerato, & quadruplatur is, qui geminatus erat. duplicatur etiam nepte com putata, & tantum vnius denumerationem proponimus exempli gratia. Pater auus, proauus frater aui, qui est patruus magnus, filius eius, nepos eiusdem ex filio. item neptis. Pater, auus, proauia, frater aui, qui est patruus magnus, filius eius nepos eius ex filio, item neptis (pater, auus, proauus frater aui, qui est patruus magnus filia eius nepos eiusdem ex filia, item neptis) Pater auus proauia frater aui, qui est patruus magnus, filia eius, nepos eiusdem ex filia. item neptis, totidem & eadem ratione exponuntur, matris nomine antepotito, idest ut aui materni, fratres nepotes, & neptes computemus.

Item

Item in amita magna idest aui sororis nepotes, nepteque enumerabimus. idemque in auunculo magno, idest auiæ fratris, eadem ratione in materteræ magnæ idest auiæ sororis. ex quibus vniuersus numerus complectur sexaginta quatuor. hi omnes proaui, aut proauiæ eius, de cuius cognatione quæritur, pronepotes & proneptes eiusdem aui, auiæve fratres sororesve nepotes neptesve. & contra eorum eiusdem, auus auia patruus magnus, amita magna, auunculus magnus, matertera magna, erunt autem pater materve eiusdem, fratresque & sorores utrius, eorum propius sobrini. ipse his sobrinus est & inuicem huic illi sobrini.

Patrui pronepos, patrui proneptis continent personas octo. nam vtriusque sexu fiunt sexdecim, sic, Pater, auus, patruus, filius patrui, nepos eiusdem ex filio, pronepos eiusdem ex nepote filio nato: item proneptis. Pater, auia, patruus, filius, patrui, nepos eiusdem ex filio pronepos ex nepote filio nato: item proneptis. Pater, auus, patruus, filia patrui nepos eiusdem ex filia pronepos ex nepote filia nato: item proneptis. Pater auia, patruus, filia patrui, nepos eiusdem ex filia pronepos ex nepote filia nato: item proneptis. Pater auus patruus, filius patrui, neptis eiusdem ex filio, pronepos ex nepte filio nata: item proneptis. Pater auia patruus, filius patrui, neptis eiusdem ex filio, pronepos ex nepte filio nata, item proneptis. Pater, auus, patruus, filia patrui, neptis eiusdem ex filia, pronepos ex nepte filia nata: item proneptis. Pater auia, patruus, filia patrui, neptis eiusdem ex filia, pronepos ex nepte filia nata: item proneptis.

Amitæ pronepos, proneptis, totidem personas eadem ratione, & is continet: tantum pro patruo amita sumpta.

Item auunculi pronepos, proneptis. item pro patruo auunculo posito, materteræ pronepos, proneptis & hic vbi patruus positus est. matertera enumerata eundem numerum personarum inueniemus hi omnes eius, de cuius cognatione quæritur consobrinorum nepotes, neptesve sunt. Fratris sororisque abnepos, abneptis efficiunt personas sexagintaquatuor, ut ex suprascriptis apparere potest, institut. eodem §. sexto gradu, & ff. eod. l. tertia, in prin. & x. §. sexto gradu.

SEPTIMI GRADVS.

Septimo gradu personæ continentur. M.xxiiij. supra.

Tritaui itemque tritauiæ pater mater: personas efficiunt centum uiginti octo. Tritaui etenim patres tot sint, quot ipsius tritaui: item eiusdem matres totidem fiunt sexagintaquatuor. idem numerus tritauiæ patris matrisque.

Infra.

Trinepotis filius. item filia trineptis filius, item filia hi centum uiginti octo fiunt, quod cũ trinepos, trineptisque, ut supra demonstrauimus, sexaginta quatuor impleant: filius eorum eadem enumeratione, totidemque filia computabitur.

Ex transuerso.

Ataui atauiæ frater, sororve. hi sunt tritaui filius filia abaui abauieve patruus, auunculus, amita, matertera proaui, proauiæ, patruus, magnus, auunculus magnus amita magna, matertera magna: Aui auiæve propatruus proauunculus, proamita promatertera patris, vel matris abpatruus, abauũculus abamita

ab matertera. fiunt personæ atauí fratris triginta duo. nam sedecim, quas atau us explet, accedat totidem propter fratris duplicem personam necesse est. nam sedecim fratres ataui ex patre computentur, & sedecim ex matre. similiter ataui sorores triginta duo fiunt sexaginta quatuot. & totidem ataui fratris: item sororis.

Patrui maximi filius filia. hi sunt ataui nepos, neptis ex filio, abaui fratris filius filia.

Amitæ maximæ filius filia, hi sunt ataui nepos neptis ex filia, abaui sororis, filius filia,

Auunculi maximi filius filia. hi sunt atauinepos neptis ex filio, auiæ fratris filius filia.

Materteræ maximæ filius filia. hi sunt ataui nepos neptis ex filia, abauiæ sororis filius filia, hæ omnes personæ, quas a patrui maximi filio enumerauerimus, proaui proauiæque eius, de cuius cognatione quæritur, consobrinæ sunt, Aui, Auiæque eiusdem propius sobrinis. singulæ appellationes continent personas sedecim: quia cum patruus maximus sedecim efficiat, filius eius eandem habet enumerationem totidemque filia & fit ex omnibus his quas a patrui maximi filio comprehendimus, ductis per octo sedecies centum viginti octo.

Patrui maioris nepos personas continet sedecim. est enim abaui abauiæ pronepos, & cum abauus octies numeretur, nepotes bis octiens computati supra scriptum numerum efficiunt.

Patrui maioris neptis, item Auunculi maioris nepos neptis eadem ratione personas complebunt triginta duo. Amita maioris nepos neptis eadem ratione item.

Materteræ maioris nepos neptis item. & sic ex omnibus colliguntur centum uiginti octo. his personis auus, auia eius, de cuius cognatione quæritur, propius sobrinis sunt. pater, mater, sobrinus, sobrina, is de cuius cognatione quæritur, sobrinonatus est. hic proximo nomine definitur parentis sui sobrinus, ut Trebatius ait. rationem quoque nominis hanc reddit. quod vltimi cognationum gradus sobrinorum fiunt, itaque sobrini filium rectè proximum nomen: ab eo ipso huius sobrini filius dicetur, & ideo eos qui ex sobrinis nati sunt inter se proximum nomen appellare. hos enim nullum proprium habere nomen, quo inter se uocentur.

Patrui magni pronepos, proneptis, Auunculi magni pronepos, proneptis. Amitæ magnæ pronepos proneptis. Materteræ magnæ pronepos proneptis. ex his omnibus centum viginti octo personæ efficiuntur: quia singulæ appellationes sedecim complent. nam cum exempli gratia, patruus magnus quadrifariam intelligatur: ad singulorum patruum magnorum personas quadruplicatus pronepos, item proneptis, triginta duas personas reddet, totque quater numeratæ illam quæ proposita est, summam efficiunt. eorum patres matresque ei de cuius cognatione quæritur sobrini sobrinæque sunt. ipse autem isdem sobrino sobrinave natus. Patrui abnepos abneptis, Auunculi abnepos abneptis. amitæ abnepos abneptis Materteræ abnepos abneptis: hæc singula uocabula senas denas continent personas. uerbi enim gratia patrui abnepos sic enumerabitur. ut Bifariam patruo accepto, quater pronepos, totiens proneptis ducatur, & sic ad eorum filios ueniatur sedecies computatos, eadem ratione ad filiam. item in cæteros, & per hoc ex omnibus efficietur numerus personarum centum viginti octo. hi sunt ei de cuius cognationem que-

ritur

ritur consobrinum pronepotes proneptesque, eorum de cuius cognatione quę ritur, patrui maximi auunculi maximi, amitæ maximæ, materteræ maximæ filius filia. item proaui, proauiæ consobrinus.

Fratris sororisque adnepos adneptis personas continent centū vigintiocto, inst. cod. §. septimo gradu, & d. l. x. §. septimo gradu.

Finis Libri Secundi.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omisſis iis,quibus à iure Canonico,Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione,contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Tertius.

DE BONIS DAMNATORVM. Titulus I.

ETIAM hi,qui ante concepti,& poſt damnationem nati ſunt, portionem ex bonis patris accipiunt. Liberis autem ita demum portio attribuitur,ſi iuſtis nuptiis nati ſunt. Liberis eius,cuius pars dimidia duntaxat bonorum ablata eſt, partes non dantur,ff.de bon.dam.l.prima.

Cum ratio naturalis quaſi lex quædam tacita liberis parentum hæreditatem adiiciat, æquiſsimè exiſtimandum eſt eo quoque caſu,quo propter pœnam parentis aufert bona damnatio,rationem haberi liberorum,ne alieno admiſſo grauiorem pœnam luerent. Placuit igitur;vt qui ad vniuerſitatem venturi erant iure ſuccesſionis ex ea portiones conceſſas haberent,ff.eod.l.fi.in prin.

Ex bonis damnatorum portiones adoptiuis liberis,(ſi non fraudis cauſa facta eſt adoptio)non minus,quàm naturalibus concedi æquum eſt.Fraudis autem cauſa adoptio facta videtur,etiam ſi non in reatu,ſed deſperatione reum per conſcientiam metu imminentis accuſationis quis adoptet in hoc,vt ex bonis, quę ſe amiſſurum cogitat,portio detrahatur,d.l.fin.§.ex bonis.

Conceduntur autem liberis bona;quia Impp.applicari imperium hominum adiectione potius,quàm pecuniarum copia maluerunt,d.l.fin.§.ſi plures.

Præterea ex his, quæ per flagitium damnatus adquiſiuit portiones liberorum, non augentur,veluti ſi cognatum ſuum interimi curauerit , & eius hæreditatem adiit,vel cum filiafamiliàs veneno necaſſe conuinceretur eum, à quo hæres inſtituta erat;quamuis iuſſu patris;cuius in poteſtate eſſet,d.l.fi.in fine.

Quando quis quolibet crimine damnatus capitalem pœnam , deportationemve ſuſtineat;ſi quidem ſine liberis mortuus ſit;bona eius ad fiſcum perueniunt: Si verò filii,vel filiæ,vel nepotes ex defunctis filiis relicti erunt,dimidia parte ærario vindicata alia eis reſeruatur. Idem eſt & ſi poſthumus dereliquerit;excepta ſola maieſtatis quæſtione ; quàm ſi quis ſacrilego animo ſumpſerit ; iuſtè pœnam

nam ad ſuos etiam poſteros tranſmittet, C.de bon.dam.l.fin.

Si is,de cuius pœna Principi ſcriptum eſt;& antequam reſcriberetur, deceſſerit; ante ſententiam deceſsiſſe videtur;cum condemnatus nemo videri poſsit ante,quam de eo iudicium redditum, & pronuntiatum eſſet : neque cuiuſque mortui bona ante,quam de eo pronunciatum eſſet,publicanda ſunt;eaque bona hæredes poſsidere debent,ff.de bo.cor.qui ante ſent.l.ſecunda,& C.de iur. fiſc.l.fina.

Item eorum,qui in reatu diem ſuum functi ſunt,ſi non perduelionis cauſam ſuſtinuerunt,bona ad ſucceſſores tranſmittuntur, C. de bon. eorum, qui mortem ſibi.l.ſecunda.

Vnde interdum euenit;vt licet quis in familia defuncti ſit mortis tempore: tamẽ ſuus hæres non fiat: veluti ſi poſt mortem ſuam pater iudicatus fuerit perduelionis reus: ac per hoc memoria eius damnata fuerit: ſuum enim hæredem nõ faciet: cum fiſcus ei ſuccedat, ff. de ſuis, & legit.l.prima,§.Interdum.

Cum quidam capitis reus emancipaſſet filium,& hæreditatem adiret: non videtur in fraudem fiſci feciſſe,quod adquiſitum non eſt, ff. de iur. fiſc. lege. Cum quidam.xxvi.

Interdum etiam filius excluditur fiſco prælato puta ſi percludionis fuerit damnatus pater poſt mortem ſuam,ff.de ſuis,& leg.l.prima,§.interdum etiam.

DE BONIS EORVM, QVI MORTEM SIBI CONSCIVERVNT.
Titul. II.

QVI rei poſtulati,vel qui in ſcelere depræhenſi metu criminis imminentis mortem ſibi conſciuerint,hæredem non habent: Sed ſi rei criminis non poſtulati manus ſibi intulerint,bona eorum fiſco nõ vindicantur.Ita autem bona eorum,qui in reatu mortis ſibi conſciuit,fiſco vindicanda ſunt,ſi eius criminis reus fuit; vt ſi damnaretur morte,aut deportatione adficiendus eſſet,ff.de bon.eor. qui ante, l.tertia.

Sed bona eius,qui ſibi mortem conſciuit , non ante ad fiſcum coguntur, quàm prius conſtiterit,cuius criminis gratia manus ſibi intulerit,ff.de iure, fiſc. l. in fraudem,xlv.§. eius bona.

Sed ſi quis conſcitâ morte nulla iuſta cauſa præcedente in reatu deceſſerit: ſi parati fuerint hæredes cauſam ſuſcipere,& innocentem defunctum oſtendere, audiendi ſunt: nec prius bona in fiſcum cogenda ſunt,aut publicanda, quàm de crimine fuerit probatum,ff.eo.l.tertia,§.fi.& C.eod.l.prima.

DE IVRE FISCI IN SVCCESSIONE EX BONIS DAMNATORVM.
Titulus III.

DEPORTATI nec eorum quidem rerum,quas poſt pœnam irrogatam habuerunt,hæredem habere poſſunt: ſed & hæ publicabuntur,l.deportati,2.

Si filius habens peculium in caſtris adquiſitum in inſulam deportari meruit,vel quod ei militaturo pater donauit,auferi patri debet, C.eod.l.tertia.

De bonis vacantibus.

Inteſtatorum res, qui ſine legitimo hærede deceſſerunt, fiſci rationibus vindicantur, C. de bon. vac. l. prima.

Vacantia mortuorum bona tunc ad fiſcum transferuntur, ſi nullum ex ſanguinis linea, vel iuris titulo legitimum reliquerit inteſtatus hæredem, C. eodem l. vacantia, 4.

DE HIS, QVI SE DEFERVNT.
Titulus IIII.

SI ei, qui capere poteſt, tacitum fideicommiſsi relictum eſt, ceſſat delatio. His enim prohibent tacitè relinqui palam relictum capere non poſſunt, C. de dilatoribus. l. prima.

Si is, cui tacitè fideicommiſſa fuerit hęreditas, ſtatim acta prodeat, & quod actum fuerit, renunciet, tertiam ex omnibus defuncti bonis percipiet portionem. Quod ſi ab vxore iſtud reuelatum fuerit, ipſa etiam perſona, quam defunctus voluit eſſe hæredem apparuerit, tali præmio mancipabitur; vt ex omni patrimonio medium conſequatur: & cum fiſco celebret diuiſionem, & ut prior eligat optionem, C. de his, qui ſe defer. l. vnica.

Item ſi quis, antequam cauſa eius ad ærarium deferatur, profeſſus eſſet eam rem, quam poſsideret, capere ſibi non licere, ex ea partem fiſco inferet, partem ſibi retinebit: & quæcunque profeſſa eſſet, vel palam, vel tacitè relictum ſibi, quod capere non poſſe, & probaſſet, iam id fiſcum pertinere, & ſi id non poſsideret, ex eo, quod redactum eſſet à pręfectis ęrario, partem dimidiam foret, ff. de iur. fiſc. l. edicto, 13. in prin.

Nihil autem intereſt (fiſci eſt. quæ cauſa impediat ius capiendi. Id autem deferri debet, quod latet, non id quod fiſci eſt, & licet ante deceſſerit is, qui ſe detulerat, quàm id, quod detulerat, fiſco addiceretur, hæredi eius præmium datur, d. l. 13. §. nihil.

Item ſi is, qui ſe deferre poterat, morte præuentus fuerit, hæres eius ſi detulerit præmium conſequetur, ſi tamen liquebit defunctum eius animi fuiſſe, ut ſe vellet deferre. Si verò idcirco diſsimulauerit, dum rem occultari ſperat, hæres eius vltra vulgare præmium, nihil conſequetur. & hæres eorum, quibus tacitè fideicommiſſum relictum eſſet, ita demum deferre poſſunt, ſi is, cui datum fuerat, morte præuentus eſſet, & ideo pe anguſtias temporis deferre ſe non potuerit, d. l. 13. §. Extat.

Cum ante apertum teſtamentum tacitum fideicommiſſum nunciatum eſſet ab his qui fidem tacitam ſuſceperunt, deinde poſt apertas à fideicommiſſario delatum eſſet: profeſsio eius recipitur; neque enim digna eſt præmio tam præcipita feſtinatio prioris, & cum quis ſe nuntiat non capere, potius confitetur de ſuo iure, quàm alium deferre videatur d. l. xiii. §. cum ante apertum.

Si qui quaſi indigni repelluntur, ſubmouendi ſunt ab huiuſmodi præmio, ideſt qui falſum dixerunt teſtamentum, & uſque ad finem litis oppugnauerunt teſtamentum d. l. xiii. §. Eos, qui quaſi.

Qui per errorem ſe detulit, cum capere ſolidū poſsit, ei hoc non nocet, d. l. 13. §. fi.

Cum tacitum fideicommiſſum is, cui datum erat, ſe capere nihil poſſe detuliſſet, in quæſtionem venit dodrantis, an totius dimidiam recipere debeat: & decidi

tur

tur dodrantis semissem solum capere eum, qui se detulit, quia quadrans, quod hæres retinet, ipsi eripitur, & ad fiscum transfertur, ff. de iur. fi.l. l. pen.

Supplicii damnatione bona publicantur, cum aut uita adimitur, aut ciuitas, ff. de bon. damna. l. prima. in princip.

Deportatorum in insulam ab eo, qui, cui id faciendi ius erat, bona fisco vindicantur; Relegatorum autem non; nisi sententia specialiter adempta fuerint, C. de pœnis, l. 8.

Ex sola deportatione sententia aufert, quæ ad fiscum peruenirent, ff. de regul. iur. l. xcvii.

Bona fisci citra pœnam exilii perpetuam adiudicari non oportet, ff. de iur. fisc. l. 39. in princip.

Si filius, cum in potestate patris esset, in insulam deportari meruerit, peculium eius, nec quod in castris adquisiuit, nec quod ei militaturo donasti, auferri debet, C. de bon. damna. l. 3.

De bonis matris deportatæ filiis nihil deberi iuris absolutissimi est, C. de bon. damnat. l. 6.

Bona illorum, qui in iudicio postulantur, de criminibus, in quibus legis publicationem bonorum, aut mortem definiunt, conuincantur, aut condamnētur, magistratibus lucro non cedunt, neque fisco addicuntur; sed si quidem descendentes habeant, hi bona obtinebunt; exceptis iis, quæ per tale ipsis delictum accesserunt. Si nulli descendentes subsint; sed ascendentes vsque ad tertium gradū; & ipsi obtinebunt. Si verò qui ita damnati sunt, vxores haberent; omnibus modis hæ tam dotem, quam donationem nuptialem capient. Sed & si sine dote huiusmodi personæ fuerint, in marrimonio, legibus definitam portionem ex vniuerso damnati matrimonio capient; siue liberos habeant: siue non. Quòd si neminem prædictorum habeat is, qui deliquit: tunc fisco bona eius addicuntur. In his tamen, qui perduellionis crimine damnati sunt, veteres leges locum habent Nouel. 134. §. vt autem non solum.

Non vt quis in carcerem ductus est, spoliari eum oportet: sed post condemnationem, ff. de bon. dam. l. 2.

Si qui autem sub incerto causæ euentu in vinculis, vel sub fideiussoribus decesserint: horum bona non confiscantur, ff. eod. l. 3. §. sic autem.

Bona eorum, qui in custodia, uel in vinculis, vel compedibvs decesserunt, hæredibus eorum non auferunt, siue testati, siue intestati decesserunt, ff. de iure fisci, l. 45. §. primo.

Ex iudiciorum publicorum admissis non alias transeunt aduersus hæredes pęnæ bonorum ademptionis, quam si lis contestata, & condemnatio secuta fuerit: excepto repetundarum: & maiestatis iudicio quæ etiam, mortuis reis, quibuscū nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur, ff. de accus. l. xx.

Si quis pro qualitate delicti stylum proscriptionis incurrerit, bonorum eius indagatio diligentissimè celebrari debet: ne quid vi priuatè commodis per gratiā, atque colludium furto subducant: & plena descriptio compræhendātur, quod spacium, & quod ruris sit iugerum. Quid autem incultum sit, aut colatur: Quid in vineis; oliuetis, arratoriis, pascuis, syluis fuerit inuentum, quæ etiam gratia, & quæ amenitas sit locorū; quis in ædificiis, & possessionibus sit ornatis: quot sint coloni: quot bouum exercitiis terram, atque vomeribus insistentium: quot pecorum, & armentorum greges: quantum auri, & argenti, u estium, mo-

nilium

nilium, vel in ſpecie, uel in pondere: quidve in apothecis ſit repertum: Mox omnia ſub literis publici iudicis notificãtur Principi, & negligentia mulctatur, C. de bonis proſcript. l. 7.

Si quis ſtylum proſcriptionis exceperit: uxor eius res proprias, & quocunque titulo ſibi quæſitas, veluti manu iniecta mox vindicet, aut certè à quoquo occupatas ſtatim recipiat; Dos etiam non quæ aliquoties inaniter dotalium inſtrumẽtorum tenore conſcribitur, ſed quam ſe corporaliter tradidiſſe docuerit, repræſentetur, ea etiam quę ab inoxio adhuc marito, ante nuptias, titulo donationis acceperit, uel durante matrimonio largitione uiri ad eam ante proſcriptionẽ peruenerint apud eam firmiter permaneant, C. de bon. proſcript. l. 9. in prin.

De ſubſtantia adulteri, ſi uxorem habeat, dos ei, donatioque ante nuptias conſeruatur: aut ſi dotalia inſtrumenta non interuenerunt, portio, quæ prædicta detur lege. Reliquam eius ſubſtantiam deſcendentes, aut aſcendẽtes (ſi qui ſunt) vſque ad tertium gradum capiant ſecundum ordines & gradus ſuos ſi nulli huiuſmodi ſuperſint, fiſco hæc addicuntur Nouel. 134. §. præterea.

Si pater paſſus proſcriptionis ſtylum in emancipatos liberos ante tempus criminis, & reatus clarè cõtulerit, integrum iiſdem circa inquietudinem reſeruatur. Quod verò nec uxor, nec emancipati liberi poſuerint vindicare cęptum à publicis perſonis, ita ad Principem refertur: vt illud quoque addatur: utrum filios haberet: qui damnatus eſt: ſimulq; adiiciatur: utrum iidem apud ſe ex cauſa donationis aliquid vindicauerit, C. de bon. proſcrip. l. ix §. ſi quid etiam.

Si bona eius, qui tutelam adminiſtrauit, ſententiam paſsi ad fiſcum ſunt deuoluta: procurator fiſci adi debet, qui ſi quid iure poſci animaduerterit, non negabit, C. de bon. damnat. vel proſcript. l. 5.

Præſes Prouinciæ prouidebit: ne ſumpto ſupplicio de illo, qui pœna dignus uidetur, bona eius attingat, ſed ad progeniem poſſeſſores delinquunt, Nouel. conſtitu. xvii. §. Oportet autem.

SI QVIS ALIQVEM TESTARI prohibuerit, vel coegerit. Titul. V.

QVI dum captat hæreditatem legitimam, vel ex teſtamento, prohibuit teſtamentarium introire, volente eo facere teſtamentum, vel mutare, denegantur ei actiones, fiſco locum erit, ff. ſi quis aliquem teſtari: l. prima.

Si plures hæredes inſtituti ſint; & omnes dolo fecerint; quominus teſtamentum mutaretur; dicendum eſt actiones omnibus denegari: quia omnes dolo fecerunt, d. l. prima, §. ſi plures.

Si quis dolo malo fecerit, vt teſtes non veniant, & per hoc deficiat facultas teſtamenti faciendi: denegandæ ſunt actiones ei, qui dolo fecit: ſiue legitimus hæres ſit; ſiue priore teſtamento ſcriptus: fratris autem factum fratri non nocet, ff. eod. l. ſecunda.

Si fidei eius, qui dolum admiſit, commiſſum eſt: vt hæreditatem reſtitueret: ea hæreditas caduca cum ſuis oneribus fiet, ut commodum legis Falcidiæ fiſcus ſentiat; dodrantis autem fideicommiſſarius, d. l. ſecunda, in fine.

Virum, qui non per vim, nec dolum, quominus vxor contra eum mutata voluntate codicillos faceret, interceſſerat, ſed (vt fieri ſolet) offenſam ægræ mulieris

maritali

maritali sermone placuerat; in crimen non incidit; nec ei quòd testamento data tum fuerat, auferendum est, ff. eod. l. fin.

Nam iudicium vxoris postremum in se prouocare maritali sermone non est criminosum. C. si quis aliquem testar. l. tertia.

Si scriptis hæredibus ideo hæreditas ablata esset, quòd testator aliud testamentũ mutata voluntate facere voluisset, & impeditus ab ipsis esset, ab vniuerso iudicio recessisse videtur, ff. de his, qui. vt indig. l. si scriptis.

Ciuili disceptationi crimen adiungitur; si testator non sua sponte testamentum fecit, sed compulsus ab eo, qui hæres est institutus, vel a quolibet alio, quos voluerit, scripsit hæredes, C. eod. l. prima.

DE IVRE FISCI.

Titulus VI.

VARIAE causæ sunt ex quibus nunciatio ad fiscum fieri solet: aut enim se quis, quod tacitè relictum est, profitetur capere non posse, vel ab alio præuentus defertur: vel quod mors ab hæredibus non vindicetur: vel quod indignius, quis hæres nunciatur: vel quod princeps hæres institutus, & testamentum, siue codicilli subrepti esse nunciantur: vel quod dicatur quis thesaurum inuenisse: vel magni pretii rẽ minoris ex fisco comparasse: vel præuaricatione fiscum victum esse: vel eum decesisse, qui in capitali crimine esset, vel etiam post mortem aliquem reum esset, vel etiam post mortem aliquem reum esse: vel domum destructum esse: vel ab accusatione recessum esse: vel rem litigiosam venundari: vel pœnam fisco ex contractu priuato deberi: vel aduersus leges commissum factum esse, ff. de iure fisci. l. prima, in principio.

An bona, quæ soluendo non sint, ipso iure ad fiscum pertineant, quæsitum est. Labeo scripsit etiam ea, quæ soluendo non sint, ipso iure ad fiscum pertinere. sed contra sententiam eius edictum perpetuum scriptum est: quod ipsa bona ita veneunt, si ex his fisco nihil adquiri possit, d. l. prima, §. an bona.

Diuus Pius Cælio Amarantho ita rescripsit, vacantium bonorum nunciationem quadriennio finiri: idque tempus ex die quo certum esse cæperit, neque hæredem, neq; bonorum possessorem exstare, computari oportere præscriptio autẽ viginti annorum, quæ etiam circa requirendum adnotatorum bona obseruatur, ex constitutione diui Titii Antonini solet ex eo numerari, ex quo quid ad fiscum pertinere potuit. Causæ autem, quæ statim motæ sunt, & tractæ vltra vicesimum annum, differri possunt, & post vicesimum annum. ille quoque causæ, quæ à priore nunciatione proditæ dicuntur, etiam post annos, quibus præscribi dicimus fisco, nunciari possunt, d. l. prima, §. diuus.

Leges aliquæ ex hoc titulo descriptæ sunt in titulo quarto hoc libro. Vnde qui eas desiderat videat eodẽ titulo.

Ex quibusdam causis delationes suscipientium fama non læditur: veluti eorum, qui non præmii consequendi. item eorum, qui vlciscendi gratia aduersarium suum deferunt: vel quod reip. suæ quis exsequitur causas. & hoc ita obseruari plurifariam principalibus constitutionibus præcipitur, ff. eodem l. secunda, in principio.

Diuus Hadrianus Flauio Auriano in hæc verba rescripsit. Quin ei, qui instrumẽta ad causam fisci pertinentia, cum possit exhibere, non exhibet, nocere debeat,

& si verũ aliter non inuenitur, ea subtracta esse credantur, quæ nocitura causæ eius fuerint, dubitandum non est. sed nec aliàs dubitari oportet, quin non aliã in causam nocere debeant, quam in eam, quam desiderata sunt. item diui fratres ad libellum Cornelii Rufi rescripserunt, toties edenda esse instrumenta, quoties de iure capiendi, vel de iure dominii, vel de aliqua causa simili res numaria quæratur: non si de capitali causa agatur. d. l. ii. §. Diuus Hadrianus.

Senatus censuit, si neque delator, neque possessor tribus edictis euocati adfuerint: delatoris quidem fideiussores teneantur, & ei postea publicam caussam deferendi ius adimatur: possessoris autem ius idem sit, quod foret, si delatus omnino non esset. quoties tamen delator adesse iussus cessat, ne hoc fraude possessoris factum esse probabitur: diuus Hadrianus rescripsit secundum possessorem pronunciari oportere: ita, vt sententia comprehendatur, etiam delatores edicto comprehendisse, d. l. secunda, §. Senatus.

Diuus Pius Cæcilio Maximo rescripsit: constitutionem patris sui, qua compelleretur delator edere mandatorem, ac nisi edidisset, ut in vincula deduceretur: eo pertinere, non vt delator edere mandatorem, pœna subduceretur, si mandatorem haberet, sed vt mandator quoque, atque si ipse detulisset, puniretur. d. l. secunda, §. Diuus Pius.

Complura sunt rescripta principalia, quibus cauetur non obesse errorem cuiquã quod ignarus iuris sui ipse se detulerit. Sed extat eorundem principum rescriptum, ex quo videtur posse defendi, ita demum non nocere cuiquam se detulisse, si ea persona sit, quæ ignorare propter rusticitatem, vel propter sexum fœmineum ius suum posit. d. l. secunda, §. finali.

In fisci causis pacti cum delatoribus pro confessis habentur: si modo precium, vel modicum dederint. ff. eod. l. quarta.

Ad eos beneficium Traiani pertinet, qui ex defuncti voluntate relictum capere sibi non possunt, d. l. edicto, §. ad eos.

Senatus censuit, si delator abolitionem petat, quid errasse se dicat, vt idem iudex cognoscat, an iusta caussa abolitionis sit, & si errasse videbitur: det imprudentiæ veniam, si autem calumniæ: hoc ipsum iudicet: eaque caussa accusatori perinde cedat, ac si causam egisset, & prodidisset. si quis delatorem subiecerit, tantum in ærarium deferat, quantum præmii nomine delator consecuturus fuisset, si vicisset, ff. de iure fisci. l. Senatus, xv. in prin.

Diuus Hadrianus rescripsit eandem pœnam delatorem ferre debere, si citatus ad edictum non responderit, qua teneretur, si causam non probasset. Senatus Hadriani temporibus censuit, cum quis se ad ærarium detulerit, quod capere non potuerat: vt totum in ærarium colligatur, & ex eo pars dimidia sibi secundum beneficium diui Traiani restituatur. Quod si tribus ædictis à præfecto ærario adesse delator iussus, venire noluerit: secundum possessorem sit pronunciandũ sed ab eo, qui ita adesse iussus respondente possessore, non adfuerit: tantum exigendum, quantum apud ærarium ex ea causa, quam detulerat, remaneret, si professionem eam impleßet, d. l. Senatus, §. huius.

Senatus censuit, vt perinde rationes ad ærarium deferat is, à quo tota hæreditas fisco euicta est, uel vniuersa legata: atque is deferre debet, à quo pars hæreditatis, vel legati euicta sit. Si quis arguatur falsas rationes detulisse: de eo præfectus ærario cognoscet: quantam fraudem inuenerit, ut tantam pecuniam in ærarium iubeat inferri. d. l. Senatus, §. fin.

Ait Diuus Traianus. QVICVNQVE PROFESSVS FVERIT, QVICVNQVE

accipe-

accipere debemus, tam masculum, quàm fœminam. Nam fœminis quoque, (quamuis delationibus prohibentur) ex beneficio tamen Traiani deferre se permissum est. nec non illud ęquè non interierit, cuius ætatis sit is, qui se defert vtrum iustæ, an pupillaris. nam pupillis etiam permittitur deferre se, ex quibus non capiunt, ff. eod. l. ait diuus, xvi.

Deferre non possunt mulieres propter sexus infirmitatem, & ita sacris constitutionibus cautum est. item clarissimi uiri deferre non possunt. item damnati deferre non possunt: vt diui fratres de eo rescripserunt, qui fustibus cæsus in opus publicum erat datus. Item constitutionibus principum prohibentur deferre illi, qui in metallum damnati sunt. hoc ideo, ne desperati ad delationem facilè possint sine causa confugere. sed eas causas, quas ante damnationem cæperunt deferre, posse eos etiam post damnationem exsequi, rescriptum est, ff. eodem l. deferre, xviii. in prin.

Veterani quoque sacris constitutionibus delatores esse prohibentur. propter honorem vtique, & merita militiæ. item milites propter honores stipendiorum, quæ merentur, deferre prohibentur. Sed communem causam sibi cum fisco quiuis deferre potest: nec per hoc famosus est, licet in causa non obtinuerit, d. l. deferre, §. veterani quoque.

Item eos, qui tutores, vel curatores fuerunt, non oportere deferre causam pupillorum, vel adolescentinm suorum, diuus Seuerus, & Antoninus rescripserunt. Quod consequens est obseruari, & in eo, qui quasi procurator negotia gessit, & ita iidem principes rescripserunt. item decreuerunt, nulla constitutione prohibitum esse, procuratorem interrogari: sed accusare eum, cuius negocia gessit. & tutorem, qui aut detulit, aut mandauit, seuerissimè puniendum rescripserũt d. l. deferre, §. item eos.

Sed ne quidem is, qui aliquam rem vendidit, eandem & deferre debet, vel per se, vel per subiectam personam: ne alioquin pœnam patiatur dignam suæ personę vt & constitutum esse refertur, d. l. deferre. sed ne quidem.

Papinianus scribit: ita demum publicam auferri pecuniam ei, qui cum erat creditor, in solutum pecuniam accepit: si aut sciebat, cum accipiebat, publicum quoque debitorem esse: aut postea cognouit, antequam consumeret pecuniam. sed placet omnino ei pecuniam auferendam esse, etiam si ignorauit, cùm consumeret: & postea quidem principes directam actionem competere ablata pecunia rescripserunt, vt & Marcellus libro sexto Digestorum scribit. dicta. l. deferre, §. Papinianus.

De eo delatore, qui causam solus agere instituerat, non habita mentione mandatoris: si postea desistat, prætendens mandatorem causæ decessisse: puniendum, diui fratres rescripserunt, ff. eod. l. de eo, 23.

Non tantum delator punitur, si non probauerit: sed & mandator, quem exhibere debet delator, ff. eod. l. non tantum, 74.

Est & decretum ab imperatore Seuero, & constitutum est: nullo modo exigẽdum quem probare, vnde habeat, circa delationes fiscales: sed delatorem probare debere, quod intendit, ff. eod. l. est & decretum, 25.

Eius, qui delatorem corrupit, ea conditio est, vt pro uicto habeatur. Nam in fiscalibvs causis id constitutum est. Sed enim hæc pœna magis est, vt aduersus ipsum locum habeat, qui delatorem redemit, cætero quin aduersus hæredem eius trãsire non debet: nec enim exinde perit caussa, ex quo redempta est, vel actio perimitur, vel condemnatio facta dicitur: verum oportet constare prius de crimi

ne, & pronunciare. Planè & si fortè de retractanda caussa agatur, quæ semel iudicata est: per delatoris corruptelam mortuus corruptor non efficiet, quo minus possit, atque retractari causa: hic enim non pœnæ, sed causæ restitutio est, ff. eo. l. eius, qui 29. in princ.

Delatoris opera non esse functuum respondit Papinianus, qui fisci pecuniam, quā alius tenebat ad sui temporis administrationem pertinere (quamuis probare non potuisset) contendit: quoniam propriam causam egerat, ff. eodem, l. fiscus, 38. §. delatoris.

Delator non est, qui pro egendæ causæ suæ gratia aliquid ad fiscum denunciat, ff. eod. l. delator, 44.

Non intelligitur fraudem legi fecisse, qui rogatus est palam restituere. sed cum quidam testamento suo ita scripsisset, VOS ROGO VT IN EO, QVOD A VOBIS PETII FIDEM PRAESTETIS: PERQVE DEVM, VT FACIATIS, ROGO, & quæreretur, an id palam datum intelligeretur: Iulianus respondit, non quidem apparere, quid ab hæredibus, ex huiusmodi uerbis petitum est. quæri autem solere, quando intelligatur, quis in fraudem legis fidem suam accommodare ? & ferè eo iam decursum, ut fraus legi fieri videatur, quoties quis neque testamento, neque codicillis rogaretur: sed domestica cautione, & chyrographo obligaret se ad præstandum ei, qui capere non potest, ideoque dici posse ex supradictis verbis non esse legi fraudem factam, ff. de iure fisci. l. tertia, in princ.

Si quis palam rogatus, & tacitè esset: agitabatur, quod magis præualeret: utrum idipsum noceret, quod tacitè rogatus esset: an prodesset, quod palam petitum esset? Diuus Hadrianus rescripsit in eo, quod cuiusque fidei palam commissum esset, non esse existimandum, fidem suam in fraudem legis accommodasse. Quando autem fraus interposita videatur agitandum est: idest utrum exitus spectari debeat, an consilium, fortè si tunc, cum tacitè fidei committebatur, nō capiebat is, cui restitui iubebatur: mortis vero tempore capere poterat, vel contra, & placuit, exitum esse spectandum. tacita autem fideicommissa frequenter sic deteguntur, si proferatur chirographum, quo se cauisset is, cuius fides eligitur, quod ad eum ex bonis defuncti peruenerit. restituturum. sed & ex aliis probationibus manifestissimis idem fit, d. l. tertia, §. si quis palam.

Cum ex causa taciti fideicommissi bona fiscum pertinent: omnia, quæ in testamēto vtiliter data sunt, valent. & ita Diuus Pius rescripsit. dicta lege, tertia, §. cum ex causa.

Ita fidei hæredis commisit. ROGO FVNDVM TITIO DES, DE QVO TE ROGAVI. si Titius capere non possit: non euitabit hæres pœnam taciti fideicommissi. non est enim palam relinquere, quod ex testamento sciri non potest, cum recitatum est: quemadmodum nec ille palam dat, qui ita scribit, ROGO VOS HAEREDES IN EO, QVOD A VOBIS PETII FIDEM PRAESTETIS. imò in priore specie maiorem fraudem excogitasse uidetur, qui non tantum legem circumuenire voluerit, sed etiam interpretationem legis, quæ circa tacitum fideicommissum habetur. Quamuis enim fundum nominauerit: non tamen cognosci potest, de quo sit rogatus hæres, cùm diuersitas rerum obscurum faciat legatum. ff. eod. l. ita fidei. 40.

Arrianus Seuerus præfectus ærario, cum eius, qui tacitè rogatus fuerat non capiēti fideicommissum reddere, bona publicata erant: pronunciauit, nihilominus ius deferendi ex constitutione diui Traiani habere eum, cui fideicommissum

erat

erat relictum. Quia autem nonnulli ingrati aduersus beneficium diui Traiani post professionem quoque de tacito fideicommisso factam cum possessoribus transigunt, atque tribus edictis euocati non respondent: placuit Senatui, tantum ab eo, qui id fecisset, exigi, quantum apud ærarium, ex ea causa, quam detulerat, remanere oporteret, si professionem suam implesset. & si possessoris quoque fraus apud præfectum conuicta fuisset: ab eo quoque, quod conuictus inferre debuisset exigi. ff. eod. l. Arrianus, 42.

Imperator noster rescripsit, fiscum in rem habere actiones ex tacito fideicommisso, ff. eod. l. imperator, 43.

In fraudem fisci non solum per donationem, sed quocunque modo res alienatæ reuocantur, idemque iuris est, & si non quæratur. æquè enim in omnibus fraus punitur, ff. eod. l. in fraudem, 45. in prin.

Stacius florus testamento scripto hæredis sui Pompeii tacitæ fideicommiserat, vt non capienti fundum, & certæ pecuniæ quantitatem daret: & eo nomine cautionem à Pompeio exigi curauerat, se restituturum ea, quæ ei per præceptionem dederat, postea idem florus facto secundo testamento, & eodem Pompeio, & Faustino hæredibus institutis, nullas præceptiones Pompeio dederat. hæc persona, quæ capere non poterat, se detulerat, consulti imperatores à procuratoribus rescripserunt, si non probaretur mutuam uoluntatem esse, præstandum fideicommissum. atque ita Pompeius condemnatus, desiderabat id onus esse hæreditatis oportere, quia præceptiones non acceperat: nec posse videri pro parte in prima voluntate testatorem perseuerasse, sed in vniuerso pronunciauit: nec testamentum prius exstare, nec si dedisset in primo testamento ex posteriore peti potuisse, nisi petitum esset placuit: quia non probabat sibi datas præceptiones: ex sola sua cautione solum fideicommissum præstare debere, ff. eodem lege statius, xlviii. in principio.

Cornelio felici mater scripta hæres rogata erat hæreditatem restituere post mortem suam. cum hæres scripta condemnata esset, & fisco omnia bona mulieris occuparentur: dicebat Fœlix se ante pœnam esse: hoc enim constitutum esse. sed cum nondum dies fideicommissi venisset: quia posset prius ipse mori, uel etiam iure alias res adquirere: repulsus est interim à petione, d. l. statius, §. Cornelio.

In fraudem fisci non solum per donationem, sed quocunque modo res alienatæ reuocantur: idemque iuris est, & si non quæratur: æque enim in omnibus fraus punitus, ff. eodem lege in fraudem, quadragesimoquinto. in principio.

Qui aliquid sciens in fraudem fisci suscepit: non solum rem, in qua fraudis ministerium suscepit, sed alterum tantum restituere cogitur, ff. eod. l. aufertur, 46. §. qui aliquid.

Quod à præside, seu procuratore, vel quolibet alio in qua administrat (licet per suppositam personam) comparatum est: infirmato contractu vindicatur, & æstimatio eius fisco infertur. nam, & nauem in eadem prouincia, in qua quis administrat, ædificare prohibetur. Fiscus semper habet ius pignoris d. l. aufertur, §. quod à præside.

Apud Iulianum scriptum est. si priuatus ad se pertinere hæreditatem Lucii Titii dicat, altero eandem hæreditatem fisco uindicante, quæritur, utrum

ius fisci ante excutiendum sit,& sustinendæ actiones cæterorum: an nihilominus inhibendæ petitiones creditorum singulorum, nè publicæ caussæ præiudicetur: quod etiam Senatusconsulto expressum est, ff. eodem. l. apud Iulianum, 35.

Fiscus in quæstione falsi testamenti non obtinuit. priusquam autem illa quæstio decideretur,alio nunciante,bona postea vacare constitit. fructus post primam litem absumi non oportuisse respondit Papinianus: neque enim ad Senatuscõsulti beneficium scriptum hæredem pertinere controuersia mota,ff. eo.l. fiscus, 38. in princ.

Bona fisco citra pœnam exilii perpetuam adiudicari sententia non oportet, ff. eod.l.bona, 39.in prin.

Bona eorum,qui in custodia,vel in vinculis,vel compedibus decesserunt, hæredibus eorum non auferuntur: siue testato,siue intestato decesserunt, ff. eod. l.in fraudem,45.§.bona eorum.

Eius bona,qui sibi mortem consciuit,non ante ad fiscum coguntur, quam prius constiterit,cuius criminis gratia manus sibi intulerit.Eius bona,qui sibi ob aliquod admissum flagitium mortem consciuit,& manus intulit, fisco vindicantur,quod si id tædio vitæ,aut pudore æris alieni,vel valetudinis alicuius impatientia admisit:non inquietabuntur,sed suo successori relinquũtur,d.l.in fraudem.§.eius bona.

Aufertur ei,quasi indigno successio,qui cum hæres institutus esset,vt filius, post mortem eius,qui pater dicebatur,suppositus declaratus est, ff. eod. l. aufertur, 46.in principio.

Diui fratres rescripserunt,in venditionibus fiscalibus fidem,& diligentiam à procuratore exigendam: & iusta pretia non ex præterita emptione,sed ex præsenti æstimatione constitui. Sicut enim diligenti cultura præcia prædiorum ampliantur,ita si negligentius habita sint,minui ea necesse est. ff. eod. l. iii. §.diui.

Cum quinquennium,quo quis pro publico conductore se obligauit, excessit: sequentis temporis nomine non tenetur, idque principalibus rescriptis exprimitur.Diuus etiã Hadrianus in hæc verba rescripsit. Valde inhumanus modus est iste,quo retinentur conductores vectigalium publicorum,& agrorum,si tantidem locari non possint.nam & facilius inueniuntur conductores, si scierint fore,vt si peracto lustro discedere voluerint,non teneantur, d. l. tertia, §.cùm quinquennium.

Si posteriori creditori fiscus successerit: eo iure vtitur,quo is vsurus erat, cui successit,d.l.tertia,§.si posteriori.

Non possunt vlla bona ad fiscum pertinere,nisi quæ creditoribus superflua sunt: id enim bonorum cuiusque esse intelligitur,quod æri alieno superest,ff.eod.l. non possunt,xi.

Lucius Titius fecit hæredes sororem suam ex dodrante,vxorem Mæuiam,& socerum,ex reliquis portionibus. eius testamentum posthumo nato ruptum est,qui posthumus breui post,& ipse decessit. atque ita omnis hæreditas ad matrem posthumi deuoluta est. soror testatoris Mæuiam veneficii in Lucium Titium accusauit,cum non obtinuisset,prouocauit. interea decessit rea. nihilominus tamen apostoli redditi sunt,quæritur an,extincta rea,cognitio appellationis inducenda sit propter hæreditatem quæsitam: Modestinus respondit,mortua rea crimine exstincto,persecutionem eorũ,quæ scelere adquisita probari possunt,

fisco

fisco competere posse. ff. eod. l. Lucius, 9.

Multa principalia sunt rescripta, quibus cauetur, non aliter fiscum debitorum suorum debitores conuenire: nisi principales debitores defecerint, uel ex ratione fisci nomina facta liquido adprobentur, uel ex contractu fiscali debitores conueniantur. d. l. tertia. §. multa.

Si in locis fiscalibus, vel publicis, religiosisve, aut in monumentis, thesauri reperti fuerint, diui fratres constituerunt, ut media pars ex his fisco vindicaretur, item si in Cæsaris possessione repertus fuerit, dimidiam æque partem fisco vindicari. d. l. tertia, §. si in locis.

Deferre autem se nemo cogitur, quod thesaurum inuenerit nisi ex eo thesauro pars fisco debeatur. Qui autem cum in loco fisci thesaurum inuenit, partem ad fiscum pertinentem suppresserit: totum cum altero tanto cogitur soluere. d. l. tertia. §. fin.

Si curator Cæsaris rem aliquam vendiderit, quamuis duplum, uel triplum pro euictione promiserit, tamen fiscus simplum præstabit. si ab eo, cui ius distrahendi res fisci datum est, fuerit distractum, quod fisci fuerit: statim fit emptoris, precio tamen soluto. ff de iure fisci. l. quinta.

Fiscus cum in priuati ius succedit priuati iure pro anterioribus suæ successionis temporibus vtitur. cæterum posteaquàm successit: habebit priuilegium suum. sed vtrùm statim, atque cępit ad eum pertinere nomen: an verò postea quàm conuenit debitorem, an postea quàm relatum est inter nomina debitorum, quæritur, & quidem interesse ex inde petit fiscale, ex quo conuenit certum debitorem, & confitentem. At in priuilegio variè rescriptũ est, tamen exinde priuilegio locus est, ex quo inter nomina debitorum relatum nomen est. quodcunque priuilegium fisco competit: hoc idem & Cæsaris ratio, & Augustæ habere solet. ff. eo. l. sexta.

Si fiscus alicui status controuersiam faciat: fisci aduocatus ad esse debet, quare si sine fisci aduocato pronunciatum sit. Diuus Marcus rescripsit, nihil esse actum: & ideo ex integro cognosci oportere. ff. eo. l. septima.

Titius, qui mihi sub pignoribus pecuniam debebat, cum esset fisci debitor, soluit mihi, quæ debebat, postea fiscus iure suo usus abstulit mihi pecuniam. quærebatur an liberata essent pignora. Marcellus rectè existimat: si id, quod mihi solutum est, fiscus abstulit: non competere pignorum liberationem, neque differentia admittenda est, interesse putantium, id ipsum, quod solutum est, an tantundem repetatur, ff. eod. l. Titius, xxi.

Si qui mihi obligauerat, quæ haberet, habiturusque esset, & cum fisco contraxerit: sciendum est in re postea adquisita fiscum potiorem esse debere, Papinianum respondisse, quod & constitutum est. præuenit enim causam pignoris fiscus, ff. eod. l. si qui, xxviii.

Res, quæ in controuersia sunt non debent à procuratore Cæsaris distrahi: sed differenda est eorum uenditio, ut diui quoque Seuerus & Antoninus rescripserunt, & defuncto maiestatis reo, parato hærede purgare innocentiam mortui, distractionem bonorum suspendi iusserunt. & generaliter prohibuerunt rem distrahi à procuratore, quæ esset in controuersia. ff. eodem. l. res, quæ, xxii. in principio.

Res autem nexas pignori distrahere procuratores possunt, sed & si alii res obligatæ sunt pignoris: non debet procurator ius creditorum lædere. sed si quid

super-

ſuperfluum eſt in re, permittitur procuratori vendere ea lege, vt imprimis creditoribus præcedentibus ſatisfiat, & ſi quid ſuperfluum eſt, fiſco inferatur. aut ſi acceperit totum fiſcus, ſoluat ipſe. vel ſimpliciter ſi vendidit procurator: iubeat pecuniam, quam deberi creditori priuato fuerit probatum, exſolui ei, & ita Diuus Seuerus, & Antoninus reſcripſerunt, dicta lege res, quæ, §. res autem nexas.

Lites donatas ſe non ſuſcipere Diuus Pius reſcripſit: & licet bona relicturum ſe quis profiteatur, vel partem bonorum donatam non ſuſcipere, & adiecit, & illum dignum fuiſſe puniri pro tam turpi, tanquam inuidioſo commento: & (niſi durum eſſe videretur) in vltro venientem pœnam ſtatuere, dicta lege res quæ, §. lites.

Sicut nunciare cauſam, nemo cogitur: ita liberum arbitrium deſiſtendi ei non datur, qui detulit. & ita diui Seuerus, & Antoninus reſcripſerunt. & idem eſſe, licet alieno mandatu detuliſſet. Planè reſcripſerunt, delatorem audiendum uolentem à lite deſiſtere, ſi ſibi mandatorem ſubtractum quæratur, d. l. res quæ, §. finali.

Cum mortem maritus uxoris necatæ non defenderet: Diuus Seuerus reſcripſit dotem fiſco uindicandam, prout ad maritum pertineat, ff. eodem lege cum mortem, 27.

Obſidium bona, ſicuti captiuorum omnimodo. in fiſcum cogenda ſunt, ff. eod. lege Diuus, 31.

Sed ſi accepto vſu togæ Romanæ, vt ciues romani ſemper egerint: Diui Fratres procuratoribus hæreditatum reſcripſere, ſine dubitatione ius eorum ab obſidis conditione ſeparatum eſſe beneficio principali, ideoque idem ius eis ſeruandum, quod haberent, ſi à legitimis ciuibus Romanis hæredes inſtituti fuiſſent, ff. eo. l. ſed ſi. 32.

Eum, qui debitoris fiſci adiit hæreditatem, priuilegiis fiſci cœpiſſe ſubiectum eſſe, reſpondit Vulpianus, ff. eod. l. eum, qui, 33.

Imperatores ſeuerus, & Antoninus reſcripſerunt, tu qui defenſione omiſſa redimere ſententiam maluiſti, cum tibi crimen obiiceretur, non immerito quingentos Solidos inferre fiſco iuſsus es. omiſsa enim ipſius cauſæ inquiſitione ipſe te huic pœnæ ſubdidiſti. obtinendum eſt enim, ut hi quibus negocia fiſcalia mouentur ad defenſionem cauſæ bona fide veniant: non aduerſarios aut iudices redimere tentent, ff. eo l. Imperatores, 34.

Præſidiis à fiſco diſtractis præteriti temporis tributum eorundem prædiorum emptorem ſpectare placuit, ff. eo. l. præſidiis, 36.

Eum, qui bona vacantia à fiſco comparauit, debere actionem, quæ contra defunctum competebat, excipere, ff. eo. l. eum, qui 41.

Qui compenſationem opponit fiſco, intra duos menſes debitum ſibi docere debet, ff. eo. l. aufertur, 15. §. qui compenſationem.

Non delinquit, qui in dubiis quæſtionibus contra fiſcum facile reſponderit, ff. eo. l. non puto. x.

In ſumma ſciendum eſt, omnium fiſcalium pœnarum petitionem creditoribus, poſtponi, ff. eo. l. in ſumma, 17.

Quod placuit, fiſco non eſſe pœnam petendam, niſi creditores ſuum recuperauerint: eo pertinet, vt priuilegium in pœna contra creditores non exerceatur, non vt ius commune priuatorum fiſcus admittat, ff. eo. l. quod placuit, 37.

Moſchis

Moschis quædam fisci debitrix ex conductione vectigalis hæredes habuerat, a quibus post aditam hæreditatem Faria Semilla,& alii prædia emerant.cum conuenirentur propter Moschidis reliqua: dicebant & hæredes Moschidis idoneos esse,& multos alios ex iisdem bonis emisse,æquum putauit Imperator,prius hæredes conueniri ei debere,deinde in reliquum possessorem omnem,& ita pronunciauit,ff.eo.l. Moschis,47.in prin.

AEmilius Ptolomeus conduxerat à fisco possessionem, eamq; paulatim pluribus locauerat maiore quantitate,quam ipse susceperat, conueniebatur à procuratoribus Cœsaris in eam quantitatem,quàm ipse perciperet, quoniam hoc iniquum,& inutile fisco videbatur: ut tamen suo periculo ipse eos, quibus locauerat,conueniret: ideoque pronunciauit,in eam solam quantitatem eum conuenire debere,qua ipse conductor extiterat,d.l.Moschis,§.Aæmilius.

Valerius Patronius procurator Imperatoris Flauio Stalticio prædia certo precio addixerat,deinde facta licitatione,idem Staltitius recepta ea licitatione obtinuerat,& in uacuam possesionem inductus erat.de fructibus medio tempore perceptis quærebatur.Patronius fisci esse volebat. planè si medio tempore inter primam licitationem,& sequentem adiectionem percepti fuissent, ad uenditorem pertinere:sicut solet dici.cum in diem addictio facta est, deinde melior condictio allata.nec moueri debemus,quod idem fuisset, cui & primo addicta fuerant prædia.sed cum utraq; addictio intra tempus uindemiarum facta fuisset,recessum est ab hoc tractatu.itaque placebat factus emptoris esse.Papinianus,& Mesius nouam sententiam induxerunt,quia sub colono erant prędia: iniquum esse fructus ei auferri uniuersos. sed colonum quidem percipere eos debere: emptorem uerò pensionem eius anni accepturum, ne fiscus colono teneretur, quod ei frui non licuisset. atque si hoc ipsum in emendo conuenisset,pronunciauit,tamen secundum illorum opinionem: quod quidem domino colerentur,vniuersos fructus habere: si vero sub colono pensionem acciperet. Triphonino suggerente,quid putarem de fructibus aridis,qui ante percepti in prædiis fuissent: respondit Paulus si nondum dies pensionis venisset cum addicta sunt eos quoque emptorem accepturum,ff.eo.l.fina.

Materia feudorum,nec in prima,nec in secunda,nec tertia parte,nec minus in quinta,sexta, aut septima potuit accommodari,vnde de necessitate collocata est,in hac quarta.

Finis Libri Tertij.

LIBER FEVDORVM, QVI EST QVARTVS HVIVS PARTIS.

Prima Pars.

CONSVETVDINES FEVDORVM, DE IIS, QVI FEVDVM dare poſſunt, & qni non & qualiter adquirantur, & retinentur. Titulus I.

QVIA de feudis tractaturi ſumus, videamus primum, qui feudum dare poſſunt. Feudum autem dare poſſunt Archiepiſcopus, Epiſcopus. Abbas, Abbatiſſa, præpoſitus ſi antiquitus conſuetudo eorum fuerat feudum dare.

Marchio, & comes ſimiliter feudum dare poſſunt, qui proprie regni, vel regis capitanei dicuntur. Sunt, & alii, qui ab iſtis feuda accipiunt, qui proprie regis, vel regni valuaſores dicũtur, ſed hodie capitanei dicuntur, ſeu appellantur, qui & ipſi feuda dare poſſunt. Ipſi uero, qui ab eis accipiunt feuda: minores valuaſores dicuntur Lib primus, Tit primus in princ.

Et quia vidimus de perſonis, videamus qualia prius habuerunt initia. antiquiſsimo enim tempore ſic erat in dominorum poteſtate connexum, vt quando vellent, poſſet auferre rem in feudum à ſe datam: poſtea vero eo ventum eſt, vt per annum, tantum firmitatem haberent, deinde ſtatutum eſt, vt vſq; ad vitam fidelis produceretur, ſed cum hoc iure ſucceſsionis ad filios non pertineret ſic progreſſum eſt, vt ad filios deueniret in quem ſcilicet dominus hoc vellet confirmare beneficium, quod hodie ſtabilitum eſt, vt ad omnes filios æqualiter pertineat. cum vero Conradus Romam proficiſſeretur, petitum eſt à fidelibus, qui in euis erãt ſeruitio, vt lege ab eo promulgata hoc etiam adnepotes ex filio producere dignaretur, & vt pater patri ſine legitimo hærede defuncto, vel filius in beneficio, quod eorum patris fuit ſuccedat. Sin autem vnus ex patribus à domino feudum acceperit, eo defuncto ſine legitimo hærede pater eius in feudum non ſuccedit, quod etſi communiter acceperint, vnus alteri non ſuccedit, niſi hoc nominatim dictum ſit, ſcilicet vt vno defuncto, ſine legitimo hærede alter ſuccedat: hærede vero relicto alter pater remouebitur. Hoc autem notandum eſt, quod licet filiæ, vt maſculi patribus ſuccedant: legibus tamen à ſucceſsione feudi remouentur, ſimiliter, & earum filii niſi ſpecialiter dictum fuerit, vt ad

eas

eas pertineat. Hoc quoq; ſciendum eſt, quod hoc beneficium aduenientes ex latere vltra patres patrueles non progreditur; ſucceſsionem ſecundum vſum ab antiquis ſapientibus conſtitutum, licet moderno tempore vſque ad ſeptimum gradum ſit vſurpatum, quod in maſculis deſcendentibus hodie nouo iure vſq; in infinitū extenditur. Notandum eſt autem, quod illud beneficium, quod à regis capitaneis, atque regis, vel regni valuaſoribus aliis impeditur, proprie iuri feudi cenſetur. Illud vero qui à minoribus in alios transfertur, non iure feudi iudicatur, licet aliter in curia Mediolanenſi obſeruetur, ſed quando voluerint rectè auferre queunt: niſi Romam cum illis in exercitu perrexerint, quo caſu iure feudi, tranſit, & adiudicatur, vel niſi aliquid propter feudum acceperint: tunc enim niſi reſtituto precio auferre non poſſunt, dicto titul. primo, §. & quia vſque in finem.

DE FEVDO GVARDIAE ET CASTALDIAE. Titulus II.

ITem illud, quod nomine caſtaldię datur, vel guardię, & ꝑ mercede alicuius rei, tranſacto anno poteſt iure auferri etiam precio pro eo dato non reſtituto niſi ad certum tempus datum fuerit. Si vero caſtaldi aliquid nomine proprii feudi poſſederint, non valebunt propterea poſſeſsionē ſibi defendere, niſi per pares curiæ, vel breue teſtatum potuerint probare ſe antequàm caſtaldi eſſent, vel poſtquam deſierunt eſſe inueſtituram accepiſſe, lib. primo tit. ſecundo.

DE PIGNORI DATO FEVDO, QVID IVRIS SIT. Titulus III.

SImiliter ſi quis voluerit dicere de pignore ſibi dato ſe inueſtitum eſſe: non credatur ſuo iuramento, ſed teſtibus idoneis paribus domus vel curiæ: Inſuper ſciendum eſt feudum guardiæ, vel caſtaldiæ quacunque hora vult auferri poſſe à domino, ſcilicet poſt annum, lib. primo, tit. xi.

QVI SVCCESSORES FEVDVM DARE TENEANTVR. Titulus IIII.

ARchiepiſcopus, vel Epiſcopus, vel Abbas, vel Abbatiſſa inueſtituram eius feudi, quod alius detinebat, eo tenore ſi alicui dederit, vt poſt deceſſum eius, qui poſsidet habeat, & ante deceſſerit Archiepiſcopus, quàm ille qui feudum poſsidebat: ſucceſſores eorum non coguntur eam inueſtituram facere, vel confirmare, etiam ſi pares eius curiæ adſint teſtes, vel breue teſtatum inde ſit: niſi ille qui inueſtituram acceperit nomine eius feudi in poſſeſsionem miſſus ſit eo conſentiente, qui detinet. Sed ſi ille, qui feudum poſsidet, prius deceſſerit, quàm ille, qui inueſtituram fecit: iure cogitur eam ratam habere, Laici vero iiſdem modis omnibus quibus ſupradiximus, ſi aliis inueſtituram dederint: hæredes eorum ſi rationibus clamerint, omnimodo eam adimplere compelluntur, libro primo, titulo tertio.

DE FEVDI COGNITIONE. Titulus V.

Est autem ſciendum feudum ſiue beneficium non niſi in rebus ſoli, aut ſolo cohærentibus, aut in iis, quæ inter immobilia connumerantur (veluti cum de camera, aut de cauena feudum datur) poſſe conſiſtere, ac feudum neminem poſſe acquirere, niſi inueſtitura, aut ſucceſsione, lib. ſecundo, tit. primo, in fine.

QVIBVS MODIS FEVDVM CONSTITVI POTEST. Titulus VI.

Sciendum eſt feudum ſine inueſtitura nullo modo conſtitui poſſe, etiam ſi domino iubente quis alicuius rei nomine feudi, poſſeſſionem nanciſcatur & teneat, licet tamen poſſeſsionem taliter adeptam dum vixerit, quaſi feudi nomine retinere hȩrede eius in hoc iure nullo modo ei ſuccedente. Si dominus, qui inueſtiuit forte ſit clericus & contingerit, vt ante moriatur, quàm vaſallus poſſeſsionem feudi nanciſſeretur: exinanitur feudum. Quod generaliter in omnibus clericis, qui feudum dant, obſeruatur, libro primo, tit. 25.

QVID SIT INVESTITVRA. Titulus VII.

Inueſtitura quidem propriè dicitur poſſeſsio; abuſiuo autem modo dicitur inueſtitura quando haſta, vel aliud corporeum, quodlibet porigitur à domino feudi ſe inueſtituram facere dicente, quæ ſi quidem ab illo fiat, qui alios habet vaſalos ſaltem coram duobus, ex illis ſolenniter fieri debet alioqui licet alii interſint teſtes, inueſtitura minime valet. Si enim domino adhuc in poſſeſsione conſtituto, an facta ſit inueſtitura, quæratur: non debet probare niſi per pares curtis illius domus, vel per publicum inſtrumentum à tribus, vel à duobus paribus confirmatum. Nam ſi inſtrumentum defecerit, vel quia factum non fuerit, vel quia amiſſum ſit: tunc qui probare deſiderat, pares curiæ illius, qui interfuerint, offerat, qui ſi denegauerint, fortè corrupti odio, vel gratia, ſeu precio, & dicant ſe non interfuiſſe cum inueſtitura facta fuerat, vel non reminiſci: tunc domino cogente iurent tactis ſacroſanctis ſcripturis, quod huius rei veritatem neſciant, & tunc actor, aut alios producat pares, aut iuriſiurandi domino detur electio, vt proinde iuret inueſtituram factam non eſſe, aut ſacramentum vaſallo referat, & ille, aut iuret, aut acquieſcat. Quod ſi iurare pares aliqua ex cauſa recuſauerint, nec dominus eos iurare compellat, liceat vaſallo etiam per extraneos probare inueſtituram. Teſtibus vero deficientibus, iuriſiurandi electio domino detur. Si vero vaſſallus quidem poſsideat, vel ſi feudum cameræ, aut cauenæ in duabus, ſeu tribus acceptionibus quietis, quaſi poſsideat, dominus autem feudum negans eſſe, rem ſuam petat, vel quod de camera, vel de cauena bis, vel ter (ſicut diximus) iam ſolutum eſt, deinceps ſoluere renuat: tunc non eſt opus probatione, ſed poſsidenti data electione, aut iuret ſuum eſſe feudum rectum, aut domino referatur iuſiurandum. Si autem inueſtitura ab eo, qui vaſallos non habebat

bebat

bebat dicatur facta: tunc per quoslibet idoneos teſtes, aut per publicum inſtrumentum probari poteſt, autem inopia probationis emergente, res decidatur per iuſiurandum. Præterea ſi aliquis tenor præter communem feudi rationem in inueſtitura à domino dicatur interueniſſe, vel ſi dicatur feudum ſub tali conditione dediſſe, vt vaſallus in feſtiuis diebus vadat cum uxore ſua ad eccleſiam: omni facultate probandi domino adempta habeat vaſallus poteſtatem defendendi ſe per ſacramentum. item ſi vaſallus per pactum ſpeciale contra feudi conſuetudinem allegat, veluti de filiarum ſucceſsione: liceat ei tenorem, ſi poteſt, ſicut inueſtituram probare. quod ſi in probatione defecerit, vel ceſſauerit: concedatur domino hoc denegare iureiurando præſtito, libro ſecundo, titulo ſecundo.

PER QVOS FIAT INVESTITVRA, ET PER QVOS recipiatur. Tit. VIII.

INueſtitura autem, aut fit de ueteri beneficio, aut de nouo, quæ de veteri fit, etiam à minore poteſt fieri, ſiue autem à minore, ſiue à maiore fiat, non de omni poſſeſsione vaſalli, ſed de iuſta tantum facta intelligitur, niſi aliud nominatim dicatur. Noui uero inueſtitura feudi non ab alio rectè fit, niſi ab eo, qui legitimè ſuorum bonorum adminiſtrationem habet. Qui enim qualibet ratione aliquid de ſuis rebus impeditur alienare: is nec per feudum poterit inueſtituram facere. Sed etiã res, cuius alienatio prohibetur, nec per beneficium dari conceditur, niſi in caſibus, vt ecce: ſi quis ex agnatis tuis rem. quæ à communi parente per ſucceſſionem ad eum peruenerit, alienare uoluerit: non permittitur ei etiam, ſecundum antiquam conſuetudinem, alii eam uendere, niſi tibi, vel alii proximiori pro æquali præcio accipere uolenti, per feudum tamen cuilibet dare poteſt, niſi fiat in fraudem noſtræ conſuetudinis, vel legis nouæ bonæ memoriæ Lotharii, vel Friderichi Imperatoris. tunc enim reſciſſa inueſtitura reddito à te, vel ab alio proximiori, videlicet ſecundum antiquam conſuetudinem precio, ſi quod dederit: is, qui inueſtituram accepit, compelletur rem tibi reſtituere. Perſonæ vero inueſtituram accipimus non diſtinguimus, nam quilibet inueſtiri poterit, ſed utrum ipſe, uel alius pro te inueſtituram faciat, vel ſuſcipiat: nihil intereſſe putamus: poteſt enim hoc negocium, & per procuratorem ab utraque parte expediri. Fœminam quoque etiam noui fæudi inueſtituram facere poſſe pleriq́ue conſentiunt. Nulla autem inueſtitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recuſat, cum à fidelitate feudum dicatur, vel à fide, niſi eo pacto acquiſitum ſit ei feudum, vt ſine iuramento fidelitatis habeatur, libro ſecundo, titulo tertio.

QVID PRAECEDERE DEBEAT, AN INVESTITVRA, VEL fidelitas. Tit. IX.

VTrum autem præcedere debeat fidelitas inueſtituram, au inueſtitura fidelitatem, quæſitum eſt, & ſæpæ reſponſum eſt inueſtituram debere præcedere fidelitatem, fidelitatem autem dicimus iuſiurandum, quod à vaſallo præſtatur domino, libro ſecundo, titulo quarto.

QVALITER IVRARE DEBEAT VASALLVS DOMINO fidelitatem. Tit. X.

QValiter autem debeat iurare vaſallus fidelitatem, videamus. Iurare ſcilicet ſic debet. ego iuro ad hæc ſancta Dei Euangelia, quodammodo inantea ero fidelis huic, ſicut debet eſſe vaſallus domino, nec id quod mihi ſub nomine fidelitatis commiſerit dominus, pandam alii ad eius detrimentum, me ſciẽte. Si vero domeſticus, ideſt familiaris eius ſit, cui iurat: aut ſi ideo iurat fidelitatem, non quod habeat feudum, ſed quia ſub iuriſdictione ſit eius, cui iurat: nominatim uitam, mẽbrum, mentem, & eius rectum honorem cuſtodire iurabit, lib. ſecundo tit. quinto.

DE FORMA FIDELITATIS. Titulus XI.

IN Epiſtola Philiberti Epiſcopi in decretis, xxii. cauſa, de forma fidelitatis aliquid ſcribere monitus, hæc uobis, quæ ſequuntur, breuiter x. librorum authoritate notantur. Qui domino ſuo fidelitatem iurat, iſta ſex in memoria ſemper habere debet: incolume, tutum, honeſtum, utile, facile, posſibile; Incolume, ne ſit in damno domino ſuo, de corpore ſuo: Tutum: ne ſit ei in damno de ſecreto ſuo, vel de munitionibus ſuis per quas eſſe tutus poteſt. Honeſtum, ne ſit ei in damno de ſua iuſticia, vel de aliis cauſis, quæ ad honeſtatem eius pertinere videntur. Vtile: ne ſit ei in damno de ſuis poſſesſionibus, Facile: vel posſibile; ne id bonum, quod dominus ſuus facere leuiter poterat faciat ei difficile: nève id, quod posſibile ei erat, faciat imposſibile. Vt fidelis hæc documenta caueat, iuſtum eſt. Sed quia non ſufficit abſtinere à malo, niſi fiat, quod bonum eſt, reſtat ut in ſex prædictis conſilium, & auxilium domino præſtet, ſi beneficio vult dignus uideri, & de fidelitate eſſe ſaluus. Dominus quoque in his omnibus vicem fideli ſuo reddere debet, quod ſi non fecerit, meritò cenſebitur malefidus, ſicut ille qui in eorum præuaricatione, vel faciendo, vel conſentiendo depræhenſus fuerit, perfidus, ex periurius, lib. ſecundo, Tit. ſexto.

DE NOVA FORMA FIDELITATIS. Titulus XII.

EST, & alia de nouo ſuper fidelitatis iuramẽto forma iñuenta, & utentium approbata conſuetudine, quæ hodie ferè in omni curia uidetur obtinere, hæc ſcilicet. Ego Titius iuro ſuper hæc ſancta Dei Euangelia, quod ab hac hora in antea, vſque ad vltimum diem vitæ meæ ero fidelis tibi Caio domino meo contra omnem hominem, excepto imperatore, vel Rege. Quod uerbum ſi rectè intelligatur, nulla quidem indiget adiectione, ſed integram, & perfectam in ſe continet fidelitatem: ſed propter ſimplices, & nominis ſignificationis ignaros ad illius verbi interprætationem hoc adiici ſolet, ideſt, ego iuro, quod nunquam ſcienter ero in conſilio, vel auxilio, vel in facto, quod tu amitas uitam, vel membrum aliquod: vel quod tu recipias in perſona aliquã læſionem, vel iniuriã, vel contumeliam

vel quod tu amittas aliquem honorem, quem nũc habes, vel in antea habebis. & si sciuero, vel audiuero de aliquo, qui velit aliquod istorum contra te facere pro posse meo, vt non fiat impedimentum præstabo. Et si impedimentum præstare nequiuero, quam citò potero tibi nunciabo, & contra eum pro, ut potero auxilium meum tibi præstabo, & si contigerit te rem aliquam, quam habes, vel habebis iniustè, vel fortuito casu amittere, eam recuperare iuuabo, & recuperatam omni tempore retinere. Et si sciuero te velle iustè aliquem offendere, & inde generaliter, vel specialiter fuero requisitus, meum tibi, sicut potero, præstabo auxilium Et si aliquid mihi de secreto manifestaueris illud sine tua licentia nemini pandam, vel per quod pandatur faciam, & si consilium mihi super aliquo facto postulaueris: illud tibi dabo consilium, quod mihi uidebitur magis expedire tibi: & nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter, quod pertineat ad tuam, vel tuorum iniuriam, vel contumeliam. Inuestitura uero facta, & fidelitate subsecuta: omnimodo cogatur dominus inuestitum in vacuam possessionem mittere. quod si differat, omnem utilitatem ei præstabit, libro secundo, titulo septimo.

DE INVESTITVRA DE RE ALIENA FACTA. Titulus XIII.

CVm de re aliena, uel alii obligata inuestitura fiat illud distinguitur, vtrum scienti, an ignoranti facta sit. Qui enim alienæ rei sciens inuestituram accepit, nisi pacto speciali sibi prospexerit, de euictione agere non poterit: ignorans vero rectè aget, vt aliud eiusdem bonitatis, seu quantitatis ei præstetur. Sed in eo nulla est differentia, qui inuestituram fecit, vtrum sciuerit, vel ignorauerit. Rei autem per beneficium rectè inuestitæ vasallus hanc habet potestatem, ut tãquam dominus posit à quolibet posidente sibi quasi vindicare, & si ab alio eius rei nomine conueniatur, defensionem opponere, nam & seruitutem eidem rei debitam petere potest, & retinere. Quid ergo si precio, vel dolo, aut in curia seruitutem rei beneficiariæ imponi patiatur, & ad dominum ex qualibet causa, post ea beneficium reuertatur, an ex eo præiudicium domino generetur, quęsitum fuit, & responsum est, vt vasallo quidem donec feudum tenet, posit obesse domino autem, & si per longa tempora perseuerauerit seruitus minimè noceat, à contrario autem si quid feudo à uassallo additum sit, si quidem tale adiectum sit, quod per se subsistere posit, idest, vt per se censeatur, vt prædium, id non accrescit feudo. si uerò per se non posit subsistere, ut seruitus: plerisque placet feudo accedere, & sicut partem feudi disponendam esse. meliorem namq; conditionem feudi facere potest, deteriorem uero, sine domini uoluntate, uel eorum agnatorum ad quos per successionem pertinet, facere non potest. Quamuis enim possessio per beneficium ad eum pertineat, tamen proprietas ad alium spectat. & ideo quartæ, siue tertiæ ratione, quæ à Longobardis, seu à Romanis uiris uxoribus fieri solet. post mortem viri ad mulierem, nihil pertinet. Nam nec pignus, quod consultum dicitur, fieri potest ex feudo, lib. secundo, tit. octauo.

QVIS DICATVR DVX MARCHIO, COMES, CAPITANEVS, vel Valuasor. Tit. XIIII.

Vi à Principe de ducatu aliquo inuestitus est, dux solito more uocatur. Qui uero de Marchia Marchio dicitur. Dicitur autem Marchia, quia Marcha, & ut plurimum iuxta mare sit posita, qui uero de aliquo comitatu inuestitus est, comes appellatur. Qui à Principe uel ab aliqua potestate de plebe aliqua, uel plebis parte per feudum est inuestitus is capitaneus appellatur, qui propriè Valuasores maiores olim appellabantur. qui uero à capitaneis antiquitus beneficium tenent, Valuasores sunt. Qui autem à Valuasoribus feudum, quod à capitaneis habebatur similiter acceperint Valuasini, idest minores Valuasores appellantur, qui antiquo quidem usu consuetudinem feudi nullam habebant: Valuasore autem sine filio mortuo feudum, quod Valuasori minori dederat, ad capitaneum reuertebatur sed hodie eodem iure utuntur in curia Mediolanensi, quo & Valuasores. Cæteri uero qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licet nouiter à capitaneis, seu à ualuasoribus acquisierint: plebei nihilominus sunt. Nã illi, qui soldatam habuerunt, uel acceperunt, uel habent per eã nullũ pedagiũ, sed nec feudi usum acquirunt. soldata autem est præstatio quędam annua gratuita, quę à neutra parte transit in hæredem. Morte enim dantis, uel accipientis interueniente finitur. soldata uero dicitur, quia plerunq; in solidorum donatione consistit, quandoque autem in uino, & annona consistit, lib. secundo tit. x.

DE CLERICO, QVI INVESTITVRAM FACIT. Titulus XV.

Lerico inuestituram faciente de suis bonis eius successor omnifariam cogitur eam adimplere, cumque de bonis ecclesię eam fecerit, si possessio rei pro beneficio inuestituræ penes eum fuerit, ipse & eius successor ipsam adimpleant, quod etiam in laicis contingit. Vbi uero de alterius feudo fecerit in uestituram, si quidem pure, non ualeat: sed si sub tempore, uel conditione, quo feudum sibi aperiatur, ualebit inuestitura etiam sine uoluntate uasalli facta. si tamen ante decesserit inuestitor, quam feudum ad eum reuertatur, successor non cogitur eam habere ratam: aut cum se uiuente feudum apertum fuerit, possessionem tradat, & inuestituram adimpleat, & ideo sciendum est Archiepiscopum Mediolanensem non posse dare in feudum, quod tempore introitus sui in dominico inuenerit, sed si ei postea feudum aperiatur, ipsum rectè dabit, profectò alii episcopi, & clerici ea, qua in dominico habent, & feuda his aperta dederant, & hodie dant, libro secundo, tit. 35.

DE FEVDO NON HABENTE PROPRIAM FEVDI naturam. Titulus XVI.

S I quis ea lege alicui feudum dederit, ut ipse, & sui hæredes, & cui ipse dederit, habeant, respondetur istum, qui sic accepit, posse id uendere, del donare, uel aliter, si sibi placuerit, etiam sine uoluntate domini alienare. & ille etiam cui datum fuerit non habebit ipsum pro feudo, nisi sicut ei datum est. Sed qualitercunq; ei datum fuerit, siue da proprium, siue ad libellum, licet propriam feudi naturam non habeat,

beat, iure tamen feudi censebitur, vt ex his causis ipsum amittat, quibus & verum feudum, vbi ergo sic datum est feudum, & cui in feudum dederis, aliud est, & propriam feudi naturam habet, lib. secundo, tit, 48.

QVO TEMPORE MILES INVESTITVRAM petere debeat. Tit. XVII.

Sancitum autem est, vt nemo miles vltra annum & mensem vadat, vt inuestituram beneficii sui à filio, vel successore domini sui petat, vel post mortem domini sui, vel patris sui, vel alterius, cui succedere debet, nisi iusta causa interuenerit, quare non petierit, veluti mortis, vel capitales inimicitiæ, vel infantia, vel iusta absentia, & si (vt supradictum est) non petierit damnetur.

Si quis fecerit inuestituram, vel cambium de beneficio cui milites, sine illius consensu, cuius est beneficium pro non facto habeatur.

Sancitum est, vt nemo miles adimatur de possessione sui beneficii, nisi conuicta culpa, quæ sit laudanda per iudicium parium suorum. sicut supra diximus. si autem dixerit miles, quod sui pares iniquè iudicassent: miles in possessione maneat per sex hebdomadas, & ait Lotharius Imp. ad nostram veniat præsentiam cum illis, qui laudamentum, atque iudicium fecerint, & ante nos definiemus, lib. primo titul. 22.

DE FEVDO DATO INVICEM LEGIS COMMISSORIAE reprobando. Tit. XVIII.

SI quis obligauerit aliquam rem pignori eo pacto, vt si statuto tempore pecunia soluta non fuisset, res esset creditoris, & eam pro feudo habeat: potest debitor quandocunque pecuniam soluendo, pacto non obstante pignus recuperare. feudum enim non sub prætextu pecuniæ, sed amore, & honore domini acquirendum est.

Si quis inuestierit aliquem de feudo sui militis viri placentini, prorsus asserunt hanc inuestituram non aliter ualere, nisi eo consentiente, cuius erat feudum, Mediolanenses, & Cremonenses, nihil distare asseuerant, vtrum eo sciente, uel ignorante: dummodo eo uiuente nullum de feudo suo sibi contingat. Hoc autem dicendũ est de eo milite, qui feudi successores non habet, lib. primo, ti. 27.

Similiter feudum lege commissoria datum non ualet, id est si ad certum tempus pecunia non soluatur creditori, & habeat in feudum lib. secundo titu. 51. §. fin.

Feudum autem potest dari ad certum seruitium d. tit. 51. in fine.

DE VSV MEDIOLANENSIVM, SECVNDVM QVOSDAM. Titulus XIX.

QVidam obligauerat terram, quandam suo militi deinde cum filius sui domini longum post tempus pecuniam offerendo pignus liberare voluisset: filius militis contendebat fratrem suum à domino suo defuncto de prædicto pignore inuestitionem feudi accepisse. Vnde uiri prudentes Mediolanenses interrogati laudauerunt, in electione filii militis esse cum duodecim sacramentalibus iurare patrem suum,

vel se à domino suo per inuestituram prædictam terram tenuisse, ita vt per triginta annos contestatio pignoris à parte domini aduersus ipsum, vel patrem suum facta non fuisset. si autem ipse iurare voluerit, filius defuncti domini necesse habeat iurare cum duodecim sacramentalibus defunctum militem inde per feudum inuestitum non fuisse, quod si ita iurare recuset, inuestire ipsum filium militis domini filius de iam dicta terra per feudum debet, libro primo, titulo finali.

Secunda pars feudorum.

DE SVCCESSIONE FEVDI. Titulus I.

SEquitur de successione feudi videre. si quis igitur decesserit filiis, & filiabus superstitibus succedunt tantum filii æqualiter, vel nepotes ex filio loco sui patris, nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel ualente. Hoc quoque obseruatur, ut si frater meus alienauerit partem suam feudi, vel fecerit inuestiri filiam suam, si moriatur sine hærede masculo, nihilominus reuertitur ad me, & olim obseruabatur vsque ad quartum gradum tantum secundum quosdam. hoc ideo, quia postea non vocatur feudum paternum. Alii autem dicunt, vsq; ad septimum gradum. Filia vero non succedit in feudo, nisi inuestitura fuerit facta in patre, vt filii, & filiæ succedunt in feudum, (tunc enim succedit filia filiis non extantibus,) vel nisi inuestitæ fuerint, de hoc feudo paterno. in alio vero feudo, quod habuit initium tantum à fratribus, non succedit vnus alteri, siue una inuestitura, siue duabus inuestituris: nisi hoc fuerit dictum expressim, ut alter alteri succedat, libro primo, titulo octauo.

SI QVIS INVESTITVS FVERIT DE FEVDO, ita qui successores teneantur. Tit. II.

SI quis inuestitus fuerit de alieno fundo post mortem eius, vel si quis fuerit inuestitus sub conditione aliqua, uel tempore, quo nullus erat inuestitus, siue præmoriatur tenens feudum, siue inuestitor, siue inuestitus: inuestitor & inuestitoris hæredes tenentur inuestito, vel hæredi eius ueniente tempore, uel conditione: licet alii dicant, si moriatur inuestitus antequam tenens feudum, uel ante conditione existentem, uel ante tempus, quod hęredes eius non debeant inuestiri. nam si quis fuerit inuestitus purè de alieno fundo non ualet habita inuestitura. hoc ita est, nisi fuerit facta ab aliqua ecclesiastica persona. tunc enim si præmoriatur inuestitor antequam feudum tenens, uel conditio, uel tempus existat: non obligatur successor illius. & hoc probatur per legem Lotharii, de præcariis, & hoc intelligendum est in uassalis, qui feudi successionem non habent, libro primo, titulo ix.

DE FEVDO MARCHIAE, VEL DVCATVS VEL COMITATVS.
Titulus III.

DE Marchia, vel ducatu, vel comitatu, vel aliqua regali dignitate, si si quis inuestitus fuerit per beneficium ab imperatore ille tantum debet habere: hæres enim non succedit vllo modo nisi ab imperatore per inuestituram acquisierit. si Capitanei, vel valuasores maiores, vel minores inuestiti fuerint de beneficio filii, vel nepotes, ex parte filiorum succedunt. Si uero unus ex iis filiis, uel nepotibus, siue descendentibus masculini sexus hæredibus mortuus fuerit: prædicti fratres, vel nepotes per inuestituram patris, & aui in beneficium succedunt. Et similiter intelligendum est in consobrinis. si duo fratres simul inuestiti fuerint de beneficio nouo & non de paterno, si vnus eorum sine descendentibus masculini sexus mortuus fuerit, dominus succedit, non frater, nisi pactum fuerit in inuestitura, quod frater fratri succedat, per pactum enim frater succedit non dominus. Et quod diximus de fratribus, ut unus alii succedat per pactum: idem dicendum est de filiabus, si hoc pactum conciliet, & sic per pactum filiæ succedunt, lib. primo, Titul. xiiii.

AN MARITVS SVCCEDAT VXORI IN BENEFICIO.
Titulus IIII.

SI fœmina habens beneficium, & maritum moriatur: nullo modo succedit in beneficium maritus, nisi specialiter inuestitus fuerit. Et si ipsa fœmina filios dimiserit: dicunt quidam filios non debere succedere in beneficium matris, nisi specialiter sit dictum, uel inuestiti fuerint: quia secundum usum regni ad beneficium uocantur paternum, & non maternum. sed secundum æquitatem dicamus filios debere succedere. hoc dicimus de Capitaneis, & de maioribus ualuasoribus, & de minoribus: de minimis autem, & de iis, qui beneficium tenent à maioribus ualuasoribus, sic seruetur, sicut inferius dicemus, li. primo, Tit. xv.

CONSTITVTIONES FEVDALES DOMINI LOTHARII imperatoris, quas ante ianuam Beati Petri in ciuitate Romana condidit obseruandas. Titulus V.

SI quis ex militibus decesserit, qui de feudo inuestitus fuerit, ut constitutum habemus, obseruetur de beneficio, & successione, & culpis. si vnus inculpatus fuerit vna de his nominatis culpis, vt habemus insertum obseruetur per constitutionem domini Lotharii Imperatoris, quæ est cōstituta tempore Eugenii Papæ ante Ianuam Beatissimi Petri Apostoli in Ciuitate Romana per Laudamentum Sapientum Papiæ, atque Mediolani, Mantuæ, Veronæ, quæ Brenus (alias Hybernus) uocatur: & Parmæ, Lucæ, & Pisæ, & Syponthi, & Marchionum, atque Ducum, uel Capitaneorum atque Valuasorum maiorem. libr. primo. Titul. xix.

Si quis miles mortuus fuerit sine filio masculo, & nepotem reliquerit: in beneficium aui, in patris uicem succedit. Et si hæredem, & fratrem reliquerit: in beneficium patris ipse succedit. Et si filius fratris mortuus fuerit: frater patris in beneficium

ficium aui defuncti succedat, lib.primo, Titul. xix.

Filius non potest recusare hæreditatem patris absque feudo: propinquus autem potest, lib.secundo, 51.§.filius.

DE BENEFICIO FRATRIS, ET QVALITER FRATER IN beneficium fratris succedat. Titulus VI:

SI quis acquisierit beneficium,& sine filio masculo mortuus fuerit,& fratrem reliquerit: frater non succedat fratri sed dominus habeat, nisi per inuestituram à domino ordinatum fuerit, vt frater succedit fratri, si mortuus fuerit sine hærede masculo: vel succedat frater fratri morienti sine filio: vel nisi beneficium de communibus bonis fuerit emptum, vel vtriusque nomine domino sciente, si simul steterint, vel in hostem regis acquisierint, lib.primo, Tit.xx.

QVEMADMODVM FEVDVM AD FILIAM PERTINEAT. Titulus VII.

SI quis sine filio masculo mortuus fuerit,& reliquerit filiam: filia non habeat beneficium patris, nisi à domino redemerit. Si autem dominus ei dare voluerit propter seruitium,& amorem patris, non reuocetur ab vllo, ex parentibus suis, neque damnetur,, lib.primo, Tit.xxiiii.

DE SVCCESSIONE FRATRVM, VEL GRADIBVS succedentium in feudo. Titulus VIII.

PER successionem quoque sicut per inuestituram beneficium ad nos pertinet. Mortuo enim eo qui beneficium tenebat prima causa liberorum est: filiis enim existentibus masculis, vel ex filio nepotibus vel deinceps per masculinum sexum descendentibus cæteri remouentur agnati, ad filias vero seu nepotes, vel pronepotes, vel ex filia nepotes, seu pronepotes successio feudi non pertinet. Proles enim fœminini sexus, vel ex fœmineo sexu descendens, ad huiusmodi successionem aspirare non potest: nisi eius conditionis sit feudum, vel eo pacto acquisitum. his vero deficientibus vocantur primo fratres cum fratrum præmortuorum filiis, deinde agnati vlteriores. quod ita intelligēdum sit paternum, hoc est si fuit illius parentis, qui eius fuit agnationis commmunis. si enim Titii auus de nouo beneficio fuerit inuestitus, Titio sine legitimo hærede masculo defuncto, eius feudi successio non pertinet ad eiusdem Titii patruum magnum, nec ad prolem ex eo descendentem, imò reuertitur ad dominum: ad cognatos enim eius beneficium non pertinet, neque beneficii successio, si vero dominus, vel alius beneficium defuncti nouum esse dicat. Agnatos autem illius proximus paternum esse contendat. tunc onus probationis incumbit illi, qui nouum dicit, sed aliter pronunciatum est. Bonus enim iudex causa diligenter intuebitur, cuius potius iureiurando dirimenda sit hæc quęstio, vtroque scilicet in probatione deficiente, lib. secundo, Titul.xi.

DE

DE FRATRIBVS, DE NOVO BENEFICIO INVESTITIS. Titulus IX.

SI duo fratres de nouo beneficio, & non de paterno ſimul inueſtiti fuerint vno ſine hærede defuncto, ad alterũ non pertinet eius beneficii portio, niſi facta fuerit eo pacto inueſtitura, ſi duo fratres in cauſa communi poſt mortem patris remanſerit, id eſt habitauerint ſimul, & vnus eorum feudum acquiſierit: plerique dicunt ad alium non pertinere. ſed ad dominum: niſi per pactum: ſed neque viuente eo, qui acquiſierit, neque poſt mortem eius: fructus tamen erunt communes, donec ſimul habitauerint. Quod ſi cum equis, & armis cõmunibus, vel pecunia communi ſit acquiſitum: adhuc idem dicũt, ne fortè inuitus dominus alium, quàm quem voluerit, ſibi adquirat vaſallum: dum tamen meminerimus id, quod de communi expenſum eſt, alteri pro parte competenti eſſe reſtituendum, lib. ſecundo, Titul. xii.

DE INVESTITVRA, QVAM TITIVS ACCEPIT A Sempronio. Titulus X.

TItius à Sempronio talem inueſtituram accepit feudi, vt haberet ipſe, & hæredes ſui legitimi maſculi, & iis omnibus deficientibus, fœminæ. Porrò Titius ſuperſtite tantum filia deceſsit. ipſa à domino inueſtitura fuit, & feudum in dotem dedit, maritoque ſuperſtite ſine liberis deceſsit. Quærebatur ſi ad maritum ſucceſsio feudi pertineat? Reſponſum eſt non pertinere: lib. ſecundo, Titul. xiii.

DE EO QVI SIBI, VEL HAEREDIBVS SVIS MASCVLIS, & fœminis inueſtituram accepit. Titulus XI.

QVI ſibi, vel hæredibus ſuis maſculis, vel his deficientibus, fœminis per beneficium inueſtituram feudi accepit, vna tantum filia ſuperſtite nullo alio deſcendente relicto deceſsit, hæc marito paternum feudum in dotem dedit, & deceſsit, duobus filiis ex eo procreatis quorum unus duas filias reliquit, alter vero vno filio maſculo relicto deceſsit. de prædicto itaque feudo vrgentem vidimus quæſtionem, maſculo quidem hoc feudum totum ſibi quia ſolus eius, qui primo inueſtituram accepit, hæres maſculus ſit, vendicante: fœminis vero totam ſui patris partem ſibi defendentibus, quia ex eo nullus extitit maſculus. cumque inter ſapientes ſæpe ſuper hac quæſtione ſit diſputatum, tandem pro maſculo pronunciatum eſt: non enim patet locus fœminæ in feudi ſucceſsione, donec maſculus ſupereſt ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit inuæſtitus. Nam & illud iudicatum eſt, ſi ille, qui proprium feudum ſuum militi pro beneficio dedit, duobus filiis relictis deceſſerit, quorum vnus filia tantum relicta obiit, alter uerò filio maſculo relicto ſuperſtite defunctus eſt, quod miles non debet feudum ſuum per fœminam recognoſcere, donec ſupereſt maſculus ex eo, qui primam inueſtituram fecit. alii dicunt per filiam debere recognoſcere, cũ de paterno allodio eſſet hoc feudum, alioquin ſi aliũde eſſet, verum eſſet, quod dicitur per fœminam non debere recognoſcere. lib. ſecundo, Tit. xvii.

DE

DE VASALLO DECREPITAE AETATIS, QVI FEVDVM refutauit, vt filii inuestirentur. Titulus XII.

QVI dum vasallus cum decrepitæ ætatis esset, feudum suum in manu domini ad hoc refutauit, vt Seium, & Sempronium filios suos de eodem beneficio inuestiret. Vasallo mortuo Sempronio sine legitimo hærede. Seio adhuc superstite decessit. lis est inter dominum tamquam nouum feudum sibi delatum esse dicentem, & Seium paternum esse contendentem. Vnde eorum sententia præualuit, qui dixerunt hoc feudum quamuis refutatum nihilominus esse paternum, lib. secundo. Tit. xiiii.

DE INVESTITVRA IN MARITVM FACTA. Titulus XIII.

VAsallus superstite tantum vna filia decessit. illa uerò maritum accepit, cui dominus accepta pecunia partem feudi quod pater puellæ habebat, retenta sibi parte altera dedit. Nunc quidam agnatus defuncti cùm marito agit dicens totum hoc feudum esse paternum, & ideo omnimodo esse ad se deuolutum è contra maritus contendit hanc partem, quam ipse habet nouum feudum esse, & ideo domino apertum. quæritur igitur, vtrum apud dominum eundem, & in eius curia cogatur agnatus defuncti litigare, vel apud agnati iudicem, vel arbitrium vtriusque consensu electum hoc esse debeat: multis placet potius apud iudicem ordinarium, vel arbitrum, quàm apud eundem dominum hoc litigium fore determinandum. item placet agnatum non semper cogendum probare feudum hoc esse paternum, sed ab aduersa parte nouum esse probandum. qua deficiente in probatione tunc agnato, (vt dictum est) causa cognita detur electio, quatenus, vel iuret esse paternum, vel alteri parti referat iusiurandum, & ille, aut iuret, aut taceat. illud tamen sciendum est, quod si inter duos, qui dixerint se esse vasallos de feudo fuerit dubitatio: alter alterum inuitum trahere non potest, ad dominum, vel eius curiæ iudicium. si verò cum sua curia dominus vocauerit eos, nemini eorum licet illius domini, vel eius curiæ examen declinare, libro. secundo, Titul. xv.

DE FILIIS NATIS EX MATRIMONIO AD MORGANATIcam contracto. Titulus XIIII.

QVidam habens filium ex nobili coniuge, post mortem eius non valens continere, aliam minus nobilem duxit, qui nolens existere in peccato eam desponsauit ea lege, vt nec ipsa, nec filii eius amplius habeant de bonis patris, quàm dixerit, tempore sponsaliorum verbi gratia decem libras, vel quantum voluerit dare, quando eam desponsauit, quod Mediolanenses dicunt accipere vxorem ad Morganaticam: alibi lege salica: hic filiis ex ea susceptis decessit. Isti in proprietatem non succedunt, aliis extantibus, sed nec in feudo, etiam aliis non existentibus: qui licet legitimi sint, tamen in beneficio minime succedunt. in proprietate vero succedunt patri prioribus non existentibus, succedũt etiam fratribus sine legitima prole decedentibus secundum vsum Mediolanensium. lib. secundo, Tit. xxix.

DE FEVDO FOEMINAE.
Titulus XV.

SI fœmina habens feudum decesserit, quia fœmineum est feudum, & sine pacto speciali deficientibus filiis masculis ad filias pertinebit. Obertus, & Gerardus. alii vero dicunt nisi per pactum speciale ad eas nō pertinere, sicut si datum esset filio masculo, quia si ideo, quod est fœmineum sine pacto transit in fœminas eadem ratione, quia est fœmineum, transit in fœmineam prolem etiam masculis extantibus: quod falsum est. Ex hoc illud descendit, quod dicitur clericum nullo modo in beneficium paternum debere succedere, etiamsi posteaquá habitum religionis assumpserit postposuerit. Idem in omnibus, qui habitum religionis assumunt, vt conuersi: hi enim nec postea in feudo succedūt, & si quod habent perdunt, libro secundo. Tit. xxx.

Quidam miles bina beneficia à duobus dominis, pro vt solutū est, acquisiuit, qui decedens duos reliquit filios, qui paterna beneficia inter se diuidentes, alter eorum domino suo pro beneficio, quod ad eum peruenit, fidelitatem nullo ante posito, sicut pater fecerat, fecit. Alter vero frater pro suo beneficio, alteri domino suo similiter, quia nullum alium dominum habere videbatur, nullo ante posito fidelitatem fecit. Defuncto posteriore fratre sine filiis, vtique feudum in quærimoniam venit, vt prius personam, & sic dominus posterior talem fidelitatem quærit, qualem eius frater fecerat. Istis altercationibus amputatis: Sancitum est, quod frater fecit (scilicet in dando simpliciter) nil superstiti obesse, licet in secundam, & tertiā generationem, & vsque in infinitum peruenit, si hoc actum erit. lib. secundo, Tit. lii. §. satis bene.

Tertia pars feudorum.

SI DE INVESTITVRA FEVDI FVERIT CONTROVERSIA.
Titulus I.

SI autem controuersia inter dominum, & fidelem de feudi inuestitura fuerit, quid iuris sit, videamus. Et si inuestitura facta fuerit coram paribus curiæ, aut in breui testato: recte eū, qui inuestitus est, cogitur dominus mittere in feudi possessionem. Si verò fuerit in possessione, & mota fuerit ei controuersia à domino: ei defensio detur propter possessionem. si autem non fuerit in possessione, nec supra dictis modis poterit probare: tunc illius erit defensio, qui inuestituram dicitur fecisse. Si verò feudum aliquis habuerit, de quo nulla controuersia est, & dixerit se inuestituram alterius feudi accepisse ab eodem domino, nec in possessione fuerit: nec prædictis rationibus probare poterit, licet domini esset defensio, ex ordine tamen, quia aliunde vasallus est, remittitur domino ex æquitate defensio, lib. primo, Tit. iiii. in princ.

Cùm autem quis dixerit feudum ad se per successionem pertinere, asserendo illud esse paternum, si fuerit in possessione medietatis, vel alicuius partis, vel cābium proprietatis nomine illius feudi habuerit, vel aliis iustis rationibus illud

esse paternum probare potuerit: iure obtinebit, si vero probare non potuerit prædicto modo, dabitur ei defensio xii. sacramentalibus. dicto Titul. quarto, §.cum autem.

Item si vasallus possederit castrum, quod dixerit se pro feudo tenere, & econtra dominus per guardiam dixerit se ei dedisse. domini est probatio, & si poterit probare: tunc ille, qui tenet, domino debet restituere, uel probare per pares curtis, vel per breue testatum, postquam in guardiam suscepisset se à domino pro feudo inuestituram accepisse. domino uero in probatione deficiente, tunc illius erit defensio, qui possidet, d. Tit. quarto, §. item si vasallus.

Similiter si aliquis possederit castrum, vel aliam rem, & dominus dixerit se pro pignore ei dedisse è contrario ille dixerit se accepisse pro feudo: si potuerit dominus probare, quod ei pro pignore dedisset, tunc ille, qui tenet, domino restituet, uel probet supradicto modo se postquam à domino pro pignore accepit. feudi nomine accepisse. & si dominus non poterit probare se nomine pignoris dedisse, erit defensio illius, qui possidet. Si quis de manso uno feudi nomine inuestituram acceperit, & dixerit, quod omne incrementum pertineat ad eum per inuestituram, si dominus reseruauerit sibi aliquid in ipsa curte, tunc oportebit fidelem incrementi inuestituram per pares curtis, uel per breue testatum probare. sed si dominus in ipsa curte nihil sibi retinuit: tunc omne incrementum iure feudi fidelis obtinebit. si uero fidelis in possessione incrementi fuerit, non oportebit eum inuestituram probare, sed iurare, d. Titul. quarto, §. similiter.

Rursus si quis acceperit inuestituram feudi cùm omni incremento, quod ei obueniret, & aliquid accreuerit viuente eo à quo acceperit: ipsius erit, & si ille, qui inuestituram fecit, sine hærede decesserit, & feudum reuersum fuerit ad eum, à quo ipse tenuerit, uel ad alium: quicquid post mortem eius, qui dedit accreuerit, ad eum pertinebit, ad quem regressum fuerit. Tit. iiii. §. Rursus.

DE CONTENTIONE INTER DOMINVM ET FIDELEM de inuestitura feudi. Titulus II.

SI contentio fuerit inter dominum, & fidelem de inuestitura feudi: per pares curiæ dirimatur. Alii enim testes, & si idonei sint admittendi non sunt, inopia tamen probationum dirimatur, vel religionem clientuli possessoris feudi, vel cùm duodecim sacramentalibus secundum quosdam. cæterum si dominus possideat: etiam per suum iusiurandum cùm duodecim sacramentalibus dirimatur. hoc ita, nisi clientulus sit Castaldus, uel actor domini. tunc enim tantum suæ, idest domini religioni statur. nisi habeat testes pares idoneos. nam aliquãdo malignãdo multa bona auferuntur domino hoc modo, & hoc colligitur per legem, quæ est in titulo de acquisitione actorum regis in Lombarda, idem dicendum de guardia, lib. primo. Titul. x.

DE CONTENTIONE INTER ME, ET DOMINVM DE portione feudi fratris mei defuncti. Titulus III.

SI contentio fuerit inter me, & dominum de portione feudi fratris mei defuncti, dicendo paternum esse, & sic me debere succedere, illo uerò minime tanquam

quam habuerim partem meam,siue poſsideo,ſiue alienaui: dabitur iuſiurandum,ſcilicet patrem meum iure inueſtitum fuiſſe,licet non poſsideam portionem fratris mei. Si vero nullam partem habuero illius feudi: nec mihi,nec domino dabitur iuſiurandum,niſi propter ſupradictam rationem, domino non, ut ego propter hoc aliud meum feudum amittam. Si tamē vaſallus poterit probare paternum fuiſſe: ſiue poſsideat, ſiue non, obtinebit: alioqui niſi probet paternum fuiſſe,vel niſi poſsideat,dominus obtinebit,lib.primo,Tit. xii.

APVD QVEM, VEL QVOS CONTROVERSIA FEVDI definiatur. Tit. IIII.

SI contentio fuerit de beneficio inter Capitaneos coram Imperatore definiri debet. ſi verò fuerit contentio inter minores valuaſores,& maiores de beneficio: in iudicio parium definiatur, vel per iudicem curtis. ſi aliquis de Capitaneis,vel de maioribus valuaſoribus,vel de minoribus ſuum beneficium,ſiue totum,ſiue partem alienauerit,& ipſe vel hæres eius ſine hærede deceſſerit, quia beneficium ſenioribus aperitur, totum quod fecit,reuocari debet, libr.primo Titulus xviii.

DE CONTENTIONE INTER DOMINVM, ET vaſallum de inueſtitura feudi. Titulus V.

SI quis miles in poſſeſsione ſui beneficii fuerit,& dominus inueſtituram negauerit,miles affirmet per iuſiurandum,ſi potuerit,quod ſuum ſit beneficium per inueſtituram domini ſui.& ſi dominus poſſederit,& miles ſic dixerit,quod inueſtitus fuerit à domino ſuo,& dominus negauerit: adhibeantur pares illius,& per ipſos inueniatur veritas,& ſi pares non fuerint, ueritas inueniatur per dominum,quia non eſt bonum, ut ueritas denegetur, lib.primo Tit.xxiii.

SI DE INVESTITVRA INTER DOMINum, & uaſallum lis oriatur. Tit. VI.

SI inter dominum, & uaſallum lis oriatur de inueſtitura feudi, domino ſcilicet inueſtituram ſe feciſſe negante: ſi teſtibus res probari non poterit, poſſeſſoris ſacramento res decidatur: idem & in eorum ſucceſſoribus obſeruatur. ſi uero teſtes interfuerint,& eos uaſallus ad teſtimonium uocauerit: eorū teſtimonio cum ſacramento credatur. Teſtes uero ſint pares eius, & qui ab eodem domino feudum teneant, qui ſi tempore inueſtitionis abfuerint,etiam extranei ſunt recipiendi,qui etiam ſi ueritatem celare uoluerint,fortè amore,uel pretio, uel alia qualibet ex cauſa à comite,uel à populo iurare compellantur, quod ex ea cauſa falſitatem non dicant, nec uera ſcientes tacebunt: his enim non cogentibus eos,uaſallus cum ipſo domino ad Imperatorem ire feſtinet, eiq́ue cauſam intimet, & quod Imperator inter eos iudicauerit obſeruetur.

ſi autem ſe venturum, vel nũcium miſſurum vaſallus promittat, ex quo promiſerit vſque ad annum, quietè poſsideat. Si verò ad regem non venerit, vel non miſerit intra annum: domini ſacramento cauſa finiatur. Et ſi teſtes ſacramento iã dicto præſtito, ſe non interfuiſſe dixerint, domini ſacramento quæſtio terminetur. hæc omnia etiam in clericorum perſonis locum habent, præterquàm quid de perſonis teſtium dictum eſt. in clericorum feudo pariter accipiuntur pares, & extranei: hoc ideo, quia cum clerici quoſdam de feudo inueſtiunt, ſæpe abſconsè, & ſine præſentia ſuorum confratrum hoc facere ſtudent, lib. primo Titul. xxvi. in princ.

Si quis ſe, vel patrem ſuum ab aliquo defuncto, vel patre eius de feudis inueſtitũ eſſe contenderit, niſi per duos pares de domo ipſius domini probauerit quod intendit, vel etiam cùm pares abſunt, per alios idoneos duos teſtes: tunc in electione domini eſt, utrum velit iurare cum duodecim ſacramentalibus illũ, qui feudum quærit, per ſe, vel patrem eius, ſi de hoc quæratur, de ipſo feudo inueſtitum non fuiſſe. Quod ſi iurare noluerit: actor iuret cum duodecim ſacramentalibus ſe, vel patrem ſuum inueſtitum fuiſſe. Quod ſi iurare noluerit, qui conuenitur eſt abſoluendus: ſecundum enim morem Mediolanenſium, hæc ſacramenta præſtanda ſunt, tam à filiis actoris, vel rei, quàm ab ipſis principalibus perſonis. ſi autem aliquis in poſſeſsione feudi ſit, de quo dominus dicit eum inueſtitum non fuiſſe: tunc ſine probatione vlla teſtium, debet ſolus iurare ſe, vel patrem ſuum fuiſſe inueſtitum. Hæc autem ita ſunt tenenda, ſi per vnum ſciente domino, & non contradicente in poſſeſsione feudi permanſit. alioquin iuſta ignorantia, vel parui temporis negligentia cum iniquæ poſſeſsionis periurio quandoque domino in poſſeſsione damnum affert, d. lib. primo, Tit. 26.

DE CONTROVERSIA FEVDI APVD PARES TERMInanda. Titulus VII.

SI inter dominum, & vaſallum de feudo orta fuerit contentio, per pares illius domus, ſicut lex Corradi dicit, dirimatur, ſi tamen pares habeat. Et ſi quidem Dominus, & vaſallus conſenſerint in eligendis paribus: nulla dubitatio eſt. ſi verò diſſentiant: tunc quid faciendum ſit, quæritur, ſed præualuit eorum ſententia, qui dixerunt dominum debere eligere prius, quem, aut quos voluerit, & vaſallus ſimiliter hoc faciat ſecundum numerum à domino comprobatum. ille tamen vaſallus, qui fidelitatem domino non iurauit domino, vel vaſallo diſsentiente, pro pari non eſt eligendus, lib. ſecundo. Titul. xvi.

AN REMOVERI DEBEANT TESTES, qui pares eſſe deſierunt. Tit. VIII.

EX facto quæſitum eſt, ſi inter dominum, & fidelem de inueſtitura feudi contentio emerſerit, quia factam eam dominus neget, ſi vaſallus offerat eos teſtes, qui tempore inueſtituræ pares erant, ſed poſtea qualibet ex cauſa pares eſſe deſierunt: an ideo ſint

sint remouendi, quia nunc non sunt pares: sed quamuis alii aliter sentiant, tamen præualuit opinio illorum qui dicunt sufficere eos tempore inuestituræ saltem pares fuisse: quid enim peccauit, qui inuestituram accepit, si illi, quos eo tempore, vt potè idoneos adhibuit, postea pares esse desierunt: libro secundo, Titulus. xix.

DE CONTROVERSIA INTER EPISCOPVM, ET vasallum. Tit. IX.

EX eo, quod scriptum est, si inter dominum, & vasallum de feudo nascatur quæstio, quod per pares eiusdem curiæ dirimenda sit, quæsitum est, si quis dixerit se à quodam episcopo fortasis iam defuncto de annua præstatione, aut qualibet alia re per feudum inuestituram accepisse, & cùm successore eius agat, & ille respondendo neget hunc esse vasallum, vtrum per pares eiusdem curiæ sit iudicandum super hac quæstione? opponit enim vasallus quod dominus eum negat esse vasallū, & ideo in ea curia pares non habet. Item dicit vasallus quod prius de suo recto feudo debet inuestiri quàm à nemine iudicari: domino respondente, quod quicquid inter eos, siue de inuestitura, siue de infidelitate, siue de inuestitura, siue de infidelitate, siue de principali causa agendum est per suam curiam est expediendum. sed laudatum sæpe est, pares illius curiæ secundum præfatum modum esse eligendos prius, ad quorum spectat officium, vt illum prius de suo recto feudo inuestiri faciant: sed fidelitatis iusiurandū differatur, donec de principali causa cognoscatur. ex illo enim apparebit vtrum iurare debeat, an non: quod totum expeditæ quæstionis est. sed si constiterit vasallum aliquid aliud præter id de quo quæritur, ab eodem domino tenere pro feudo, tunc quin debeat de suo recto feudo inuestituram accipere, & fidelitatem iurare, & sic ad principalem causam accipere, non est dubitandum, libro secundo, Titulus xx.

SI DE FEVDO VASALLVS AB ALIQVO INTERPELLAtus fuerit, & dominus eum defendere noluerit. Titulus X.

NEgocium tale est. Quidam vasallus à domino tenebat feudum, de quo ab aliquo interpellatus fuit, & sic vasallus dominum vocauit, vt eum defenderet, domino renuente ad iudicem venire vasallus amisit causam per sententiam. nunc verò vasallus cambium feudi à domino petit, ad quem dominus respondens ait illum nunquam ab eo hoc feudum tenuisse, nec ab eo inuestituram accepisse. contra quem vasallus dicit se hoc feudum ab eo tenuisse, & inuestituram accepisse, & ab eo petiuisse, vt eum in iudicio defenderet, nec tunc temporis inficiabatur illius esse, quod idoneis totum testibus probat vasallus. Responsum est quod si vasallus cū de feudo interpellabatur, auctorem suum, idest dominū, vt eū defendere vocauit, & hoc probare posit, si in eo iudicio uasallus fuerit uictus de re aliena inuestitum fuisse, ut dominus uasallo eiusdem æstimationis, quod erat tempore

rei iudicatæ feudum restituat, vel numos in feudum dandos numeret: & hoc cùm certum est vasallum de feudo victum fore. sed si dominus neget hoc feudum nunquam ab eo tenuisse, nec ab eo domino ipsum vasallum, vel eius antecessores, vnquam inuestituram accepisse, & hoc vel per instrumentum publicè confectum, vel per pares curtis vasallus poterit probare: dominus ad restitutionem feudi tenebitur. alioquin dominus sacramentum subire cogetur, istũ qui est in causa, vel eius antecessores à se, vel à suis antecessoribus nunquam hoc feudum tenuisse, vel inuestituram accepisse, quo facto dominus absoluendus erit. lib. secundo, Tit. xxv.

SI DE FEVDO DEFVNCTI CONTENTIO sit inter dominum, & agnatos vasalli. Titulus XI.

SI de feudo defuncti militis sit contentio inter dominum, & agnatos defuncti, domino nouum feudum, agnatis verò paternum esse contendentibus agnati in possessione feudi de quo quæritur constituendi sunt. Eo facto, super principali quæstione cognoscendũ est: vtroque autem deficiente in probatione electio iurisiurandi agnatis danda est, lib. secundo, Tit. xxvi.

Inter filiam defuncti, & agnatos eius de quodam prædio mota est quæstio, agnatis feudum, filia vero allodium siue libellarium esse asserentibus, super possessione apud quem manere debeat, quærebatur. responsum est apud filiam possessionem interim esse collocãdam, deficientibus verò hinc, inde probationibus per iusiurandum causa cognita res decidetur, electione danda agnatis defuncto milite inter dominum & filiam illius super quodam feudo quærebatur domino feudum filia allodium, siue libellarium esse allegante. responsum est filiã in possessione feudi manere debere donec de eo iudicetur, probatione verò hinc inde cessante, electio iurisiurandi filiæ danda est, libr. secundo. Tit. eodem §. inter filiam.

Moribus receptum est dominum de feudo militis sui, quod post mortem ipsius ad dominum reuerti sperabatur, in alium militem inuestituram facere posse, quæ inuestitura tunc demum capiet effectum, cum feudum domino aut hæredi suo fuerit apertum. Secus autem in ecclesiasticis personis. nam si ecclesiastica persona talem faciat inuestituram, non aliter valebit, nisi sibi non etiam successori suo feudum aperiatur, & in tali inuestitura consensus eius de cuius feudo sit, exquiri non oportet, eod. libro, atque tit. §. Moribus.

Vasallus si feudum, vel feudi partem, aut feudi conditionem ex certa scientia inficiatur, & inde conuictus fuerit eo, quod abnegauit feudum eius, vel conditionem, expoliabitur. alius autem vasallus, quamuis hoc sciens non patefaciat, feudum tamen non amittit. lib. secundo, Tit. 26. §. vasallus.

Si quis per triginta annos rem aliquam, vt feudum possedit, & seruitium domino exhibuerit, quamuis de ea re non sit inuestitus, præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest. Qui clericus efficitur autem votum religionis assumit hoc ipso feudum amittit. Et si vasallus omni anno domino se non repræsentat, feudum tamen non amittit. omnes filii eius, qui feudum acquisierit, fidelitatem facere debent maximè si indiuisum

habent,

habent,quod si feudum ex diuisione ad vnum tantum peruenerit, ille tantum faciet fidelitatem. Adoptiuus filius in feudum non succedit. Mulier habens feudum relictis filiis ex duobus matrimoniis decessit,inter quos feudi quæstio aliarumque rerum maternarum uertebatur. obtinuit filios prioris matrimonii tam in feudo, quàm in cæteris potiores esse, dicto libro. atque Titulo. §. si quis.

Naturales filii,licet postea fiant legitimi ad successionem feudi nec soli, nec cum aliis admittuntur. si minori datum fuerit feudum fidelitatem facere non cogatur,donec uenerit,in maiorem ætatem,in qua doli capax sit,feudum tamen retinet,d.lib.& tit.§.naturales.

Si decesserit filio impubere relicto,fidelitatem nec ipse, nec alius pro eo facere cogitur: idem de seruitio personali,alius tamen pro eo faciens seruitium admittetur. Titius filios masculos non habens partem suam feudi Seio, partem eiusdem feudi possidenti agnato suo concessit. Sempronius proximior agnatus mortuo demum Titio partem illius feudi nullo dato pretio recuperare potest. quod si Titius filios proprios haberet precio reddito etiã viuo Titio,quod si consensit alienationi vel per annnm ex quo sciuit,tacuit: omnino remouebitur. libro atque titulo eodem.§. si decesserit.

Si facta de feudo inuestitura,pœniteat dominum antequam possessionem transferat, an præstando interesse vasallo, liberetur, quæsitum fuit. responsum est, prætermissa illa condemnatione dominum possessionem feudi de quo inuestituram fecit tradere compellendum. filii nati ex ea uxore,cum qua matrimonium tali conditione contractum est,ne filii ex ea nati,patri ab intestato succedant,in feudo succedunt: nam quamuis ratione improbetur talis conditio, & vsu tamen admittitur. lib.secundo,Tit.xxvi.§ si facta.

Licet vasallus domino seruitium non offerat, quantocunque tempore steterit (dummodo domino petenti seruire paratus sit) beneficium non amittit: si tamen sciat ei magnum periculum imminere, vltro adiutorium suum ei debet præbere. idem quæsitum est: si dominus in periurium incidat,quia dare non valeat,quod dare iurauerat,& vasallus eum liberare possit suam pecuniam dando,& non facit,an beneficium amittat? & responsum est non amittere. Si vasallus culpam committat propter quam feudum amittere debeat, neque filius,neque eius descendentes ad id feudum reuocabuntur, sed agnati, qui quarto gradu sunt,dummodo ad eos pertineat. in generali alienatione uasalli non continetur feudum,nisi nominatim dictum sit, d. libro, & dicto Titulo. §. licet.

Si vasallus feudum alienauit ignorans non domino, sed ipsi vasallo feudum restituendum est: ad interesse vero emptori ignoranti condemnandus est vasallus. vasallus feudum quod sciens abnegauit,amittit: ignoranti verò subuenitur. Quod si dubitet,dubitanter,respondere debet. Beneficium à vasallo in feudum si nihil in fraudem legis fiat,rectè dari potest,dum tamen militi detur. Si vasallus de beneficio suo agat,vel conueniatur,siue obtineat siue non,(licet ignorante domino fiat)omni tempore firmum erit illud iudicium. nam & transigere rectè poterit,nec quod accepit transactionis nomine,feudum erit, d.Titulo, atque libro.§ si vasallus.

Domino committente feloniam(ut ita dicam) per quam vasallus amitteret feudum,si eam committeret,quid obtinere debeat de consuetudine, quæritur,& respondetur proprietatem feudi ad vasallum pertinere, siue peccauerit in va-

fallum fuit in alium. feudum ea lege datum, vt ipse, & hæredes sui masculi & fœminæ, & cui dederit, habeant: iisdem culpis amittitur, quibus, & aliud feudum. Quod si vasallus alienauit, feudum esse desinit apud emptorem. Titius cum Sempronio fratre suo feudum paternum possidente pactum fecit de eo feudo non petendo à Sempronio hæredibusve suis. Sempronio sine hærede masculo defuncto, inter Titium, & Seium fratrem suum de eo feudo quæstio orta est, quid inde fieri debeat quæritur; responsum est pactum non obstare Titio. lib. secundo, Tit. 26. §. finali.

QVI TESTES SVNT NECESSARII AD NOVAM INVESTITURAM PROBANDAM. Titulus XII.

Siue clericus, siue laicus dominus ad probandum nouam inuestituram semper pares curiæ sunt necessarii, & si sine eis facta sit inuestitura, etiam si dominus confiteatur factam, quia tamen hac solennitate facta est. nō ualet etiam si pro bonis possit per breue testatum. sed si alii contra testantur, & si dominus confiteatur factam, decurrens postea ad solennitatem consuetudinis, non audietur: sed tale habebitur, ac si pares affuissent: sed alii, etiam si probari possit per breue testatum, vt Obertus, & Gerardus, nisi à paribus curiæ confirmatum: consules tamen Mediolanenses, olim in quibusdam omnia contra rescripserunt in quo ferè omnes Mediolanenses consenserunt, & consentiunt, ut breue testatum, non à paribus sed ab aliis confirmatum, sufficiat ad probandam nouam inuestituram, noua inuestitura dicitur quando feudum primo quęritur. De veteri autem beneficio inuestituræ, quæ fit à domini successore, vel vasallo successori, etiam extranei recipiuntur ad testimonium, præter fœminas, secundum vsum Mediolanen. istæ enim nec in causis feudi, nec aliorum recipiuntur ad testimonium: cæteri autē recipiuntur in omnibus, quæ ad causas feudi pertinent, præterquam de noua inuestitura, lib. secundo. Titul. xxxii.

DE LEGE CORRADI. Tit. XIII.

LEx Corradi de beneficio, quam dicit: si inter Capitaneos controuersia sit, coram Rege finiatur: si inter Valuasores, coram paribus curiæ. Mediolani non tenetur, sed talis distinctio ibi obseruatur: quia si inter duos, quicunque fuerint, de beneficio regali controuersia fuerit, quorum vtroque à rege se dicit inuestitum fuisse, tūc causa eorum eo decidatur, cæteræ verò causæ apud pares curiæ. Si autem inter pares duos de aliquo beneficio controuersia sit: quorum vtique suum feudum proprium esse dicat, siue asserant eundem inuestitorem, siue diuersos, coram iudice, vel arbitro finiatur. sed cum vnum producunt inuestitorem, si possidenti dominus guarentizare voluerit, sine fraude ipse obtinebit: nisi aduersarius contra aliquid induxerit, libro secundo, titulo xxxiiii. in principio.

Ex

Ex eadem lege descendit, quod dominus sine uoluntate uasalli feudum alienare non potest, quod Mediolani non obtinet. ibi enim sine curia etiam beneficium totum rectè alienatur, dum tamen aut æquali domino, aut maiori vendatur. inferiori uero sine uasalli uoluntate non licet. & partem alienare, etiam maiori retenta parte alia feudi: uerbi gratia, est uasallus, qui ab eodem domino in pluribus locis feudum tenet, si partem feudi in uno loco uendat, in alio sibi teneat iste non debet emptori seruire, sed per priorem dominum totum beneficium recognoscere, cum curia uero cuicunque beneficium etiam rustico, & sine uasalli uoluntate potest, dum tamen non totum alienetur. Ober. quidam autem dicunt, & Gerardus non ualere, si fiat inferiori, dicto titulo, xxxiiii. §. ea ex eadem lege.

Similiter nec uasallus feudum sine uoluntate domini alienabit, in feudum tamen rectè dabit, si secunda persona sit talis, quæ feudo seruire possit: ut si dans miles est, & ille, qui accepit feudum, inueniatur miles, ad hoc, ut feudum si contigerit, domino similiter seruire, ut & prior possit, & hoc, ut dare liceat in infinitum. in quibusdam tamen curiis, ultra tertiam personam feudi concessionem extenditur, ut cum feudum peruenit in quartam personam, ei auferre dominus possit. Profecto ille, qui suum beneficium alii dat in feudum: non debet alia lege dare, nisi qua ipse habeat: ut si habeat sibi suisque hæredibus (quod intelligi debet de solis masculis) non debet alii dare, ut habeat ipse, & sui hæredes masculi, & fœminæ. Vnde quibusdam placet, quid qui taliter dedit, eo ipso beneficium amittit. Gerardus & alii dicunt, quid qui dedit, & cui datum est, beneficium perdit. Secundum alios uero tunc domino aperitur, cum masculi defecerint, dicto tit. xxxiiii. §. similiter.

Si fuerit inter dominum, & uasallum de beneficio controuersia, domino dicente, hoc quod tenes in feudum à me habes: ille uero negauerit prorsus, si quidem probatum fuerit: ipsum ab eo auferatur. Sed cum dubitanter responsum fuerit, nescio minimè, secundum quosdam, sed secundum alios, tunc demum priuabitur, si fraudulenter, id est sciens hoc negauerit, dicto titulo, xxxiiii. §. fin.

DE CONTROVERSIA INTER MASCVLVM ET FOEMINAM de beneficio. Tit. XIIII.

ITem sciendum est, quod si inter masculum & fœminam controuersia fuerit masculo dicente, hoc est feudum, fœmina negante, nisi apertis probationibus fœmina ostenderit non esse feudum, creditur masculo, cum suo iuramento affirmanti cum duodecim sacramentalibus. Sed si inter dominum, & fœminam, domino dicente feudum, fœmina negante, probationibus deficientibus, detur fœminæ sacramentum. item si sit inter dominum, & emptorem feudi: si emptor dicat non esse feudum, domino in probatione deficiente, sacramento emptoris finiatur. quidam tamen distingunt, ut si magna eorum pars, quę uasallus ibi tenebat, feudum sit, detur domino sacramentum, alibi fœminæ, lib. secundo, titulo xli.

DE CONTROVERSIA INTER DOMINVM, ET EMPTOrem feudi. Tit. XV.

DOmino cum emptore feudi agente, si uasallus iurare poterit, quod ignorans esse beneficium uendidisset credens proprium, electioni emptoris committitur, vtrum domino uelit ipsum cedere, an uasallo restituere. Obertus dicit omnia uasallo restituenda. Quo restituto, id beneficium vasallus retinebit, non nocente, nec obstante venditione, eo quod ignorans alienauit, & quod dicitur alienatione feudum aperiri domino, intelligendum est, cum à scientibus alienatur beneficium. Et quod dicitur de uenditione, idem est in omnibus alienationibus, lib. secundo, ti. xlii.

DE CONTROVERSIA INTER VASALLVM, ET ALIVM DE beneficio. Tit. XVI.

SI controuersia inter uasallum, & alium de beneficio fuerit, aduersario proprietatem totius, vel partem, vel aliud, quod ius sibi uendicante: causa per vasallum etiam domino absente, quasi propria ad finem perducatur. ipse enim solus utiliter agendi & excipiendi habet potestatem, & si pro eo, aut contra eum iudicatum fuerit, vel cum aduersario transegerit, dummodo fraudulenter actum non sit, etiam si post beneficium domino aperiatur, tale erit, ac si eo causam agente iudicatum fuisset, & ideo ab eo ratam haberi portet, lib. secundo, tit. xliii.

AN APVD IVDICEM VEL CVRIAM DOMINI, QVAESTIO feudi debeat terminari. Tit. XVII.

EX eo, quod supradiximus, ut si inter duos de beneficio fuerit controuersia, coràm iudice, vel abitro finiatur, talis hic fit quæstio, quodam sine filio decedente, alius credens beneficium, quod ipse tenebat, apertum domino esse, ab eo inuestitus est eius beneficii nomine, è contra apparent agnati, qui feudum sibi uendicant quasi paternum. est igitur quæsitum, an apud curiam domini, vel iudicem sit hæc quæstio terminanda? & responsum est, quia ad dominum, quodammodo causa spectare uidetur, ad quem inuestitus habebit regressum de euictione, ut coràm paribus finiatur, curtis, & licet alter per se non possit alterum trahere ad curię iudicium, generaliter tamen etiam si inter duos causa fuerit de beneficio, eos curia uocante non licebit eorum alicui eius curiæ iudicium declinare, libro secundo, titulo xlvi.

DE CAPITANEO, QVI CVRIAM VENDIDIT, AN INTELligatur beneficium uendidisse. Tit. XVIII.

QVidam capitaneus in quadam curte sua beneficium dedit militibus & postea eandem curiam uendidit, non habita mentione beneficii controuersia est inter capitaneum, & emptorem, dicente emptore se curiam cum beneficio emisse. domino uero contradicente ad eum beneficium non pertinere. Respondetur illud beneficium in venditione non contineri, nisi expresè de eo actum sit, lib. secun. ti. li. in prin.

Si con-

Si contentio fuerit inter filiam,& propinquum de hæreditate, & de feudo, cum filia feudum habere non poterat,quia dicat ipsa,hoc est de mea hæreditate: & ille dicat, imo de feudo: electio propinqui erit discernere veritatem ieiurando Gerardus, & Obertus & similiter si contentio fuerit inter aliquẽ, qui emisset à seniore,& vasallum,quia dicat uasallus hoc est de feudo meo, ille autem neget: electio emptoris est veritatem iureiurando discernere, cum pares curtis veritatem non testantur. Gerardus,& Obertus,dicto tit. li. §. si contentio.

Si inter duos vasallos de feudo sit controuersia, Domini sit cognitio, & per eum controuersia terminetur: Si vero inter dominum & Vasalum lis oriatur: per pares curiæ à Domino sub fidelitatis coniuratos terminetur, libro secundo, titulo lv. §. præterea.

Quarta pars feudorum.

QVIBVS MODIS FEVDVM AMITTATVR. Titulus I.

Quia supradictum est quibus modis feudum acquiritur, & retinetur, nunc videamus qualiter amittatur. si enim dominus prælium campestre habuerit,& vasallus eum morantem in ipso prælio dimiserit non mortuum, nec ad mortem vulneratum feudum amittere debet. item si fidelis cucurbitauerit dominum, idest cum uxore eius concubuerit, vel concubere se exercuerit, aut cum ea turpiter luserit: vel si cũ filia, aut cum nepte ex filio, aut cum nupta filio, aut cum sorore domini concubuerit, (hæc ita obtinent, si in domo domini maneat) iure feudum amittere censetur; similiter si dominum assalierit, vel castrum domini sciens dominum, vel dominam ibi esse. item si fratrem suum occiderit, vel nepotem, idest filium patris. Aut si libellario nomine amplius mediate in feudum dederit, aut pro pignore plus medietate obligauerit, ita, ut transactum permittat, vel dolo hoc egerit: amissione feudi mulctabitur. His omnibus casibus feudum ad dominum reuertitur. Rursus si fidelis minus medietate libellario nomine feudũ dederit,& sine hærede decesserit,& feudum ad dominum redierit, vel postquã ad libellum dederit, vel pignori obligauerit, & domino refutauerit, tunc ille, qui ab eo acceperit, nullo iure aduersus dominum se tueri poterit, libro primo, titulo quinto, in princi.

Præterea si ille, ad quem feudum per successionem iure obuenire debet, consenserit eos inuestire, ad quos secundum rectum morem non pertinet: nullo modo ad eum repetendum regressum habet. Item si fuerint duo fratres, & vnus inuestituram feudi acceperit: si postea feudum cum fratre diuiserit, & ille, qui feudi partem accepit, postea plus medietate vendiderit, & siue sine hærede legitimo decesserit: feudum ad dominum reuertitur. Item si quis feudum habuerit in curte domini sui: non poterit ipsum feudum in aliqua parte libellario nomine alicui sine consensu domini sui dare, vel pignori obligare. similiter si extra curtem detinuerit, & dominus districtum habuerit, vel alium honorem: & si alie-

naueri

nauerit sine domini voluntate iure ad dominum reuertitur, dicto titulo quinto, §. Præterea.

EPISCOPVM, VEL ABBATEM, VEL ABBATISSAM, VEL dominum plebis feudum dare non posse. Tit. II.

ITem si Episcopus, vel Abbas, vel Abbatissa, vel dominus plebis feudum dederit de rebus ecclesiarum, quæ eis subiectæ sunt, & tituli vocantur. nullum habet vigorem, secundum hoc, quod cõstitutum est à Papa Vrbano in sancta synodo: hoc est illud, quod post eius decretum fuerit datum: quod autem ante datum fuerit, firmiter permanere debet. idem iuris est, si præpositus, vel Abbatissa, vel alia ecclesiastica persona, quæ antiquitus non sit solita in feudum dare: scilicet, ut quod dederit, de iure non valeat, libro primo, titulo sexto. in prin.

Quinetiam si quis eo tenore feudum acceperit, vt eius descendentes masculi, & fœminæ illud habere posint: relicto masculo, vlterius fœminæ non admittuntur. Mutus feudum retinere non potest, scilicet qui nullo modo loquitur. sed si feudum fuerit magnum: quo ei ablato se exhibere non valeat, tantum ei relinqui debet, vnde se sustinere posit. Et his omnibus casibus feudum amittitur, & ad dominum reuertitur, dicto titulo, 6. §. quinetiam.

DE FEVDIS DATIS MINIMIS VALVASORIBVS, QVID iuris sit. Tit. III.

SI minores ualuasores beneficium tollere voluerint minimis valuasoribus: licet eis facere, excepto si beneficium vendiderint eis. Si vero precium de beneficio acceperint: tunc autem precium reddant, aut beneficium dimittunt, libro primo titulo, xvi.

QVIBVS MODIS FEVDVM AMITTATVR. Titulus IIII.

SI Capitanes, vel maiores valuasores, qui hodie vocantur Capitanei (licet impropriè dicantur minores) seniores in bello dimiserint: uel si credentiam ad eorum damnum scienter manifestauerint: si ualuasores seniorum uxores adulterauerint: si scienter seniores assalierint, vel similes culpas commiserint, beneficio carere debent, libro primo, titulo. xvii.

DE FEVDO SINE CVLPA NON AMITTENDO. Titulus V.

SAncitum est, ut nemo miles, sine cognita culpa beneficium suum amittat, si ex culpis iis, vel causis conuictus non fuerit, quas milites vsi sunt nominare, quando fidelitatem faciunt dominis suis, vel per laudamentum parium suorum, vel si dominis suis deseruire noluerint: tunc condictio caussa data proponitur ad repetendum feudum, ex quo non seruit domino. Nam si steterit viginti annis, & vltra quod non seruierit domino: nisi necesse fuerit domino, feudum non amittit,

amittit, libro primo, titulo xxi in princ.

Si quis miles beneficium suum uendiderit totum sine voluntate vel iussu domini sui, vt proprium beneficium amittat, decernitur: dominus uerò habeat, vel si concubuerit cum uxore domini sui domino uiuente, vel si in pugna suum dominum dimiserit, & cum eo non laborauerit, si potuerit, dicto titulo xxi. §. si quis miles.

DE MILITE VASALLO, QVI CONTVMAX EST. Titulus VI.

DOminus vocat militem, qui ab eo feudum possidebat, dicendo eum in culpam incidisse, per quam feudum amittere debeat. hic non respondet. Quæritur quid faciendum sit domino? respondendum est, eum esse ad curiam vocandum, & si non uenerit, iterum esse uocandum vsque in spatio tertio septem, vel decem dierum, arbitrio eiusdem curiæ terminando. Quod si neque venerit ad tertiam vocationem, hoc ipso feudum amittat: & ideo debet curia dominum mittere in possessionem; sed si intra annum venerit, restituitur ei possessio alioqui, & beneficium, & possessionem amittit, ut in Lombarda de iis, qui ad palatium venire contempserint. l. si cuiuscunque, si vero vasallus conqueritur de domino, forsan quia feudum malo ordine intrauit, domino perperam respondente, quid uasallo faciendum sit, quæritur? respondetur, eum in curiam debere vocare, & in eadem curia de domino conqueri: curia autem debet adire dominum, eumq; salua reuerentia competenter cogere, ut, vel possessionem restituat, & acquiescat, uel iudicio curiæ se committat. Quod si ter admonitus facere distulerit, tunc licet vasallo ad aliam maiorem potestatem ire, & sibi consulere, & si dominus ei iustitiam facere uoluerit poterit eum deprædare, libro secundo, tit. xxii.

QVAE FVIT PRIMA CAVSA BENEFICII AMITTENDI. Titulus VII.

PRima autem causa beneficii amittendi hæc fuit, & adhuc est in plerisque curiis, sed in curia Mediolanensi non obtinet, quid si vasallus per annum, & diem domino suo mortuo steterit, quod hæredē domini sui inuestituram petendo, fidelitatem pollicēdo, non adierit, tanquam ingratus existens beneficium amittit. & èconuerso si domino superstite vasallus decesserit, & filius eius per iam dictum tempus neglexerit petere inuestituram, beneficio carebit, libro secundo, tit. xx ii. in prin.

Est & alia ingratitudo notanda, si dominus inuestituram pollicendo vasalli fidelitatem petierit, & illo non præstante, dominus tribus uicibus, conuenienti tempore interposito, fortè septem dierum spatio, ad curiam suam super hoc reclamauerit, & uasallus tribus uicibus citatus à suis paribus iurare noluerit, si tamen beneficium tale sit, ut pro eo iusiurandum fidelitatis fieri debeat. sunt. n. quædam feuda ita data, ut pro his fidelitas non sit pręstanda, dicto titulo xxiiii. §. est, & alia.

Item qui dominum suum, cum quo ad prælium iuerit in acie periclitantem dimiserit, beneficio indignum se iudicauit. Præterea si uasallus præscierit aliquem contra dominum suum assaltum, uel mortem, uel captionem, aut patrimonii

grandem

grandem iacturam facere molientem: debet dominum ſuper hoc, quam citius poteſt certiorare, ut proinde dominus ſciens, prudensque periculum ualeat de clinare. Quod ſi non fecerit, doloque, uel negligentia ſua, uel fraude celauerit beneficio ſe cariturum agnoſcat. Rurſus domini uel dominæ filiæ, uel nurui, aut ſorori in domo adhuc manenti, quę in capillo dicitur, ſe ſe immiſcuerit: feudo, quo ſe monſtrauerit indignum, carere debet. Porrò ſi dominum aſſalierit, vel ui cum in quo eſt, per uim aggreſſus fuerit, vel impias manus in perſonam domini ubicũque ingeſſerit, uel alius graues, uel in honeſtas iniurias intulerit, uel mor ti eius ueneno, uel gladio, uel aliter inſidiatus fuerit, beneficium amittit, illud tamen non lateat, quod ſi quis ſuo domino iuſtitiam facere noluerit. feudum quod tenebat, perdet: ſed non eſt alia iuſtior cauſa beneficii auferendi, quam ſi id, propter quod beneficiũ datum fuerit, hoc ſeruitium facere recuſauerit, quia beneficium amittit. Aliud eſt ſi fortè ideo nõ ſeruierit, quia nõ potuerit: tũc.n. feudum non amittit. Item ſi delator domini ſui extiterit, & per ſuam delationẽ graue diſpẽdium eũ ſuſtinere fecerit, uel ſi cognouerit dominũ incluſum, & eũ cùm potuerit nõ liberauit, feudum perdit. Prædictis modis beneficium debere amitti, tàm naturalis, q̃ ciuilis ratio ſuadet: quæ põt colligi, ſi quis nouam cõſti tutionẽ iuſtus exhæreditationis cauſas enumerantem, & alias conſtitutiones veteres iuſtas ingratitudines, cauſas ob quas donationes iure perfectæ reuocã- tur, ſubtiliter ſcrutatus fuerit. ſed quia natura nouas deproperat edere formas, poteſt multis modis contingere, ut aliæ emergant cauſæ è quibus videatur iu- ſtæ adimi poſſe feudum: ideoque iudex ſolers, & diſcretus, & æquitati obſe- cundare ſollicitus, cuncta ſubtiliter diſpẽſans prouideat, ſi qua fuerit antiquio ribus cauſis ſimilis; ſeu maior, vt proinde ſciat vtrum beneficium ſit amitten- dum, an nihilominus retinendum. Illud enim eſt certum, quod non, ex omni cauſa, ex qua opinio vaſalli grauatur beneficium amittitur. Nam, & ſæpe deie- rat, & beneficium nihilominus retinet, ut puta, qui beneficii portionem alie- nat abſque domini ſcientia, beneficium quidem retinet, ſed fidem promiſſam ſeruare non videtur, d. tit. xxiiii. §. item qui dominum.

Denique ſæpe quæſitum eſt, vaſallo propter iuſtam culpam à feudo cadente, utrũ ad dominum, an ad ſucceſsorem vaſalli beneficinm pertineat: ſed hæc diſtin- ctio tam ratione, quàm moribus comprobata eſt, ut ſi quidem uaſallus ita in dominum peccauerit, ut feudum amittere debeat, non ad proximos, ſed ad do minum beneficium reuertatur, ut hanc ſaltem habeat, ſuæ iniuriæ vltionẽ. Si uerò non in dominũ, ſed alias grauiter deliquerit, vel graue quid commiſerit, ſicut ille, qui fratrem ſuum interfecit, uel aliud graue crimen, (quod paricidii appellatione cõtinetur) commiſerit, feudum amittit, & non ad dominũ, ſed ad proximos pertinet, ſi tamen beneficium fuerit paternum. ſic.n. ſæpe pronun- ciatum eſt. Si uaſallus contra conſtitutionem bonæ memoriæ Lotharii Impe- ratoris beneficium alienauerit, quia dominum contemnere uidetur, ad domi- num beneficium pertineat, ſcriptum eſt enim, ut precio ſe cariturum agnoſcat, dicto titul. xxiiii. §. Denique.

SI

SI VASALLVS FEVDO PRIVETVR, CVI DEFERATVR. Titulus VIII.

VAsalli feudum delinquentis, licet ad agnatos, quandoq; pertineat, filius tamen ad id nullatenus aspirabit, nisi id iterum à domino licitè acquirat sibi gratiam faciente: verbigratia, si non sunt alii ex latere, quibus aperiatur ad eius petitionem admittãtur, qui quarto gradu sunt remoti ab eo, qui id acquisiuit, & etiam vsque ad infinitum: dum tamen hos constet ab eo per masculos descendisse, libro secundo titulo xxxi.

AN MVTVS, VEL ALIAS IMPERFECTVS RETINEAT. Titulus IX.

MVtus, & surdus, cæcus, Claudus, vel aliter imperfectus, etiam si sic natus fuerit: totum feudum paternum retinebit. Obertus, & Gerardus, & multi alii. quidam tamen dicunt eum, qui talis natus est feudum retinere non posse, quia ipsum seruire non ualet. sic dicimus in clerico, & in fœmina, & in similibus, libro secundo, titulo trigesimosexto.

Inquantum dicitur feudum paternum retinet, nouum retinere non potest. nam.

Mutus feudum retinere non potest, scilicet, qui nullo modo loquitur. Sed si feudum fuerit magnum, quo ei ablato se exhibere non ualeat, tantum ei relinqui debet, vnde se sustinere posit. Et his omnibus casibus feudum amittitur, & ad dominum reuertitur, libro primo, titulo 6. §. mutus, *Quod intelligitur in feudo nouo.*

AN ILLE, QVI INTERFECIT FRATREM domini sui feudum amittat. Tit. V.

SI quis interfecerit fratrem domini sui, non ideo beneficium amittit. sed si fratrem suum interfecerit ad hoc, ut totam hæreditatem habeat, vel aliam feloniam commiserit, verbigratia hominem tradendo, ut in curia amplius stare non posit: priuabitur beneficio quia tamen erga dominum non fuerit facta, ad agnatum proximiorem feudum pertinebit, si paternum fuerit, eodem prorsus obseruando, quantum ad ordinem gradus, qui continetur in legibus, cum autem ad dominum respicit felonia: feudum tunc domino aperitur. non cogitur vasallus omnino, secundum vsum Mediolanen. dominum adire, & seruitium ei offerre. sed cum nunciatum ei fuerit, tunc domino, si potest, seruiat, libro secundo, titulo xxx vii.

DE VASALLO, QVI CONTRA CONSTItutionem Lotharii Regis beneficium alienauit. Titulus XI.

SI vasallus contra constitutionem Lotharii Regis beneficium alienauerit: si totum, perdat totum, si partem, partem perdat, & ad dominum reuertatur. Et ideo si contra unum dominorum, quorum communis vasallus erat, fecerit feloniam, eum fortè cucurbitando: eius solius parte priuabitur. & si voluerit unius solius partem refutare, aliis sibi reseruatis, hoc facere poterit: quia vasallus etiam sine domini voluntate rectè feudum refutare potest, post refutationem tamen ad seruiendum non tenetur, sed eum quidem tunc offendere non debet, libro secundo, tit. xxxviii.

DE CAPITVLIS CORRADI. Titulus XII.

HAEC sunt capitula, quæ Rex Corradus fecit in Romandiola de beneficiis. constituit enim, ut si post mortem domini vasallus, vel post mortem vasalli hæredes eius per annum, & diem steterint. quod dominum, vel hæredem eius non adierint, fidelitatem pollicendo, & inuestituram petendo, si tale sit beneficium, ut fidelitas sit præstanda, ipsum perdat: sicut, & antiquitus consuetudo fuit, sed non mediolani. Præterea, ut liceat dominis omnes alienationes feudi factas, nulla obstante præscriptione reuocare. similiter in petendis hostenditiis (hostenditiæ dicuntur adiutorium, quod faciunt dominis Romani cum Rege in hostem pergentibus) uasalli, qui cum eis non uadunt, verbigratia in Lombardia de modio duodecim denarios, in Teuthonica terra tertiam partē fructuum facta computatione fructuum solummodo eius anni, quo hostem faciunt, lib. secundo, titulo xl. in prin.

Item si clericus, veluti Episcopus, Abbas, beneficium habens à Rege datum non solummodo personæ, sed ecclesiæ, ipsum propter suam culpam perdat, eo uiuente, & ecclesiasticum beneficium, vel honorem habente, ad Regem pertineat, post mortem vero eius ad successorem eius reuertatur, dicto titulo xl. §. item si clericus.

QVID IVRIS, SI POST ALIENATIONEM feudi vasallus id recuperauerit: Tit. XIII.

PRæterea si vasallus ante constitutionem Lotharii Regis feudum alienauerit, quid in quibusdam curiis pro parte, in quibusdam pro toto, olim licebat, & ipsum postea recuperabat: pro feudo, sibi retinebat, hoc est in causam feudi recadebat. hodie autem si ipsum alienauerit, si quidem illicitè, licet postea recuperauerit,

perauerit, tamen penès eum non remanebit, vtpotè domino ad quemcunque peruenerit, apertum. Profectò si domini uoluntate uendiderit, vel per libellum, vel aliter alienauerit: si idem post ea recuperauerit feudum, penès eum remanebit, non iure beneficii, sed aut iure proprio, aut iure libelli, aut aliter secundum quod idem recuperauerit, dummodo scias, quod si ad libellum domini, id dederit, si quidem pro libello ei datur singulis fortè annis, & hoc iure feudi censebitur. illud vero ius, quod per libellum transtulerit, & postea recuperauerit: pro beneficio non tenebit, sed velut alterius rei datæ: per libellum etenim si feudum domino refutauerit, libellum retinebit, libro secundo, titulo xliii.

QVALITER DOMINVS PROPRIETATE FEVDI priuetur. Tit. XIIII.

EX facto quæsitum est, & ego à pluribus quæsiui, si dominus contra vasallum apertam feloniam fecerit, an sicut vasallus feudum debet amittere, ita dominus proprietate priuetur? & quidam dicunt ex omni felonia, qua vasallus feudo priuatur, & dominus proprietate priuetur. Alii non nisi ex magna felonia, alii ex nulla. Sed prior sententia mihi placet, non habita distinctione, qualis vasallus sit, utrum per sacramentum vel non, libro secundo, tit, xlvii.

DE CAPITANO, QVI CVRIAM VENDIdit, an intelligatur beneficium vendidisse. Titulus XV.

QVæsitum esse apud me scio, si filius viuente patre dominum offenderit, ita quod feudum amitteret si pater decessisset: utrum feudum amittat, vel non? secundum istos sic, secundum Gerardum non, & Obertum similiter, libro secundo, tit. 51. in prin.

Si voluerit vasallus dominum offendere, sed non laborauerit, feudum non amittit. Gerardus, & Obertus, similiter etiam si laborauerit, non amittit feudum, nisi insidiatus ei fuerit, & hoc probatum ei fuerit, dicto titulo, li. §. si voluerit.

Quinta pars feudorum.

DE ALIENATIONE FEVDI.
Titulus I.

SI clientulus voluerit partem suam feudi alienare, idest medium sine domini uoluntate: poterit hoc facere. ulterius progredi nõ potest secundum iustum, & verum vsum, alioquin & feudum amittit, & non valebit, quid factum est, quod dictum est alienare, intelligans de libello. huic consuetudini derogatum est per legem Lotharii, Mediolanenses uero irrationabiliter considerantes clientulum etiam alienare posse in totum, & siue domini voluntate. Inde potest præsumi, si clientulus fecerit libellum in perpetuum de feudo suo alicui ecclesiæ, non ualet: ideo scilicet, quia nunquam reuersurum sit ad dominum, cum ecclesia non desinat esse hæres, quod obseruandum est, & in priuato ex natura perpetui libelli. Sed diuersum obseruatur in ecclesia, quam in priuato. Ecclesia. n. cultrix, & auctrix iustitiæ non patitur contra iustitiam aliquid fieri in se, vel in alterum priuatus uero sæpè obuiat iustitiæ. Et si clientulus fecerit libellum, vel aliud de medietate feudi sine domini volũtate: eo mortuo sine legitimo hærede masculo (quod verbum ita intelligendum est in feudo, idest sine filio masculo) reuertitur feudum ad dominum. Si vero cum domini uoluntate totum, vel medium alienauerit: stabilis permaneat alienatio: fratri vero vel nepoti per libellum facta alienatio etiam sine uoluntate domini, item in feudo comitatus, vel Marchiæ, vel aliarum dignitatum non est succesio, secundum rationabilem vsum: sed hodie hoc est vsurpatum, libro primo, tit. xiii.

QVALITER OLIM POTERAT FEVDVM ALIENARE.
Titulus II.

EST autem optima consuetudine interdicta feudi alienatio, super qua multæ, & diuersæ sententiæ debentur in singulis ciuitatibus, seu curiis. Donec Imperator diuæ memoriæ Lotharius tertius, promulgauit super hoc nouam constitutionem, quæ posita est in titulo de beneficiis. Necessitate namque suadente poterat olim vasallus domino inscio, vel inuito feudi partem uendere, retenta videlicet alia parte. Si vero, uel totum, vel partem uolebat per feudum aliquem inuestire, hoc licebat ei sine fraude facere. Si autem dissentiente domino uendebat, siue per feudum inuestiebat (quod & ipsum syncerè hodie, & sine fraude licet ei facere) si tamen sine hærede masculo descendente descendebat, vel feudum in manu domini refutabat, aut alia fortè ratione intercedente culpa amittebat: tunc omnis feudi alienatio ad irritum reuocabatur: eo excepto, quod ille, qui secundo loco beneficium acceperat, non amittebat, si priori domino seruire, & ab eo feudum recognoscere volebat, libro secundo, tit. ix. in prin.

Donare autem, aut iudicare pro anima, vel in dotem pro filia dare, nullius curiæ poterat consuetudine: licet posset locare, nisi locatio esset fraudulenta alienatio, sicut est per libellum, ut dicatur uenditio. Quis enim dubitat, quod libellario nomine sub vilissima duorum denariorum pensione perpetuo concedatur vtendum alienatum in fraudem esse? Porrò siue de bona consuetudine, siue de praua quæramus: concessa erit domino pro æquali precio redemptio: nisi hoc beneficium amiserit dominus per refutationem, vel annali silentio, ex quo

sciuerit computando. Præscriptione autem triginta annorum submouebatur tàm sciens, quàm ignorans: in prohibendo autem, vel redimendo potior erat proximiori agnati, quam domini conditio, si tamen feudum erat paternum. De illa vero feudi alienatione, quæ à domino fit si dubitetur, lex Imperatoris Corradi consulatur, quæ posita est, in iam dicto titulo de beneficiis, dicto titulo, 9. §. donare.

DE ALIENATIONE PATERNI FEVDI. Tit. III.

ALienatio paterni feudi non ualet etiam domini volūtate, nisi agnatis consentientibus, ad quos beneficium quandoque sit reuersurum: nec in filiam uasallus feudum poterit confirmare agnatis non consentientibus, vel postea ratum non habentibus, & licet prohibeatur beneficii alienatio inter agnatos, tamen si paternum fuit, concederetur: & si libellum vnus alteri fecerit de feudo paterno non est libellus, sed quasi refutatio. si inter dominum, & vasallum de beneficio fuerit controuersia: coram paribus finiatur. Vbi autem dicit vasallus prius de suo recto feudo debere se à domino inuestiri: si quidem sine controuersia de alio sit vasallus indubitanter primo inuestiendum est, & postea cognoscendum est, quod sit suum rectum feudum, aut quod non, sed si nihil aliud ab eo tenet pro beneficio nisi de quo controuersia est: tunc tota caussa prius ventilanda est, & sic videndum vtrum, postea inuestiendus sit, libro secundo, titulo xxxix. in princi.

Non est consuetudo Mediolani, vt de felonia, aut de infidelitate pugna fiat, licet contrarium sit, quod præcepit lex Longobardorum, vt de infidelitate pugna fiat. Si à morte vasallus dominum liberare potuerit, & non fecerit beneficio carebit: sed licet potuerit facere ne dominus in peccatum præcipitaretur, veluti periurium, non tamen feudo priuandus erit, dicto titulo 39. §. non est consuetudo.

DE EO, QVI FINEM FECIT AGNATO DE FEVDO paterno. Tit. IIII.

TRes erant agnati, vel plures, vnus eorum habebat feudum, quod erat paternum, sed alter eorum finem, & refutationem, suisque hæredibus, & cui ipse dederit, fecit, decessit iste sine filio masculo. alter, qui non refutauit, vendicat sibi totum. Alter vero, qui refutationem fecit, vult ad successionem venire, pacto non obstante. Sapientes quidam Mediolanen. interrogati responderunt non obstare illud pactum, nisi feudum omnino refutauerit, vel nisi ad hoc refutauerit, ut dominus eum quasi de nouo beneficio inuestiret. Tunc enim secura inuestitura noua, quasi nouum sit feudum, non succedit, libro secundo, titulo, xlix.

DE PROHIBITA FEVDI ALIENATIONE PER LOTHArium. Tit. V.

IMperialis beneuolentiæ proprium esse iudicatum est, commoda subiectorum inuestigare, & eorum calamitatibus diligenti cura mederi, similiter

reip. bonum statum, ac dignitatem Imperii omnibus priuatis commodis prę ponere. Quocirca omnium fidelium nostrorum ait Lotharius, tàm futurorum, quam præsentium, nouerit uniuersitas qualiter dum apud Ronchalias secundum antiquorum Imperatorum consuetudinem pro iustitia, ac pace Regni componenda consideremus: omnia, quæ ad honorem Imperii Romani spectare videntur, solicitè indagantes perniciosissimam pestem, & Reipub. non mediocre detrimentum inferentem resecare proposuimus. Per multas enim interpellationes ad nos factas comperimus milites sua beneficia passim distrahere, & ita omnibus exhaustis suorum seniorum seruitia subterfugere, per quod vires Imperii maximi attenuatas cognouimus, dum proceres nostri milites suos omnibus beneficiis suis exustos, ad fęlicissimam nostri numinis expeditionem nullo modo transducere valeant. Hortatu itaque & consilio Archiepiscoporum, Episcoporum, ducum, comitum, marchionum, palatinorum, cæterorumque nobilium, similiter etiam iudicium hac edictali lege in omne æuum Deo propitio valitura decernimus, nemini licere beneficia, quæ à suis senioribus habent, sine ipsorum permissione distrahere, vel aliquod comercium aduersus tenorem nostræ constitutionis excogitare, per quod Imperii, vel dominorum minuatur utilitas. Si quis vero contra hæc nostræ legis saluberrimæ præcepta ad huiusmodi illicitum comercium accesserit, vel aliquid in fraudem huius legis machinari tentauerit precio ac beneficio se cariturum agnoscat. Notarium uero, qui super hoc tali contractu libellum, vel aliud instrumentum conscripserit post amissionem officii ipsum infamiæ periculum sustinere sancitum est, libro secundo, tit. lii. in prin.

DE ALLODIIS. Tit. VI.

AD hoc, qui allodium suum uendiderit, districtum, & iurisdictionem Imperatoris vendere non præsumat: & si fiat, non ualeat. Si uerò contigerit allodium aliquod etiam infeudatum conferri ecclesiæ, vel pro oblatione fidelium, vel per emptionis, & venditionis alteriusve huiusmodi contractum infeudatus, nisi per gratiam ecclesiæ, tanquam de nouo reciperet feudum, quod habebat retinere non poterit. Vt autem æquitas, quæ in paribus causis, paria iura desiderat, per uniuersitatem totius Imperii seruetur, firmiter statutum est, tàm in Italia, quàm in Alemania, vt quicunque indicta publica expeditione Romam ad suscipiendam Imperii coronam, regem, aut sub rege dominum suum non adiuuauerit, aut eundo cum ipso, aut pro quantitate feudi stipendia militiæ persoluendo (si de vocatione legitima a domino suo conuinci per compares suos poterit) feudum perdat, & dominus in suos vsus illud habeat redigendi liberam facultatem, libro secundo, tit. liiii.

DE PROHIBITA FEVDI ALIENATIONE per Fridericum. Tit. VII.

IMperialem decet solertiã ait Fridericus Imp. ita Reip. curá gerere, & subiectorũ commoda inuestigare, aui regni utilitas incorrupta persistat, & singulorũ status iugiter seruetur illæsus. Quapropter dum ex prædecessorum nostrorum

more

more uniuersalis curiæ Ronchaliæ pro tribunali sederemus à principibus Italicis tam rectoribus ecclesiarum, quàm aliis fidelibus regni non modicas accepimus quærelas, quod beneficio eorum, & feuda, quæ uasalli ab eis retinebant, sine dominorum licentia pignori obligauerant, & quadam collusione nomine libelli uendiderant: unde debita seruitia amittebant, & honor imperii, & nostrę fęlicis expeditionis complementum minuebatur. Habito ergo consilio Episcoporum, Ducum, Marchionum, & Comitum, simul etiam & Palatinorum iudicum, & aliorum procerum, hac edictali Deo propitio perpetuò ualitura lege sancitum est, ut nulli liceat feudum totum, uel partem aliquam uendere, uel pignorare, uel quocunque modo distrahere, seu alienare, uel pro anima iudicare siue permissione illius domini ad quem feudum spectare dignoscitur. Vnde Imperator Lotharius tantum in futurum præcauens ne fieret legem promulgauit. Nos autem ad pleniorem regni utilitatem prouidentes, non solum in posternum, sed etiam huiusmodi alienationes illicitas hactenus perpetratas. hac præsenti sanctione cassamus, & in irritum deducimus, nullius temporis præscriptione impediente: quia quid ab initio de iure non ualuit tractu temporis conualescere non debet, emptori bonæ fidei ex empto actione de pretio contra uēditorem competente. lib. secundo Tit. lv. in princ.

Callidis insuper machinationibus quorundam obuiantes, qui pretio accepto quasi sub colore inuestituræ quàm sibi licere dicunt, feudum uendunt, & in alios transferunt: ne tale figmentum, uel aliud ulterius in fraudem huius nostræ cōstitutionis excogitetur, modis omnibus prohibemus: pœna authoritate nostra iminente, ut uenditor, & emptor, qui tam illicitas alienationes reperti fuerint contraxisse, feudum amittant, & ad dominum liberè reuertatur. Scriba uerò, qui hoc instrumentum sciens conscripserit post amissionē officii cùm infamiæ periculo manum amittat. Præterea si quis infeudatus maior quatuordecim annis sua incuria, uel negligentia per annum, & diem steterit, quòd feudi inuestituram à proprio domino non petierit: transacto hoc spacio feudum amittat, & feudum ad dominum redeat. d. Tit. lv. §. *Callidis*.

Quoniam inter dominum, & uasallum nulla fraus *nec ullum malum ingenium* debet interuenire. idcirco sancitum est, si uasallus non dolose per annum & diem steterit quòd a domino sui beneficii inuestituram non petierit: feudum non ob hoc amittat: dolus enim abesse uidetur si iuxta causa impediente steterit, lib. secundo Tit. lii. §. quoniam.

Firmiter etiam statutum est, tam in Italia quàm in Alemania, ut quicunque in dicta publica expeditione uocatus a domino suo, in eadem expeditione spacio competenti temere uenire supersederit, uel alium pro se domino acceptabilem mittere contempserit, uel dimidium reditus feudi unius anni domino nō subministrauerit: feudum, quod ab episcopo, uel alio domino habuit, amittat: & dominus feudi in vsus suos illud redigendi modis omnibus habeat facultatē d. Tit. lv. §. firmiter.

Præterea Ducatus, Marchia, comitatus de cętero non diuidatur, aliud autem feudum si consortes uoluerint, diuidatur: ita, ut omnes, qui partem feudi habent iam diuisi uel diuidendi, fidelitatem faciant: ita tamen, vt uasallus pro uno feudo plures dominos habere non compellatur, nec dominus feudum sine uoluntate uasalli ad alium transferat, d. Tit. lv. §. Præterea Ducatus.

Insuper si filius uasalli dominum offenderit, pater à domino requisitus deducat filium ad satisfaciendum domino, uel à se filium separet, alioqui feudo priuetur.

Si

Si autem pater vult eum deducere, vt satisfaciat, & filius contemnit: patremor tuo in feudum non succedit, nisi prius satisfecerit domino parique modo vasallus pro omnibus suis domesticis faciat. Illud quoque præcipitur, vt si vasallus de feudo suo alium vasallum habuerit, & vasallus vasalli dominum domini sui offenderit, nisi pro seruitio alterius domini sui hoc fecerit, quem sine fraude ante habuerit, feudo suo priuetur, & ad dominum suum, à quo ipse tenebat, reuertatur: nisi requisitus ab eo paratus fuerit satisfacere maiori domino, quẽ offenderit. & nisi vasallus, idemque dominus à domino suo requisitus eum, qui maiorem dominum offenderit, requirat, vt satisfaciat suum feudum amittit, di. Tit. lv. §. Insuper.

QVOT TESTES SVNT NECESSARII AD PROBANDAM feudi ingratitudinem. Titulus VII.

SI vasallus inhonestis factis, atque indecẽtibus machinationibus dominum suum offenderit, insidiisque eum clandestinis, vel manifestis appetiuerit, vel inimicis eius suas amicitias copulauerit, atque in aliis sic versatus est, vt potius inimicus, quam fidelis esse credatur, vel si eum cucurbitauerit, seu in campestri bello suum dominũ reliquerit: feudo priuabitur. quod non obtinere sancitum est, nisi quinque testibus summæ, atque integræ opinionis probatum fuerit manifestè. li. ii. tit. lvii.

Sexta pars feudorum.

DE PACE TENENDA, INTER SVBDITOS, ET IVRAmento firmanda, & vindicanda, & de pœna iudicibus apposita, qui eam vindicare, & iustitiam facere neglexerint. Titulus I.

AIT Fridericus Imp. Hæc edictali lege in perpetuum valitura iubemus, vt omnes nostro subiecti imperio, veram, & perpetuam pacem inter se obseruent, & vt inuiolata inter omnes perpetuò obseruentur, Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, valuasores, & omnium locorum rectores, cũ omnibus locorum primatibus, & plebeis à decimo octauo anno vsque ad septuagesimum obstringantur iuramento, vt pacẽ teneãt: & rectores locorum adiuuẽt in pace tenenda, atque vindicãda: & in fine vniuscuiusque quinquennii de prædicta pace tenenda omnium sacramenta renouentur. si quis vero aliquod ius de quacunque re, vel facto contra aliquem se habere putauerit: iudicialem adeat potestatem, & per eam ius sibi competens exsequatur. Si quis verò ausu temerario prædictam pacem violare præsumpserit: si ciuitas est, pœna centum librarum auri cameræ nostræ inferenda puniatur. oppidum verò triginta libris auri multetur: Duces autem, Marchiones, & Comites quinquaginta auri libras præstent: Capitanei quoque, & maiores valuasores viginti auri libris puniantur: minores verò valuasores, & omnes alii prædictæ pacis violatores, tres libras auri inferre cogantur, & damnum

num passo secundum leges resarciāt. iniuria seu furtum legitimè puniatur. Homicidium quoque, & membrorum diminuto, vel aliud quodlibet delictum legaliter vindicetur, iudices vero, & locorum defensores, vel quicunque magistratus ab Imperatore, vel eius voluntate constituti seu confirmati, qui iustitiam facere neglexerunt, & pacem violatam vindicare legitime supersederint: damnū omne iniuriam passo resarcire compellantur: & insuper si maior iudex est, sacro ærario pœnam decem librarum auri præstet, minor autem pœna trium librarum auri multetur. Qui verò ad prædictam pęnam persoluendam inopia dinoscitur laborare, corporis sui correctionem cum uerberibus patiatur: & procul ab eo loco, quem inhabitat quinquaginta miliaria per quinquennium vitam agat. lib. secundo tit. liii. in prin.

Conuenticula quoque in ciuitatibus, omnesque coniurationes, & extrà, etiam occasione parentelæ, & inter ciuitatem, & ciuitatem, & inter personam, & personam, siue inter ciuitatem, & personam, modis omnibus fieri prohibemus, & in præteritum factas cassamus, singulis coniuratorum pęna vnius libræ auri puniendis. Episcopos verò locorum ecclesiastica censura violatores huius sanctionis donec ad satisfactionem veniant, volumus coercere. Receptatoribus etiā malefactorum, qui prædictam pacem violauerint, & prædam ementibus nostram indignationem subituris, & eiusdem pęnis feriendis. præterea bona eius publicentur, & domus eius destruatur, d. tit. liii. §. conuenticula.

Qui pacem iurare, & tenere noluerit, beneficio, & lege pacis non fruatur. d. titul. liii. §. qui pacem.

Item sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inuiolabiliter custodiantur. Per vim autem, & iustum metum etiam à maioribus (maxime ne quærimoniam maleficiorum commissorum faciant) extorta, nullius sunt momenti, d. tit. liii. §. item sacramenta.

QVAE SINT REGALIAE. Titulus II.

Regaliæ, armandiæ, viæ publicæ, flumina nauigabilia, & ex quibus fiūt nauigabilia, portus ripatica, uectigalia, quæ vulgo dicuntur telonia, monetæ, multarum pœnarumque compendia bona vacantia, & quę, vt ab indignis legibus auferuntur, nisi quæ specialiter quibusdam conceduntur, & bona contrahentium incestas, nuptias, condemnatorum, & proscriptorum, secundum quod in nouis constitutionibus cauetur, angariarum, parangarium, & plaustrorum, & nauium præstationes, & extraordinaria collatio ad fœlicissimam regalis numis expeditionem, potestas constituendorum magistratuum, ad iustitiam expediendam, argentariæ, & palatia in ciuitatibus consuetis, piscationum reditus, & salinarum, & bona committentium crimen maiestatis, & dimidium thesauri in loco cæsaris inuenti non data opera, vel loco sacro, si data opera, totum ad eum pertineat, lib. secundo tit. lvi.

DE NOTIS FEVDORVM. Tit. III.

Notandum est in feudo, quod de cauena, seu camera dicitur, non debere dari, nisi cum sit in camera, vel cauena, vnde solui possit: vel si ita euacuata sit cauena sine culpa promissoris, expectandum est donec interim de cauena, vel de camera dari possit. Dominum autem

feu-

feudi dare posse intelligitur, omni ære alieno deducto: non enim æquum est quem videre egentem quam prius habuit in coniugem, vel amicum. Quod autem pares tantum debeant interesse inuestituræ feudi, & non alii, hoc tunc verum est, cum dominus vasallos alios habuerit. Alioqui adhibeat dominus, quos meliores poterit liberos tamen, argumentatione legis de vltimis uolũtatibus in Lombarda, scilicet illa, quæ dicit, si quis donationem facere voluerit de suis rebus alicui, uel inuestituram: adhibeat sibi de parentibus suis (& per eandem legẽ iurant) duos testes idoneos, vel tres, vel plures: pluralis enim locutio, duorum numero contestata est. Item sciendum est non esse impedimentum inuestituræ, & si inuestituram faciat de re, quam communem dominus habeat cum aliquo: quia si sponte diuidere noluerit ille, cum quo habet rem communem, qui inuuestiuit: potest cogere per iudicem ille, qui inuestitus est, vt diuidat. item hęredes eius necess. habent tenere firmam inuestituram, quam pater fecit. item eadem lege & eodem iure debet habere rem iste, qui inuestitus est quam haberet, qui eum inuestiuit, cum cohærede suo, scilicet, ut adæquatio percurrat vsque ad xl. annos. Item inuestitura per se, & per suum nuncium dari, & accipi potest, quæ omnia supradicta colligi possunt per supradictas. ll. Longobar. tit. de ultimis uoluntatibus. l. si quis, & C diui. l. i. & ii. Idcirco pares necessarii sunt in instrumento inuestituræ, & non alii: ne quid excogitetur falsitatis in perniciem domini, aliis testibus inductis, corruptis forte pecunia, vel odio, uel gratia, quæ non sunt suspicanda in paribus. si instrumentum diceretur falsum: à domino daretur defensio uasallo, qui instrumentum ad se deferret: ut in Lõbar. qualiter quis se defen. de. l de chartis. & auferetur domino, qui ueritatem nouerit, & iniquum erit, si aliquis ex dono suo conueniatur. domini est defensio ex ordine, cum uasallus non possideat. Notandum est, quod de omni controuersia, quæ inter dominum, & uasallum oritur, si pares ueritatem nouerint, omnino cogi debere à domino, & paribus dicere ueritatem. qui si dicant se nescire, cum sciant, & uasallus postulet, dominus eos coget iurare, & ueritatem dicere, ut C. de testi. l. si quando, & in Lomb. ut iudex unus &c. & in tit. qualiter quis se defen. de l. si qualiscunque causa, & tit. de testi. ut quicunque & l. ult cum datur domino defensio de inuestitura, quæ dicitur esse facta, iurare debet se inuestituram non fecisse. cum uero datur successori eius, iurare debet se non credere inuestituram factam esse ab antecessore suo. si qua inuestitura facta esse dicetur, semper debet nominare dominum, à quo inuestitura facta dicitur, cũ multum discrepet sacramentum hæreditarium à principali sacramẽto, C. de re. cre. & iureiur. l. 3. & l. generaliter, & ut habes de tutore, qui iurat, quod credit, & existimat, ut C. de iura. ca. l. 2. de conscientia enim sua iurare debet, & non de alieno facto. cum iniquum sit aliquem iurare de alieno facto, hæres, uel successor, nec etiam filius, ut ff. rerum amo. l. Marcellus. sed contrarium reperitur in Lom. quia licet filius minorem uirtutem habeat quam pater, tamen debet præcise iurare patrem suum non fuisse debitorem ut in Lomb. qualiter quis se defendere debet. l. si contigerit. lib. secundo. tit. lviii.

Finis Libri Tertij.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omiſsis iis,quibus a iure Canonico,Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione,contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Quartus.

DE IVRE DOTIVM. Titulus I.

DOTIS cauſa perpetua eſt: & cum voto eius, qui dat ita contrahitur,vt ſemper apud maritum ſit,ff.de iur.dotiũ,l.prima.

Ibi dos eſſe debet,ubi onera matrimonii ſunt: poſt mortem patris ſtatim onera matrimonii filium ſequuntur,ſicut liberi, ſicut vxor,ff.eod.l.ſi is qui.lvi.§.ibi dos.

Reipublicæ intereſt mulieres dotes ſuas ſaluas habere, propter quas nubere poſſunt,ff.eod.l.ſecunda.

Dotis appellatio non refertur ad ea matrimonia, quæ conſiſtere non poſſunt. Neque enim dos ſine matrimonio eſſe poteſt. Vbicunque igitur matrimonii nomen non eſt,nec dos eſt: ff.eod.l.tertia.

Si ſpadoni mulier nupſerit,diſtinguendum eſt,caſtratus fuerit,nec ne: ut in caſtrato dicendum ſit dotem non eſſe: in eo,qui caſtratus non eſt; quia eſt matrimonium,& dos,& dotis actio eſt,ff.eod.l.ſi ſerua,39.§.ſi ſpadoni.

Si proprietati nudæ in dotem datæ,vſusfructus acceſſerit: incrementum uidetur dotis,non alia dos: quemadmodum ſi quid alluuione acceſsiſſet,ff.e.l.quarta.

Ampliatur dos ex fructibus fundi,qui ante nuptias traditus eſt,ff.e.l.ſi ſeruo,47.

Si res in dote dentur,in bonis mariti fiunt,acceſsioque temporis marito ex perſona mulieris concedenda eſt. Quid ergo ſi ante matrimonium? ſi quidem ſic dedit mulier,vt ſtatim eius fiant,eius efficiuntur. Enimuero ſi ea conditione dederit,vt tunc efficiantur cum nupſerit: ſine dubio dicemus tunc eius fieri,cũ ſecutæ fuerint nuptiæ. Proinde ſi forte nuptiæ non ſequantur,nũcio remiſſo. Enimuero ſi ſic dederit,vt ſecutis nuptiis incipiant eius eſſe: nuncio remiſſo, ſtatim eas vendicabit: ſed ante nuncium remiſſum ſi vindicabit: exceptio poterit nocere vendicanti,aut doli,aut in factum. Doti enim deſtinata non debebunt uendicari. Sed niſi hoc euidenter actum fuerit: credendum eſt hoc agi,ut ſtatim res ſponſi fiant: & niſi nuptiæ ſecutæ fuerint reddantur,ff eodem lege ſeptima,§.ſi res in dote cum l.ſeq.

Pro-

Profectitia dos est, quæ à patre, vel parente profecta est de bonis, vel facto eius. Siue igitur parens dederit dotem, siue procurator eius, siue iusserit alium dare: siue cum quis dedisset eius negotium gerens parens ratum habuerit: profectitia dos est. Quid & si quis patri donaturus, dotem dedit? Marcellus lib. 6. ff. scribit, hanc quoque à patre profectam esse. Et est verum. sed & si curator furiosi, vel prodigi, vel cuiusuis alterius dotem dederit: similiter dicemus dotem profectitiam esse. sed & si proponas prætorem, vel præsidem decreuisse, quantum ex bonis patris, vel ab hostibus capti, vel à latronibus oppresi, filiæ eius in dotem detur: hæc quoque profectitia est, ff. eod. l. quinta, in prin.

Si pater repudiauerit hæreditatem dotis constituendæ causa, fortè quod maritus, aut substitutus erat, aut quia potuit ab intestato hæreditatem vendicare: dotem profectitiam non esse Iulianus ait. Sed si legatum in hoc repudiauerit pater, ut apud generum hæredem remaneat, dotis constituendæ causa, id Iulianus probat, non esse profectum id de bonis patris: quia nihil erogauit de suo pater, sed nec acquisiuit, d. l. quinta, §. si pater.

Si pater non quasi pater, sed alio dotem promittente, fideiusserit, & quasi fideiussor soluerit: Neratius ait non esse profectitiam dotem, quamuis pater seruare à reo id, quod soluit, non posit. sed si pater dotem promisit, & fideiussorem, vel reum pro se dedit: profectitia erit dotem. Sufficit enim quod pater obligatus sit siue reo, siue fideiussori, d. l. quinta, §. si pater non.

Si filiusfam: mutuatus pecuniam, creditorem delegauit, vt daret pro filia sua dotẽ, vel etiam ipse accepit, & dedit: uideri dotem ab auo profectam Neratius ait, eatenus, quatenus auus esset dotaturus neptem suam id in rem aui videri versum d. l. quinta, §. si filiusfam.

Si quis certam quantitatem patri donauerit, ita vt hanc pro filia daret: non esse dotem profectitiam Iulianus, lib. xviii. ff. scit obstrictus est enim vt det: aut si non dederit, condictione tenetur. Hoc & in matre idem iuris est. Si fortè sub ea conditione vxor marito det, vt pro filia genero in dotem daret: nec videtur uxorem marito donasse; rectissime ergo dicitur, vt non sit interdicta donatio iure ciuili. Non enim ad hoc dedit, vt ipse habeat, sed vt genero pro filia expendat. denique si non dederit, condictioni tenetur. esse igitur dotem istam aduentitiam Iulianus ait: & ita vtimur, d. l. quinta, §. si quis certam.

Si filiusfamil. dotem promiserit, & sui iuris factus dederit: profectitiam esse dotem constat: non enim pro hæreditate patris æs alienum soluit: sed suum æs alienum susceptum dum filiusfam. esset, paterfam. factus exonerauit, d. l. quinta §. si filiusfamil.

Si pater pro filia emancipata dotem dederit: profectitiam nihilominus dotem esse nemini dubium est: quia non ius potestatis, sed parentis nomen dotem profectitiam facit: sed ita demum, si ut parens dederit. Cæterum si cum deberet filiæ, voluntate eius dederit: aduentitia dos est, d. l. quinta, §. si pater.

Adoptiuus quoque pater si ipse dotem dedit, habet eius repetitionem, d. l. quinta, §. penultima.

Iure succursum est patri, vt filia amissa, solatii loco cederet, si redderetur ei dos ab ipso profecta: ne & filiæ amissæ, & pecuniæ damnum sentiret, ff. eodem l. sexta, in principio.

Si pater alienum fundum bona fide emptum in dotem dederit ab ipso profectus intelligitur, d. l. sexta, §. si pater.

Pater filiæ nomine nummos alienos, quos mutuo accepit, aut in causam crediti receperat,

ceperat, in dotem dedit. consumptis his, dos profectitia efficitur, ff. eodem. l. pater, 84.

Auus neptis nomine ex filio natæ genero dotem dedit, & moritur. Negat seruius dotem ad patrem reuerti, quia non potest videri ab eo profecta, ff. eodem l. Auus, 72. in prin.

Si quis pro aliena filia dotem promiserit, & promissori pater hæres extiterit: Iulianus distinguit interesse an ante nuptias pater hæres extiterit, & dotem dederit, an postea: si ante videri dotem ab eo profectam. potius se enim nuncium remittendo resoluere dotem. Quod si post nuptias, non esse profectitiam. ff. eod. l. sexta, §. fin.

Cum pater curator suæ filiæ iuris sui effectæ dotem pro ea constituisset: magis quasi pater, quàm quasi curator id fecisse uidetur, ff. eod. l. v. §. final.

Mulier in minori ætate constituta, dotem marito, consentiente generali, vel speciali curatore, recte dare, & exigere potest: licet ipse tempore creationis fideiussorem in minorem quàm dos est, quantitatem dicitur præstitisse. Hoc idem obseruatur, & si minor ante nuptias donationem consentiente, vt dictum est curatore fecerit, C. de iure dotium. lege mulieri, xxviii.

Si quæratur quantæ pecuniæ dotem promittenti adultæ mulieri curator consensum accommodare debeat, respondebitur modus ex facultatibus, & dignitate mulieris: maritique statuendus erit, quousque ratio patitur, ff. eodem lege. quæro, 60.

Siue generalis curator, siue dotis dandæ causa constitutus sit, & amplius doti promissum est quam facultates mulieris ualent: ipso iure promissio non valet: quia lege rata non habetur auctoritas dolo malo facta. Quærendum est, tamen vtrum tota obligatio, an quod amplius promissum est, quàm promitti oportuit, infirmetur. Et vtilius est dicere, id quod superfluum est, tantummodo infirmari. iste autem curator res dotis nomine tradere debet: non vt vendat cuilibet, & pretium eius in dotem det. ¶ Dubitari tamen potest, an hoc verum sit. Quid enim si alteri honestè nubere non possit, quàm vt pecuniam in dotem det, idque ei magis expediat? At quin possunt res in dotem datæ plerunque alienari, & pecunia in dotem conuerti. (sed ut expediatur quæsito) si quidem res in dotem maritus accipere maluerit: nihil amplius quærendum est. Sin autem non aliter contrahere matrimonium vir patiatur, nisi pecuniis in dotem datis: tunc officium curatoris est apud eundem impetrare iudicem, qui cum constituit, vt interim ei, causa cognita etiam viro absente permittat rerum venditione celebrata dotem constituere, ff. de iure dotium, l. siue, 62.

Si in dote danda circumuentus sit alteruter, & maiori annis vigintiquinque succurrendum est: quia bono, & æquo non conuenit, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum sentire pro alterius lucro, ff. eodem l. septima, §. fina.

Titia cum esset minor xxv. annis quartam hæreditatis matris suæ communem sibi cũ fratribus permutauit, & accepit pro ea parte fundũ, quasi emptione inter se facta, hunc fundum cum aliis rebus doti dedit quæritur si in integrum restitua-

tur, & partem ſuam accipiat quartam, & fundum reddat. quid debeat maritus facere an contractus eſſe debeat aliis rebus in dotem datis. Item ſi hæc deceſſerit, & hæredes eius in integrum reſtitutionem ex perſona eius petierint, & ipſi petant quartam partem, & illi fundum an maritus cogatur reſtituere fundum contentus in retentionem lucri dotis cæteris rebus. Modeſtinus reſpondit nihil proponi cur marito dos auferenda ſit: ſed in meram æſtimationem prædii mulier, vel eius hæredes condemnandi ſunt in hoc tempus referendam, quo in dotem datus eſt, ff. eodem lege Titia, ſexageſimo-tertio.

Gener à ſocero dotem arbitratu ſoceri certo die dari, non demonſtrata re, vel quantitate, ſtipulatus fuerat; arbitrio quoque detracto ſtipulationem valere placuit: nec uideri ſimile, quod fundo non demonſtrato nullam eſſe legatum, vel ſtipulationem fundi conſtaret: cum inter modum conſtituendæ dotis, & corpus ignotum, magna differentia ſit. Dotis enim quantitas pro modo facultatem, & dignitate Natalium viri rectè per tutorem conſtitui poteſt, ff. eodem lege. cum poſt, ſexageſimonono. §. cum gener.

Nuptiis ex voluntate patris puellæ cum filio tutoris iure contractis: dos pro modo facultatem, & dignitate Natalium recte per tutorem conſtitui poteſt, d.l. cũ poſt, 69. §. nuptiis.

Si pater filiæ nomine centum doti ita promiſit: CVM COMMODISSIMVM ERIT. Cum primum ſine turpitudine, & infamia dari poſsit, dabitur, ff. eod. l. labeo, 79. §. fin.

Si mulier de ſuo dotem dedit, & adhibuit matrem, quæ ſtipularetur; potuiſſe eam poſtea inſtrumentum dotale mutare, reſponſum eſt, ff. eodem lege. mulier, lxxii. §. final.

Si pater mulieres mortis ſuæ cauſa dotem promiſerit: valet promiſsio. Nam & ſi in tempus, quo ipſe moreretur, promiſiſſet, obligaretur. ſed ſi conualuerit: cur ei non remittatur obligatio per condictionem, atque ſi ſtipulanti quiuis alius promiſiſſet, aut dotem alicuius nomine? Nam ut corporis, vel pecuniæ translatæ, ita obligationis conſtitutæ mortis cauſa condictio eſt. Non idem dicendum eſt in perſona mulieris, ſi mortis cauſa dotem promiſit: quia niſi matrimonii oneribus ſeruiat, dos nulla eſt, ff. eodem l. ſi pater, xxvi.

Iulianus ſcribit valere talem ſtipulationem CVM MORIERIS DOTIS NOMINE TOT DARI? quia & paciſci ſolet, ne ea uiua exhibeatur quod non eſt. Aliud eſt enim differre exactionem, aliud ab initio in id tempus ſtipulari, quo matrimonium futurum non ſit, ff. eodem lege. Iulianus, xx.

Stipulationem, quæ propter cauſam dotis fit, conſtat habere, in ſe conditionem hanc ſi NVPTIAE FVERINT SECVTAE: & ita demum ex ea agi poſſe, quamuis non ſit expreſſa conditio, ſi nuptiæ conſtant. Quare ſi nuncius remittatur, defeciſſe condictio ſtipulationis videtur, & licet poſtea eidem nupſerit, non conualeſcit ſtipulatio, ff. eodem l. ſtipulationem 21. cum l. ſeq.

Tali facta ſtipulatione DECEM IN ANNO PROXIMO DOTIS NO-

NOMINE DARE SPONDES: quæsitum est, annus ex quo tempore esset numerandus: vtrum ex die stipulationis factæ, an ex ea die, quo dos esse potuisset, id est nuptiarum. Et responsum est, ex die nuptiarum annum esse numerandum: ne si aliter obseruemus (si intra annum nuptiæ factæ non sint) videri posit dos ex ea obligatione non deberi, ff. eodem l. tali 48. in principio.

Vir ab eo, qui vxor eius dotem facere volebat, certam pecuniam eo nomine stipulatus est: deinde acceptam ei fecit. Quærebatur, esset ne ea pecunia in dotem Respondit Vlpianus, si acceptam non fecisset, & promissor soluendo esse desiisset: quæreremus an culpa mariti ea pecunia in dotem exacta non esset. Cum verò acceptam fecit: omnino ad eum periculum pertinebit: perinde enim est, ac si acceperit pecuniam, & eandem promissori donauerit, ff. eodem lege. vir, xlix.

Quia autem in stipulatione non est necessaria dotis adiectio, etiam in donatione tantundem dicimus, ff. eo. l. quia, xxiii.

Si mulier in dotem promiserit DECEM TIBI AVT TITIO DOTI ERVNT: hoc casu dici potest, vel Titio dari posse: sed de dote virum teneri: quemadmodum si Titio iussisset dari. Nec mirum: cùm etiam promissura uiro dotem, posit delegante eo alteri promittere: & si dici solet, alii quàm marito dotis nomine mulierem non posse obligari. His enim casibus viro dos quæritur. Non enim existimauimus illam ita promisisse, vt vel de Titii nuptiis cogitaret, ff. eod. l. si mulier, lix. in prin.

Promittendi dotem omnes obligantur, cuiuscunque sexus conditionisq; sint. sed si nuptiæ secutæ non fuerint, ex stipulatu agi non potest. Magis enim res quam verba intuenda sunt, ff. eod. l. promittendo, xli. in prin.

Mutus, surdus, & cæcus dotis nomine obligantur, quia & nuptias contrahere possunt, ff. eod. l. mutus, lxxiii. in prin.

Si ego Seiæ res dedero, ut ipsa suo nomine in dotem det: efficientur eius, licet in dotem non sint datæ: sed condictione tenebitur; quod si pro ea res ego dem. Si quidem ante nuptias, interest, qua conditione dedi: vtrum, vt statim fiant accipientis, an secutis nuptiis, & si statim: nuncio misso condicam: Sin vero non statim, potero vendicare, quia meæ res sunt. Quare si sequi nuptiæ non possunt propter matrimonii interdictionem, ex posteriori casu res meæ remanebunt, ff. eod. l. si ego ix. in prin.

Si res alicui tradidero, vt nuptiis secutis dotis efficiantur, & ante nuptias decessero; an secutis nuptiis dotis esse incipiant? & videtur ne non posint in domino eius effici cui datæ sunt: & quia post mortem incipiat dominium discedere ab eo, qui dedit; & quia pendet donatio in diem nuptiarum, & cum sequitur cōditio nuptiarum iam hæredis dominium est, à quo discedere non posse rerum dominium inuito eo fatendum est. sed benignius est fauore dotium necessitatem imponi hæredi consentire ei quod defunctus fecit, aut si distulerit, vel absit etiam nolente, vel absente eo, dominium ad maritum ipso iure transferri, ne mulier indotata sit, d. l. si ego, §. si res.

Si sponsalibus nondum factis Titio dotem Seiæ nomine promiseris, cum ea nubere ei nollet: tamen si postea nupserit dotem debebis, nisi aliæ nuptiæ mediæ intercesserint, ff. eod. l si sponsalibus, lviii. in prin.

Si sponsa dotem dederit, nec nupserit, uel minor xii annis, vt uxor habeatur exemplo dotis conductioni (fauoris ratione) priuilegiū, q inter personales actiones

vertitur tribui placuit, ff. eod. l. n sponsa, 74.

Dotis causa data, accipere debemus ea, quæ in dotem dantur, cæterum si res dentur in ea causa, quæ Græci Parapherna, Galli peculium appellant, si sic dentur, vt fiant mariti, efficientur mariti, & cum distractum fuerit matrimonium, vindicari non oportet, sed condici, nec dotis actione peti, ff. eodem l. si ego, 9. §. dotis causa.

Planè si rerum libellus mariti detur, vt Romæ vulgo fieri videmus, nam mulier res quas solet in vsu habere, in domo mariti, neque in dotem dat in libellum solet conferre, eumque libellum marito offerre, vt is subscribat, quasi res acceperit: & velut chirographum eius vxor retinet, res, quæ libello continentur in domum eius se intulisse.) Hæ igitur res mariti non efficientur, quod non ei traduntur: quid enim interest, inferantur volente eo in domum eius an ei tradantur? sed quia hoc non agitur inter virum, & vxorem, vt dominium ad eum transferatur, sed magis vt certum sit in domum eius illatas; ne si quandoque separatio fiat negetur, & quia plerunque custodiam earum maritus repromittit, nisi mulieri commissæ sint. Harum vero rerum, si non tradantur, si custodia marito committitur, depositi agetur, vel mandati, si minus agetur rerum amotarum, si amouendi animo maritus eas retineat, aut ad exhibendum, si non amouere eas conscius est, d. l. si ego. §. plane.

Vir, in his rebus, quas extra dotem habet mulieri, quas Græci parapherna dicunt, nullam uxorem prohibente habet communionem: neque aliquam ei necessitatem imponit; quamuis bonum erat mulieri, quæ seipsam commisit marito res etiam eiusdem pari arbitrio gubernari. C. de pactis conuent. lege hac lege, 8.

Actiones paraphernalium rerum, hoc est nomina, & cautiones debitorum apud vxorem manent. licentia autem marito datur easdem actiones mouere apud competentes iudices nulla ratihabitione ab eo exigenda: pecuniam autem sortis, quas ipsa voluerit distribuere: & si in instrumento hypotheca scripta non est, habet ex hac lege vxor hypothecam contra res mariti, ex quo pecunias ille exegit. Ante enim habet ipsa mulier facultatem easdem actiones mouere, & suas pecunias percipere: & ipsas cautiones à marito recipere securitate ei competente facienda. Dum autem apud maritum remanent eædem cautiones, & dolum, & diligentiam maritus præstare debet, qualem & circa res suas habere inuenitur: ne ex eius malignitate, vel desidia aliqua mulieri accedat iactura. Quod si euenerit, ipse eam de proprio resarcire compellitur, C. de pactis conuen. l. fina.

Nulla lege prohibitum est vniuersa bona in dotem marito fœminam dare, C. de iure dot. l. iiii.

Ante diuisionem filia intestato patris etiam ipsa succedens cum fratre pro indiuiso portionem fundi communis in dotem dare non prohibetur, C. de iure dot. l. ante. 16.

Etiam si alii iussu mariti dos detur, nihilominus maritus de dote obligatur, ff. eo. l. etiam, 19.

Si extraneus sit, qui dotem promisit, isque defectus sit facultatibus antequam dotem daret imputabitur marito cur eum non conuenerit, maxime si ex necessitate, non ex voluntate dotem promiserit, nam si donauit, utiq; parcẽdũ est marito, qui eũ non præcipitauit ad solutionem, qui donaret: quemq; in id, quod facere posset, si cõuenisset, condẽnaret. Hoc. n. diuus Pius rescripsit, eos, qui ex libera-

liberalitate conueniuntur, in id, quod facere possunt cōdemnandos. Sed quid si vel pater, vel ipsa promiserit? Iulianus quidem l. xvi. ff. scribit, & si pater promiserit, periculum respicere ad maritum. Quod ferendum non est. debebit igitur mulieris esse periculum: Nequaquam enim iudex propriis auribus audiet mulierem dicentem: cur patrem, qui de suo dotem promisit, non urserit ad solutionem; multo minus, cur ipsam non conuenerit. Recte itaque Sabinus disposuit, vt diceret, quod pater, vel ipsa mulier promiserit, id viri periculo non esse. quod debitor mulieris, id viri esse periculo: quod alius scilicet donaturus eius periculo esse, cui acquiritur. Acquiri autem mulieri accipiemus, ad quam rei commodum respicit, ff. eod. l. si extraneus. 33.

Cum dotem mulieris nomine extraneus promisit, mulieris periculum est, sed si maritus nomen secutus interesse pecunia exigerit, periculum eius futurum erit, ff. eod. l. cum dotem, 71.

Accepti quoque latione dos constituitur, cùm debitori marito acceptum feratur dotis constituenda causa. Si à debitore mulieris sub conditione dos promittatur: & postea, antequam maritus petere posit, debitor soluendo esse desierit: magis periculum ad mulierem pertinere placet. Nec enim videtur maritus nomen consecutus eo tempore, quo exigere non potuerit. Quod si iam tunc debitor cum sub conditione promitteret, soluendo non fuerit: periculum viri erit, quòd sciens tale nomen secutus videretur, quale initio obligationis fuerit. Si debitor mulieris dotem promiserit, & mulierem hæredem reliquerit: Labeo perinde habendum ait, ac si mulier ipsa dotem promisisset. Cuius sententiam Iulianus quoque probat. Nec enim æquum esse ait, vt ei damnetur eius pecunia nomine, quam ipsa debeat: & satis esse: acceptilatione eam liberari. ff. eodem. l. promittendo, quadragesimoprimo. § acceptilatione.

Licet soleat dos per acceptilationem constitui: si tamen ante matrimonium acceptilatio fuerit interposita nec nnptiæ secutæ sint. Scæuola ait matrimonii causa acceptilationem interpositam non secutis nuptiis nullam esse: atque ideo suo loco manere obligationem, quæ sententia vera est. Quoties autem extraneus accepto fert debitori dotis constituendæ causa: siquidem nuptiæ insecutæ non fuerint, liberatio non sequetur: nisi forte sic accepto tulit, vt velit mulieri in totum donatum. Tunc enim credendum est breui manu acceptum à muliere, & marito datum. ¶ Planè secutis nuptiis, mulier soluto matrimonio dotis exactionem habebit; nisi fortè sic accepto tulit extraneus, vt ipse (quoquo modo solutum fuerit matrimonium) condictionem habeat. Tunc enim mulier condictionem non habebit. secundum quæ, constituta dote per acceptilationem, & secutis nuptiis, is effectus erit dotis exactionis, vt si quidem pura sit obligatio, quæ accepto lata est, non ipsa iam restituenda sit, sed soluenda dos secundum sua tempora. Sin verò obligatio in diem fuerit, nec ante solutum matrimonium dies obligationis præterierit: restituenda erit in diem pristinum obligatio. Et si debitum cum satisdatione fuerit; satisdatio renouanda est. Similique modo, & si conditionalis fuerit obligatio, quæ in dotem conuersa est, & pendente obligatione diuortium fuerit secutum; uerius est obligationem sub eadem conditione restitui debere. ¶ Sed si condictio extiterit constante matrimonio. Ex die diuortii tempora exactionis numerantur, ff. de iure dotium, lege licet soleat, quadragesimotertio.

Si pater filia nomine dotem promiserit, & eam ante nuptias emanciparit: non re ſoluitur promiſsio. Nam & ſi ante nuptias pater moreretur; nihilominus hæredes eius ex promiſsione obligati manebunt, ff. eod. l. ſi pater 44. in prin.

Si res, quas filiæ emancipatæ pater donauit, & voluntate eius poſtea in dotem pro ea data ſunt, à filia dos non à patre videtur data, ff. eod. l. ſi res, 51.

Pater etiam ſi falſo exiſtimans ſe filiæ ſuæ debitorem eſſe dotem promiſerit; obligabitur, ff. eod. l. quemadmodum, 46. §. fin.

Quæ debitorem filium famil. habet, ſi patri eius ita dotem promiſerit QVOD MIHI DEBES, VEL QVOD MIHI FILIVS TVVS DEBET DOTI TIBI ERVNT, non obligatur, ſed efficit, vt id quod actione de peculio ſeruari à patre poterat in dote ſit, ſiue igitur cùm filio poſt hæc, ſiue cũ patre agere inſtitueret, exceptione pacti conuenti ſummouebitur; actione autem de dote ſi experiatur, conſequetur quod in peculio fuiſſe apparuit eo tempore, quo dos promittebatur. Vtique ſi poſt nuptias promiſſa eſt dos; ſi uero ante nuptias, eius temporis peculium æſtimari debet, quo nuptiæ fierent, ff. eod. l. ſi pater, 44. §. quæ debitorem.

Quod ſi nuptura debitori ſuo filiusfamil. actionem duntaxat de peculio promiſit: id quod ex ea cauſa ſibi deberetur, nuptiarum tempore inſpicitur. ſi vero alii nuptura iuſsit filiofamil. debitorem de peculio dotem promittere, tempus inſpicitur quo dos promiſſa eſt, vt tantum in peculio eſſe exiſtimetur, ff. eod. l. quod ſi. 45.

Si cum marito debitore mulier pacta ſit, vt id quod debeat in dotem habeat dotis actione, & agere poteſt: licet enim ipſo iure priore debito liberatus non ſit, tamen exceptionem habere poteſt, ff. eo. l. ſi res, 12. §. fin.

Si debitori ſuo mulier nuptura, ita dotem promiſiſſet QVOD MIHI DEBES, AVT FVNDVS SEMPRONIANVS DOTI TIBI ERIT, vtrum mulier vellet, id in dotem erit. Et ſi quidem debitum mallet dotis nomine apud virum remanere: poteſt ea exceptione ſe tueri aduerſus petentem fundum. Quod ſi fundum dederit, pecuniam à marito condicet, ff. eod. l. quemadmodum, xlvi. §. ſi debitori.

Nuptura filiofamil. ſi ſocero dotem ita promiſerit QVOD FILIVS TVVS MIHI DEBET, ID DOTI TIBI ERIT: intereſt vtrum filii obligatio, an patris perſecutio, & in rem verſum promiſsione contineatur. Nam ſi id quod filium dare oportet, ſignificatum eſt, tota pecunia, in quam filius obobligatus eſt, promiſsione dotis continebitur. Sin autem id quod patrem de peculio, vel de in rem verſo præſtare oportet: æſtimari debebit, quantum ſit eo tempore, quo promittitur: ut ea ſumma dotis eſſe videatur, in quam patrem eo tempore filii nomine condemnari oportuerat. Quod ſi non euidenter appareat de cuius obligatione mulier ſenſerit: præſumptionem ad filii debitum ſpectare veriſimile eſt, niſi euidentiſsime contrarium approbetur, ff. eodem lege nupt ura, 57.

Traditione quoque rei dotalis in perſona filiifamil. facta dos conſtituitur: ita ut neque periculum, nec culpam pater præſtet. Igitur hæc dos periculo mulieris erit quandiu pater ratam promiſsionem, vel donationem habuerit. Ideoque etiam manente matrimonio res, quas tradiderit mulier cõdictione repetitura eſt. Item incerti condictione conſecutura eſt, ut promiſſorie liberetur, ff. eod. l. quemadmodum, xlvi. §. traditione.

Cum vir vxori donare vellet: debitori mulieris, qui ſoluendo non erat, dotem ei pro-

promisit, ad id duntaxat, quo ad soluendo frui iuri periculo ea res est, & si quid debitori ad soluendum facultatis accesserit: periculum ad eam summam, quæ accesserit, crescit, permanebitque, etiam si rursus pauperior factus erit, quia neque tum, cum dos promitteretur, donatio facta est, nisi eius pecuniæ, quæ à debitore seruari non poterat, neque cum soluendo esse cæpit, donationis causa permanet: cum eo loco res sit, quo esset, si tunc quoque cum permitteretur dos, locuples fuisset, ff. eo. l. cum uir, liii.

Mulier pecuniam sibi debitam à seio cũ interesse futuri temporis in dote promittenda demonstrauit, id quoq; dotis portionem esse, quarum dies post nuptias cessit, rationis est, ff. eod. l. cum post, lxviii. §. mulier.

Si mulier debitori suo, qui interesse pecuniæ debebat, nuptura dotem promisisset quod is sibi deberet: post contractas nuptias secuti temporis interesse non erit dotalis, quia illa obligatio tolleretur, perinde ac si solutum debitum mulieri, in dotem ab ea datum esset, ff. eo. l. si mulier, lxxvii.

Si debitor mulieris dotem sponso promiserit, non potest mulier ante nuptias à debitore pecuniam petere, quia & promissio in pendenti esset donec obligatio in ea causa esset, ff. eod. l. si debitor, lxxx. & lxxxiii.

Cum vxor uirum suum, quam pecuniam sibi deberet, in dotem filiæ communi dare iusserit, & id fecisse dicatur, animaduertendum est, utrum ea dotem suo, an vxoris nomine dedit. Si suo, nihilominus uxori is pecuniam debebit. Si uxoris nomine, ipse ab uxore liberatus erit, ff. eo. l. cum uxor, lxxxii.

Res in dotem datæ, quæ pondere, numero, mẽsura constant, mariti periculo sunt: quia in hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium suum distrahat, & quandoque soluto matrimonio, eiusdem generis, & qualitatis alias restituat, vel ipse, vel hæres eius, ff. eo. l. res, quæ. xlii.

Mater cum filiæ aurum dedisset vtendum, pater puella, id aurum in dotem uiro appendit: deinde mortua est mater. Si inscia inuitave vxore uir, id aurum in dotem dedit: manet id aurum hęredis matris, vendicariq; potest: & omnino rẽ in dotem viro datam non esse placuit: & quia res euicta est, marito competit aduersus socerum actio, ff. eo. l. mater, xxxiiii.

Plerunque interest uiri res non esse æstimatas: idcirco ne periculum rerum ad eum pertineat: maximè si animalia in dotem acceperit, vel vestem, qua mulier vtitur. fuerint enim si ęstimata sit, & eam mulier attriuerit, vt nihilominus maritus æstimationem earum præstet. Quoties igitur non æstimatæ res in dotẽ dentur, & meliores, & deteriores mulieris fiunt. Si prædiis inæstimatis aliquid accesserit, hoc ad compendium mulieris pertinet: si aliquid decesserit, mulieris damnum est, ff. de iure dot. l. plerunque, x. in prin.

Si ante matrimonium æstimatæ res dotales sint, hæc æstimatio quasi sub conditione est, namque hanc habet conditionem. SI MATRIMOMIVM FVERIT SECVTVM, secutis igitur nuptiis, æstimatio rerum perficitur, & fit uera uenditio. ff. eo. l. plerunque, x. §. si ante.

Si res in dotem datæ fuerint, quamuis æstimatæ verum conuenerit, ut aut æstimatio, aut res præstentur: siquidem fuerit adiectum VTRVM MVLIER VELIT, ipsius erit electio. Aut si nihil de electione adiiciatur: electionem habebit maritus vtrum malit res offerre, an pretium earum. Nam & cum illa, aut illa res promittitur: rei electio est vtram præstet. sed si res non existet, æstimationem omnino maritus præstabit. sanè & deteriorem factam reddere poterit, d. l. plerunque, §. fin. cum l. seq.

Si res

Si res æstimata, post contractum matrimonium donationis causa approbetur, nulla est æstimatio: quia nec res distrahi donationis causa potest, cum effectum inter virum, & uxorem donatio non habeat. res igitur in dotem remanebit. sed si ante matrimonium: magis est, vt in matrimonii tempus collata ea donatio uideatur: atque ideo non ualet, ff. eo. l. si res æstimata, xii. in prin.

Si mulier se dicat circunuentam minoris rem æstimasse, vtputa equum: siquidem in hoc circunuenta est, quod equum dedit non tantum in hoc, quod minoris æstimauit: in eo acturam, vt equus sibi restituetur. Enimvero si in æstimationis modo circunuenta est: erit arbitrium mariti, utrum iustam æstimationem, an potius equum præstet: & hoc si equus uiuat. Quod si decesserit, magis estimatio præstabitur. cæterum si simpliciter dedisset: proculdubio periculo eius moreretur, non mariti. Idemque & in minore circunuenta Marcellus probat. planè si emptorem habuerit mulier iusti pretii: tunc dicendum est iustam æstimationem præstandã, idque duntaxat vxori minori annis præstandum est. sed si in marito dolus adfuit iusta æstimatio præstabitur, d. l. si res. §. si mulier.

Si rem æstimatam mulier in dotem dederit, deinde & moram faciente in traditione in rerum natura esse desierit actionem ea habitura non est. Quod si per eam non stetisset, perinde pretium aufert ac si tradidisset, quia quod euenit emptoris periculo est, ff. eo. l. si rem, xiiii. & l. seq.

Quoties res æstimata in dotem datur, euicta ea uir ex empto contra uxorem aget: & quicquid eo nomine fuerit consecutus, dotis actione soluto matrimonio ei præstare oportet. Quare & si duplum fortè ad virum peruenerit: id quoque ad mulierem redigetur: quæ sententia habet æquitatem, quia non simplex venditio fit, sed dotis causa, nec debet maritus lucrari ex damno mulieres. sufficit enim maritum indemnem præstari, non etiam lucrum sentire, ff. eodem lege quoties, xvi.

Si re æstimata data, nuptiæ secutæ non sint: uidendum est, quid repeti debeat, vtrum rei, an æstimatio. Sed id agi videtur, ut ita demum æstimatio rata sit, si nuptiæ sequantur, quia nec alia causa contrahendi fuerit. Res igitur repeti debet, non pretium, ff. eo. l. in rebus, xvii. §. si re æstimata.

Si animalia in dotem æstimata accepisti, & pactum conuentum factum est, ut tantidem æstimatam diuortio facto redderes, fœtus eorum manet apud te, quia animalia tuo periculo fuerint, ff. eo. l. si mancipia, xviii.

Non solum si æstimatus fundus, sed etiam si non æstimatus in dotem datus est: & alias cum necesse non haberet mulier duplum promittere promisit, quia ipse fundus est in dote quodcunque propter eum consecutus fuerit à muliere maritus, quandoque restituet mulieri de dote agenti, ff. eod. l. non solum, lii.

Si is, qui equum mulieri debet, in dotem delegatus sit, & antequam solueret debitor, equus moriatur, cum neque per debitorem stetisset, quo minus solueret, neque maritus in agendo moram fecisset, periculo mulieris equus moritur, quamquam etiam si moram maritus fecerit in exigendo, si tamen apud maritum moriturus equus fuerit, actione dotis maritus non tenebitur, ff. eodem lege si is qui, lvi.

In dotem rebus æstimatis & traditis, quamuis eas mulier in usu habeat, viri dominium factum videtur, ff. eo. l. cum post, lxix. §. in dotem.

Quamuis in bonis mariti dos sit, mulieris tamen est. Et merito placuit, ut si in fundum inestimatum dedit, cuius nomine duplæ stipulatione cautum habuit, isq; sit marito euictus, statim eam ex stipulatione agere posse, pro eo, quod eius interest,

tereſt, non eſſe euictum,quod in dotem fuit,quodq; ipſa euictione pati creditur ob id, quod eum, in dotem habere deſiit. Huic enim conſtante matrimonio (quamuis apud maritum dominium ſit) emolumenti poteſtatem eſſe creditur cuius etiam cauſa matrimonii onera maritus ſuſtinet,ff.eo.l. quamuis,lxxv.

Quoties res æſtimatæ in dotem dantur, dominium maritus conſecutus, ſummæ veluti pretii debitor efficitur. ſi itaque non conuenit, vt ſoluto matrimonio reſtituerentur res,& iure æſtimatæ ſunt: retinebit eas, ſi pecuniam maritus offerat,C.de iure dot.l.quinta.

Cum dotem æſtimatam maritus accepiſſe profiteatur, apparet iure communi per pactum quod doti inſertum eſt, formato contractu ex empto actionem eſſe. Quis enim dubitet æſtimationem à te mulieri deberi cum periculo ſuo res deteriores fiant, vel augumenta lucro ſuo recipiantur,C.eo.l.cum dotem.

Euicta re, quod fuerat in dotem data,ſi pollicitatio,vel promiſsio fuerit interpoſita: gener contra ſocerum, vel mulierem, ſeu hæredes eorum condictione, vel ex ſtipulatione agere poteſt,ſin autem nulla pollicitatio,vel promiſsio interceſſerit: poſt euictionem eius, ſiquidem res æſtimata fuerit: ex empto competit actio,ſi uero hoc non eſt factum: ſi quidem bona fide eadem res in dotem data eſt,nulla marito competit actio. Dolo autem dantis interpoſitio,de dolo actio aduerſus eum locum habebit: niſi à muliere dolus interpoſitus ſit: tunc enim ne famoſa actio aduerſus eum detur,in factum actio competit,C. eod.l.prima.

Si inter uirum,& uxorem pactum ſit interpoſitum,vt ſi matrimonium intra quinquennii forte Tempora quoquo modo eſſet diſſolutum, ſpecies æſtimatæ doti datæ preciis,quibus æſtimatæ ſunt,redderentur: manifeſtum eſt non pretia ſpecierum dari,ſed ipſas ſpecies debere reſtitui: cum in placitis ſpecierum reddendarum,idcirco pretiorum nomen uidetur annexum,ne,ſi ſpecies aliqua diminuta fuiſſet,aut perdita, alio pretio, quam quo taxata fuerat, repoſceretur,C. de iure dotium,l.ſi inter,xxi.

Ita conſtante matrimonio præmutari poſſe dotem dicimus,ſi hoc mulieri vtile ſit ut ex pecunia in rem: aut ex re in pecuniam; idq; probatum eſt: quod ſi fuerit factum,fundus,vel res dotalis efficitur,ff.de iure dotium,l.ita conſtante, vigeſimaſexta,& ſeq.

Res, quæ ex dotali pecunia comparatæ ſunt,dotales eſſe videntur,ff. de iure dot. l.res quæ,liiii.

Ex pecunia dotali fundus à marito comparatus,non uxori quæritur: Cum neque maritus uxori actionem empti poſsit acquirere, & dotis tantum actio ſibi competit. Vnde aditus præſes prouinciæ, ſi non reperiet vxorem tranſegiſſe, ſed & maiori parte dotem conſecutum reſiduum reſtitui prouidebit, C. de iure dotium,l.ex pecunia.

De his,quæ in dotem datæ & direptæ ſunt, mariti eſſe actionem, nulla dubitatio eſt,C. eod.l.de his.

Si ei nuptura mulier,qui equum debebat,ita cum eo pacta eſt, PRO EQVO, QVEM MIHI DEBES DECEM TIBI DOTI ERVNT,ſecundũ id,quod placuit rem pro re ſolui poſſe,& liberatio contingit,& decem in dotem erunt: quia & permutatio dotium conuentione fieri poteſt,ff. eod.l.ſi ei nuptura,xxv.

Poſt nuptias pater non poteſt, deteriorem cauſam filiæ facere; quia nec reddi ei dos inuita filia poteſt,ff.eod.l.poſt nuptias,xxviii.

Si ex lapidicinis dotalis fundi lapidem,vel arbores,quæ fructus non eſſent,ſiue ſuperficiem ædificii dotalis uoluntate mulieris vendiderit, numi ex ea uendi-

tione recepti, sunt dotis, ff.eo.l.si ex lapidicinis,xxxii.

Dotem à patre, vel quouis alio promissa si uir nouandi causa stipuletur, cæpit iure esse periculum: cum ante mulieris fuisset, ff.eo.l.dotem,xxxv.

Debitor mulieris, iussu eius pecuniam iure expromisit: deinde uir accceptam eam iussu mulieris fecit. res mulieri periit. Hoc quomodo accipimus, vtrum dotis nomine, an & si alia ex causa? & uidetur de eo debitore dictum, qui dotis nomine promisit. Illud adhuc subest, vtrum ante nuptias, an post nuptias id factũ sit. Multum enim interesse videtur. Nam si secutis nuptiis id factum est, dote eam constituta: maritus accepto ferendo perdit dotem, si autem antequam nuptiæ sequerentur: nihil uidetur doti constitutum esse. Non enim alias perit mulieri actio, quam si nuptiæ secutæ fuerint. Nam si secutæ non sunt manet debitor mulieri obligatus, ff.eo.l.debitor,xxxvi.cum l.seq.

Sanè videndum est, an marito mulier, quæ iussit accepto fieri obligetur. Et putatur obligat mandati actione: & hoc ipsum in dotem conuenti, quod mulier mandati iudicio obligata est. Et quod dicitur, rem mulieri perire consequens est. Nam si ceperit, velle cum debitore de dote agere, ipsa secum debebat compensare iussum suum, ff.eo.l.sanè,xxxviii.

Si mulier bost diuortium, antequam ex stipulatu de dote agat: ad eundem uirum fuerit reuersa: constantius dicetur, per doli exceptionem, ineficacem fieri. ex stipulatu actionem, vsque quo matrimonium durat, ff.eo.l.si mulier.xiii.

Si mulier, quæ dotem dederat, post diuortium rursus in matrimonium redit, non reuocatis instrumentis, non dubitabit is apud quem res agetur, secundum voluntatem mulieris, quæ vtique non indotata redire in matrimonium voluit, partibus suis fungi, quasi renouata dote, ff.eo.l.diuus,xl.

Intellige diuortiũ, secũdum ius canonicum, in quo dicitur separatio torri vulgari verò sermone appellatur diuortium.

Quæ fundum in dotem habebat: diuortio facto, cum in matrimonium rediret, pacta est cum uiro vti decem in dotem acciperet, & fundum sibi restitueret: ac datis decem, priusquam fundus ei restitueretur, in matrimonium decessit. illud ex bona fide est, & negotio contracto conuenit, ut fundus is, quasi sine causa penes maritum esse cæperit, condicatur. Et hoc euidentissimè circa actionem pignoratitiam apparebit. Etenim si cum fundum Cornelianum pignoris causa tibi tradidissem, postea ex conuentione fundum Titianum in hoc tradiderim vt Cornelianum mihi restitueres: minimè dubitandum erit, quin statim rectè pignoraticia ad recipiendum Cornelianum agere possim, ff. eodem lege quæ fundum, 50.

Post diuortium mulieri, si de dote maritus, nihil cauit ad uirum suum rediit, facile dos ei redintegratur, ff.eo.l.lxiiii.

Si filiafamil. nuptura, ex peculio cuius administrationem habebat, dotem viro dederit: deinde cum in eadem causa peculium eiusdem esset, diuortium fecerit: dos ei rectè soluitur, quasi a quolibet peculiari debitore, ff.eo.l. si filiafa. xxiiii.

Cum post diuortium viro sciente mulier in possessionem prædiorum, quæ in dotem promisit longo tempore fuerit conuenisse videtur, ne dos, quæ promissa fuerat, petatur: & si petere eam cæperit, pacti exceptione a muliere repellitur, ff.eo.l.cum post,lxix.in prin.

Si stipulatio de restituenda portione dotis datæ subiecta est, conditioque eius extitit: habet ex ea actionem is, in cuius personam utiliter concepta, commissaq; est. secundum qui si fidei de restituenda sibi parte dotis habet actionem, eo qui mater sua donandi, animo passa est partem dimidiam dotis, post obitum matris filiam stipulari metuere non debet doli exceptionem, qui matri suæ, quæ

pactum interposuit, hæres ex minore, quam dimidia portione extitit: nisi liquido probatum fuerit matrem eius mutasse dotis pacti uoluntatem, contentamque esse, voluisse filiam suam pro portione hæreditatis prælegationibus, maritumque suam exactione liberari uoluisse, C. de iure dot. l. secunda.

Auia eorum, quæ pro nepte in dotem dedit, etsi verborum obligatio non intercesit, actionem ex fide conuentionis ad filium, patremque neptis, si matri hæres extitit, transmittere potuit: nec enim eadem causa est patris & matris paciscentium: quippè matris pactum actionem præscriptis verbis constituit patris dotis actionem profectitiæ nomine competentem conuentione simplici minimè creditur innouare, C. eod. l. sexta.

Cum à socero pro uxore dos marito daretur, si ea in stipulationem deducta non est sub tempore dationis, sed postea socer cum marito paciscendo, si id non ex voluntate filiæ suæ fecit, conditionem eius lædere non potuit: quandoquidem enim sola de dote experiens, id factum non debere ad sui dispendium operari, de iure defenditur, C. eo. l. septima.

Etiam si non dotem reddi sibi mater, sed ea, quæ in dotem data sunt, ut ea sequerentur, vel ad se pertinerent, in matrimonio defuncta filia, stipulata sit: durante matrimonio, filia decedente, actionem ex stipulatu uideri, quæsitam, æquissimum est, cui consequens est, ut etiam id, quod additamenti causa in dotem datum est, eadem actione repetatur, C. eo. l. etiam, viii.

Si matre superstite aliquid ad filias pertinens, in dotem scienti uitrico datum est, nullam firmitatem iuris datio habet, si neque pollicitatio, neque stipulatio intercesit, C. eo. l. si matre, xiii.

Neque mater pro filia dotem dare cogitur, nisi ex magna, & probabili causa, vel lege speciali inter expressa, neque pater de bonis uxoris suæ inuitæ ullam dandi habet facultatem, C. eo. l. neque mater, xiiii.

Cum citra fidem etiam instrumentorum dotem datam aliunde probanti, post diuortium, quondam uxoris secundum bonam fidem marito restitui debere constat: amissis etiam instrumentis, sine dubio cætera probationum iudicia iure prodita, non habentur irrita, C. eo. l. cum citra 15.

Cum patrem pro filia dotem genero dantem, si post mortem suam in matrimonio cōstituta rebus humanis eadem eximatur, partem dimidiam dotis Atamiæ reddi proponatur. Et postea iuramento facto cum aliis etiam Ammiam hæredem scripsisse, nec Ammiam quicquam ex stipulatu petere velle sanxisse, siquidem hanc sibi reddi secundum fidem pacti stipulatam Ammiam non probetur, ex alieno pacto, non prorsus ei ulla competit actio. Si vero ex uerborum conceptione sibi Ammia quæsiuit obligationem, ac sibi testatorem prospexisse probetur, contra eam ex stipulatu, post euentum conditionis petentem, quatenus accepit ex defuncti uoluntate, quæ fuit stipulata, exceptione salua falcidia gener uti potest, C. eo. l. cum patrem, xix.

Si genero dotem dando pro filia pater extraneo stipulatus est, nec sibi cessante uoluntate, nec illi extraneo prohibente, iure quærere poterit, C. eodem lege si genero, xxvi.

Si mulier dotem à uiro dari stipuletur, vt de ea testari possit, cum ordinationis testamenti cogitatio, mortis antecedens tempus significat, nec condictionem, sed causam contineat, intestata quoque muliere defuncta stipulationem committi proficiet, C. eod. l. si mulier, xxv.

Dotis fructum ad maritum pertinere debere æquitas suggerit, cum enim ipse onera

onera matrimonii ſubeat, æquum eſt eum etiam fructus percipere, ff. eodem lege dotis, 7. in princ.

Si fructus conſtante matrimonio percepti ſint dotis non erunt, ſi uero ante nuptias percepti fuerint, in dotem conuertentur, niſi fortè aliud inter maritum futurum, & deſtinatam vxorem conuenit. Tunc enim quaſi donatione facta, fructus non redebuntur, d. l. dotis, 7. §. ſi fructus.

Pro omnibus matrimonii marito lucro fructus totius dotis eſſe, quos ipſe cæpit, vel ſi uxori capere donationis cauſa permiſit, eum, inquantum locupletior facta eſt, poſſe agere, manifeſtiſsimi iuris eſt, C. de iure dot. l. pro oneribus. xx.

Licet dos iure penes maritum remanſerit, pro rebus tamen hæreditariis ſucceſſores, non maritus quondam, ſolennibus penſitationibus parere debent, C. eodem, lege licet, xxvii.

Fructibus prædiorum in dotem datorum, ſi ſecundum pactum ſumptibus vxoris, & ſuorum ſeruierunt repeti non poſſunt, C. de pactis conuentis ſuper dote lege ſecunda.

In domum abſentis uxore deducta nullis in eam interea ex bonis uiri ſumptibus factis ad exhibitionem uxoris permiſſum intereſſe reuerſus uir improbè petit, ff. eo. l. cum poſt. lxix. §. in domum.

Mulieri bona ſua omnia in dotem dedit, quæritur an maritus, quaſi hæres oneribus reſpondere cogatur. Paulus reſpondit, eum quidem, qui tota ex promiſsione dotis bona mulieris retinuit, à creditoribus eius conueniri non poſſe, ſed non plus eſſe in promiſsione bonorum, quàm quod ſupereſſet deducto ęre alieno, ff. eo. l. mulier, 72. in prin.

Si vſusfructus in dotem datus ſit, utrum fructus reddēdi ſint, nec ne, intereſt quid actum ſit, & niſi appareat aliud actum ius ipſum in dote erit, non etiam fructus, qui percipiuntur, ff. eo. l. dotis, 7. §. ſi uſusfructus.

Si vſusfructus fundi, cuius proprietatem mulier non habebat dotis nomine mihi à domino proprietatis detur difficultas erit poſt diuortium circa reddendum ius mulieri, quoniam dicimus vſumfructum a fructuario cedi non poſſe, niſi domino proprietatis: etſi extraneo cedatur, ideſt ei, qui proprietatem non habeat, nihil ad eum tranſire, ſed ad dominum proprietatis reuerſurum vſumfructum, quidam ergo remediis loco rectè putauerunt introducendum eſſe, ut uel locet hunc vſumfructum mulieri maritus, vel vendat nummo vno, vt ipſum, quidem ius remaneat penes maritum, perceptio vero fructuum ad mulierem pertineat, ff. eo. l. ſi vſusfructus, 66.

Cum in fundo mariti habens mulier vſumfructum dotis cauſa eum marito dedit, quamuis ab ea vſusfructus deceſſerit, maritus tamen vſumfructum non habet, ſed ſuo fundo quaſi dominus vtrum conſecutus per dotem plenam fundi proprietatem, non ſeparatam ab vſufructu, nec eſt, quod non vtendo eum maritus amittat. Diuortio autem facto conſtituet in eodem fundo vſumfructum mulieri, quod ſi in matrimonio deceſſerit uxor nihil emolumenti ob dotem habere maritis videtur, quia & ſi eam uxorem non duxiſſet, tamen fructuariæ morte finitus uſusfructus ad proprietatem rediret, ideoque nec in funus conferret mulieris. planè ſi pater filiæ nomine, qui in fundo generi vſumfructū habeat dotis conſtituendæ gratia eum dederit, & in matrimonio ea mortua fuerit, habebit ex ſua perſona vſusfructus petitionem. quod ſi mulier in ſuo fundo marito, vſumfructum dotis cauſa conſtituerit: tunc ex mariti perſona propriè erit vſusfructus, quia & non utendo ipſe perit, quod ſi acciderit videamus, an

etiam

etiam nunc dotata sit mulier, & si quidem dominum apud mulierem est fundi ad quem est reuersus vsusfructus nihil iam in dote habet, quod actione dotis consequatur ab eo, cui quod non vtendo amisit vsumfructum imputari non potest, ex quo ipsa lucrum habet, ideoque in dota erit, quod si uxor alienauerit proprietatem, quæ sine ullo mulieris emolumento plenior facta, vt adhuc dotata est, quia dotis actione teneri debet maritus, qui quando licuit vsufructu vti amiserit eum non utendo, nam si habere perseuerasset vsumfructum, vsque ad diuortium commodo mulieris redderet eius restitutio, quia & si non protinus ad ipsam transiret, tamen vel precio, vel beneficio, sine incommodo mulieris ad proprietatem reuerteretur. Si autem vsumfructum maribus non amiserit, morte mulieris non finitur vsusfructus apud maritum. Duobus autem facto, primo videamus, & in hac & in superiore specie, an pro rata temporis anni eius diuidantur fructus, quod probandum est. ipsius autem restitutio, ita fiet, vt habenti mulieri fundum vsusfructus cedatur, & ita cum proprietate consolidetur. Sed & si non sit fundi domina, nihilominus, competit dotis actio, vt dimittat à se maritus vsumfructum: nam vel ex empto actione adhuc, vt vsumfructum præstet mulieri tenetur, aut pretium eius cons. qui sperat, aut cuius magis gratiam præstare, quam relinquere apud inimicum ius ad se translatum, licere ei ciuile est, ff. de iure dot. l. cum in fundo, lxxviii. in prin.

Vxor viro vsumfructum dotis nomine dedit manente matrimonio eidem fundum vendidit, quæsitum est diuortio facto, quid dotis iudicio recuperare debeat, dicitur referre quanti fundus venisset, nam si nudæ proprietatis æstimatio facta fuisset, mulierem dotis iudicio pretia vsusfructus recuperare debere, quid ergo si uir ante litem contestatam mortuus fuisset, hæredes eius nihil præstabunt? nam & si quilibet alius emptor proprietatis extitisset hæres viri, nihil mulieri præstaret, scilicet vsufructu reuerso ad proprietatem, cęterum si fundus totus venisset, quanti deberet venire nō detracto vsufructu, intelligit mulier doté matrimonio manéte recepisse, d.d. l. cū in fundo, 78. §. Vxor uiro.

Si fundus communis in dotem datus erit, & socius egerit cum marito communi diuidundo adiudicatusque fundus socio fuerit, in dotem erit quantitas, quæ socius marito damnatus fuerit, at si omissa licitatione extraneo additus hic fundus fuerit, pretii portio, quæ distracta est, sed ita, ut non uice corporis habeatur, nec diuortio secuto, præsenti die, quo din numerato est restituatur, sed statuto tempore solui debeat. Quod si marito fundus adiudicatus fuerit pars vtique data in dotem, dotalis manebit, d. d. l. cum in fundo, 78. §. si fundus.

Res quas vsufructu sibi deducto socius in dotem dedit, vendundando auferre genero non potest, C. de iure dot. l. res quas, xviii.

Si socrus fundum deducto vsufructu filiæ vxori Titii donauit, marito que in dotem dedit vxor quidem proprietatem, socrus autem vsumfructum dedisse uidetur uxore uoto rebus humanis in matrimonio exempta, fundus apud maritum, secundum placiti fidem manebit. Nam si acceptura certum quid annuum filiæ suæ usumfructum locauit mortua conductrice usus fructus extingui minime potuit, C. eo. l. si socrus, xviii.

In rebus dotalibus virum præstare oportet, tam dolum, quam culpam, quia causa sua dotem accipit, sed etiam diligentiam præstabit, quam in suis rebus exhibet, ff. eod. l. in rebus, xvii. in princ.

In rebus dotalibus etiam pater mariti dolum & culpam præstare debet, ff. eodem lege mulier, lxxii. §. paulus respondit.

Ex asse hæres institutus, rogatusq; mulieri dodrantem hæreditatis restituere: iussu eius, quod debet, doti promisit marito: verendum est ne sit obligatus, nam mulieri in hoc tenetur, vt hæreditatem restituendę, transferat actiones, & quas habet, & quibus est obstrictus: quas transferre ad alium, quam cui debet fideicommissum, non potest: sed ne indotata mulier esse videatur, dicendum est, ipsi mulieri ex Trebelliano restituendam esse partem hæreditatis, quæ ei relicta est, vt ea suo marito pro dote eam soluat: quia ad eam & fideicommissum, & onera eius pertinent, delegatione propter nimiam subtilitatem, & casus necessitatem minimè obtinente, ff. eo. l. si mulier, lix. §. ex asse hæres.

Si de dote promissa agatur, non oportet inquantum facere pōt condemnari, eum qui ꝓmisit. Imò qđ ad extraneum attinet, semper hoc verum est. cæterum si manente adfinitate dotē ꝓmissam gener à socero petit. Vtiq; inquātum facere pt socer condemnabit. Si dirempto matrimonio petitur, ex causa & persona, attribuendum est: q.d.n. si socer specie futuræ dotis induxerit genero, & cùm sciret se præstare dotem non posse, id egerit, ut genero insidiaretur, ff. de iur. do. l. pe.

In ambiguis pro dotibus respondere melius est, ff. eo. l. in ambiguis, lxx.

Dotis potiorem causam magis esse conuenit, quam reip. cui postea maritus obnoxius factus est, C. de iure dot. l. dotis, ix.

Vbi adhuc matrimonio constituto maritus ad inopiam sit deductus, & mulieri sibi prospicere velit, resq; sibi suppositas pro dote, & ante nuptias donatione, rebusq; extra dotem constitutis tenere, non tantum mariti res ei tenenti, & super his ad iudicium uocatæ exceptionis præsidium ad expellendum ab hypoteca secundum creditorem præstatur, sed etiam si ipsi contra detentatores rerū ad maritum suum pertinentium, super eisdem hypothecis aliquam actionem, secundum legum distinctionem moueat, non obesse ei matrimonium adhuc constitutum sancitur. Sed ita eam posse easdem res uendicare, uel à creditoribus posterioribus, uel ab aliis, qui non potiora iura legibus habere noscuntur, ut potuisset, si matrimonium eo modo dissolutum esset, quo dotis, & ante nuptias donationis exactio ei competere poterat: ita tamen ut eadem mulier nullam habeat licentiam eas res alienandi uiuente marito, & matrimonio inter eos cōstituto: sed fructibus earum ad sustentationē, tam sui, q̃ mariti filiorumq; si quos habet, abutatur: creditoribus mariti contra eum, eiusq; res, si quas postea acquiescerit, integra sua iura habentibus: ipsis ēt marito, & uxore, post matrimonii dissolutionem super dotē, & ante nuptias donatione pro dotalium instrumētorum tenore integro suo iure potituris, C. de iu. do. l. ubi adhuc, 29.

In rebus dotalib. siue mobilibus, siue immobilib. seu se mouentib. (Si tñ extant) siue æstimatæ, siue inæstimatæ sint, mulierē in his uendicandis oēm hr̄e post dissolutū matrimoniū prærogatiuam iubetur, & neminem creditorum mariti, qui anteriores sunt, posse sibi potiorem causam in his per hypothecam uendicare, cū eædem res, & ab initio uxoris fuerint, & naturaliter in eius permanserit dominio. Non.n. quod legum subtilitate transitus earū in patrimonium mariti uideat̄ fieri, ideo rei ueritas deleta, uel cō fusa est: ita mulier in rē actionē in hmōi rebus, quasi propriis habet, & hypothecariā omnib. anteriorē possidet, ut siue ex naturali iure eiusdem mulieris res esse intelligantur, siue secundum legum subtilitatem ad mariti substantiam peruenisse uideantur: per utramque uiam siue in rem, siue hypothecariam ei plenissimè consulatur. omnis autem temporalis exceptio, siue per usucapionem inducta, siue per decem, siue per uiginti annorum curicula, siue per triginta, uel quadraginta metas annorum, siue ex alio

quocunq;

quocunque tempore maiore, vel minore sit introducta: ea mulieribus ex eo tempore opponatur, ex quo possint actiones mouere, idest opulentis quidem maritis constitutis, post dissolutum matrimonium, minus autem idoneis, ex quo hoc infortunium eis illatum esse claruerit; cum constante etiam matrimonio posse mulieres contra maritorum parum idoneorum bona hypothecas suas exercere, iam lege humanitatis intuitur definitum sit separatione chori falsa dissimulatione in huiusmodi causa, quam lex amplexa est, stirpitus eruenda, C. eo. l. penult.

Cum quidam dotes pro mulieribus dabant, siue matres, siue ali cognati, siue extranei: rectè quidem eas mariti, sine monumentorum obseruatione suscipiebant. Cum autem mulier redhibitionem casus stipulabatur, & huiusmodi fortuitus casus euenisset, ipsa mulier, vtpotè à se non facta donatione, propter hoc, quod monumenta deerant, & necessitatem habebat actiones in huiusmodi casu ad eum, qui dotem dedit per cessionem transferre, vel ipsas res reddere: & ita inueniebatur forsitan post prolixa matrimonii annorum curricula, & liberos fortè editos infœlix mulier indotata. sancitum itaque est in omnibus huiusmodi casibus nullis monumentis rem indigere, sed in omni persona ratas esse huiusmodi donationes, & mulierem ipsam dotem suam habere (cum fortuitus casus hoc lucrum ei addiderit) & firmiter hoc apud eam permanere, nisi ipse, qui ab initio dotem dedit, sibi dari in huiusmodi casum stipulatus sit. Tunc etenim, cum neque ab initio suspicio aliqua liberorum conuenit, sed sibi omnem rem ille, qui dotem dedit, pepigerit: huiusmodi tractatus habere locum non potest· atqui in aliis omnibus casibus, in quibus ipse non est stipulatus tristitiæ suæ mulier hoc proprium habeat solatium per actionem dotis, C. eo. l. fi. in prin.

Simili quoque modo si quis extraneorum, (idest qui eum, pro quo dat, non in potestate habeat) pro alio ante nuptias donationem nupturæ mulieri dederit, & necessaria monumenta adhibuerit: cum excedat summam legitimam donatio, vel non minori materfamilias nuptura sit: *non solum ad eam, cui ante* nuptias donatio datur, monumenta suam adhibeant firmitatem, sed etiam ad illum, pro quo dedit: vt si lucrum ei ex dotalibus pactis accesserit, hoc non cedat donatori, sed in suum lucrum hoc maritus conuertat, firmumque & irreuocabile habeat: nisi donator & hoc sibi reddi huiusmodi casu fuerit stipulatus, ne & in præfato casu simile anteriori vitium oriatur. Sinautem minor quantitas sit, vel ita res gesta sit, ut monumentorum ex omni parte nulla sit vtilitas: tunc & donatio ad utramque personam valet, & maritus casum lucretur: nisi & hic donator eam sibi stipulatus sit, d. l. fi. §. similique modo.

Si quis in dotem vel prædia, vel certum reditum, vel ædes, vel panes ciuiles spoponderit, vel promiserit: si ex tempore matrimonii biennium transactum sit: ilico redituum, vel pensionum, nec non panis ciuilis quæsitum is præstabit, etiam si non fuerint adhuc res principales traditæ: & si tota dos in auro sit, itidem post biennium interesse præstabit. Sinautem aliæ res præter immobiles, vel aurum fuerint in dotem datæ, siue in argento, siue in mulieribus ornamentis, siue in ueste, siue in aliis quibuscunque siquidem æstimatæ fuerint, simili modo post biennium & earum interesse currit æstimatione earum (quia & hoc apertius declarari oportet) ea intelligenda, quæ pro singulis speciebus facta est, vel pro unoquoque genere dotalium specierum, idest pro argento, vel ornamentis, uel ueste, uel aliis speciebus, & non esse expectandam, post

singulas æstimationes unam coadunationem totius calculi: quod satis scrupulosum, & per nimiam subtilitatem perniciosum est. Sinautem minimè res mobiles fuerint æstimatæ ea post biennium obseruantur, quæ leges post litem contestatam, pro omnibus huiusmodi rebus definiunt. Sin uero res permissæ fuerint, & partim in auro, partim in aliis rebus mobilibus, vel immobilibus: pro iam facta diuisione omnia procedunt, licentia minimè deneganda marito, quando voluerit dotem petere. Nec is, qui debet, putet sibi licentiam esse; reditus, vel pensiones, vel interesse, vel alias accessiones soluenti dotis solutionem protelare, sed siue ante biennium, siue postea voluerit dotem pars mariti petere, queat, & secundum leges eam exigere, d. l. fi. §. fi.

Si pro dote promissa interesse dato socer spopondit, id quod deberi ostenditur, competens iudex genero solui præcipiet, C. de dotis promis. l. secunda.

DE DOTIS PROMISSIONE, ET nuda pollicitatione, & de pactis dotalibus. Tit. II.

Frustra existimatur actionem competere, quasi promissa dos sit, nec præstita sit, cum neque species vlla, neque quantitas promissa sit, sed hactenus nuptiali instrumento adscriptum, quod ea, quæ nubebat dotem dare promiserit, C. de dotis promiss. l. prima.

Qui promittit ritè dotem pro muliere marito non addita qualitate, sed quodcunque arbitratus fuisset, & stipulationis fidem non exhibet competentibus actionibus maritus vsus ad repromissi emolumentum iure iudiciorum perueniet. Videtur enim boni viri arbitrium stipulationi insertum esse, C. eod. l. tertia.

Si pater marito stipulanti promiserit dotem non filiæ, sed marito contra successores socero competit actio, C. eo. l. quinta.

Ad exactionem dotis, quam semel præstari placuit, qualiacunq; verba sufficiunt, siue scripta fuerint, siue non, etiam si stipulatio in pollicitatione rerum dotalium minimè fuerit subsecuta, C. eo. l. sexta.

Lex dicta, cum dos daretur pro alumna, seruari oportet: nec obesse debet, quod dici solet ex pacto actionem non nasci; tunc enim hoc dicimus cum pactum nudum est: alioquin cum pecunia datur, & aliquid de reddenda ea conuenit, utilis est conditio, C. de pactis conuen. super dote, l. prima.

Si pater dotem pro filia simpliciter dederit, vel pro filio donationem ante nuptias donationem fecerit, habeat autem filius vel in potestate constitutus, vel fortè emancipatus res maternas, vel ex alio modo tales, quæ acquisitionem effugiunt, quarum vsusfructus solus apud patrem remanet, vel quocunque modo poterat quasdam actiones contra patrem habere. Item si fortè dixerit in instrumento dotali ex rebus paternis, & maternis dotem, vel ante nuptias donationem dare. siquidem nihil addendum existimauerit, sed simpliciter dotem vel ante nuptias donationem dederit, vel promiserit ex sua liberalitate hoc fecisse intelligitur debito in sua figura manente. Neque enim leges incognitæ sunt, quibus cautum est omnino paternum esse officium dotem, vel ante nuptias donationem pro sua dare progeniè. liberalitas itaque talis remanebit vera & irreuocabilis, vt puro nomine liberalitas, & debitum suam sequantur fortunam. Vbi autem ex rebus, tàm suis, quàm maternis, vel aliis, quę nō acquirantur,

tur, vel ex suis debitis dixerit se fecisse huiusmodi liberalitates; tunc si quid pœnitus inopia tentus est ex illis videtur rebus dotem, vel ante nuptias donationem esse datam, quæ ad filios, vel filias pertinet. si uero & ipse substantiam idoneam posside in hoc casu de suo patrimonio dotem, vel ante nuptias donationem dedisse intelligitur. poterat enim secundum suas uires dotem pro filia, vel ante nuptias donationem pro filio dare, vel consentire filiis suis, quando voluerint partem, vel parte totam substantiam, quam habent paternæ liberalitati pro dote, vel ante nuptias donatione aggregare, vt re vera appareat, quid ipse uelit dare, & quid de substantia filiorum proficiscatur, ne dum effuso sermone sese iactat in promptum incidat sui periculum, C. de dotis promissione, lege finali.

Qui voluntate dotantis in dotali, instrumento plura tradita fuisse scribit, quàm susceperit, intelligit de his, quæ desunt petendis pactum esse subsecutum, C. eod. l. quarta.

Pacisci post nuptias etiam si nihil ante conuenerit, licet. Pacta quidem, quæ de reddenda dote fiunt inter omnes fieri oportet, qui repetere dotem possunt, & à quibus repeti potest, ne ei, qui non interfuit apud arbitrum cognoscentem pactum non prosit, ff. de pact. dotal. l. prima.

Si conuenerit, vt quoquo modo dissolutum sit matrimonium liberis interuenientibus dos apud uirum remaneret Papinianus Iuniano prætori respondit, morte mariti finito matrimonio, non uideri conuenisse dotem remanere, & si conuenisset non esse seruandum pactum contra dotem cum morte mariti mortalitas interuenerit, ff. eo. l. secunda.

Et pacta conuenta, quæ in diuortii tempus collata sunt non facto diuortio locum non habent, ff. eo. l. tertia. Intelligo de separatione thori, secundũ ius canonicum.

Quamuis pater cum filiam nuptui collocaret pactus sit, ut si maritus eius superstitibus filiis communibus in matrimonio decessit, pars dotis liberorum nomine retineatur, eiusmodi tamen conuentio, quo minus actionem integrè dotis habeat proficere non potest, C. de pact. conuen. super dote, l. tertia.

Pactum dotale, quo mater conuenisse cum marito suo proponitur, vt si in matrimonio decessisset filiis dos restitueretur. Si stipulatio ex persona filiorum cum in potestate patris constituti non essent minus legitimè intercessit, defuncta ea in matrimonio, actionem filiis quærere non potuit, sed si obligatione uerborum ritè intercedente dotis petitionem habere possunt, petitionem exequi non prohibentur, maximè si adhuc uinculis potestatis patriæ non attingunt, C. eod. l. quarta.

Hæreditas extraneis testamento datur: non igitur affirmetur dotali instrumento pactum interpositum esse: iure testamenti, ut post mortem mulieris bona eius ad sempronium pertinerent, quæ dotis tituli non sunt obligata, idem Sempronius intelligit, nulla actione si posse conuenire hæredes, seu successores mulieris, ut sibi restituantur, quæ nullo modo debentur, C. eo. l. quinta.

Si conuenerit, ut in matrimonio vxore defuncta, dos penes maritum remaneret, profectitiæ dotis repetitionem huiusmodi pactum inhibuisse explorati iuris est, cum deteriorem causam dotis, in quem casum soli patri repetitio competit, pacto posse fieri; auctoritate iuris sæpissimè responsum est, C. eodem lege sexta.

Pater pro filia dotem datam genero, ea prius matrimonio defuncta, nepotibus pactus est restitui, licet his actionem quærere non potuit: tamen

vtilis eis ex æquitate accommodabitur actio, C. eo. l. pater, 7.

Cum dos filiæ nomine datur, optimum est pactum conuentum, cum vtroq; generum facere, quanquam initio dotis dandæ, legem quam velit, etiam citra personam mulieris is, qui dat dicere posit. Si vero post datam dotem pacisci velit, vtriusq; persona in paciscendo necessaria est: quoniam iam tunc acquisita mulieri dos est. Quo casu si solus pater pactus sit sine filia, siue solus agat; siue aduincta filiæ persona: ei soli nocebit, & proderit pactum conuentum. nec si sola filia egerit, neque proderit, neque nocebit ei. Si vero filia sola pacta fuerit, quo pacto patris conditio meliori fiat, proderit & patri, quoniam per filiam patri acquiri potest. Si vero sic pacta sit filia, vt noceat: ipsi quandoque filiæ agenti nocebit pactum; patri uero nullo modo nocebit, nisi adiecta quorum filiæ persona experiatur. Dicendum est enim paciscendo filiam conditionem patris deteriorem facere non posse eo casu, quo mortua ea in matrimonio dos ad patrem reuersura est, ff. de pact. dot. l. septima.

Quoties patre furente, vel ab hostibus capto, filiusfam. ducit vxorem, filiaque familias nubit: necessario etiam pactio cum ipsis duntaxat dotis nomine fieri poterit, ff. eo. l. quoties, viii.

Si ita conuenerit, vt si viuo socero mortua sit filia ipsi socero: si mortuo eo, filio eius: si filio quæ defuncto, totum suo hæredi reddatur: benigna interpretatione potest defendi, utilem stipulationem esse, ff. eo. l. si ita, 9.

Auus pactus est cum dotem pro nepote suscepisset, ne à se, neve à filio dos peteretur. ab alio vero, quam filio hærede, vt dos peteretur, exceptione conuentionis filius tuendus erit: quippè cum hæredi nostro cauere concessum est: nec quicquam obstat, quominus certæ personæ (si hæres erit sibi) caueri posit: quod non idem, & in cæteris hæredibus cauetur, ff. eo. l. Auus x.

Cum pater dotem pollicitus fuerit, & paciscatur ne se viuo petatur, neq; constante matrimonio dos petatur, ita pactum interpretatur quasi adiectum esset SE VIVO, hoc enim ita accipiendum est contemplatione pietatis paternæ, & contrahentium voluntatis, vt & posterior quoque pars conuentionis ad vitam patris relata uideatur: ne diuersa sententia fructus dotis ab oneribus matrimonii separet. quod indignisimum esset, inducat, ut non habuisse dotem existimetur. Vnde hoc effectum est, ut siquidem aliud patre decesserit filia, aut sine culpa sua diuerterit: omnino dos peti non posit constante autem matrimonio mortuo patre peti posit, ff. eo. l. cum pater, 11.

Si pater dotem dederit, & pactus sit, ut mortua in matrimonio filia, dos apud uirum remaneret pactum seruandum est etiam si liberi non interueniant, ff. eod. l. si pater, xii. in prin.

Ex pactis conuentis, quæ ante nuptias, uel post nuptias interponi solent, alia ad uoluntatem pertinent, ut mulier dote promissa se alat, & donec nupta sit, dos ab ea non petatur: aut ut certam summam vero præstet, & ab eo datur: & his similia. Alia ad ius pertinent: ueluti quando dos petatur: quemadmodum reddatur: in quibus non semper uoluntas contrahentium seruatur. Cæterum si conuenerit, ne omnino dos petatur, indotata erit mulieri, dicta lege si pater, 12, §. ex pactis.

Si mulier pacta sit, ne amplius, quàm pars dimidiæ dotis à se petatur, & pœnam stipulata sit, Mela ait alterutro eam contentam esse oportere, uel exceptione pacti, & acceptam facere pœnæ obligationem: vel si ex stipulatu agat, denegandam ei exceptionem, d. l. si pater, §. si mulier.

Si fun-

Si fundo æstimato in dotem dato pacta sit mulier, vt quanto pluris venierit, id in dote sit: Mela ait id obseruandum esse: cum ex contrario conuenire possit, vt si minoris venierit, ipsa debeat. ❦ Si pacta sit mulier, vt siue pluris, siue minoris fundus æstimatus venierit, pretium quanti res venierit, in dotem sit: stari ei pacto oportere. sed si culpa mariti minoris venierit: & idipsum mulierem consequi. Item si non venierit æstimatio præstari debebit, ff. eod. l. si pater, xii. §. si fundo cum l. seq.

De die reddendæ dotis hoc iuris est, vt liceat pacisci qua die reddatur, dum ne mulieris conditio deterior fiat, idest vt certiore die reddatur, ff. eod. l. de die xiiii. & sequent.

Vt autem longiore die soluatur dos, conuenire non potest, non magis, quàm ne omnino reddatur, ff. eod. l. vt autem, 16.

Cum inter virum, & vxorem pactum conuentum ante nuptias factum esset, ut quibus diebus dos data esset, eisdem diuortio facto redderetur, post quinquennium, quàm nuptiæ factæ sunt, vxor viro dotem dedit. Diuortio facto, quo ad diem reddendæ dotis attinet pacto melior conditio mulieris fieri potest, deterior non potest: itaque si ita cautum est, vt priore tempore, quàm legibus constitutum est, reddatur. stari ei pacto debet, si ut longiore, nec valet, id pactum conuentum, Cui sententiæ conueniens est dicere, vt si pacto conuento cautum est, vt quanto serius post nuptias data fuerit, tãto serius post diuortium reddatur: si priore tempore, quàm in reddẽda dote constitum est, data sit, valere pactum conuentum, si longiore, non valere, ff. eod. l. Atilicinus. 17.

Licet manente matrimonio non possit inter virum & vxorem conuenire, vt longiore die dos reddatur: post diuortium tamen, si iusta causa conuentionis fuerit, id pactum custodiri debet, ff. eod. l. licet, 18.

Aliud est si pater pro filia dotem promisit, vt annua, bima, trima, quadrima, quinto anno à se redderetur, & conuenit, vt iisdem diebus soluto matrimonio dos redderetur: hoc enim pactum ita valet, si patri filia hæres extiterit, & interuete ea, pactum conuentum fuerit, ff. eod. l. aliud. 19.

Si extraneus sit, qui dotem promisit, quicquid vel pacisci (etiam ignorante muliere) sicut ex stipulari potest: legem enim suæ rei dicit. postquàm verò dederit, pacisci consentiente muliere debet, ff. eod. l. ob res, 20. §. si extraneus.

Si conuenerit ne à muliere, ne ue si patre dos reddatur: hæres non habebit exceptionem. sed si conuenerit, ne manente matrimonio viuo patre petatur: mortuo patre statim exigitur. & si non petierit maritus, tenebitur huius culpæ nomine, si dos exigi potuerit: nisi forte ante diremptum sit matrimonium, quàm facultatem petendi haberet, d. l. ob res, 20 §. fin.

Si mulier dotis causa promiserit certam summam, & pro ea animalia in dotem dederit, ea conditione, ut periculo eius essent, & si quid ex his natum esset, ad eã pertinere: stari pacto conuento oportebit. Nam constat posse inter virũ, & uxorem conuenire, vt dos, quæ in pecunia numerata est, permutetur, & transferatur in corpora, cum mulieri prodest, ff. eod. l. si mulier, 21.

Fructus prædiorum in dotem datorum, si secundum pactum sumptibus vxoris, & suorum seruierunt, repeti non possunt, C. de pactis conuentis, l. secunda.

Si conuenerit, vt fructus in dotem conuertantur, conuentio nõ valet; propè enim indotata mulier hoc pacto fieret. sed quamuis Marcellus distinguat: vt siquidẽ fundum in dotem dederit mulier, ita vt maritus fructus redderet, non esse ratum pactum: idemque & si vsumfructum in dotem hoc pacto dedisset. Quod si

con-

conueniſſet de fructibus reddendis, hoc eſt ut in dotem fructus eſſent, quos percepiſſet : & fundus , vel vſusfructus in hoc traditus eſt, non ut fundus, vel fructus fieret dotalis, ſed vt fructus perciperet dotis futuros: cogendum de dote actione fructus reddere. Erunt igitur in dote fructus, & fruetur iſte maritus vtilitate, quæ ex fructibus collectis, & in ſortem redactis percipi poſſunt. At tamen vtrobique intereſt qua contemplatione dos ſit data: ut ſi ob hoc ei maiorem dotem mulier dedit, quia fructus nolebat eſſe dotis, contento marito ea pecunia, quæ ex intereſſe redituum colligeretur: poſsit dici conuentionem valere. Nec enim videbitur ſterilis eſſe dos, finge quadringenta annua eſſe reditus apud eum, qui non acciperet in dotem (niſi hoc conueniſſet) plus trecentis. Vti boni conſuleret, tam uberem dotem conſecutus eſt. & quid dicemus ſi tale pactum conuentum interuenit, vt maritus fructus in dotem conuerteret, & mulier ſe ſuoſque aleret, tueretur ve, & vniuerſa onera ſua expediret? quare non dicam conuentionem valere, ff. eod. l. 4.

Quidam fundum dotis cauſa ab uxore ſua acceperat: interque eos conuenerat, vt mercedes eius fundi vir vxori annui nomine daret. deinde eum fundum vir matri mulieris certa penſione colendum locauerat: eaque cum mercedes eius fundi deberet, deceſſerat: & filiam ſuam ſolam reliquerat hæredem, & diuortium factum erat. vir deinde petebat à muliere mercedes, quas mater debuerat. Placuit exceptionem mulieri dari non debere, ac ſi inter ſe & virum non conueniſſet, ut hæ mercedes ſibi alimentorum nomine darentur : cum futurum ſit, ut quodammodo damnationes inter uirum, & uxorem confirmentur. nam quod annui nomine datur, ſpecies donationis eſt, ff. eod. l. quidam, 22.

Si inter uirum, & uxorem conuenerit, ut extremi anni matrimonii fructus nondum percepti mulieris lucro fiant, huiuſmodi pactum ualet, ff. eod. l. pen.

Pater cum filiæ ſuæ nomine dotem daret, pactus eſt, ut mortua filia uno pluribuſque liberis ſuperſtitibus, deducta parte tertia reliqua ſibi dos, aut poſt mortẽ ſuam illi, aut illis filiis, quos in poteſtate habebat, redderetur. deinde hoc ita fieri ſtipulatus eſt. poſt mortem eius mulier in matrimonio deceſſerat relictis filiis. quæſitum eſt, an ex ſtipulatione, duas partes illi petere poſsint. Reſponſum eſt poſſe. Etenim uim eius ſtipulationis hanc eſſe, ut ſi in matrimonio mortua eſſet, dos patri redderetur: perindeque habendum, ac ſi talis ſtipulatio interpoſita fuiſſet. SI NAVIS EX ASIA VENERIT, MIHI AVT POST MORTEM MEAM LVCIO TITIO DARI SPONDES? nam & ſi poſt mortem ſtipulationis nauis ueniſſet hæredi debetur, ff. eod. l. pater, 23.

Si inter uirum, & uxorem pactum eſt, ut certa pars dotis, uel tota ob unum, uel plures liberos interuenientes retineatur: etiam eorum liberorum nomine, qui ante nati ſunt, quàm dos daretur, aut ampliaretur, conuentio rata eſt. nam ſufficit eos ex eo matrimonio naſci, in quo dos data eſt, ff. eod. l. ſi inter, 24.

Inter ſocerum, & generum conuenit, ut filia mortua ſuperſtitem anniculum filiũ habuiſſet, dos ad uirum pertineret. Quod ſi uiuente matre filius obiiſſet, uir dotis portionem uxore in matrimonio defuncta retineret. mulier naufragio cum anniculo filio periit. Quia uериſimile uidebatur ante matrem infantem periiſſe, uirum partem dotis retinere placuit. ff. eod. l. inter ſocerum, 25. in prin.

Vir dotem, quam ex pacto filiæ nomine retinere potuit, ſi lapſus errore non retinuit: filiam, quæ patri ſola, matri pro parte hæres extiterat, apud arbitrium diuiſionis non improbè dotis perperam à patre matri ſolutè perceptionem deſiderare conſtitit, d. l. inter ſocerum, 26. §. uir dotem.

Cum

Cum inter patrem, & generum conuenit, vt in matrimonio sine liberis defuncta filia dos patri restituatur: id actum inter contrahentes intelligi debet, vt liberis superstitibus filia defuncta, dos retineatur. nec separabitur portio dotis, additamenti causa data, si postea nihil aliud conueniat, dicta. l. inter socerum, §. cum mater,

Filia cum pro se dotem promitteret, pepigit, vt si in matrimonio sine liberis decessisset, matri suæ dos solueretur. pacto filiæ nulla quæritur matri actio, si tamen hæres puellæ matri pecuniam dotis solueret: viro contra placita petenti dotem, obstabit exceptio d. l. inter socerum, §. filia.

Pater si filia nupta mortem obiisset, dotem dari stipulatus est. constanti matrimonio capitali crimine damnatus est. diuortio secuto, vel morte viri soluto matrimonio, stipulationis conditio deficit. Quod si mulier in matrimonio decesserit ex stipulatu fisco dotis actio quæretur. ff. eod. l. inter socerum, 26. §. finali.

Si pacta sit mulier ante nuptias, vt ex fructibus fundi, quem dedit in dotem creditor mulieris dimittatur, valet pactum, eoque modo minor dos constituta erit: post nuptias vero, cum onera matrimonii fructus releuaturi sunt: iam de suo maritus paciscitur, vt dimittat creditorem: & erit mera donatio, ff. eodem l. quæris, xxviii.

Cum maritus, qui æstimata prædia in dotem acceperat manente matrimonio pactus est circonscribendæ mulieris gratia, vt prædia inæstimata manerent, & sine periculo suo ea deteriora faceret, si deteriore loco dos non esset, id pactum non impeditur, quòd in matrimonio factum esset, si deteriora prædia faceret, eo etiam nomine dotis maritus actione tenetur, ff. eod. l. cum maritus, 29.

Mulieri de dote quam dedit, pacta est, vt si in matrimonio decessisset, fratri eius redderetur isque in eum casum stipulatus est: mulier quasdam res dotales decedens marito legauit & aliis: maritus earum nomine, quas legauit mulier fratri, tenetur, cum etiam hæredes defunctæ legatariis obnoxii sint, d. l. cùm maritus, §. mulier.

Bæbius Marcellus Bæbio Marillo dotis filiæ suæ nomine contenta promisserat, & conuenerat inter eos, ne ea dos constante matrimonio sine liberis peteretur: vel si post mortem patris in matrimonio sine liberis filia decessisset, ut dimidia dos apud Marillum remaneret, dimidia fratri mulieris restitueretur: eaque etiam in stipulationem deducta erant, mortuo Marcello, filio, & filia superstitibus, dote vniuersa filiæ prelegata, Maryllus nata filia diuerterat, & mulier decesserat, fratre suo, & filia ex æquis partibus hæredibus relictis apud Petroniũ magnum prætorem, Maryllus ab hærede filio Marcelli ex dotis promissione vniuersam dotem petebat ex coniectura: quia si inter eos placuisset, nullo filiorum extante mortua muliere, partem dotis remanere apud maritum: magis ergo conuenisset, vtique dotem totam esse eius, si filium, filiamve habuisset. Et ex diuerso respondebatur pacti quidem vulgaris exceptionem hæredi proficere: sed in specie, quæ proponitur, non quasi mulieres hæres ex persona defunctæ se exceptione pacti tuebatur: sed ipse ille, qui etiam viua muliere, si ab eo dos peteretur, potuisset exceptione Maryllum, quia diuortium factum erat, summouere: eandem quoque defensionem, & post mortem sororis suæ retinebat. Itaque placuit eum ab ea petitione absolui, nulla ex hac sententia facta derogatione fideicommissi petitioni, quam iure hæreditario per filiam hæres vxoris Maryllus in parte dimidia habebat. ff. eod. l. Bæbius, 30.

Vxor uiro fundum æstimatum centum in dotem dederat, deinde cum viro pactũ con-

conuentum fecerat, diuortio facto eodem pretio uxori viri fundum restitueret postea volente vxore uir eum fundum uendiderat ducentis, & diuortium erat factum, si uoluntate mulieris fundus uenit uiro potestas datur, utrum uelit ducenta, uel fundum reddere, alioquin omnimodo fundus erat restituendus, ff. eod. l. fi. in prin.

Si pater filiæ nomine certam pecuniam in dotem promiserat, & pactus est, ne inuitus eam solueret, nihil ab eo exigendum est, quia id quod pacto conuento, ne inuitus exigeretur, conuenit, in dotis causam esse non uidetur. d. l. fi. §. fi.

Quod de reddenda dote si data fuisset, mortua in matrimonio filia conuenit, idē de non petēda quoque uidetur conuenisse: ac patrem pacti conuenti exceptionem nactum ad hæredem suum transmisisse, ff. eodem. l. quod de reddenda, xxv.

Ob res quoque donatas, vel amotas, vel impensas factas, tunc facta pactio ualebit, idest post diuortium, ff. eod. l. ob res quoque, xx. in prin.

Qui res suas obligauit: postea aliquam possessionem ex his pro filia sua promittēdo obligauit, & soluit. Si ea res à creditore euicta est, dicendum est maritum ex dotis promissione agere posse, ac si rem sub conditione legatam dotis nomine pro filia pater soluisset: harum enim rerum solutio non potest nisi ex euentu liberare, scilicet quo casu certum erit remanere eas, ff. eod. de solu. l. qui res, 98. in principio.

Illud conuenire non potest, ne de moribus agatur, vel plus, vel minus agatur: ne publica coercitio, priuata pactione tulatur. Ac ne illa quidem pacta seruanda sunt, ne ob res donatas, vel amotas agatur: quia altero pacto ad fruendum mulieres inuitantur: altero ius ciuile impugnatur. ❦ Et si conuenerit ne ob impensas necessarias ageretur, tale pactum non esset seruandum: quia tales impensæ dotem ipso iure minuunt, ff. de pactis dotal. l. quinta.

Maritus non potest pacisci, vt dolum solummodo in dotem præstet. Videlicet propter vtilitatem nubentium: quamuis pacisci possit, ne sit periculo eius nomen debitoris, qui ei dotem promisit. nam vt sit dos periculo mulieris pacisci is potest, & per contrarium vt ea dos, quæ periculo mulieris est sit periculo mariti, ff. eod. l. sexta.

Ex morte cuiuscunque personæ, siue mariti, siue mulieris, eandem partem, non pecuniæ quantitatem, tam virum ex dote, quam mulierem ex ante nuptias donatione lucrari decernitur: veluti si maritus mille solidorum ante nuptias donationem confecerit, licebit mulieri, & minoris, & amplioris quantitatis dotem offerre, & marito similiter ante nuptias donationem. Hoc tamē obseruandum est, vt quantam partem mulier stipuletur sibi lucro cedere ex ante nuptias donatione si priorem maritum mori contigerit: tantam, & maritus ex dote partē non pecuniæ quantitatem stipuletur sibi, si constante matrimonio prior mulier in facta collapsa fuerit, & si pactum contra uetitum fuerit subsecutum: infirmum, atque inualidum hoc esse, ut nulla ex eo procedere posit exactio præcipitur. Eadem custodiuntur, siue pater pro filio, siue mater, siue ipse ducturus uxorem sui iuris constitutus, siue quilibet alius pro eo ante nuptias donationē nupturæ dederit, seu promiserit. ❦ Similique modo, siue pater pro filia, siue mater, siue ipsa pro se sui iuris uidelicet cōstituta, siue quilibet alius pro ea uxorem ducturo, dotem dederit, seu promiserit: quoniam, & alio pro ea offerente dotem, ipse eam pro se uidetur offerre. ❦ Quod adeo uerum est, ut & ipsa ab alio pro se oblatam dotem in lucrum suum reposcat: nisi forte is, qui eam obtulerit,

lerit,

lerit, statim (idest tempore oblationis, seu promissionis) stipulatus, vel pactus sit, vt sibi dos prædicta reddatur. l. ex morte, xi. C. de pact. conuentis super dote. Pacta lucrorum dotis, & ante nuptias donationis paria esse ex lege leonis Imperatoris sancitum est, sed alia lege clara præcipitur disparibus eis factis maiorem lucri partem ad minorem deduci, vt eo modo vterque minorem partem lucretur, C. eod. l. penul.

DE DOTE CAVTA NON NVMERATA. Tit. III.

Dotem numeratio non scriptura dotalis facit, & ideo mulier nõ ignorat, ita demum ad petitionem dotis se admitti posse, si dotem à se ipsa datam probatura est, C. de dote cauta, l. prima.

In dotibus, quas datas esse dotalibus instrumentis conscribi moris est, cum adhuc nulla datio, sed pollicitatio tantum subsecuta sit, liceat non numeratæ pecuniæ, exceptionem opponere non solum marito contra uxorem, vel eius hæredes morte mulieris dissoluto matrimonio, sed etiam hæredibus mariti, cuius morte dissolutum est matrimonium socero etiam, vel eius hæredibus, si cum filio suo dotem suscepisse dotalibus instrumentis scriptum est: omnique personæ quam dotem suscepisse vna cum marito conscribitur, & eius similiter hæredibus: ita tamen ut intra annum tantum continuum à morte mariti, vel mulieris computandum ea licentia detur, C. eod. l. fin.

NE FIDEIVSSORES, VEL MANDATORES DOTIVM dentur. Titul. IIII.

Siue ex iure, siue ex consuetudine lex proficiscatur, vt uir vxori fideiussionem seruandæ dotis exhibeat, tamen ea iubetur aboleri, C. ne fideiuss. dot. l. prima.

Sancitum est nullam esse satisdationem, vel mandatum pro dote exigendum, vel à marito, vel a patre eius, vel ab omnibus, qui dotem suscipiunt: hi enim credendam mulier sese, suamque dotem patri mariti existimauit: quare fideiussor, vel alius intercessor exigitur, vt causa perfidiæ in connubio eorum generetur, C. eod. l. fi.

NE PRO DOTE MVLIERI BONA MARITI ADDICANTVR. Titul. V.

Vt vxori pro dote addicantur bona quondam mariti iure prohibitũ est. sanè si nullo relicto successore, non idoneus decessit secundum iuris formam, quatenus successionis modus patitur indemnitati suæ consulere uxor non prohibetur. C. ne pro dote mulieris bona add. l. vnica.

DE FVNDO DOTALI Titul. VI.

DOtale prædium maritus inuita muliere prohibetur alienare, vel obligare, quamuis ipsius sit dotis causa ei datum, neque consentientibus quidem mulieribus; ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum conuertatur, Inst. quibus modis alien. licet, vel non, in prin.

Lex Iulia, quæ de dotali fundo prospexit, ne id marito liceat obligare, vel alienare, plenius interpretanda est, vt etiam de sponso idem iuris sit, quod de marito, ff. de fundo dot. l. quarta.

Dotale prædium accipere debemus tam vrbanum, quàm rusticum: ad omne enim ædificium lex Iulia pertinebit, prædij appellatione etiam pars continetur. proinde siue totum prædium in dotem sit datum, siue pars prædii, alienari non poterit, ff. eod. l. dotale, xiii, in prin.

Dotale prædium sic accipimus, cum dominium marito quæsitum est; vt tunc demum alienatio prohibeatur. d. l. dotale, §. dotale.

Toties non potest alienari fundus, quoties mulieri actio de dote cõpetit, aut omnino competitura est, ff. eod. l. tertia.

Rem, quam pater pro filia in dotem genero dedit, nec recepit, alienare non potest C. de iure dot. l. rem, 22.

Si prædium dotale vxor venundedit: sponte, nec ne contractum habuerit, nihil interest: cum ei rei marito quæsitæ dominium auferre nolenti minime potuerit, C. de iure dot. l. si prædium, 23.

Hæredi quoque mulieris idem auxilium præstabitur, quod mulieri præstabatur, de fundo dotal. l. dotale, xiii. §. hæredi quoque.

Si fundus dotalis ad fiscum peruenerit, nihilominus venditio fundi impeditur: quamuis fiscus semper idoneus successor sit, & soluendo, ff. eod. l. secunda.

Neque seruitutes fundo dotali potest maritus amittere, neque ei alias imponere, ff. eod. l. quinta.

Sed nec libertas seruitutis vrbano prædio dotali debitæ competit: ne per hoc deterior conditio prædii fiat, ff. eod. l. sexta.

Si maritus, fundum Titii, seruitutem dotali prædio debentem, acquisierit: seruitus confunditur: sed si eũdem fundum Titio reddiderit sine restauratione seruitutis, hoc marito imputabitur: (ideoq́ue eodem alienato postea fundo, eadẽ Titio non redintegratur seruitus) & hoc casu maritus litis æstimationem præstabit. Quod si maritus soluendo non erit: vtiles actiones aduersus Titium mulieri ad restaurandam seruitutem dantur. sed cum vxor fundum, cui prædia iuri seruitutem debebant, in dotem dedit: fundus ad maritum peruenit amissa seruitute: & ideo non potest uideri per maritum ius fundi deterius factũ. Quid ergo? officio de dote iudicantis continebitur, vt redintegrata seruitute iubeat fundum mulieri, vel heredi eius reddi, ff. eod. l. si maritus, 7.

Si marito debitori fundi; id quod debet, doti mulier promiserit, dotalis fundus efficitur. Quod si ei promittat, qui fundum, aut decem debuit, in arbitrio erit mariti, quod in dote sit. Quòd si equum, aut fundum debuit maritus: & quod debet, doti ei promissum sit, equo mortuo fundus in dotem erit. His consequens est, vt si Cornelianum, aut Sempronianum fundum debenti, id quod debet, doti promissum sit: vtrum eorum dotalem esse maluit, hunc dotis esse. Pla-

cuit.

tuit. § Planè vtrū velit alienatū alterum alienare non potest, si tamen alienatū rursus redimat: adhuc in eius potestate esse, an eum quem retinuisset, alienare velit. Erit ergo potestas legis ambulatoria: quia dotalis fuit obligatio. Nunquid ergo etiam illo nondum redempto alterum quoque alienare possit, quia potest alterum redimere? an hoc non debet recipi, ut nullus in dotem sit? certe ex post facto videbitur recte alienatus, illo postea redempto, ff. de fundo dotali, l. si marito, 8. cum l. seq.

Si fundus in dotem æstimatus datus sit, ut electio esset mulieris, fundus alienari non potest, quod si arbitrio mariti sit, contra erit, ff. eo. l. quod si ix.

Etiam si dirempto matrimonio dotale prædium esse intelligatur. Soceri voluntas in distrahendo dotali prædio nulla est, ff. eod. l. ita. x.

Si nuptura Titio voluntate eius, fundum dotis nomine Mæuio tradidit: dos eius conditionis erit, cuius esset, si ipsi Titio fundum tradididisset. § Si mulieris nomine quis fundum in dotem dederit: dotalis fundus erit: propter uxorem enim videtur is fundus ad maritum peruenisse. § Si fundum alienum mulieri debeat maritus, eumque mulier ei dotis nomine promiserit: in pendenti erit: & tunc fiet dotalis, cum ad eum peruenerit. § Si fundum legatum sibi dotis causa mulier repudiauerit, vel etiam substituto viro omiserit hæreditatem, vel legatum fundus erit dotalis, ff. eod. l. si nuptura, xiiii.

Dotale prædium, cuius vir possessionem retinuit: post literas ad vxorem missas, quibus dotis non fore prædium declarauit, in matrimonio defuncta muliere virum retinere placuit: quia mulier actionem ex pacto non habuit, ff. eodem l. dotale, xv.

Si fundum, quem Titius bona fide possidebat, & longi temporis possessione poterat sibi quærere, mulier vt suum marito dederit in dotem, eumque petere neglexerit vir, cum id facere posset: rem periculi sui fecit. Nam licet lex Iulia, quę vetat fundum dotalem alienari pertineat etiam ad huiusmodi acquisitionem: non tamen interpellat eam possessionem, quæ per longum tempus sit, si antequam constitueretur, dotalis fundus iam esse cęperat. Planè si paucissimi dies ad perficiendam longi temporis possessionem superfuerint: nihil erit, quod imputetur marito, ff. eod. l. si fundum, xvi.

Fundum dotalem maritus vendidit, ei tradidit. Si in matrimonio mulier decesserit, & dos lucro mariti cesserit: fundus emptori auelli non potest, ff. eodem l. fundum, xvii.

Sed hoc si tota dos lucro mariti cessit; & idem iuris est, cum is, qui rem furtiuam vendidit, postea domino hæres extiterit, ff. de vsucap. l. cum vir, 42.

Si vxore hærede instituta, fundus dotalis fuerit legatus, siquidem deductis legatis mulier quantitatem dotis in hæreditate habitura est. Videlicet legatum. Sin minus id duntaxat ex eo remanebit apud mulierem, quod quantitati dotis deest, ff. de fundo dot. l. dotale, xiii. §. si hæredi.

Vir in fundo dotali, uxoris rogatu Oliuetum succiderat, ad hoc ut nouellum reponeret; postea uir mortuus erat, & vxori dotem legauerat. ligna, quæ ex Oliueto suuisa essent, oportebit reddi mulieri, ff. eod. l. uir. viii.

Vir in fundo dotali lapidicinas marmoreas aperuerat, separatione thori facta, marmor quod cæsum, neque asportatum esset, uiri erit: impensas uiro, in lapidicinas factas mulier uiro non præstabit, non tantū necessarias, sed nec etiam utiles. Nec fundus deterior erit, si tales sint lapidicinæ, in quibus lapis crescere possit. ff. eod. l. fin.

Si per mulierem mora fieret, quominus æstimationem partis fundi uiro solueret, & fundum reciperet, cum hoc pactum esset: fructus interim pro portione uir habiturus est, reliquos mulieri restituet, d. l. fi. §. fi.

Fundum filiæ nomine pater in dotem dederat: huius hæredi filiæ ex asse, creditoribus patris, urgentibus, utilius uidebatur potius fundum, qui dotalis erat distrahere, quod minus fructuosus esset; & alios hæreditarios uberiore reditu retinere. maritus consensit. si nulla in ea re captio futura sit. ea pars dotis, quæ in hoc fundo est, mulieri manente matrimonio rectè soluetur, si pretium creditori soluatur, ff. de iure dot. l. fin.

Interdum lex Iulia de fundo dotali cessat, si ob id, quod maritus damni infecti non cauebat, missus sit uicinus in possessionem dotalis prædii, deinde iussus sit possidere. hic enim dominus uicinus fit; quia hæc alienatio non est uoluntaria, ff. de fundo dot. l. prima, in prin.

Sed & per uniuersitatem transit prædium, secundum quod possibile est, ad alterũ ueluti ad hæredem mariti, cum suo tamen iure, ut alienari non possit, d. l. prima §. sed, & per.

Finis Libri Quinti.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omissis iis, quibus a iure Canonico, Nouellis Iustiniani Constitutionibus, Imperii mutatione, contrario vsu derogatum est.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Sextus.

DE DONATIONIBVS INTER VIRVM ET VXOREM.

Titulus Vnicus.

MORIBVS apud nos receptum est, ne inter uirum, & uxorem donatio ualeret. Hoc autem receptum est, ne mutuo amore se inuicem spoliarent, donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate utentes: nec esset eis studium liberos potius educandi, ff. de donat. inter uir. & uxor. l. prima, & secunda.

Hæc ratio, & oratione Imperatoris Antonini electa est: nam ita ait. Maiores nostri inter uirum, & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes, famæ etiam coniunctorum consulentes, ne concordia pretio conciliari uideretur: neve melior in paupertatem decideret, deterior dictiori fieret, ff. eodem l. tertia. in principio.

Donationes, quas diuus Imperator in piissimam Reginam suam coniugem, vel illa in Serenissimum Maritum contuleret, ilico ualere sancitum est, & plenissimam habere firmitatem: ut pote imperialibus contractibus legis uicem obtinentibus, minimeque opitulatione quadam extrinsecus egentibus, C. eod. l. penultima.

Videamus inter quos ſint prohibitæ donationes. qui in eiuſdem ſunt poteſtate, prohibentur ſibi donare, ut puta frater mariti, qui eſt, in ſoceri poteſtate. ſecundum hæc ſi mater filio, qui in patris poteſtate eſt donet: nullius momenti erit donatio: quia patri, quęritur. ſed ſi in caſtra eunti filio dededrit, videtur valere: quia filio quæritur, & eſt caſtrenſis peculii. Quare, & ſi filius, vel priuignus, vel quiuis alius poteſtati mariti ſubiectus de Caſtrẽſi ſuo peculio donauerit, non erit irrita donatio. prohibetur igitur, & vxori, & nurui donare etiam is, qui eſt in ſoceri poteſtate, ſi modo maritus ſit in patris poteſtate, ff. eod. l. tertia. §. videamus.

Nec inter eas quidem perſonas, quarum iuri ſubiecti ſunt vir, & vxor, qui, quæve in eorum poteſtate ſunt, donationes iure ciuili fieri poſſunt, C. eo. l. ſecunda.

Filius rebus matris interuenire ſolitus pecunia matris, conſentiente ipſa, res mercatus, emptionum inſtrumenta ſuo nomine confecit, deceſsit in patris poteſtate. Quæſitum eſt an mater cum marito ſuo experiri, & qua actione poſſet. Reſponſum eſt, ſi mater obligatum filium in ea pecunia voluit eſſe: intra annum, quàm filius deceſsit cum patre de peculio, in cuius poteſtate fuiſſe proponatur, actionem habere, ſi donauit: repeti poſſe quanto locupletior ex ea donatione pater factus eſſet, ff. eod. l. ſi prædia, 58. §. fi.

Ab vxoris, muruſve parte prohibitum eſt donari uiro, vel genero. ſed & his, qui ſunt in eorum poteſtate, ſi fuerit donatum, vel in quorum ſunt poteſtate: non ualebit donatio: ſi modo vir, & ſocer in eiuſdem ſint poteſtate, vel cui in ſoceri. Cæterum ſi in alia familia eſt maritus, neque ſocero, neque ei, qui eſt in eius poteſtate, neque ei in cuius eſt, donatione interdictum eſt, ff. eodem l. tertia, §. ab vxoris.

Socrui à nurue, vel contra, donari non eſt prohibitum; quia hic ius poteſtatis non vertitur, d. l. tertia, §. ſocrui.

Si generum in uacuam poſſeſſionem prædii ſocrus titulo donationis ante matrimonium, vel poſt induxit ad reſcindendam donationem, pœnitentia nihil proficit, C. eod. l. ſi te, xxiii.

Sciendum autem eſt ita interdictam inter virum, & vxorem donationem eſſe, vt ipſo iure nihil valeat quod actum eſt. proinde ſi corpus ſit quod donatur, nec traditio quicquam valet. ❦ Et ſi ſtipulanti promiſſum ſit, vel accepto latum, nihil valet. Ipſo enim iure, quæ inter virum, & uxorem donationis cauſa geruntur, nullius momenti ſunt. Si quis igitur nummos vxori dederit, non fieri eius apparet: quia nihil corporis eius fieri palam eſt. ſed ſi debitorem ſuum ei ſoluere iuſſerit, debitor quidem liberabitur, ſed nummi facti ſunt mariti, non vxoris. Nam & ſi donatio iure ciuili non impeditur, is rei geſtæ ordo futurus eſſet, ut pecunia ad te à debitore tuo, deinde à te ad mulierem perueniret. Nam celeritate coniungendarum inter ſe actionum, vna occultatur. cæterum debitor creditori dat: creditor vero vxori. Nec nouum, aut mirum eſt, quod per alium accipias, te accipere. Nam ſi is, qui ſe procuratorem tui creditoris eſſe ſimulauit, à debitore tuo iubente te pecuniam acceperit, conſtat ipſam pecuniam tuam eſſe. Huic conſequens eſt, quod Iulianus ſcribit. Si donaturum mihi, iuſſero vxori meæ dare, nullius eſt momenti, perinde enim eſt habendum, atque ſi ego acceptam rem meam factam uxori meę dediſſem, d. l. tertia, §. ſciendum eſt uſque ad finem.

Si cum, qui mihi uendidit, iuſſerim eam rem uxori meæ donationis cauſa dare, & is poſſeſſionem iuſſu meo tradiderit: liberatus erit, quia licet illa iure ciuili

posſidere non intelligatur, certe tamen uenditor nihil habet, quod tradat, ff. eod. l. ſi cum, 26. in prin.

Idemque eſt, & ſi mortis cauſa traditurum mihi, iuſſerim vxori meæ tradere. nec refert, cum ualuerit donator, an mortuus ſit. neque exiſtimandum eſt, ſi dixerimus valere donationem, non fieri me pauperiorem: quia ſiue conualuerit donator, ei condictione tenebor: ſiue mortuus fuerit, rem quam habiturus eram, in bonis meis deſinam propter donationem habere, ff. eodem lege quarta.

Si debitor viri pecuniam iuſſu mariti vxori promiſerit: nihil agitur. ſi vxor uiri creditori donationis cauſa promiſerit, & fideiuſſorem dederit: neque uirum liberari, neque obligari mulierem, vel fideiuſſorem eius Iulianus ait: perindeque haberi, ac ſi nihil promiſiſſet, ff. eod. l. quinta, §. ſi debitor.

Vir vxori pecuniam cum donare vellet, permiſit ei, vt à debitore ſuo ſtipuletur. illa cum id feciſſet, priuſquam pecuniam auferret, diuortium fecit. ſtipulatio hæc inanis fuit. ſed ſi promiſſor mulieris ignorans ſoluiſſet: ſi quidem pecunia extat, uendicare eam debitor poteſt. ſed ſi actiones ſuas marito præſtare paratus eſt, doli mali exceptione ſe tuebitur: ideoque maritus hanc pecuniam debitoris nomine uendicando conſequitur. ſed ſi pecunia non extat, & mulier locupletior facta eſt: eam petet maritus: intelligitur enim ex re mariti locupletior facta eſſe mulier: quando debitor doli mali exceptione ſe tueri poteſt, ff. eod. l. uti uxori, 39.

Si quod mihi mortis cauſa donare uellet, ego pure uxori donare uelim: non ualet quod uxori iubeo dari: quia illi conualeſcente, condictione teneor. mortuo autem nihilominus pauperior ſum: non enim habeo, quod habiturus eſſem, ff. eodem l. ſi quod, 56.

Si maritus duos reos habeat Titium, & mulierem, & mulieri accepto tulerit donationis cauſa, neuter liberatur: quia acceptilatio non ualet. planè ſi proponatur Titio accepto latum, ipſe quidem liberabitur; mulier uero manebit obligata, ff. eod. l. quinta, §. ſi maritus.

Si ſponſus ſponſæ donaturus tradiderit Titio, ut is ſponſæ daret, deinde Titius tradiderit poſt nuptias ſecutas: ſiquidem maritus eum interpoſuit: donatio non ualet, quæ poſt contractas nuptias perficiatur; ſi uero mulier cum interpoſuit: iam dudum perfecta eſt donatio, hoc eſt ante nuptias atque ideo, quamuis contractis nuptiis, Titius tradiderit, donatio ualet, ff. eodem lege quinta. in principio.

Generaliter tenendũ eſt, quod inter ipſos coniuges, aut qui ad eos pertinent, aut quod per interpoſitas perſonas donationis cauſa agitur: non ualere, quod ſi aliarum extrinſecus rerum perſonarumve cauſa permiſta ſit: ſi ſeparari non poſſit, nec donationem impediri: ſi ſeparari poſsit, cætera ualere: id quod donatũ ſit non valere, ff. eod. l. quinta, §. generaliter.

Inter uirum, & uxorem nec poſſeſsionis ulla donatio eſt, ff. eodem lege. inter uirum, xlvi.

Venditio donationis cauſa inter uirum, & uxorem facta, nullius eſt momenti. ſi modo cum animum uendendi maritus non haberet, idcirco uenditionem commentus ſit, ut donaret. Enimuero ſi cum animum uendendi haberet, ex pretio ei remiſerit, uenditio quidem ualet, remiſsio autem non ualet, quatenus locupletior facta eſt. Itaque ſi res quindecim, uenit quinque, nunc autem ſit decem: quinque tantum præſtanda ſunt: quia in hoc

locupletior videtur facta d.l.quinta,§.circa venditionem.

Si non verum contractum pater gessit, sed sub specie uenditionis donationem possessionis in matrem filiorum contulit, nec ex bonis, quæ in persona ipsius patris permansisse videbantur, indemnitati fiscali satisfieri potuit, licet in eadem voluntate perseuerauerit, ex eadem tamen possessione ad supplendam pecuniam, quam ex bonis ab eo relictis colligi nequiuerint, conferendum est. Quod si mutata voluntate liberalitatem interrupit, in hæreditate eius dominium ressedisse, non dubitatur, C.eod.l.si non, xv.

Si cui vxori, vel è contra, quid vendiderit vero pretio, & donationis causa paciscantur, ne quid venditor ob eam rem præstet, venditio irrita non est, & verius est pactum duntaxat irritum esse, ff. eodem. lege. sed si cui, xxxi.§. si cui vxori, vel contra.

Quod vir in diem debet, sine metu donationis præsens soluere potest: quamuis commodum temporis retenta pecunia sentire potuerit, dicta. l. sed si vir.§. quod vir.

Si uir vxori donationis causa rem vilius locauerit: locatio nulla est; cum autem depositum inter eas personas minoris, donationis causa æstimantur: depositum est. Hoc ideo tam variè, quia locatio quidem sine certa mercede contrahi non potest: depositum autem & citra æstimationem dari potest, ff. eodem. l. cum vir 52. in principio.

Etiam si maritus uxoris suæ nomine res, quæ sui iuris fuerunt depositæ sunt causa proprietatis ea ratione mutare non potuit: & si donasse eum vxori res suas quis intelligat: cum donatio in matrimonio facta prius mortua ea, quàm liberalitatem excepit, irrita sit, C.eod.l.6.in prin.

Et si pecunia mariti animalia uxori suæ comparata sunt, tamen si ei sunt tradita, eorum dominium non ad maritum, sed ad eam pertinet: pecuniæ autem tantummodo repetitionem habet siue negocium eius gerens numerationem fecit, siue in eam donationem conferens quantitatem pretii largitus est. Etenim, vel in solidum, vel quatenus locupletior facta est actione cum ea competenti poterit experiri, C.eod.l.&si.ix.

Si filii emancipati matris hæreditatem sibi acquisiuerunt, pater probare potest non donandi animo se nomine vxoris suæ prædia comparasse, sed nominis duntaxat ei us titulo vsum possessionem rerum à venditoribus sibi traditurum dominum esse effectum, vt comprehensa filiorum suorum iniuria proprietatis ius incolume perseueret: nam si largiendi proposito id fecisse constiterit, pecuniæ sibi persecutio competit, C.eod.l.si filii.xvi.

Creditor soluto debito, de pignore liberato, nihil ad vxorem debitoris quondam transferre potuit. sed nec consensus eiusdem debitoris accedens per eum, qui creditor fuit, imaginariæ factæ venditioni, ad dominium transferendum prodesse quicquam potuit: cum tam ea, quæ simulatè aguntur, quàm quæ in vxorem à marito donationis causa tempore matrimonii procedunt: propter iuris ciuilis interdictum (cum proponatur uxorem superstite marito rebus humanis exemptam) pro infectis habeantur, C.eod.l.creditor, xx.

Donationem inter virum & vxorem circa impensas, quoque inhibitam esse verè Sabinus scripsit, ff. de impensis in reb.dotal.l.in voluptariis, xi. in fine.

A marito in vxorem donatione collata matrimonii tẽpore, nec initio dominium transferri potest: nec si prior persona, quæ liberalitatem accepit, rebus humanis fuerit exempta, vel ab eo, qui donauit, fuerit reuocata, potest conualescere, C.

re, C. de donat. inter vir. & vxo. l. à marito, xviii.

Si vxori viri creditori donationis causa promiserit, & fideiussorem dederit: neq; virum obligari, neque obligari mulierem uel fideiussorem eius Iulianus ait: perindeque haberi, ac si nihil promisisset, ff. eo, l. quinta, §. si uxor.

Si donationis causa uir, vel uxor seruitute non utatur: amittat seruitus, verum post diuortium condici potest, d. l. quinta, §. si donationis.

Si vxor vel maritus exceptione quadam donationis causa summoueri uoluerit: facta à iudice absolutione, valebit quidem sententia, sed condicetur ei, cui donatum est, d. l. quinta, §. si uxor.

Si maritus hæres institutus, repudiet hæreditatem donationis causa. Iulianus scripsit donationem ualere, neque enim pauperiorem fieri, qui non acquirit, sed qui de suo patrimonio deposuerit. Repudiatio autem mariti, mulieri prodest, si uel substituta mulier sit, vel etiam ab intestato hæres futura. Simili modo, & si legatum repudiet, placet ualere donationem, si mulier substituta sit in legato, uel etiam si proponas eam hæredem institutam, d. l. quinta, §. si maritus.

Si quis rogatus sit præcepta certè quantitate uxori suæ hæreditatem restituere, & is sine deductione restituerit: Celsus scripsit magis pleniore officio præstandæ fidei functum maritum, quàm donasse uideri, & rectam huic sententiæ Celsus adiecit, qui plerique magis fidem exoluunt in hoc casu, quam donant: nec de suo putant proficisci, quod de alieno plenius restituunt, uoluntatem defuncti secuti. nec immeritò. sæpe enim credimus aliquid defunctum uoluisse, & tamen non rogasse. Quæ sententia habet rationem, & magis in eo, qui non erat deducta quarta restituere rogatus, & tamen integram fidem præstat, omisso senatusconsulti commodo. Hic enim uerè fidem exoluit, uoluntatem testatoris secutus. Hoc ita, si non per errorem calculi fecit. cæterum indebiti fideicommissi esse repetitionem, nulla dubitatio est, d. l. quinta, §. si quis rogatus.

Cum igitur nihil de bonis erogatur. rectè dicitur ualere donationem. Vbicunq; igitur non diminuit de facultatibus suis, qui donauit, uel etiam si diminuat, locupletior tamen non sit, qui accepit, donatio ualet, d. l. quinta, §. cum igitur.

Quod legatarius mihi, aut hæreditatis nomine relicturus es, potes rogatus à me uxori meæ relinquere: & non uidebitur ea esse donatio, quia nihil ex bonis meis diminuitur, in quo maximè maiores donanti succurrisse proculus ait, ne amore alterius, alter dispoliaretur: neue quasi inter maleuolos, alter locupletior fieret, ff. eo. l. sed si cui, xxxi. §. quod legaturus.

In donationibus autem iure ciuili impeditis hactenus reuocatur donum ab eo, uel ab ea, cui donatum est, ut si quidem extet res, uendicetur, si consumpta sit, condicatur, quatenus locupletior, quis eorum factus est. Quia quod ex non concessa donatione retinetur, id aut sine causa, aut ex iniusta causa retineri intelligitur: ex quibus causis condictio nasci solet, ff. de donat. inter uir. & uxorem, l. quinta, in fin. cum l. seq.

Quod autem spectatur tempus, an locupletiores sint facti: uerum est litis contestatæ tempus spectari oportere, idque Imperator noster cum patre rescripsit, ff. eodem lege septima, in prin.

Si maritus pecuniam vxori in unguenta dederit, eaque eam creditori suo soluerit, mox de sua pecunia emerit unguenta: non uideri locupletiorem factam Marcellus scribit. Idem scribit & si lancem ob eandem causam ei dederit, eamque lancem retinuerit, de sua autem pecunia unguenta emerit, vendicationem cessare, quia non sit locupletior, quæ tantundem in re mortua impenderit, ff. eod.

eod.l.quod autem septima,§.si maritus.

Si vir & vxor inuicem sibi donauerit, & maritus seruauerit, uxor consumpserit: rectè placuit, compensationem fieri donationum. si maritus vxori pecuniam donauerit, ipsaque ex ea pecunia prædia comparauerit, æstimari oportebit, in quantum locupletior facta sit mulier. proinde & si prædia hodie vilissima sunt, consequenter litis contestatæ tempore æstimatio eorum spectanda erit. planè si magni pretii prædia sunt, summa numerata erit restituenda, d.l. quod autem, §.si vir.

Eleganter tractabitur si mulier, xv. prædia emerit, & maritus non totum pretium ei numerauerit, sed duas partes pretii, hoc est decem, vxor de suo quinque, dein de hæc prædia ualeant nunc decem, maritus quantum consequatur? & magis est, vt consequi debeat duas partes decem, vt quod perierit ex pretio, utrique perceperit, & marito & vxori, d.l. quod autem, septima, §.eleganter.

Si maritus æstimationem rerum, quas in dotem accepit, dicat se donationis causa auxisse: remedium monstrauit Imperator noster cum diuo patre suo rescripto, cuius verba hæc sunt: cum donationis causa pretium auctum affirmes: qui super ea re cognitus erit, si pecunia modum recusabis, ipsa prædia restitui debere sumptuum deductis rationibus, arbitrabitur. In arbitrio igitur mariti erit, quod præstitum malit. Idem iuris est, & si è contrario mulier de minore æstimatione quæratur. nec aliud in commodato æstimato obseruari solet, d.l. quod autem septima, §.si maritus æstimationem.

Si vxor à marito suo, prædia, quæ ob dotem pignori acceperat, emerit, eaque emptio donationis causa facta dicatur: nullius esse momenti, pignoris tamen obligationem durare, Imperator, rescripsit. Cuius rescripti verba ideo describuntur, vt appareat venditionem inter uirum, & uxorem bona fide gestam non retractari, d.l. quod autem septima, §.si uxor.

Si tibi maritus pignora propter dotem & pecuniam creditam data, non donationis causa vendidit, quod bona fide gestum est, manebit ratum. At si titulus donationis quæsitus ostendetur, atque adeo venditionem irritam esse constabit: iure publico causam pignorum integram obtinebis, d.l. quod autem, septima, §.si tibi maritus.

Si uxor rem emit, & maritus pretium pro ea numerauit, interdum dicendum est totum à muliere repetendum, quasi locupletior ex ea insolidum facta sit: vtputa si emerit quidem mulier, & debeat pecuniam, maritus autem à venditore ea liberauerit, quid interest, creditor saluat, an venditori? dicta lege quod autem, §.si vxor rem.

Si cum mulier viginti equum emisset, in eam emptionem, vir quinque venditori dederit: diuortio facto omnimodo uir eam summam exiget, neque ad rem pertinet, an is equus deterior factus sit, nam & si mortuus esset, quinque exactio ei competeret. Quæritur enim an mulier ex iure patrimonio locupletior sit eo tempore, quo de dote agatur. Facta autem locupletior intelligitur, quæ ære alieno suo interuentu viri liberata est, quod potuisset adhuc debere, si cui pecuniã non exoluisset. Neque enim interest ex qua causa mulier pecuniam debuit, vtrum creditam, an eam, quam ex emptione præstare debebat. Quod si mulier non emerat equum, sed ut emeret, à uiro pecuniam accepit: tunc vel mortuo, vel deteriore facto equo damnum ad uirum pertinebit: quia qui aliter emptura non fuit, nisi pecuniam à viro accepisset, hoc consumptam ei perit, qui donauit: si modo in rerum natura esse desiit: nec uidetur mulieri locupletior esse,

quæ

quæ neque à creditore suo liberata est, neque id possidet, quod ex pecunia uiri emerat, ff.eod.l.si cum l.

De donatione causa mortis, inter virum & vxorem.

Inter virum & uxorem mortis causa donationes receptæ sunt, quia in hoc tempus occurrit donationis euentus, quo vir & vxor esse desinerent. ff.de don. inter virum & vxor.l.si eum, ix.§.fi.cum l.seq.

Sed interim non statim fiunt eius, cui donatæ sunt: sed tunc demum, cum mors insecuta est, medio igitur tempore dominum apud eum remanet, qui donauit, ff.eo.l.sed interim, xi. in prin.

Sed quid dicitur mortis causa donationem inter uirum & uxorem ualere, ita uerum est, vt non solum ea donatio ualeat (secundum Iulianum) quæ hoc animo fit, vt tunc res fiat uxoris, vel mariti, cum mors insequatur, sed omnis mortis causa donatio. Quando itaque non retro agitur donatio, emergunt uitia, ut Marcellus animaduertit in specie huiusmodi. Maritus vxori mortis causa donatum voluit. interposuit mulier filiumfami. qui à marito acciperet, eique traderet. deinde cum morirur maritus, paterfam. inuenitur. an valeat traditio? & ait consequens esse dici traditionem ualere, quia sui iuris effectus sit eo tempore, ad quod traditio redigitur, cum maritus moriebatur, dicta lege sed interim, §. sed quod dicitur.

Item si filiusfamilias uxori maritus tradat, donatio eius fit cum omni suo emolumento, si viuo adhuc marito sui iuris effecta fuerit: proinde & si vxor marito filiofam. mortis causa tradat, & is sui iuris effectus sit, sine dubio dicemus. ipsius fieri. per contrarium, quoque, si uxor donauerit mortis causa patrifam. marito, & mortis eius tempore filiusfam. inueniatur: patri erit nunc emolumentum quæsitum, d.l.sed interim, xi.§.idem ait.

Si uxor rem Titio dederit, ut is marito mortis causa traderet: eaque defuncta minutis hæredibus eius Titio marito dederit, interest utrum à muliere sit interpositus Titius, an uero à marito, cui donabatur, si à muliere interpositus est, obligabit se condictione, si marito tradiderit. Sinautẽ à marito sit interpositus mortua muliere, confestim fundus efficietur eius, quem maritus interposuit, & actionem ipse maritus cum eo habebit, d.l.sed interim, x.§. si uxor rem.

Si vxor rem, quàm à marito suo mortis causa acceperat, viuo eo alii tradiderit, nihil agitur ea traditione, quia non ante ultimum uitæ tempus mulieris fuerit. Planè in quibus casibus placeat retro agi donationem: etiam sequens traditio à muliere facta in pendenti habebitur, d.l.sed interim, §.pen.

Si maritus vxori donauit mortis causa eaque diuerterit, infirmatur donatio, nec in pendenti erit, d.l.sed interim, §.fin.

Si maritus mortis causa vxori donauerit, & deportationem passus est, & nihil uitium mulieris incurrit humanum & donationem. quæ mortis causa ab initio facta est, tali exilio subsecuto confirmari, tanquam si mortuo marito rata habeatur, ita tamen vt non adimatur licentia marito eam reuocare: quia & mors eius expectanda est, ut tunc plenissimam habeat firmitatem, quando ab hac luce fuerit subtractus, siue reuersus, siue adhuc in pœna constitutus, ff. de donat. inter virum

virum & vxor. l. sed si mors xiii. §. proinde.

Sed & si constante matrimonio res aliena uxori à marito donata fuerit: dicendũ est confestim ad vsucapionem eius uxorem admitti: quia & si mortis causa donaretur ei, non impediretur vsucapio. Nam ius institutum ad eas donationes pertinet, ex quibus & locupletior mulier, & pauperior maritus in suis rebus fit. Itaque licet mortis causa donatio interueniat: quasi inter extraneas personas fieri intelligenda est in ea re, quod quia aliena est, vsucapi potest, ff. eodem, lege sed & si. xxv.

Ex quibus causis inter uirum & uxorem concessę sunt, donationes, ex iisdem & inter socerum & generũ, Nurumve concessas esse Neratius ait. ergo socer genero mortis causa donabit, sed & gener socero mortis causa donabit, ff. eo. l. si eum. xvi. §. finali.

Mortis suæ causa genero, vel nurui socerum frustra donare concernit: quia mortuo socero nuptiæ non soluuntur, nec interest, an pater filium, vel filiam exhæredauerit. Diuortii species ab ea ratione diuersa est. ff. eo. l. mortis, liii. in prin.

Vxor uiro fructum fundi ab hærede suo dari, & si datus non fuisset, certam pecuniam mortis causa promitti curauit: defuncto uiro, uiua muliere, stipulatio soluitur, ut traditio, quæ mandante vxore mortis causa facta est. Nam quo casu inter exteros conditio nascitur, inter maritos nihil agitur, ff. eo. l. si uir, lii. §. fi.

Cum quis acceperit, vt in suo ædificet, condici ei, id non potest; quia magis ei donari videtur. Quæ sententia Neratii quoque fuit. ait enim datum ad uillam extruendam, vel agrum serendum, quod alioquin facturus non erat is, qui accepit, in speciem donationis cadere. ergo inter uirum, & vxorem erunt interdictę d. l. sed si, xiii. §. fin.

Quod si uir uxori, cuius ædes incendio consumptæ sunt, ad refectionem earum pecuniam donauerit, ualet donatio intantum, inquantum ædificii extructio postulat, ff. eo. l. quod si, 14.

Ex annuo, vel menstruo, quod vxori maritus præstat, tunc quod superest, reuocabitur, si satis immodicum fit, id est supra uires dotis, d. l. quod si, §. ex annuo.

Si maritus uxori pecuniam donauerit, eaque interesse ex donata pecunia perceperit, lucrabitur, d. l. ex annuo, §. fi.

Quid ergo si ex centum, quæ vir uxori donauit, quinquaginta apud debitorem perierint & ex his alia quinquaginta duplicata per interesse uxor habeat? Nõ plus quinquaginta eius donationis nomine maritus & ab ea consequetur, ff. eod. l. quid ergo, 16.

Si ex fructibus prædiorum, quæ donata sunt, mulier locupletata sit, licita erit donatio, ff. eo. l. de fructibus, 12. in prin.

Si quis pro uxore sua vectigal, quod in itinere præstari solet, soluisset donatio nõ est nulla, maximè si ipsius causa profecta est. Nam & Papinianus scripsit uecturas uxoris, & ministeriorum eius uirum itineris sui causa datas repetere non posse. Iter autem uidetur fuisse uiri causa, & cum uxor ad uirum peruenit, nec interest, an aliquid de uecturis in contrahendo matrimonio conuenerit. non enim donat, qui necessariis oneribus succurrit. Ergo & si consensu mariti profecta est mulier, propter suas necessarias causas, & aliquid maritus expensarum nomine ei præstitit: hoc reuocandum non est, ff. eo. l. si quis, 21. in prin.

Si uxor dotem promiserit ex dotis interesse, sine dubio dicendum est peti interesse posse, quia non est ista donatio cum pro oneribus matrimonii petantur, d. l. si quis 26. §. si uxor.

Si ta-

Si tamen maritus petitionem earum remiserit, donatio non erit illicita. Planè si conuenerat, vt se mulier pasceret, suosque, idcirco passus est eam dotem suam frui, expeditum erit, quia non potest ab ea peti, quasi donatum sit, quod compensatum est, d.l. si qui, 21. §. fin.

Sicut cessat petitio quantitatis, quam de suo maritus uxori in menses singulos, vel in annos singulos proprii vsus eius gratia promittit: ita ut ex ea causa nummis solutis. errogatisque non dari repetitionem, manifestum sit, C. eodem lege sicut x.

Si antequam annuum à uiro acciperet mulier, ipsa de suo, aut etiam mutuatæ impenderit, videtur tantum iam ex annuo consumptum. Item si dotis interesse annuum uxor stipulata sit, licet ei non debeatur, quia tamen quasi de annuo conuenerit, peti quidem dotis iudicio non potest; compensari autem potest, idemque dicemus in qualibet pactione annui nomine facta, ff. eod. l. si id quod xxviii. §. finali.

Vir interesse promissæ dotis in stipulatum deduxerat, idq; non petierat, cum per omne tempus matrimonii sumptibus suis uxorem & eius familiam uiri exhiberet, dote relegata, & donationibus fideicommisso cõfirmatis, quidem dotis interesse non contineri videtur, sed titulo donationis remissum, ff. eodem lege vir. 54.

Si vir uxori munus immodicum Kalendis Martiis, aut natali die dedisset, donatio est: sed si impensas, quas faceret mulier, quo honestius se haberet, contra est ff. eod. l. sed uir, 31. §. si vir.

Non videtur facta esse mulier locupletior, si aut in obsoniis. aut in unguentis, aut in cibariis familiæ donatam sibi pecuniam impenderit. Quæ uir cibaria uxoris suæ familiæ, iumentis ac præstiterit, quæ in usu communi erant, non condicentur. Quod si familiam uxoris domesticam, aut animalia pauit, contra obseruari debet, ff. eo. l. sed uir, 31. §. fi.

Res in dotem æstimatas consentiente uiro mulieri in vsu habuit. Vsu deteriores res si fiant, damni compensatio non admittitur: Cum easdem res non possit mulier quasi sibi donatas defendere ex illis verbis quibus donationes ei à uiro legatæ sunt: cum eiusmodi species, neque donari, neq; auferri uideatur, ff. eo. l. mortis suæ causa, 53. §. res in dotem.

Si id, quod donatum est petierit, vel consumptum sit: eius qui dedit, est detrimentum: merito quia manet eius res, qui dedit, suamque rem perdit, ff. eod. l. si id, quod, 28. in princ.

Marcellus scribit eum etiam detrahere, sine mulieris damno, & citra metum senatusconsulti, quod detrahentibus negotiationis causa occurrit, ff. eodem lege Marcellus, 45.

Item si fructus eorum prædiorum, quæ in dotem accepti sunt matrimonii tempore vxor percepit, & consumpsit, non restituuntur, nisi ab his locupletior facta sit, quia tum in tantum potest conueniri, C. eo. l. si fructus, 8.

De his, quæ extra dotem in domum illata à marito, errogata sunt, siquidem uxore donante consumpta sunt, aduersus hæredes, non nisi inquantum locupletior fuit maritus, datur actio, si uero contra uoluntatem uxoris, omnia restitui oportet, C. eo. l. de his, 17.

Si ex decem donatis sibi mulier equum emerit, & is quinque sit. quinque petenda sunt: quemadmodum si mortuus est, nihil petetur. Si vero is dignus sit, nõ plus decem peti potest: quoniam eatenus donator pauperior factus est. Quod

si ex

si ex decem duos equos emerit, & eorum alter mortuus sit, alter x. dignus sit: solet quæri. Et plerique interesse putant, utrum vno pretio venierint, an diuersis. Si uno, tota x. petenda, quemadmodum si una res empta deterior facta esset, vel grex, vel carrucha: & aliqua pars inde periisset. si diuersis hoc solum petendum quanti emptus sit, quod superest, ff. eo. l. si id, quod, 28. §. si ex decem.

Si mulier ex pecunia donata emptum equum uendidisset, & alium emisset: posterior periculo mulieris non est, licet non ex re mariti emptus sit, ff. eod. l. si mulier, 28. in princ.

Si uir uxori lanam donauit, & ex ea lana vestimenta sibi confecit, uxoris uestimenta esse labeo ait, utilis tamen actio uiro competit, ff. eod. l. si mulier, 29. §. finali & l. sequen.

Sed si uir ex lana sua vestimentum mulieri confecit: quamuis id uxori confectum fuerit, cura tumen uiri est, neque impedimento est, quod in ea re uxor, tanquã Canipendia fuerit, & uiri negotium procurarit, ff. eo. l. sed si vir, 31. in prin.

Si uxor lana sua operis ancillarum viri uestimenta sui nomine confecit, muliebria uestimenta mulieris sunt; & pro operis ancillarum viro præstare nihil debet, sed uiri nomine vestimenta confecta uirilia uiri sunt: ut is eius lanæ uxori præstet pretium, sed si non uirilia uestimenta suo nomine, mulier confecerit, sed ea uiro donauerit, donatio non ualet, cum illa ualeat cum uiri nomine confecit: nec unquam operas ancillarum viri æstimari conuenit, dicta l. sed si uir, 31. §. si uxor.

Si uir uxori aream donauerit: & uxor in ea insulam ædificauerit: ea insula sine dubio mariti est: sed eius impensam mulierem seruaturam placet. Nam si maritus uendicet insulam: retentionem impensæ mulierem facturam, d. l. sed si uir, 31. §. si uir uxori.

Si duo æqui fuerint singuli quinis digni: sed utrunque unum quinis donationis causa à uiro mulieri, vel contra uenierint: melius dicentur communes esse pro portione pretii, nec tamen spectandum est, quanti æqui sint, sed quantum ex pretio donationis causa sit remissam. sine dubio enim licet à uiro, uel uxore minoris emere, si non sit animus donandi, d. l. sed si uir, 31. §. si duo.

Cum status donationum inter uirum & uxorem essent, rigorosus Imperator Antoninus Augustus oratione in senatu habita, auctor fuit senatui censendi, ut aliquid relaxaret ex iuris rigore, ff. de donat. inter vir. & uxor. l. cum hic status, 32. in principio.

Oratio Imperatoris de confirmandis donationibus non solum ad ea pertinent, quæ nomine uxoris à uiro comparata sunt, sed & omnes donationes inter uirum & uxorem factas: vt & ipso iure res fiant eius, cui donatæ sunt, & obligatio sit ciuilis, sed Falcidia potest habere locum, quasi testamento confirmatum sit, quod donatum est, d. l. cum hic status, §. Oratio.

Ait Oratio FAS ESSE eum quidem, qui donauit pœnitere, hæredem vero eripere forsitan aduersus voluntatem supremam eius, qui donauit, durum & AVARVM ESSE. pœnitentiam accipere debemus supremam. proinde si uxori donauit, deinde cum pœnituit, mox desiit pœnitere: dicendum est donationem valere, vt supremum eius spectemus iudicium: quemadmodum circa fidei commissa solemus, vel in legatis, cum de doli exceptione opposita tractamus: vt ambulatoria sit uoluntas eius vsque ad uitæ supremæ exitum, sed ubi semel donatorem pœnituit: etiam hæredi reuocandi potestatem tribuimus, si appareat defunctum euidenter reuocasse uoluntatem, quod si in obscuro sit: procli-

uior

nior debet esse iudex ad comprobandam donationem, d.l. cum hic status, 32, §. ait oratio.

Vnde si bona quondam mariti fiscus, tanquam vacantia occupauit, donationes ab eo factæ, si vsque ad finem uitæ in eadem voluntate mansit, reuocari non possunt, C.eod.l.prima.

E contra res, quæ ab uxore marito donatæ sunt, si modo suæ potestatis, cum donasset, fuit, vel patris sui uoluntate id fecit, & in eadem uoluntate donationis vsq; ad ultimũ uitæ diẽ perseuerauerit, donatio confirmata est, C.eo.l.quarta.

Quod de suo maritus cessante matrimonio donandi animo in dotem ascripsit, si eandem donationem legitimæ confectam non reuocauit, qui incrementa dedit, & durante matrimonio mortem obiit, vxor ab hæredibus mariti, quatenus liberalitas interposita munita est, peti potest, C. de dote cauta non numerata, l.secunda.

Si maritus ea, quæ donauit, pignori dedit: vtique eum pœnituisse dicemus, licet dominium retinuit. Quid tamen, si hoc animo fuit, vt vellet adhuc esse donatum? finge in possesionem præcariam mulierem remansisse, pacatamque esse satisfacere creditori, dicendum est donationem valere. Nam si ab initio rem ei obligatam hoc animo donasset, diceretur uim habere donationem, ut parata satisfacere mulier, haberet doli exceptionem: quinimo & si satisfecisset, potuisset eam per doli exceptionem consequi, ut sibi mandarentur actiones, ff. eo.l.cum hic status, 32.§.si maritus.

Manifestum est non solum obligatione facta creditoribus, sed etiam alia donatione, vel uenditione, vel alio quolibet modo rebus alienatis reuocatam esse à uiro in mulierem factam donationem, C.eo.l.si maritus, 12.

Si quidem ante donationem possesionis in uxorem à marito celatam, prædium ab eodem creditori obligatum fuit: alienationem eius, salua iure debiti (is tamen iuris ratio actionem eius non excludit) factam esse dubiũ non est. Quod si donatione iure celebratur, eo quod, vel ante nuptias facta est, vel in iisdem casibus, in quibus etiam constante matrimonio donatio procedere potest, obligatio insecuta est: factum marito, qui obiit iure vxoris, efficere non posse certum est, C.eo.l.si quidem, 13.

Si maritus uxori donauerit, & mortem sibi ob sceleris conscientiam consciuerit, vel etiam post mortem memoria eius donata sit, reuocabitur donatio, quamuis ea, quæ aliis donauerit valeant, si non mortis causa donauerit, d.l. cum hic status, 29.§ si maritus uxori.

Si miles uxori donauit de Castrensibus bonis, & fuit damnatus: quia permissum est ei de his testari, si modo impetrauit, ut testetur, cum damnaretur, donatio ualebit. Nam & mortis causa donare poterit, cui testari permissum est, d.l. cum hic status, §.si mulier.

Quod ait oratio CONSVMPSISSE, sic accipere debemus, ne is, qui donationem accepit, locupletior factus sit. Cæterum si est factus locupletior, & orationis beneficium locum habebit. sed si non sit factus locupletior, dederit tamen tantam quantitatem, eaq; extet, dicendum est, si is decesserit, qui factus est locupletior, posse repetere id quod dedit, nec compensare id quod consumpsit: quamuis diuortio secuto, hic compensatio locum habeat, d.l. cum hic status, 32.§. quod ait.

Si mulier & maritus diu quidem seorsum habitauerint, sed honorem inuicem matrimonio habeant: (quod scimus interdũ, & inter consulares p̃sonas subsecutũ)

donationes non ualent, non enim coitus matrimonium facit, sed maritalis affectio, si tamen prior donator decesserit, tunc donatio valebit, d.l. cum hic status, 32.§.si mulier.

Si ambo ab hostibus capti sint, & qui donauit, & cui donatum est, si mors ante contigerit ei, cui donatum est, Oratio Imperatoris uoluit, nullius momenti donationem esse: si ambo decesserint naufragio fortè, vel ruina, vel incendio, & posit apparere, qui ante spiritum posuit, expedita est quæstio, si vero non appareat, magis est donationem ualuisse, & his ex uerbis orationis hæc opinio defenditur. ait enim Oratio, SI PRIOR VIR DECESSERIT, QVI DONATVM ACCEPIT, non uidetur autem prior uita decessisse, qui donatum accepit, cum simul decesserint: proinde rectissimè dicetur, vtrasque donationes valere, si fortè inuicem donationibus factis, simul decesserint: quia neuter alteri superuixit: licet de commorientibus Oratio non senserit. sed cum neuter alteri superuixerit, donationes mutuæ valebunt. Nam & circa mortis causa donationes mutuas, id erat consequens dicere, neutri dandam condictionem. locupletiores igitur hæredes donationibus relinquentur. secundum hæc si ambo ab hostibus capti sint: amboque ibi decesserint, non simul, vtrum captiuitatis spectamus tempus, vt dicamus donationes ualere, quasi simul decesserint, an spectamus uter prior decesserit, ut in eius persona non ualeat donatio. At ubi non reuertuntur tempus spectandum est captiuitatis, quasi tunc defecerint. Quod si alter redierit, is uidetur superuixisse, qui reddit, d.l. cum hic status, 32.§.si ambo.

Si unus ex his, qui matrimonio fuerant copulati in alium donatione facta ab hostibus captus esset, & in seruitutem deductus, & postea ibi morte peremptus sit. Aut si donator quidem in Ciuitate sua constitutus decessisset, mortis autem eius tempore, is, qui donationem accepisset in captiuitate degeret, & postea reuersus est, in ambobus casibus donatio firma esse censetur, C.eo.l.fi.

Qui quasdam res ex his donauerat, legasset, quasdam non videbitur cæteras uoluisse ad uxorem pertinere. plerunque enim antea legat, postea donat, uel alia causa fuit donandi, legandi, d.l. cum hic status, §. qui quasdam.

Oratio non solum uirum & uxorem complectitur, sed etiam cæteros, qui propter matrimonium donare prohibentur, vtputa donat socer nurui, uel contra, socer genero, vel contra, consocer consocero, qui copulatos matrimonio in potestate habent. Nam ex mente orationis is quoque omnibus permissum est in eandem casum donare, & ita Papin. sentit. Sic enim scribit, socer nurui, vel genero donauit, postea filius eius, vel filia constante matrimonio uita decesit, quamquam vitium donationis perseueret, tametsi socer nullam quæstionem donationibus intulit, post mortem eius contra hæredem orationis sententia uidetur interuenire. nam quæ oratio donationem prohibuit, eadem beneficium ratum implorauit. Vt igitur valeat donatio ista, Papinianus exigit, ut & filius eius, qui donauit, ante decesserit, & postea socer durante uoluntate, d.l. cum hic status, 32.§.oratio.

Si filiusfam. qui Castrense peculium habet, vel quasi Castrense, uxori donet, & in personam filii mortem spectabimus, d.l. cum hic status, §.si filiusfam.

Si Nurus Socero donauit, mortem nurus, & perseuerantem in supremum diem voluntatem eius spectare nos oportet. Quod si socer ante decesserit, dicemus ne extinctam donationem? an quia maritus uiuus uxori suæ superuixit, admittimus uim habere donationem? & si quidem maritus solus socero heres extitit,

ritit, quasi noua donatio in maritum collata seruari potest: ut illa finita sit, alia cæperit, si uero filius hæres patris non est: finita erit donatio, ratione noua, d.l. cum hic status, §. si nurus.

Si consocer consocero donauerit, & alter eorum, vel vterq; copulatos emancipauerit: debet dici donationem ad orationem non pertinere, & ideo infirmari donationem, d.l. cum hic status, 32. §. si consocer.

Si sponsus sponsæ donauerit in tempus matrimonii collata donatione, quamuis inter uirum & uxorem donatio non videatur facta, & uerba orationis minus sufficiant, tamen donationem dicendum est ad sententiam orationis pertinere: ut si dubitauerit voluntas vsq; ad mortem, valeat donatio, d.l. cum hic status, 32. §. si sponsus.

Si minor annis duodecim in domum, quasi mariti immatura sit, deducta est sponsa, & si uxor non sit, & si quidem sponsalia antecesserint, durant, & donatio ei facta ualet, si minus nulla est, quia non quasi ad extraneam, sed quasi ad uxorem fecit, & ideo nec oratio locum habebit, d.l. cum hic status, §. si quis sponsam.

Sponsus alienum annulum sponsæ muneri misit, & post nuptias pro eo suum dedit, annulus mulieris sit, quia tunc factam donationem cõfirmare videtur, non inchoare, ff. eo. l. si donare, 36. §. sponsus.

Siue autem res fuit, quæ donata est: siue obligatio remissa: potest dici donationem effectum habituram: vtputa uxori acceptum taliter donationis causa, qđ debebat. potest dici pendere acceptilationem non ipsam, sed effectum eius. Et generaliter vniuersæ donationis, quæ sumus impediri diximus, ex oratione valebunt, d.l. cum hic status, §. siue autem.

Si inter uirum, & uxorem societas donationis causa contracta sit, iure vulgato nulla est: sed nec post decretum senatus, emolumentum ea liberalitas, ut actio pro socio constituatur, habere poterit. Quæ tamen in commune tenuerunt, sine præstituto reuocanda non sunt. Idcirco igitur actio pro socio non erit, quia nulla societas est, quæ donationis causa interponitur, nec inter cæteros, & propter hoc, nec inter uirum & uxorem. Idem dicendum erit, & si emptio contracta sit donationis causa: nam nulla erit: planè si minoris res venient donationis causa, vel postea pretium sit remissum: admittemus donationem pertinere ad senatusconsultum, d.l. cum hic status, §. si inter.

Si stipulata fuerit mulier annuum dari: id ex stipulatu petere constante matrimonio non potest. Sed si manente matrimonio decessisse maritum proponatur, quia in annuo quoque donatio vertitur, potest dici stipulationem confirmari, ex senatusconsulto. Si uxor marito annuum versa uice præstiterit: restitueretur ei hoc, & poterit vendicare, id quod extat. itemque poterit & condicere, inquantum locupletior factus est: quia non tam solemne est annuum, quod maritus uxori impendit, quam quod uxor marito præstat: imo etiam incongruens est, & contra sexus naturam. Et si fortè maritus ab uxore stipulatus sit annuũ, decesseritque mulier constante matrimonio: dicendum erit ex oratione donationem conualescere, ff. de donatione inter virum & uxorem, l. si stipulata fuerit, trigesimatertia.

Siue uxor marito res donasset, ut eas in dotem pro communi filia daret: siue post donationem, quam in maritum contulit, vxor passa est eam, pro filia in dotem dare: benignè potest dici, & si prima donatio nullius momenti est: attamen ex sequente consensu ualere dotis donationem, ff. eo. l. siue uxor, 34.

Papinianus rectè putabat orationem Diui Seueri ad rerum donatione pertinere.

deniq; si stipulanti vxori suæ spopondisset, non putabat conueniri posse hæredem mariti, licet durante uoluntate maritus decesserit, ff. eo. l. Papin. 23.

Si constante matrimonio mater filio domum tradidit, hanc in bonis eius fecit, C. eod. l. si constante, 19.

Mulier, quæ ad communem filium volebat, qui in potestate patris erat, post mortem patris fundum peruenire: eum patri tradidit, ut post mortem restituatur filio. egit uxor, ut aliquid ex ea re interim commodi sentiat maritus, nihil ualebit traditio, alioquin si solo eius ministerio usa est, & id egit, vt uel reuocare sibi liceret, vel ut res cum omni emolumento per patrem postea ad filium transiret: cur non idem perinde non sit ratum, ac si cum extraneo tale negotium contraxisset? hoc est si extraneo in hanc causam tradidisset, ff. eodem, lege sulpitius, 49.

Quod adipiscendæ dignitatis gratia ab uxore in maritum collatum est, eatenus ratum est, quatenus dignitati supplendæ opus est: Nam & constitutum est, vt ad processus uiri uxor ei donare posit, ff. eodem, lege quod adipiscendæ, 40. cum l. sequen.

Item & alia causa donationis, recepta est, quam dicimus honoris causa: ut ecce si uxor uiro laticlaui petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia, ff. eo, l. nuper, 42.

Si propriis habitis contractibus, quam acceperat mutuam pro marito donationis causa uxor erogauit: cum nec ad dignitatem profuerit, nec locupletior sit factus, intelligit vxor nudam sibi contra eum competere actionem, C. eodem, l. si propriis, 21.

Inter uirum & uxorem exilii causa donatio fieri potest, ff. eod. l. inter uirum, 43.

Si prædia, & animalia seiæ data effecta sint, eius tempore concubinatus: ac postea tempore matrimonii, aliis acceptis reddita sunt, negotium potius gestum videtur, quàm donationem interuenisse, ff. eo. l. si prædia, 58.

Si quis vxori ex conditione donauit, vt quod donauit in dotem accipiat: defuncto eo donatio conualescit, ff. eo. l. si quis, 59.

Si ex tribus fratribus, unus uxorem haberet, & rem communem uxori donasset, ex tertia parte; res mulieris facta non est: ex duabus autem partibus, reliqui si id scisent fratres, aut postquàm donata essent, ratum habuissent, nihil debet mulier reddere, ff. eo, l. seruus, 38. §. idem iuris.

Vtrum negotium uxoris gerens, an officio mariti ductus in rem eius impenderit uir: facti, non iuris quæstio est; sed coniectura eius rei ex modo, & genere impensæ non difficilis est, ff. eo. l. vtrum, 47.

Inter eos, qui matrimonio coituri sunt, ante nuptias donatio facta, iure consistit etiam si eodem die nuptiæ fuerint constitutæ, ff. eo. l. inter eos, 27.

Quando ambigitur, vtrum à sponso, an à marito donatum sit, distinguitur, ut si in domum sponsæ donum acceptum sit, ante nuptias uidetur facta donatio, quod si penes se dedit, sponsus retrotrahi potest, uxor enim fuit ante nupt. l. sexta.

Si inter extraneos facta sit donatio, & antequam per tempus legitimum dominium fuerit acquisitum, coierint, uel contra: si inter uirum & uxorem facta sit donatio, & ante impletum tempus supradictum, solutum sit matrimonium, nihilominus procedere temporis suffragium constat, quia altero modo, sine uitio tradita est possesio, altero quod fuit uitium, amotum est, ff. eodem, l. si inter, vigesimaquarta.

Si extraneus rem viri ignorans eius esse, ignoranti uxori, ac ne uiro, quidem

dem sue(n)te eam suam esse donauerit: mulier recte eam vsucapiet. Idemque iuris erit, si is, qui in potestate viri erat credens se patremfamil. esse, uxori patris donauerit. Sed si uir resciuerit suam rem esse prius, quàm usucapiatur, vendicareque eam poterit, nec volet, & hoc mulier nouerit: interrumpitur possessio: quia transiit in causam ab eo factæ donationis, ipsius mulieris scientia. propius autem est, ut nullum acquisitione dominii eius afferat impedimentum. non enim omnimodo vxores ex bonis uirorum, sed ex causa donationis ab ipsis factæ acquirere prohibitæ sunt, ff. eo. l. si extraneus, 44.

Quod uir ei, quæ nondum uiripotens nupserit, donauit ratum futurum est, ff. eodem lege, quod uir.

Seia sempronio cum certa die nuptura esset, antequam domum deduceretur, tabulæque dotis signarentur, donauit tot aureos, si ante matrimonium contractum, quod consensu intelligitur donatio facta esset, ualeret, aliter non, ff. eod. l. Seia, 66. in prin.

Virgini in hortos deductæ ante diem tertium, quam ibi nuptiæ fierent, cum separata dieta ab eo esset: die nuptiarum, prius quàm ad eum transiret, idest nuptiæ celebrarentur, obtulit decem aureos dono. post, contractis nuptiis, diuortio facto, summa donata repeti non potest, nec de dote deduci, dicta lege seia, 66. §. uirgini.

Si uxor nummis à uiro, aut ab eo, qui in eius potestate esset, sibi donatis equum emerit, deinde cum eius factus fuerit, eum ipsum donationis causa uiro tradiderit: rata erit traditio, quamuis ea mente facta fuerit, qua cæteræ donationes, neque ulla actio eius nomine dari potest, ff. eo. l. fin.

Cui in conotrouersiam uenit, vnde ad mulierem, quid peruenerit, uerius, & honestius est, quod non demonstratur vnde habeat, existimari à uiro, aut qui in potestate eius esset ad eam peruenisse, euitandi autem turpis quæstus gratia circa uxorem, hoc uidetur quintus Mutius probasse, ff. eo. l. quintus, 51. & C. eodem lege sexta, § finali.

Si donatæ res extant, etiam vendicari poterunt, sed quia causam possidendi donatio præstitit, nisi reddatur res, æstimatio facienda est iusto pretio, cauerique possidenti debebit de euictione simplici, quanti ea res sit, idque etiam Pædio videtur, ff. eo. l. si donatæ, 36.

Si mulier dolo fecerit, ne res extaret sibi à marito donata: vel ad exhibendum, uel damni iniuriæ cum ea agi poterit: maxime si post diuortium, id commiserit, ff. eod. l. si mulier, 37.

De eo, quod uxoris in ædificium uiri, ita coniunctum est, ut detractum alicuius vsus esse posit, dicendum est agi posse, sed in hoc solum, ut sola uendicatio soluta re competat mulieri, non in duplum ex lege xii. tab. neque enim furtiuum est, quod sciente domino inclusum est, ff. eo. l. de eo, 63.

Res uxoris, quæ uel successione qualibet, vel emptione, vel etiam largitione uiri in eam ante reatum iure peruenerant, damnato, ac mortuo marito, illibatæ sunt, nec alicui criminis infortunio astringitur uxori cum paternis, maternisve ac propriis bonis frui eam integro legum statuto religiosum sit, & donatio maritalis ante tempus criminis, ac reatus collata in uxorem, quia pudicitiæ præmio cessit, obseruanda sit, tanquã si maritum eius natura, nõ pœna subduxerit. Sinaũt aqua & igni ei interdictum erit, vel deportatio illata, non tñ mors ex pœna subsecuta: donationes à uiro in uxorẽ collata, adhuc in pendenti manebũt: quia nec matrimonium in huiusmodi casibus dissoluetur, ita, si vsq; ad vitæ suæ

tempus, maritus eas non reuocauerit, ex morte eius confirmentur fisco ad easdem res nullam in posterum communionem habituro, C. de donat. inter vir. & vxor. l. res vxoris, 24.

Si maritus donauit uxori prædia, & donatio morte confirmata est, non retardatur executio, quasi maleficiis eius, sit maritus extinctus, cum causa liberalitatis à criminatione separata sit, C. eod. l. si maritus, 11.

Donationes quas parentes in liberos cuiuscunq; sexus in potestate sua constitutos conferunt, vel uxor in uirum, vel maritus in vxorem, vel alteruter eorum in aliam personam, cui constante matrimonio donare non licet, vel aliæ personæ in eam, cui donare non poterant, ita firmæ sunt per silentium donatoris, vel donatricis, si vsq; ad quantitatem legitimam, vel eam excedentes, actis fuerint intimatæ. Nam amplioris quantitatis donationem minimè intimantur, nec per silentium eius, qui donauit, confirmari conceditur. Si uero specialiter eas in suprema uoluntate donator, vel donatrix confirmauerit: sine ulla distinctione ratæ habebantur, ita tamen, vt siquidem ultra lege finitam quantitatem expositæ, minime in actis insinuatæ fuerint: specialis earum confirmatio ex eo tempore uim habeat, ex quo eædem donationis confirmatæ sunt. Si uero uel non amplior sit donatio, uel cum amplior esset in actio insinuata sit: tunc & silentium donatoris, uel donatricis, & specialis confirmatio ad illud tempus referatur, quo donatio conscripta sit: sicut & alias ratihabitiones negotiorum gestorum ad illa reduci tempora oportet, in quibus cōtracta sunt, C. eo. l. donationes, 25.

Si inter uirum & uxorem donatio facta fuerit priore defuncto, cui donatum est, ad eum res redit, qui donauerat, quod si simul, tam is cui donatum est, quàm is qui donauerit, placuit ualere donationem, ff. de reb. dub. l. si maritus, 8.

Cum lecto testamento animaduertimus maritum ex præcedenti donatione dominium uxori conseruasse, securitatiq; suæ ad obtinendam proprietatem cauisse, inditorum uerborum conceptio non fideicommissum relictum ostendit, sed ex senatusconsulti authoritate, liberalitatem mariti, cui custodiendæ etiam moriens prospexerit, quatenus firmare potuit dominium mortis tempore esse additum, C. de don. inter uir. & uxo. l. ex uerbis, 14.

Finis Libri Sexti.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omiſsis iis,quibus a iure Canonico,Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione,contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Septimus.

SOLVTO MATRIMONIO QVEMADMODVM DOS RESTITVATVR. Titulus I.

DIRIMITVR matrimoniũ aliquando diuortio ſemper morte,ff,de diuortiis,l.prima,

Mors nuptiarum finem,quæ ex æquo omnia ſoluit, excipit Nouell.conſt.22.§.quod autem,

Matrimonium deportatione, vel aquæ, & ignis interdictione non ſoluitur.ideo dotis actio iure non competit, ſed indotatam eam eſſe,nec ratio æquitatis, nec exempla permittunt. C.de repudiis,l.prima.

Soluto matrimonio ſolui mulieri dos debet,nec cogitur maritus eã alii ab initio ſtipulanti promittere,niſi ei hoc nihil nocet. nam ſi incommodum aliquod maritus ſuſpectum habet,non debere eum cogi alii quàm vxori promittere dicendum eſt,hęc ſi ſui iuris mulier eſt.Quòd ſi in patris poteſtate eſt,& dos ab eo profecta ſit; ipſius & filiæ dos eſt. Denique pater non aliter quàm ex voluntate filiæ petere dotem nec per ſe,nec per procuratorem poteſt.ſic ergo, & promittendum Sabinus ait.ei ergo promittendum erit,cui vterque iuſſerit. Cæterum ſi ſolus pater iuſsit,dotis actio filiæ non erit adempta,quandoque ſui iuris filia fuerit facta.item ſi voluntate ſolius filiæ promittatur,remanebit dotis actio integra patri. Sed utrum,vt & agat ſolus, an & vt adiuncta quoque filiæ perſona experiri poſsit?Sed nec ea actio erit amiſſa,quam adiuncta filiæ perſona poteſt habere.Quòd ſi ſui iuris fuerit facta filia,nocebit ei iſta ſtipulatio. Voluntatẽ

autem

autem filiæ cum pater agit de dote vtrum sic accipitur, vt consentiat. an vero nē contradicat filia. & est ab Imperatore Antonino rescriptum, filiam nisi euidenter contradicat, videri consentire patri. Et Iulianus scripsit, quasi ex voluntate filiæ videri experiri patrem, si furiosam filiam habeat. Nam ubi non potest per dementiam contradicere, consentire quis eam merito credet. sed si absens filia sit, dicendum erit, non ex voluntate eius id factum: cauendumque ratam rem filiam habiturum à patre: vbi enim sapit scire eam exigitur, vt non videatur contradicere, ff. solut. matrim. l. secunda.

Non solum autem in exigenda, sed etiam in soluenda dote quæ communis est patris, & filiæ, vtriusque voluntas exquiritur: nec alter alterius deteriorem condictionem facere potest. Sed si pecunia ad patrem peruenit, quam filia accepit: actio de dote vtrisque tolletur, ff. eod. l. tertia.

Si pater sine consensu filiæ dotem à viro exegisset, eandem alii viro eius filiæ nomine dedisset, & mortuo patre filia cum priore viro ageret, doli mali exceptione repellitur, ff. eod. l. quarta.

Si ab hostibus capta filia, quæ nupta erat, & dotem à patre profectam habebat, ibi decesserit: dicendum est perinde obseruanda omnia, ac si nupta decessisset. vt etiam si in potestate non fuerit patris, dos ab eo profecta ad eū reuerti debeat, ff. solut. matr. l. si ab hostibus, x. in princ.

Si alienam rem sciens mulier in dotem dederit: reddenda ei est, quasi suam dedisset, & fructus quoque proportione anni. quo diuortium factum est, ff. eodem. l. si alienum, xi.

Si filiofamilias dos data sit iniussu patris, de peculio quidem agetur, sed siue propter impensas a filiofam. factas, siue propter res donatas a filio, vel amotas ab vxore res peculiares: hoc ipso quod habet actionē pater ex persona filii, maius peculium fit, & sic totum est præstandum mulieri, quod est in peculio: quia adhuc sit, quod vxori debeatur, ff. eod. l. filiofam. 25. in prin.

Maritum in reddēda dote de dolo malo, & culpa cauere oportet. quòd si dolo malo fecerit, quo minus restituere possit damnandum eum quanti mulier in litē iurauerit Placuit: quia nobis res nostras alius retinere non debet, d. l. filiofam. §. Maritum.

Quotiens pater dotem dat, & stipulatur, ita demum in suam personam de dote actionem transfert, si ex cōtinenti stipuletur. cæterum si interposito tempore stipulari velit, non, nisi consentiente filia, poterit, quamuis in potestate sit, quia deteriorem condictionem in dote filiæ facere non potest, nisi consentiat, Planè si ante nuptias dotem dederit, poterit ex interuallo, ante nuptias tamen, & citra voluntatem quoque filiæ stipulari, ff. eod. l. quotiens, 29. in prin.

Si quis pro muliere dotem dederit, conueneritque, vt quo quo modo dirempto matrimonio ipsi solueretur, si postea maritus vxori dotem soluerit: rectissimè dicetur exactionem nihilominus ei, qui dedit, contra maritum competere. d. l. quoties, §. fin.

Si pater cum ducenta filiæ suæ nomine dotis promisisset, pactus fuerit ne amplius quàm centum à se peterentur, & soluto matrimonio egerit: centum de quibus conuenerit, ne peterentur, nec intelliguntur dotis esse. Quòd si mortuo patre cum hærede eius maritus agere cæperit, ista quoque pecunia in dote erit, ff. eo. l. si marito, 31. §. si pater.

Cum patri dos data esset, & ei filius ex aliqua parte hæres sub condictione institutus fuerit, & pendente condictione cohæredes eius dotem pro sua portione

mulieri

mulieri soluerint: minus filius ex dote præstare debebit. quoniam nullam actionem eius pecuniæ recuperandæ gratia aduersus cohæredes habet, d.l.si marito §.si patri.

Quæ dotis nomine certam pecuniam promiserat, quosdam adhibuerat, qui stipularentur partem dotis distracto matrimonio sibi solui ea nulla data dote obierat eodem marito suo hærede relicto: is damnosam hæreditatem eius adierat; nihilominus stipulationibus tenebitur, quoniam adeundo hæreditatem debitricis, intelligeretur secum pensasse, nec ad rem pertinere, quod soluendo non esset hæreditas: quando cæteris etiam creditoribus teneatur, ff.eodem, l. quæ dotis, 33.

Dotem uoluntate filiæ videri patrem recepisse, cum causas contradicendi ei filia non haberet, maxime cum ab eo postea ampliare summa dotata sit, ff.solu.matrim.l.dotem, 37.

Aestimatis rebus in dotem datis, pactum intercesit, vt ex quacunq; causa res reddi deberet, ipsæ res restituerentur habita ratione augmenti, & deminutionis viri boni arbitratu: quæ vero non extarent, ab initio æstimatio earum. At cum res quædam, quas maritus vendiderat, extarent. si neque voluntate, neque ratum habente muliere venissent perinde reddendæ sunt, &si nulla æstimatio interuenisset, sed æstimatæ res vsu etiam mulieris periculo mariti deteriores fiũt. ff.eod.l.æstimatæ, 50.cum l.seq.

Dubium non est post æstimationem dotis pactione, vel stipulatione interposita, vt si ipsæ res. dissoluto matrimonio extarent vxori reddantur, C.soluto matrimonio, l.prima.

Aestimata dos filiæ restitui debet à fisco, qui bona damnati patris sui suscepit. licet enim pater viro ipsius filiæ hæres extiterit, attamen iuri filiæ hoc derogare non potest. Cum & ipse pater sine voluntatæ filiæ, nec exigere nec accipere dotem poterat, C.eod.l.secunda.

Si circumscripta matre viliori pretio res dotales *æstimatæ sunt*, & euidentibus probationibus ostendetur, posidentibus matre, & filia ad obtinenda prędia etiam doli mali exceptionis potestas opitulatur. Sin autem etiam maritus in æstimatione grauatum se alleget, veritate examinata, non amplius, quàm pretium iustum restituere compelletur. Hæc tunc locum habent cum res in natura sunt. Si tamen extinctæ sint. pretium, quod dotali instrumento inditum est, considerabitur, C.eod.l.sexta.

Vsufructu in dotem dato si diuortium interuenerit, nec proprietas rei apud maritum, uel mulierem sit: ea dotis erit restitutio, vt maritus caueat, quandiu vixerit passurum se vti frui mulierem hæredemque eius. quod an verum sit circa adiectionem hæredis, dubitat. interest enim quemadmodum sit vsusfructus in dotem datus. nã si cum haberet mulier fructum, viro, cuius erat proprietas fundi, vsumfructum cesit, nihil mulier hæredi suo relinquet, debebatur enim ei vsusfructus, qui ad hæredem non solet transire. Quòd si fundi sui fructum mulier uiro cesit, restitui is à viro debet. cum proprietate enim ad hæredem eius transiisset, si vir in reddendo eo non fecisset moram. Si uero alienata sit proprietas, aut aliquis fundi sui vsumfructum mulieris iussu uiro eius dederit in doté. inspiciendum est primum, quemadmodum mulieri posit restitui, potest auté, vel cautionibus interpositis, vt sicut potest vir iure suo cedat mulieri, fruique eam patiatur, vel si accommodauit dominus prorietatis, volente eo mulieri cõstituatur usus fructus, nam aut fructum fundi ille mulieri poterit cedere, aut aliquid

quid

quid videlicet pro eo, vt inter eos actum fuerit, dare. nā & finge hoc ipsum mulierem posse proprietatis domino vendere. quo casu non inique etiam mulieris hærede agente vir facere cogetur. Quippe si moram non fecisset pretiū fructus mulier hæredi suo reliquisset, quod si facultatem vsusfructus vendendi proprietatis domino mulier non habuerit, patientiam, quam percipiendi fructus præstare ipsi debuit, etiam hæredi eius præstat, ff. eod. l. vsufructu, 57.

Filiafam. diuortio facto dotem patri reddi iusserat: deinde parte dotis persoluta pater decesserat. reliqua pars si nec delegata, nec promissa nouandi animo patri fuisset mulieri solui debebat, ff. eod. l. in his rebus, 66. §. filiafam.

Animalia in dotem æstimata accepisti, pactum conuentum deinde factum est, vt diuortio facto tantidem æstimata redderes, nec de fætu dotalium animalium mentio facta est, manebit fętuus tuus, quia is pro periculo animalium penes te esse deberet, ff. eod. d. l. in his rebus, §. mancipia.

De diuisione anni eius, quo diuortium factum est in fructibus à viro retinendis, neque dies dotis constitutæ neque nuptiarum obseruabitur, sed quo primum dotale prædium constitutum est. idest tradita possessione, ff. eod. l. quinta.

Si ante nuptias fundus traditus est, ex die nuptiarum ad eundem sequentis anni computandus annus est idem in cæteris annis seruatur, donec diuortium fiat nam si ante nuptias traditus sit, & fructus inde percepti: hi restituēdi sunt, quādoque diuortio facto quasi dotis facti, ff. eod. l. sexta.

Fructus eos esse constat. qui deducta impensa supererunt. quod Scæuola, & ad mariti, & ad mulieris impensas refert nam si mulier pridie vindemias doti dedit, mox sublatis à marito vindemiis diuertit, non putat ei vndecim duntaxat mensum fructus restitui. sed, & impensas, quæ antequam portiones fructuum fiant deducendæ sunt. Igitur si & maritus qui impendit in eundem annum vtriusq; impensæ concurrent ita, & si impensarum a muliere factarum ratio habeatur cum plurimis annis in matrimonio fuit, necesse est primi anni computari temporis, quod sit ante datum prædium, ff. eod. l. septima. in prin.

Diuortio facto fructus diuiduntur non ex die locationis, sed habita ratione præcedentis temporis, quo mulier in matrimonio fuit, neque enim si vindemiæ tēpore fundus in dotem datus sit, eumque vir ex Kalendis nouembribus, primis fruendum locauerit, mensis Ianuarii suprema die facto diuortio, retinere virū & vindemiæ fructus, & eius anni, quo diuortium factum est. quartam partem mercedis æquum est. alioquin si coactis Vindemiis altera die diuortium intercedat: fructus integros retinebit. Itaque si fine mensis Ianuarii diuortium fiat, & quatuor mensibus matrimonium steterit, vindemiæ fructus, & quarta portio mercedis instantia anni confundi debebunt, ut ex ea pecunia tertia portio uiro relinquatur, ff. eod. l. septima. §. Papinianus.

E contrario quoque idem obseruandum est, nam si mulier percepta vindemia statim fundum viro in dotem dederit, & vir ex Kalendis Martiis eundem locauerit, & calendis Aprilibus primis diuortium fuerit secutum, non solum partem duodecimam mercedis, sed pro modo temporis omnium mensium, quo dotale prædium fuit, ex mercede, quæ debebitur portionem retinebit, ff. eo. l. septima, §. e contrario.

Item si messes eius anni quo diuortium factum est colonum ex forma locationis sequantur: ante uindemiam soluto matrimonio, nihilominus pecunia mesiū, in computationem cum spe futuræ uindemiæ ueniet. Apparet igitur ex his, illos fructus, quos mulier percepit antequam nuberet, non debere in contributionem

tionem venire,d.l.septima,§.item si messes.

Ob donationes.item ob res amotas ex his fructibus qui post diuortium percepti sunt compensationes fieri possunt,d.l.fructus septima,§.ob donationes.

Quod in anno dicitur,potest dici,& in sex mensibus,si bis anno fructus capientur, vt est in locis iniriguis.Et in pluribus annis idem dici potest: vt in sylua cædua. item si locatio agri talis sit,vt super annuam mercedem quinquennio quoque aliquid amplius præstaretur: in eo enim quod amplius est. tempus ad quinquẽnium computamus,ff.eod.l.septima.§.quod in anno.

Non solum autem de fundo,sed etiam de pecore idem dicemus; vt lana ouium fętusque pecorum pręstaretur: Quare enim si maritus prope partum,oues doti acceperit item proximas tonsuræ: post partum, & tonsas oues protinus diuortio facto,nihil reddat? nam & hic fructus toto tempore,quo curantur,non quo percipiuntur rationem accipere debemus,d.l.septima,§. non solum.

De pensionibus quoque prædiorum vrbanorum idem est,quod in fructibus rusticorum,ff.solu.matrim.l.fructus,septima,§ in pensionibus.

Si fundum viro vxor in dotem dederit,isque inde arbores deciderit: si hæ fructus intelliguntur,pro portione anni debent restitui.si arbores autem cæduæ fuerunt,vel Gremiales: dici oportet infructu cædere.si minus, quasi deteriorem fundum fecerit maritus.tenebitur.sed & si ui tempestatis ceciderũt, dici oportet pretium earum restituendum mulieri,nec in fructum cedere. Non magis, quà m si thesaurus fuerit inuentus,in fructum enim nõ computabitur, sed pars eius dimidia restituetur quasi in alieno inuenti,d.l.septima,§.si fundum.

Si vir in fundo mulieris dotali lapidicinas marmores inuenerit, & fundum fructuosiorem fecerit; marmor quod cæsum,nec exportatum,mariti est: & impensa non est,ei præstanda,quia nec in fructu est marmor.nisi tale,vt lapis ibi renascatur,quales sunt in Galia,& in Asia.sed si cretifodinæ,vel auri, vel cuius alterius materiæ sint,vel harenæ: vtique in fructu habebuntur,d.l.septima, §. si vir.

Interdum marito de fructibus à muliere cauetur,& nihil retinet,si fructibus stantibus fundum mulier recipiet.interdum retinebit tantum maritus, & nihil restituet.idest si non plus erit,quàm pro portione eum retinere oportet, interdum verò,& reddet,si plus percepit quàm eum retinere oportet. eadem conditio erit etiam si eum socero,vel cum socero,vel cum hærede alterutrius de dote agatur,d l.septima.§.interdum.

Impendi autem fructuum percipiendorum causa,Pomponius ait, quod in arrãdo serendoq; agro impẽsum est,quodq; in tutelam ædificiorum,ægrumve equum curandum,scilicet si ædificio, vel equo fructus aliqui percipiebantur. sed hæ impensæ non petentur cum maritus fructum totum anni retinet: quia ex fructibus prius impensis satisfaciendum est. Planè si nouam villam necessariò extruxit,vel veterem totam sine culpa sua conlapsam restituerit; erit eius impensæ petitio simili modo,& si pastina instituit. hæ.n.impensæ,aut in res necessarias,aut vtiles cedunt, pariuntq; marito actionem.ff,solu.matr.l.fructus,7. §.fi.

Si fundus in dotem datum in quo lapis cęditur,lapidicinarum cõmodum ad maritum pertinere constat; quia palam fit, eo animo dedisse mulierem fundum, ut iste fructus ad maritum pertineat,nisi si contrariam voluntatẽ in dote dandа declarauerit mulier, Quod in sementem erogatur si non responderint messes ex vindemia deducetur, quia totius anni usus fructus est.ff.eo.l.si fundus, 8.

Si moram per mulierem fuit,quominus dotem recuperet dolum malum dumtaxat in ea re,non etiam culpam maritus,præstare debet,ne facto mulieris in perpetuum

petuum agrum eius colere cogatur: fructus tamen qui peruenissent ad uirum redduntur. ff.eo.l.si mora,9.

Maritum in id,quod facere potest condemnari exploratum est, sed hoc hæredi non esse præstandum,quia tale beneficium personale est,ut cum persona extinguitur.ff.eod.l.maritum,12.cum l.seq.

Alia causa est defensoris. quem placet sufficienter defendisse si tantum vxori præstet,quantum consequeretur, si ipsum maritum conuenisset. Sed si paciscatur maritus,ut condemnetur in solidum . pactum seruandum est, quia est contra receptam reuerentiam,quæ maritis exhibenda est. ff.eod.l.alia causa,14.

Rei iudicatæ tempus spectatur quatenus maritus facere potest,ff.eod.l.rei iudicatæ,15. in princip.

Socero quoque,cum quo nurus de dote agit,idem honor habetur,ut in id damnetur,quod facere potest,quia parentis locum socer obtinet d.l.rei iudicatæ, §.fin.cum l.sequen.

Ex diuerso si socer ex promissione a marito conueniatur. iustum est,ut idem honor habendus sit.ff.eod.l.ex diuerso,17.in princ.

Item si mulier ex promissione conueniatur,magis placuit defendendam eã per exceptionem. & Proculus ait,sicuti cum socia fuit,dabitur ei exceptio,quamuis iure ciuili sit obligata,d.l.ex diuerso,§.item si mulier.

Si in iudicio dotis iudex ignorantia iuris lapsus,condemnauerit maritum insodum,Neratius Sabinus doli exceptione eum vti oportere aiunt; eaq; tutum fore,d.l.ex diuerso,§ fin.

Etiam filios mulieris,qui patri hæredes extiterunt,in id quod facere possunt condemnandos Labeo ait.ff.eod.l.etiam,18.

Licet in dotalibus rebus non solum dolum,sed & culpam maritus præstet,cum tamen quæritur in iudicio de dote,an facere posit,dolus duntaxat comprehenditur,quia in rerũ ipsius administrarione non erat ab eo culpa exigenda. Quamquam is duntaxat dolus noceat si facere non posit,quem propter vxorem adhibuit,ne ei solidum solueret: non propter quemlibet alium. Offilius autem aiebat si dolo mariti res dotalis interiisset,alioquin soluendo non esset,quamuis nihil dolo fecisset,quominus soluendo esset: perinde tamen eum damnandum eius rei dotalis nomine in qua dolum fecisset,atque si dolo eius factũ esse quo minus facere posit. cæterum si circa interritum rei dotalis dolus malus,& culpa mariti absit. actiones solas,quas eo nomine quasi maritus habet, præstandas mulieri veluti pro furto, vel damni iniuriæ.d.l.etiam,§.licet.

Nec maritus licet post diuortium in quantum facere posit condemnandus est postea Idoneus factus,qui non reddiderat integrum residui probabiliter solutionem recusat,at cum eius hæredes in solidum conueniendos non abigatur. ne cum his soluendo factis experiri non posit supersticiosa geris solicitudo, C.soluto mat.l.8.

Facere posse maritus etiam id videtur,quod à muliere consequi potest, scilicet si iam ei aliquid absit,quod pro muliere aliquid expendit, vel mandato eius præstitit cæterum si nondum ei abest.utputa sub conditione est obligatus, nondũ videtur facere posse,ff.eod.l.facere,28.

Si maritus minus facere potest,& dos publicata sit in id,quod facere potest, fisco maritus condemnandus est ne in pernitiem mariti mulier punita sit,ff.eodem, l.b mariti,36.

Si maritus in id,quod facere potest condẽnatus sit,& nomina sint ad dotis quantitatem

tatem neque amplius,neque habebit mandante actiones, ff. eodem. l. si maritus,xliii.

Si filiofamilias dos data est.& ipse quidem dotis actione tenetur, pater autem eius de peculio,nec interest in peculiorem, vel pecuniam dotalem habeat, nec ne.sed quatenus facere potest hic quoque condemnandus est. Intelligitur autem peculio tenus facere posse,quod habet rei iudicandæ tempore. Atquin si cum patre agatur,deduceretur ex peculio,quod patri, vel subiectis ei personis filius debet,at si cum ipso filio agatur,alterius debiti non fiet detractio in computatione quantum facere possit filius,ff.eod.l.si filiofamilias.liii.

Maritus facere posse creditur nullo deducto ære alieno item socius, parensve. at is qui ex donatione conuenietur,omni ære alieno deducto facere posse intelligitur,ff.eod.l.maritus,liiii.

Mulier quæ centum dotis apud virum habebat,diuortio facto ducenta a uiro errante stipulata erat quanta dos fuisset tanta debetur,siue prudens mulier esset stipulata,siue imprudens,ff.eod.l.pen.§.mulier.

Si quis pro muliere dotem viro promisit, deinde hærede muliere relicta decesserit, qua ex parte mulier ei hæres esset,pro ea parte dotis periculum quod viri fuisset ad mulierem pertinere ait Labeo,quia nec melius æquius esset,quod exigere uir ab uxore non potuisset,ob id ex detrimento uiri mulierem locupletari,ff.eod.d.l.penult.§.fin.

Quotiens culpa uiri accidit,ne dos a socero,aut à quolibet alio, qui mulieris nomine promiserat exigeretur,si aut in matrimonio filia decesserit, aut materfamilias facta eum,qui dotem repromiserat hæredem instituerit: satis constat,nihil amplius virum præstare debere,quàm,vt eos obligatione liberet, ff. eod. l. nupta,30.§.quotiens.

Mæuia marito suo inter alias res dotis etiam instrumentum solidorum decem tradidit: quo Otacilius eidem Mæuiæ cauerat daturum se,cum nuptum ire cæpisset decem milia,ex eo instrumento maritus nihil exegit,quia nec potuit, si sine dolo malo,vel culpa pecuniam exigere non potuit, neque dotis nomine conueniri potest,neque mandati iudicio quamuis potuerit debitorem conuenire,ff.eod.l.Mæuia,49.in prin.

Quoties mulieri satisdatum est de solutione dotis post certum tempus, si maritus satisdare non possit, tunc deducto commodo temporis condemnatis residui repræsentatur.sed si cum maritus satisdare posset, nollet in solidum eum condemnandum Mela ait,non habita ratione commodi temporis, iudicis igitur officio conuenit,vt aut satisdatione interposita absoluat maritum, aut habita ratione compensationis eum condemnet. Quod quidem hodie magis vsurpatur nec ferenda est mulier, si dicat magis se velle dilationem pati, quàm in repræsentatione deductionem, ff. eodem, lege. si constante, xxiiii. §. quoties.

Si marito publi co iudicio damnato pars aliqua bonorum eius publicetur, fiscus creditoribus eius satisfacese necesse habet,inter quos vxor quoque est, ff. eo.l. si marito,31. in princ.

Si post diuortium res dotales deteriores factæ sint, & vir in reddenda dote morã fecerit omnimodo detrimentum ipse præstabit,ff.eodem. l.si filiofamil.xxv.§.si post diuortium.

Si vir in quinquennio locauerit fundum,& post primum fortè annum diuortium

interuenerit: Sabinus ait, non alias fundum mulieri reddi oportere, quam si cauerit, si quid præter vnius anni locationem maritus damnatus sit, id se præstaturum iri. sed & mulieri cauendum, quidquid præter primum annum ex locatione vir consequutus fuerit, se ei restituturum, ff. eodem, l. si filiofamil. xxv. §. si vir.

In his rebus, quas præter numeratam pecuniam doti uir habet, dolum malum, & culpa is præstare oportet, ff. eod. l. pen. in prin.

DE IMPENSIS IN REBVS DOTALIBVS FACTIS.

Titulus II.

IMPENSARVM quædam sunt necessariæ: quædam vtiles. Necessariæ eæ dicuntur, quæ habent necessitatem impendendi. cæterum si nulla sit necessitas, alio iure habentur. ¶ In necessariis impensis hoc sciendum est, eas demum impensas dotem minuere, quæ in dotem factæ sunt. cæterum si in dotem factæ non sunt, non habent in se reputationem. ¶ Inter necessarias impensas esse, Labeo ait, moles in mare, vel in flumen proiectas. sed & si pistrinum, vel horreum necessario factum sit: in necessariis impensis habendum ait. proinde Fulcinius inquit: si ædificium ruens, quod habere mulieri utile erat, refecerit: aut si Olivueta deiecta instaurauerit: vel si ex stipulatione damni infecti nomine, ne committatur præstiterit, vel si vites propagauerit, vel arbores curauerit: vel seminaria pro vtilitate agri fecerit: necessarias impensas fecisse videtur. Sed generaliter definiendum est multum interesse ad perpetuam vtilitatem agri, vel ad eam, quæ non ad præsentis temporis fructum pertineat, an vero ad præsentis anni fructum. Si in præsentis cum fructibus hoc compensandum. si vero non fuit ad præsens tantum apta erogatio, necessariis impensis compensandum, ff. de impen. l. prima, & tertia.

Et in totum id videtur necessariis impensis contineri, quod si à marito omissum sit, iudex tanti cum damnabit, quanti mulieris interfuerit, eas impensas fieri. sed in hoc differt, quòd factarum ratio habetur, etiam si res malè gesta est. itaque si fulserit insulam ruentem, eaque exusta sit: impensas consequitur, si non fecerit: deusta ea, nihil præstabit, ff. eodem, lege quarta.

Impensæ necessariæ sunt, quibus non factis dos minuitur, veluti aggeres facere: flumina auertere, ædificia vetera fulcire, iter reficere, arbore in locum demortuarum reponere, ff. eod. l. impensæ, xiiii. in prin.

Quod dicitur, necessarias impensas dotem minuere, sic erit accipiendum, ut Pompo. ait, non vt res ipsæ corporaliter diminuantur, ut puta fundus, vel aliud quodcunque corpus: etenim absurdum est diminutionem corporis fieri propter pecuniam. cæterum hęc res facit desinere fundum esse dotalem, vel partem eius manebit igitur maritus in rerum detentione, donec ei satisfiat; non enim ipso iure corporum, sed dotis fit diminutio. Ibi ergo admittimus

diminu-

diminutionem dotis ipso iure fieri, vbi non sunt corpora, sed pecunia. nam in pecunia ratio admittit diminutionem fieri. proinde si æstimata corpora in dotem data sint, ipso iure dos diminuetur propter impensas necessarias. Hoc de impensis dictum est, quæ in dotem ipsam factæ sint. cæterum si extrinsecus non minuent dotem, ff. eod. l. quinta, in prin.

Quod dicitur impensas, quæ in res dotales necessario sunt factæ, dotem minuere: ita interpretandum est, vt si quid extra tutelam necessariam in res dotales impensum sit, id non in ea causa sit. Nam tueri res dotales vir suo sumptu debet: alioquin quamuis modica ædificiorum refectio, & agrorum quoque cultura dotem minuent. Omnia enim hæc in specie necessariam impensarum sunt. sed ipsæ res ita præstari intelliguntur, ut non tam impendisse in eas quàm deducto eo minus ex his percepisse videaris. ❦ Quæ autem impendia secundum eam distinctionem ex dote deduci debeant, non tam facile in vniuersum definiri, quã per singula ex genere, & magnitudine impendiorum æstimari possunt, ff. eod. l. penultima.

Quod dicitur necessarias impensas ipso iure dotem minuere: non eo pertinet, vt si forte fundus in dote sit, desinat aliqua ex parte dotalis esse: sed nisi impensã reddatur, aut pars fundi, aut totus retineatur. Sed si tantum in fundum dotalem impensum sit per partes, quanti fundus est: desinere eum dotalem esse, Scæuola noster dicebat: nisi mulier sponte marito intra annum impensas obtulerit, ff. de iure dotium, l. si is, qui. 56. §. quod dicitur.

Si pecunia, & fundus in dote sit, & necessariæ impensæ in fundum factæ: Nerua ait dotem pecuniariam minui. Quid ergo si mulier impensas marito soluerit? vtrum crescet dos: an ex integro data videbitur? cuius rei manifestior iniquitas in fundo est, secundum Scæuolæ sententiam. Nam si desinit dotali esse, poterit alienari. Rursus quemadmodum poterit fieri dotalis data pecunia? an etiam iam data pecunia in dotem esse videbitur? Et magis est, vt ager in causam dotis reuertatur: sed interim alienatio fundi inhibeatur, d. l. si is, qui. §. si pecunia, & ff. de impensis, l. quinta, §. sed si impensis.

Si dos tota soluta sit, non habita ratione impensarum, maritus condicere poterit, id quod pro impensis necessariis compensari solet, ff. eod. l. quinta, §. si dos.

Vtiles impensæ sunt, quas maritus vtiliter fecit, remque meliorem vxoris fecerit, hoc est dotem. Veluti si nouelletum in fundo factum sit, aut si domui pistrinum aut tabernam adiecerit, ff. eod. l. quinta, in fin. cum l. seq. Item vtiles sunt, veluti pecora prædiis imponere, idest stercorare, ff. eod. l. impensæ. 14. §. vtiles.

Vtilium nomine ita faciendam deductionem quidam dicunt, si voluntate mulieri factæ sint. Iniquum enim esse, compelli mulierem rem vendere, vt impensas in eam factas soluat, si aliunde soluere non potest, quod summam habet æquitatis rationem, ff. eod. l. vtilium, 8.

Voluptariæ impensæ sunt, quas maritus ad voluptatem fecit, & quæ species exornant: quarum vtiles quidem ipso iure dotem non minuunt, veruntamen habẽt exactionem, ff. eod. l. voluptariæ, 7. item voluptariæ sunt balnea extruere, ff. eo. l. impensæ, 13. §. si.

Pro voluptariis impensis, nisi parata sit mulier pati maritum tollentem, exactionẽ patitur. Nam si vult habere rem mulier, reddere ea, quæ impensa sunt, marito debet, aut si non vult, pati debet tollentem, si modo recipiant separationem. cęterum si non recipiant, relinquenda sunt. Ita enim permittendum est marito auferre ornamentum, quod posuit, si pro futurum est ei, quod abstulerit, ff. eod.

l. pro voluptarii, 9.

Quod si eæ res, in quibus impensæ factæ sunt, promereales fuerint: tales impensæ non voluptariæ, sed vtiles sunt, ff. eod. l. quod si. x.

Omnino & in ædificandis ædibus, & in reponendis propagandisque vineis, modicas impensas non debet arbiter curare. alioquin negotiorum gestorum potius, quam de dote iudicium videbitur, ff. eod. l, omnino, 12.

Neque stipendium, neque tributum ob dotalem fundũ præstita exigere vir à muliere potest, onus enim fructuum hæc impendia sunt, ff. eod. l. neque 13.

Et antea omnia, quæcunque impensæ quærendorum fructuum causa factæ erunt: quamquam eædem etiam colendi causa fiant, ideoque non solum ad percipiẽdos fructus, sed etiam ad conseruandam ipsam rem, speciemque eius, necessariæ sint: eas vir ex suo facit, nec vllam habet eo nomine ex dote deductionem, ff. eod. l, fin.

Impendi autem fructuum percipiendorum causa dicitur, quod in arrando, serendoque agro, impensum est, quoque in tutellam ædificiorum, si ex ædificio fructus aliqui percipiebantur. sed hæc impensæ non repetuntur, cum maritus fructuum totius anni retinet, quia ex fructibus prius, impensis satisfaciendum est. ff. solut. mat. l. septima, §. impendi.

Intellige secũdum ius canonicum.

DIVORTIO FACTO APVD QVEM FILII NVTRIANTVR. Titulus III.

Competens iudex æstimabit vtrum apud patrem, an apud matrem matrimonio separato, filii morari ac nutriri debeant, C. diuor. facto apud quem filii, l. vnica.

Finis Libri Septimi.

COMPENDII IVRIS CIVILIS ENVCLEATI,

Omisſis iis,quibus à iure Canonico,Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus, Imperii mutatione,contrario vſu derogatum eſt.

FRANCISCO GRATIANO DE GARZATORIBVS I. C. VICENTINO AVCTORE.

Liber Octauus.

DE SECVNDIS NVPTIIS. Titulus Vnicus.

OMNIA quæcũque teſtator diſponat (ſiue uir exiſtat,ſiue mulier) ea firmitatem habebunt.ſanciat enim quiſque in rebus ſuis,vt dignum eſt,& pro lege voluntas eius eſto. Quod ſi teſtator nihil dicat,aut diſponat,quod poſitis iam ante,& valẽtibus legibus comprehenſum ſit, neque item ordinet, quod generalibus legibus repugnet: *Tunc hæc lex locum habeat*, quæ (quantum homini poſsibile)omnia cõplectitur,& breuiter percurrit,Nouel.conſt.de his qui nupti. iterant. 22.§. duo igitur.

Siue morte mariti,ſiue obitu vxoris matrimonium dirimatur,lucrifaciat maritus quidem ex pacto conuento dotem:uxor vero donationem ante nuptias. Et cũ incertam eſſet ſi(quo ad lucrum)alter plus,alter minus pactus fuiſſet, vtrinque controuerſia ſimiliter inſurgente,placuit,reprobato eo,quod modum excederet:maiorem in pacto conuento lucri partem ad minorem deducere,ne illi quidem tertiam,alteri vero quartam forte lucri partem paciſci liceat, ſed ſi quid tale euenerit,vt quarta parte ab utroque recipiatur,& conſimiliter in cæteris partibus.conſt.Nouel.22.§.quod autem ſupereſt.

Soluto matrimonio fęlix ſanè,& beatus vter coniugum futurus eſt,ſi priori cubili contentus maneat.Ac primum obtinebunt ſua;hoc eſt,mulier, dotem, vir vero donationem ante nuptias:deinde capient etiam lucra maritus quidem,quæ ex dote,vxor vero,quę ex donatione ante nuptias proueniunt,d.nou.cõſ.§.ſoluto.

Non ſolum vſumfructum , ſed etiam proprietatis tantum, quantum cuique filiorum , vt & ipſa ratione proprietatis vnius filii perſonam ſuſtinere videatur, non tantum in matribus, ſed etiam in patribus,& aliis aſcendentibus, qui ad ſecundas nuptias non demigrant. Et ſi moriantur in manu illis erit,vt eas res

legatis, vel fideicommissis in alios transferant, si tamen cum filios ex una aliqua parte, extraneos ex altera hæredes scriberet, nondum eiusmodi res ad alienationem peruenerint, non uidebuntur propter ea alienari, quod & alius quispiam hæres adscriptus sit, sed inuiolatæ manebunt, & hæ apud filios. Neque.n. si omnes filios hæredes scribant, ex inæqualibus tamen portionibus, statim hasce res pro portione hæreditaria capient, sed ex æquo inter se diuident pro uirili. Qua ratione & si nullum ex ipsis hæredem scripserit, sed omnes extraneos, & si per alios modos pro legitima eis satisfactum sit, capient hæc, tametsi inter parentis hæredes non existant. Visus est nanque per præsumptionem pater eo ipso, quod viuus neque alienarit, aut specialiter harum rerum aliquid pignori obligauerit, neque moriens ad alium transtulerit, maluisse conseruare filiis, utpotè per illos, sibi adquisita, quàm ad extraneos deducere. Et hæres præcipui muneris loco, ex lege dabuntur filiis, tametsi patris, vel matris, vel utriusque hęreditatem non adeant, & tametsi quidam adeant hæreditatem, quidam repudient, d. const. §. quoniam vero.

Quapropter si muneris loco ad ipsos defertur lege, nullo id additamento conspiceretur deminuaturve, nisi ipsi per se filii deminutionis causam præbeant. Si quis enim ex eis ingratus ostendatur, id munus cæteris datur. qui nihil tale peregerint, quo magis & alii erudiantur, parentes honorare, & fratrum sibi exẽplum imitandum proponere. Vnde si tanta calamitas in procreatione filiorum sit, vt omnes ingrati perhibeantur, ad defuncti hęredes ista perueniant, quasi in illius bonis existentia, nequeuntibus filiis à patre, quem debito honore non affecerunt, munus obtinere, quod illis ea de causa negatur. dicta constitut. xxii. §. Quapropter.

Si vero ex filiis quidam in iuris sint, quidam mortem obierint, filiosque & ipsi reliquerint, datur pars illius defuncti filiis, si modo patris sui hæreditatem agnouerint, d. const. 22. §. si vero.

Si qui vero primis nuptiis non contenti, ad secundas etiam accesserint, hi necessariam legi sanciendi materiam præbent. Et si quidem mulier filios non habeat, absque periculo futurum est, quicquid exinde geretur. Si vero subsit proles, tunc omnis illi largitas, quæ à marito ad ipsam profecta est proprietatis iure aufertur solo vsufructu derelicto. Atque hæc sanciuntur tam in donatione ante nuptias, quàm omni largitate, siue ea viuente adhuc marito, siue etiam ex testamento, siue mortis causa donatione ad ipsam peruenit. Siue pars institutionis sit, siue legatum, siue fideicommissum. Et vt generaliter dicatur, in vniuersum omnis eam proprietatis titulus deseret in iis, quæ à priore ad ipsam uiro peruenerint, & filii ea capient, eruntque proprietatis domini, statim ab eo tempore, quo alteri se mater coniunxit. Eaque pœna tam viro, quàm mulieri posita esto. Nam neque ille, si filios habeat, altera ipsis vxore inducta, proprietatis titulo in dotalibus lucris perfruetur, aut alio largitatis genere ab vxore affectus, stabiliter id obtinebit, dempto iure vtendi fruendi, quoad vixerit. Si quidem & eo casu filii, quamuis adhuc sub patria potestate constituti sint, nihilominus secundum proprietatem talium rerum domini existent, nimirum statim à secundæ vxoris copula ad ipsos transeuntium. Nequeque differentia inter dotem, & donationem ante nuptias constituitur, ipsi ne hanc pro se, cum nuptias contraherent, dederint, an pro ipsis alii hoc fecerint, siue genere proximi, siue extranei, q̃uis & donatio ante nuptias quodámodo sub dote cõprehẽsa esse videatur, d. nou. cõst. 22. & §. ac primum, §. ꝙ si mulier, vsq; ad §. insuper.

Insuper,

In super, quod de lucris sancitum est, vsque adeo ratum esto, vt neque obligationem in talibus ullam parentibus permittat, neque hypotecham. Et si talia parentes agant, continuo eorum illis substantiam obligat, non quod parentes prohibeantur agere, quæ velint in his bonis: sed interminatur his, qui suscipiunt, quod nullam ea res suscepta vtilitatem iis allatura sit. Ac nouerint sanè per hāc quoque legem, quod siue ea res à parentibus comparauerint, siue per donationem acceperint, siue quidquam omniū egerint, id quod gestū est, perinde habebitur, ac si neque actum, neque scriptum sit. Vindicabunt. n. omnino eas filii, hęredesque eorum, & successores, non aliter excludendi, quàm si triginta annorū spacium excesserit, & longi temporis possesio eos, qui susceperant, dominos constituerint: incipiente eo tempore filiis currere, ex quo sui iuris esse, aut facti videbuntur, nisi fortè pupillaris adhuc ætas illis opituletur, d. nouel. consti. 20. §. insuper.

Peruenient autem id genus lucra ad omnes omnimodo filios, qui ex prioribus procreati sunt nuptiis. & non improbato more parentes erga eos electionis iudicium de se præbeant, & alii quidem ex filiis dent, alium uero aspernentur. Vnde pro portione quisque lucretur, & si filios habeat, ad ipsos hoc transmittat. Hique ipsi, tametsi pro personarum id numero quotcunque sint, inter se diuidant, non tamen patris sui partē transcendent, d. nou. const. 22. §. peruenięt.

Quoniam vero alienationis, quæ à parentibus in talibus rebus fiunt, irritæ sunt ob fauorem filiarum superstitum. si omnes moriantur, & causa ad orbitatem redigatur. Tunc ex euentu ratum erit, quod alienatum fuit. Sed si ex pluribus filiis unus moriatur, qui filius habeat, & hæreditas omnino tota ad patres non peruenit, sed quantum ex pacto non existentium filiorum parenti accesisset, tantum ex his lucretur. Reliquum vero ad successores filii peruenire sinat, siue fratres sint, siue forte extranei, idque maximè solet in matre accidere, siue de suo patrimonio testatur, siue intestati decedant. Vnde & si hoc casu parens alienauit, deinde unus ex filiis moriatur, vsque adeo tantum conualescit alienatio, quatenus ex pacto non existentium filiorum ad eum, qui alienauit, peruenerit in reliquis partibus, quas filii hæredes capiunt, prorsus irrita erit. Quapropter si alienatio celebretur, manebit causa impendenti, post futuris committenda fortunæ casibus, alienatione scilicet, vel perfectæ ab initio ad irritum recidente, vel perfectè conualescente, vel partim ad irritum recidente, partim immobiliter consistente, d. nouel. const. 22. §. quoniam vero alienationes.

Ac lucra, quæ filii capiunt, parentibus ad secundas nuptias accedentibus, muneris loco habent, non perscrutando, utrum omnes hæreditatem, vel præmortui parentis, vel secundi defuncti agnoscant, an partim agnoscant, partim non. Idque ex equo capient, tàm superstites, quàm cum ipsis defuncti fratris filii genitoris sui partem percipientes. Dummodo non sint ingrati: & manifestum est eum ingratum intelligi debere, qui circa vtrumque parentem, aut certè eum, qui posterior mortuus sit, apertè ingratus fuisse demonstretur d. nonel. constitut. 22. §. ac ne de illis.

Et si quidem parentes ex priore matrimonio susceptos filios habeant, deinde in secundum, aut deinceps matrimonium concedant, non posunt, neque patres in nouercam, neque matres in uitricum, uel per tempus uitæ suæ quicquam liberalitatis conferre, vel sub mortis relinquere, nisi intra eam quantitatem, quā etiam unus filius, filiave, solus cum sit, ex parente habet. si plures filii sint: & singuli æqualem cum cæteris portionem obtineant: in amplius, quam ad unumquemq;

quemque eorum peruenerit, vel uitricus, vel nouerca percipiant. si ea quæ relicta sunt inæqualia existant, ut tantum solummodo, vel in uitricum, uel nouercam transferatur ex quacunque parentis liberalitate, uel in uita, uel in morte, quantum percipit, qui ex filiis minimum habet, nisi ratio ingratitudinis aduersetur. Eodem obseruando, tàm in auo, & auia, proauo, & proauia, quàm nepotibus masculis & fœminis, & item pronepotibus, siue in potestate, siue emancipati sint, siue paterna, siue materna linea descendant, d. Nouel. constitut. 22. §. commodissimè.

Et quod vltra statutum, vel nouercæ, vel vitrico, siue relictum, siue denique datum esset, id quasi neque scriptum, neque relictum, neque donatum, neque datum sit, filiis competit, interque eos solos pro virili diuiditur. Et filiis primi matrimonii, quorum causa id reseruatur solis datur; & diuidunt hi tantummodo inter se, qui se gratos erga parentes exhibuerunt. Nemini etiam dubium est, quin hoc quoque casu, si quis eorum, ad quos superfluum defertur relictis filiis mortuus sit, eius defuncti filii (quotcunque sint) proportione scilicet paterna id capiant, d. Nouel. const. 20. §. cumque hoc.

In eo autem quod redundat, non tempus oblationis, sed mortis spectatur, §. quoniam vero quæ.

Si mulier procreatis filiis ad secundum transeat matrimonium, simulque ei exinde alii nati sunt filii, secundus quoque maritus moriatur: matre intestato mortua propria quidem eius bona ex utroque matrimonio suscepti filii percipiant, ex æquo, donationem vero ante nuptias vtraque sui parentis proles capiet, & insolidum, tam prioris matrimonii filii illius donationem lucrabuntur, quàm ex secundis procreati seminibus profecta ab hac largita perfruentur, tametsi ad tertium illa matrimonium non peruenerit. Et eadem sit dispositio in patre transeunte ad secundas nuptias, & habente filios ex utroq; matrimonio, quamuis pater ad tertium non transierit: Reliqua quæ pater, maternæ in talibus per repetitas nuptias legati fortè titulo, seu fideicommisso lucrati sunt, neq; ad tertias transierunt nuptias, ea confusa cum ipsorum matrimonio immota apud ipsos permaneant, & ad eorum res, tanquam proprias successiones transferantur, & à superstitibus adhuc quocunque modo disponantur, d. nouel. constitut. 22. §. sed neque.

Et quemadmodum augeri dotes, & donationes permissum est, ita & diminui si voluerit hi, qui in ius matrimonii conuenerunt, concessum est, sed quod dictum est de diminutione, si secundæ contrahuntur nuptiæ non est permissum, §. quæ uero.

Siue usus fructus per largitionem datur, uel mortis causa donatione celebrata, uel etiam in uita (quatenus tamen donare licet) relinquatur, & is, qui eum accepit ad secundas transeat nuptias manebit vsusfructus apud eum, qui detinet, quousque superstes erit, nisi is, qui donationem fecit expressis verbis declaret se uelle, ut si ad secundas demigret, nuptias qui vsumfructum accepit extinguatur, & hæc quidem dicuntur de his, quæ per causam largitatis offeruntur, d. nouel. const. 20. §. item si rerum.

Cæterum si usus fructus rerum in dotem, aut donationem ante nuptias datus sit, nihil innouatum est, & manebit apud eos, qui susceperunt, quoadusq; vixerint, & si plus millies defuncti in contrarium aliquid uoluerint. Neque enim ratione ali qua lucrum, quod publico legis beneficio confertur, auferre homo priuatus potest, d. const. §. cæterum.

Omnium

Omnium rerum, quæ ad filios perueniunt, siue ex materna linea, siue ex causa nuptiali filiorum, siue aliunde pater vsumfructum habet; tametsi ad secundas nuptias transeat: & hoc & in maternis bonis, & omnibus omnino aliis dispositũ sit excipiatur tamen ab his Castrensium, & quasi Castrensium peculiorum, & item quorundam aliorum ratio, d. nouel. const. 22. §. quoniam uero semel.

Mater sanè, quæ per donationem aliquid in filium contulit per causam ingratitudinis reuocare non potest, quia præsumitur ex cogitatione seuendarum nuptiarum hoc facere, nisi liquido filius, vel insidias vitæ matris posuisset, vel impias intulisset manus, vel contra ipsam ad totius substantiæ eius subuersionem molitus aliquid demonstretur, §. mater sanè.

Mulieres transeuntes ad secundas nuptias prioris uiri dignitatem, & priuilegia amittunt, secundi acquirunt, & retinet, d. nouel. const. 20. §. neque Item.

Filius debet educari apud matrem, quia nemo ad subleuandam filiorum necessitatem, & educationem filiorum idoneorum videtur, nisi ad secundas accedat nuptias, d. nouel. const. 22. §. porrò.

Dotes constante matrimonio restitui non debent, nisi ex causis, quas lex enumerat, alias donationis instar obtinebit: & si mulier moriatur, recipient dotes mariti ab uxorum hæredibus cum medii temporis fructibus, tàm ipsi, quàm hæredes eorum, & ex pacto conuento habebunt in lucrum. Et si ad secundas uiri nuptias procedant, conseruabunt hæc filiis, d. nou. cons. 20. §. porro autem dotes.

Tractatur de pœna mulierum transeuntium ad secundas nuptias, deserta filiorũ tutella, quæ est, vt dimidiam partem bonorum suorum filiis assignetur ne usũ quidem fructu apud eas manente. Prouidebunt autem iudices, ut ad nuptias animum adiiciente muliere tutelam gerente, & tutorem pupillis constituant, & rationem suscipiat, & quod mater administrare tutelæ nomine debet, restitui faciunt, nouel. const. 22. §. ad hæc.

De dispositione circa l. Miscellam.

Lex Miscella pertinebat, ut si uir prohibuisset, & quædam in hoc reliquisset, ne ad secundas mulier nuptias progrederetur, & iurata, quod liberorum causa hoc ageret, relictum caperet, atque eam licentiam mulieribus intra annum lex dabat, hoc uero præterito cum cautione, se ad secundas nuptias non peruenturas. Sed Iustinianus sanxit, vt si quis vxorem ad alterum peruenire matrimonium prohibuerit, aut etiam vxor maritum, & per hoc aliquid reliquerit, vt alter coniugum ex duobus electionem habeat: sed intra annum nulla omnino fit relicti exactio, nisi ratio superuenientis sacerdotii protinus alteri personæ capiendi ius præbeat, quasi nulla insuper spe nuptiarum existente. Si vero annuum tempus prætereat concedit, vt relictum capiat non simpliciter, sed si quidem immobilis res sit, ne aliter hoc capiat, quàm iuratoriam cautionem exponat, & prærerea res suas hyppothecæ opponat in eadem scilicet bonitate, quod datum est se restiturum, in qua suscepit, si ad secundas trãsierit nuptias, restitutis quorum fructibus, quos medio tempore perceperit. Si uero nobilis sit res, & quæ capere vult persona idoneas facultates habeat, quod relictum est sub eadem cautione & hypothecis datur. Et si quidem aliud, quid mobilium rerum sit, quam numerata pecunia, & in eadem bonitate restituat, in qua suscepit, aut si qua ex parte deterior facta sit, resarciat. Si numerata pecunia etiam cum in-

teresse

tereſſe reddat, quodcunq; inde potuerit percipere, ea re iuramento diſceptanda. Et ſi parum idoneus ſit facultatibus inſuper fideiuſſor exigitur. Si fideiuſſorem dare nequeat, tunc ſub iuratoria cautione & rerum ſuarum hypotheca, percipiat quidem relictum. ſimul ac uero ad ſecundas nuptias acceſſerit, hæc ab eo exigitur apud quancunque tandem perſonam extiterit, vt perinde æſtimetur, quaſi ne data quidem ab initio ſit. Quod obtinet in omni ſpecie reſtitutionis, ſiue mobile, ſiue immobile ſit, quod reſtitui debet. Cæterum ſi aurum in relicto ſit, ipſe uero dandæ fideiuſsionis inopia laboret, neque dignus uideatur, cuius fidei hoc concredatur, maneat id quidem apud illum à quo relictum fuit, ſed eius loco intereſſe licitum dependat, quod tandiu ſoluet, donec uel ille ſecundis ſe iungat nuptiis (quo tempore etiam ſoluti intereſſe repetitio locum habebit) vel manifeſtum ſit, non poſſe eum vlterius ad nuptias peruenire, ſiue ratione ſacerdotii (tunc enim illi relictum dabit) ſiue etiam morte. capient. n. omnino id hæredes eius, nihil pro ſoluto intereſſe redditur. Eadem obſeruatio & ratio introducitur, ſi quis extraneus ſub tali conditione relinquat, vel uiro uel mulieri. Ac prædictæ cautiones (ſiue inſtitutionis pars ſit, ſiue fideicōmiſſum uel legatum) daretur vel hæredibus, vel ſubſtitutis, vel his, à quibus hæc relicta ſunt, certè ſi mortis cauſa donatio omnino hæredibus. Si ſub tali uero conditione aliquis ex aſſe hæres ſcriptus ſit: ſubſtitutis (ſiquidem fuerint) aut ſaltem his, qui ab inteſtato ad hæreditatem uocantur, id genus cautionis præſtet. Niſi teſtator permiſerit eum, quem ex parte, vel ex aſſe inſtituit, cuive legatum, aut fideicommiſſum, aut mortis cauſa donationem reliquit, ut & relictum capiat, neque tamen ullam cautionem præſtet. Tunc enim ſequenda eſt defuncti uoluntas, d. nouel. conſt. 22. §. Enimuero.

Si quis in donationem ante res conferat, quæ omnes immobiles exiſtant, harum rerum vſusfructus ad matrem ad ſecundas digreſſam nuptias maneant, & ipſa eum colligat, neque recuſet, neque exigat à filiis pro earum rerum æſtimatione intereſſe, ſed curam illarum gerat, inquantum lex permittit vſufructuariis cuſtodiatque eas ſecundum leges ſuperſtitibus filiis, aut ſi omnes deceſſerint ſecundum hanc legem caſu quidem non exiſtentium filiorum matris, reliquo vero filiorum hæredibus conſeruando, d. nouel. conſt. 22. §. quoniam vero.

Si vero uniuerſa ante nuptias donatio in numerata pecunia, vel aliis mobilibus rebus conſiſtat, mater intereſſe cum cautione legibus iam expreſſa percipiens aurum à filiis exiget, niſi fortè mariti ſubſtantia omnium rerum copia abundet & aurum, argentum, veſtem, quicquid deniq; matri tranſcriptum fuit, habeat, tunc enim electio datur matri, vtrum res capere, & fideiuſſoriam cautionem præbere, an ſecundum priores leges, intereſſe velit percipere. At ſi permiſtę res ſint, & donatio partim numeratam pecuniam, partim immobiles res habeat, immobilia quidem omnino apud matrem reſidebunt, & inde alimentum habeat. In mobilibus vero eadem obtinebunt, quæ prius lege ſancita ſunt. Cum omnes res donationis ante nuptias in mobilibus conſiſtunt diligenter proſpiciente muliere, ne quid per negligentiam in rebus immobilibus admittat, & deteriores eas faciat, ſed quales accepit, tales & reſtituat, d. nouel. conſt. 22. §. ſi vero vniuerſa.

Matres ad filii, qui ipſe filios non reliquit hæreditatem una cum ipſius defuncti fratribus admittuntur, eamque firmiter, tàm iure utendi fruendi, quàm proprietatis tenebunt, ſiue ante, ſiue poſt delatam hęreditatem ſecundis ſe nuptiis iunxerint, abrogatis per illam cæteris legibus, quæ contrarium de his aliquid

promul-

promulgabant, quæ est dispositio supra in nouell. constitutione secunda, §. cum igitur.

Sed emendat hanc constitutionem Iustinianus hoc modo, uidelicet, necesse est, ut filius, qui moritur, siue masculus, siue fœmina, vel confecto testamento moriatur, vel sine testamento. Si itaque filius legitimè facto testamento substantiam, partemve eius aliquam matri relinquet, capiet eam ipsa, propter scripturam, vt defunctorum voluntates conseruentur relictumque, aut datum pleno iure, tàm proprietatis, quàm vsusfructus obtinebit. Quemadmodum enim integrum erat alicui relinquere extraneo, neque hæredi secundæ illius nocuissent nuptiæ, ita & cum matri is, vel ea, siue ex institutione hæreditatem, siue legatum reliquerit, rectè id relinquet, tàm iure proprietatis, quàm vsusfructus, siue ex iis rebus fuerit, quæ aliundè aduenerint, siue ex paternis bonis, nihil ea in re fratribus queuntibus contradicere, d. nouel. const. xxii. §. ex hoc.

Quod si filius intestatus decedat, matre iam ad secundas progressa nuptias, aut postea accedente, uocetur quidem & ipsa una cum filii filiæve fratribus, vel fratrum filiis pro virili ab intestato ad illius successionem, ita tamen, ut eorum, quæ ex paterna ad filium substantia peruenerunt tantummodo vsumfructum habeat, siue ante, siue post id tempus omnino ad secundas procedat nuptias. Ad reliquas uero res, quæ præter paternam successionem filius, iam inde ab initio in bonis habuit perueniat, & hæc dicta sint de rebus, quæ extra donationem ante nuptias sunt positæ leges, si disponentes in his matres, vsumfructum habere inuiolata conseruantur. Quæcunque verò extra donationem ante nuptias filio à patre, aut ex aliis causis, siue ex testamento, siue ex successionibus ab intestato accesserunt, id quod de ingratis filiis dictum est, cum uera ingratitudinis causa ostenditur ex omni parte, in his etiam rebus seruatur omnibus aliis, quæ de successione parentum in filiis, vel filiorum in parentibus dicta sunt, inuiolabiliter custodiendis, dicta nouell. constitutione vigesima secunda, §. quod si filius.

Consideratur etiam ingratitudo fratris erga defunctum fratrem; & is duntaxat, tanquam ingratus circa fratrem in partem huius lucri vocari non sinitur, qui per insidias fratri mortem intentarit, qui criminalem illi accusationem impegerit, qui uniuersa eum substantia exuere studuerit. illius enim portio, tàm ad reliquos fratres, fratrumque filios, quàm ad matrem perueniet, d. nouel. const. xxii. §. at uero.

Mater correcto Senatusconsulto Tertulliano succedit vna cum defuncti masculis, fratribus pro filiorum numero, ut ipsa habeat, tantum quantum vnusquisque ex fratribus, & idem si simul sint fratres, & sorores, & similiter quando sint sorores folæ, & mater.

Parentes ex Concilio debent æqualitatem seruare inter filios primi, & secundi matrimonii, ne funditus priores filios depauperet, secundos opibus auctos reddat: imo reputantes animo, quod ambo filii sunt, ita successionem in testamentis partiantur, ut cum secundis prospiciunt, prospiciant & primis: possunt tamen inæqualitatem seruare, dummodo filii in legitima portione prouideant, §. postremo.

Ex constitut. Nouell. xcviij.

Si mulier moriatur, & eueniat lucrum fieri uiro hæc dos omnino seruatur filiis, siue ad secundas veniat nuptias, siue etiam non. Et ex diuerso si mortuus fuerit vir, mulier autem ante nuptiali donatione lucra propriis filiis reseruat. nouell. const. 88. §. præterea.

Si mulier intra tempus lustri sub finem anni pariat, & extra omnem controuersiam positum sit eam prolem ex priore matrimonio non existere, vt ea prorsus donatione ante nuptias priuetur, tàm iure proprietatis, quàm vsusfructus, & præterea metu inscriptionis de adulteriis in periculum adducatur nouel. constit. 39. §. alteri uero vsq; ad finem.

Quod dispositum est in matre non transeunte ad secundas nuptias, ut habeat etiam proprietatem quantum filiorum faciat quantitas, non solum ualet in matribus, sed etiam in patribus, & aliis ascendentibus ad secundas nuptias non uenientibus, Nouell. const. 127. quia vero.

Finis Quartæ Partis.

REGISTRVM.

AAAa BBBb CCCc DDDd EEEe FFFf GGGg HHHh IIIi KKKK LLLl.

Omnes sunt Terniones.





calibrite
colorchecker CLASSIC
mm